34

FÜRSTLICH AUERSPERGISCHE FIDEICOMMISSBIBLIOTHEK ZU LAYBACH
W. C. 3. 2.
34

3 vol. in 2,
but lacks
pt. 2 of vol. II
(653 pp.)

Wolfg. Engelb: S.R.I. Com: ab Aursperg
TOMI·III·APPARATVS
VRBIS·AC·TEMPLI
HIEROSOLYMITANI
PARS·I·ET·II
IOANNIS·BAPTISTAE
VILLALPANDI
CORDVBENSIS
E·SOCIETATE·IESV
COLLATO·STVDIO·CVM·H·PRADO
EX·EADEM·SOCIETATE
ROMAE
Superiorum Permissu
Cat: Inscr: Ano 1656
Typis Illefonsi Ciaconij excudebat Carolus Vullietus Anno Domini MDCIIII

D· O· M
PHILIPPO· TERTIO
REGI· MAXIMO
HISPANO· AMERICO
INDICO· LIBYCO
SICVLO
HIEROSOLYMITANO
BALEARICO· SARDICO
CYRNICO
BELGII· LARGITORI
LIBERALISSIMO
IOANNES· BAPTISTA
VILLALPANDVS
E·SOCIETATE
IESV
HIEROSOLYMAE
EXEMPLVM
D· D· Q

CLAVDIVS AQVAVIVA SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS

CVM has partes primam & secundam tertij Tomi Apparatus Vrbis,& Templi Hierosolymitani,à Patre Ioanne Baptista Villalpando nostrae Societatis Theologo compositas, quatuor eiusdem Societatis Theologi,quibus id commisimus,recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si Reuerendissimo Domino Vicesgerenti, & Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romae xxviiij. Martij 1602.

Claudius Aquauiua.

Locus ✠ sigilli

Imprimatur si placet Reuerendiss. P. Magistro S. Palatij.
B. Gypsius Vicesgerens.

Imprimatur. Frater Angelus Baronius Venetus Magister, & Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Socius Ordinis Praedicatorum.

PHILIP-

V.

PHILIPPO TERTIO REGI CATHOLICO

IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS

FOELICITATEM.

CLARISSIMA sunt & maxima (Rex Potentissime) quae Pater Tuus Rex optimus in me beneficia contulit. Sed illud in primis certissimum beneuolentiae argumentum memoria colam sempiterna; quòd si quando de hoc opere, quod in nomine isto Regio apparere volui, vel me, vel alium pro me agentem audiuit, Maiestatem Tuam voluit interesse; ac ne ipse quidem abesse voluit, si quando Tecum pertractanda res esset. Quo nimirum facto, ea Rex prudentia, vt nihil vmquam sine consilio gereret, haud obscure significasse videtur, & quanti meam qualemcumque operam faceret ipse; & quanti à Te faciendam iudicaret. Videbat ille studium meum, diuturno ac maximo labore susceptum, sine Regum beneficentia promoueri non posse: atque adeo suam in me constantissimam voluntatem; à cuius ipse vsu extrema iam aetate

videbatur excludi, commendabat Heredi; taciteque mihi indicare videbatur, collata in me beneficia non minus Tibi, quàm sibi accepta esse referenda. Quae ergo tantis tantorum Regum promeritis par aliquando gratia referatur? Vrbsne aliqua? an Prouincia, an Regnum? At quid hoc tandem esset vel ei, qui tam multa Regna obtinet, vix vt ea numerando percenseri possint; vel cui ad plura, ac maiora aditus aperiatur in dies; vel ei, qui vrbes, Prouincias, Regna quasi ditionis suae additamenta donarit? Intellectum id est nuper in Belgio, quod à Te dotis nomine inuicto Principi permissum est; vt nisi quem Regem efficias, parum Tibi Tuo beneficio videatur ornatus. Cogitaui tamen (id quod ne isto quidem fastigio indignum videri queat) Hierosolymae formam exprimere, cuius moenia denis passuum millibus ambiuntur, cuius turres in quartam assurgunt stadij partem, in qua militum decies centena ac centum sexaginta millia numerantur; cuius in thesauris, vno eodemque tempore, ter millies decies centena aureorum millia condebantur: quae sanè ciuitas illius quondam fuit Israelitici caput Imperij... eam nunc ad Te, Rex maxime, mitto. Verumtamen vt illam ipsam vrbem Tibi donarem, munus foret sanè perexiguum, nisi eadem vrbs illius esset caelestis ciuitatis imago in terris expressa. qua profectò spectanda, ac tanquam cogitationis passibus peragranda, sacrorum Voluminum scientia comparatur, antiquitatis memoria excitatur, historiarum vera cognitio constat, prudentiae capiuntur documenta praeclara, & (quod caput est) pietas in Deum, ac supremae illius Hierosolymae religio alitur, & augetur. De hac enim vrbe agitur in huius voluminis priore parte. Posterior autem tota versatur in eius Reipublicae ponderibus,

deribus, mensuris, ac numismatis expendendis; quae sane Respublica & vna omnium optima fuit, & optimis quondam, diuinis quippe, legibus temperata. In qua disputatione eiusdem ciuitatis amplitudo, administrandi ratio, opes, templique ipsius maiestas exponitur. Quae quidem cuncta & Rege, magnoque Principe digna sunt; & illa certe dignissima, quòd eadem pondera, atque mensurae sunt, & iustitiae, quam commutatiuam dicimus, vel instrumenta vel signa, & symbola quaedam ac hieroglyphica distributiuae. Quae omnia profectò me, vt hoc opus Maiestati Tuae dicarem, impulerunt, cuius & Imperium Hierosolymitano illo multò longius latiusque patet, & opes illius propè opes exaequant, & opidorum numerus cum illius, vel ciuium ipsorum numero comparari facile possunt: & amor denique, studiumque religionis, iustitiae, prudentiae est eius temporis quàmsimillimum, quo in eo Regno hae virtutes omnes maximè floruerunt: vt iam ciuium Tuorum vitam appellare beatam liceat, opibus firmam, copijs locupletem, gloria amplissimam, virtute quàm honestissimam. Verum quid ego ista commemoro? An non illa Hierosolymae antiquissima ditio Tui nominis est? per vim illa quidem tenetur à barbaro, sed Tui iuris est quidquid de felici illo Regno his monumentis ac litteris consignatur. Ergo quotiescumque mea leges, toties Regni Tui descriptionem velut in tabula cernes expressam. Opus igitur tot Maiestati Tuae nominibus debitum, iure optimo Augustissimo isti nomini consecratur, cuius quantumcumque est, totum se esse profitetur: quoniam ad ius illud, quod Tibi est in se, cum Tuo Parente commune, alterum accessit hereditarium; vt ipse quidem nihil Tibi non Tuum donare queam. Pa-

tere igitur in tua clientela meum nomen esse; vt & ego, & Societas nostra nouis Tibi nuper officijs deuincta certissimum in ista fide praesidium habeamus; & assiduè Tuae Regiae Maiestati à Deo immortali precemur verae felicitatis incrementa, sobolis foecunditatem, vitae diuturnitatem Christianae Reipublicae salutarem. Romae Idibus Ianuarij. Anno à Christo nato millesimo sexcentesimo tertio.

IX.

IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS LECTORI S.

DVO sunt omnino (quantum ego quidem intelligo) quae in prooemijs librorum suorum Scriptores praestare solent: alterum eò pertinere videtur, vt amice; alterum, vt intelligenter legantur. Illud porro cum operis, tum operae commendatione, hoc partim consilio & instituto suo, partim rerum de quibus agunt, ordine, & constitutione proponenda, facilè se consequi posse confidunt. Quod ad primum attinet, nihil est, quòd à nobis hoc loco de operis nostri laudibus disseratur: quando quae de illo grauissimi, doctissimique viri & sentiunt, & loquuntur, audire non decet, nedum commemorare. Illud certe semper profitebor, si quid in eo feliciter inuentum sit, si quid explicatum diligenter, id totum Dei esse: si quid perperam, si quid minus considerate, meum: cuius vt fuerit in multis errare ac decipi; ita (profitenti crede) erit, errata non solum agnoscere, & corrigere, verum etiam siue corrigenti, siue indicanti gratiam immortalem habere: operam & laborem non inficior fuisse magnum, tantumque, quantum fortasse nemo suspicari queat. id quod mirandum non est, si rei susceptae grauitas, & amplitudo cum ingenij nostri, viriumque imbecillitate conferatur. Quod pertinet ad secundum, cum opus hoc tam varijs, tamque inter se diuersis partibus constet; si cui, mihi potissimum praestandum esse sentio, vt omnes hoc initio percipiant, quae fuerit in eo aggrediendo consilij nostri ratio, quodque in pertexendo institutum. Scriptores enim alij vel aliquem sibi ex veteribus explanandum suscipiunt, vel nouum quodpiam sumunt argumentum; quo fit, vt ipsa libri inscriptione declarent, quid agant. nos verò, qui praeter praestantissimi Prophetae explanationem, tertium hunc tomum Apparatus adiungimus, necessario paulò pluribus aperire debemus, quidnam in eo contineatur, quaue ratione cum duobus primis, quibus Prophetae interpretationem comprehendimus, consentiat: quod, quàm planissimè ac breuissimè fieri poterit, praestare conabimur. Annus est ferme secundus & vigesimus (quod etiam huius operis initio dixi) cum gratissimae memoriae P. Hieronymum Pradum, meque ipsum incredibilis quaedam incesserit cupiditas Hierosolymitani Templi formam, cuius de amplitudine, opibus, atque praestantia tam multa cum à sacris, tum à profanis Scriptoribus memoriae prodita sunt, animo comprehendendi. Quamobrem cum loca omnia sacrarum Litterarum, quae quidem huic rei vsui esse posse videbantur, collegissemus, eaque cum alijs non paucis Ezechielis Prophetae contulissemus, facilè descendimus in eam sententiam, vt Ezechielis ipsius monumenta reliquis omnibus praeferenda esse iudicaremus: siue quòd nusquam plura, siue quòd à nemine diligentius, atque accuratius de Hierosolymitano Templo perscribantur. Iam in suscepto consilio eò magis confirmati sumus, quò saepius, diutius, attentius loca ipsa perpendimus, & quò plura quotidie assiduè meditando, interque nos conferendo emergebant, quae magnopere ad rem, quam parabamus, pertinere videbantur. Atque haec causa fuit, quamobrem, postquam animum ad scribendum appulimus, ne hinc illincque cogeremur ex Prophetae scriptis decerpere,

quae

quae propius augustissimi Templi constitutionem attingebant, vniuersam Ezechielis Prophetiam explanandam nobis proponeremus.

Verumenimuerò inter scribendum ita se nobis late patens campus aperuit; vt non vno volumine, sed vix duobus res tota comprehendi posse videretur. tam multa sunt, tamque varia, quae Propheta hic noster diuino afflatus Spiritu pronunciauit, vt diuinorum potius librorum omnium epitomen confeciſſe: quàm nouum quempiam veteribus adiunxiſſe, non iniuria affirmare poſsimus. neque id solum, sed vix est ars vlla, aut facultas, aut disciplina, ex qua, si quis animum aduertat, non plurima sint in hanc Prophetiam tamquam ex fontibus deriuata. Ex quo factum est, vt duobus tomis tertium addendum esse censeremus, qui eas tractationes & commentarios amplecteretur, quos eiuscemodi rebus lucem aliquam afferre posse existimauimus: non quidem omnibus, sed ijs dumtaxat, quae vel ad vrbem, vel ad Templum Hierosolymitanum pertinere visa sunt: siquidem ipsius Templi cognoscendi causa fuerat hic omnis labor antè susceptus, nec probè Templum ipsum cognosci posse videbatur; nisi multa etiam de vrbe, in qua fuerat exaedificatum, disputarentur.

Iam tertio hoc tomo non vnum aut alterum argumentum complexi sumus, sed varium & multiplex, vt nihil in eo ferme desiderari poſsit eorum, quae ad vrbis, & Templi post hominum memoriam celeberrimi cognitionem pertinent: & proinde non incommodè hoc titulo praenotandum censuerimus: APPARATVS VRBIS ET TEMPLI HIEROSOLYMITANI. Porro vt distributione atque ordine rerum obscuritati & perturbationi occurreretur, Apparatum ipsum tribuimus in partes omnino quinque.

Prima in eo tota posita est, vt explicet, quaenam fuerint vrbis initia, qui situs, quae partes, à quibus fundata, & aucta, quibus fuerit appellata nominibus, quem felicitatis cursum tenuerit, quo pacto vastata & direpta, qua ratione rursus fuerit instaurata, vt tandem excidio vltimo funditus deleta teterrimi parricidij poenas penderit acerbissimas. Quae omnia non solum pertractantur, vt sunt ab Ezechiele perscripta; sed etiam, ex eo sumpta occasione, eiusdem vrbis perpetuo quodam tenore historiam contexuimus, nihil vt non poſsimus vel sacrarum Litterarum, vel probatissimorum Scriptorum testimonio confirmare: neque historiam tantum attexuimus, verum etiam eiusdem vrbis simulacrum affabrè fingendum curauimus, quod deinde in Hispanias ad Catholicum Regem transmisimus. Ad haec imaginem eiusdem vrbis aeneis formis expressam in calce primi libri huiusce primae partis apponere voluimus, eo consilio, vt quantum quidem in nobis est, nobilissima quondam vrbs Christianae Ecclesiae, & caelestis patriae typus è densissimis tenebris, in quibus multis iam saeculis iacuerat, in lucem, hominumque conspectum tandem aliquando prodiret, eorum praesertim, qui diuino perfusi lumine arcana mysteria penetrare possunt, quae sub eiusdem vrbis simulacris ac nominibus delitescunt. In quo non possum non gratulari felicitati meae, cum Optimus & Sanctissimus Pontifex Clemens VIII. qui vnus in terris Christi personam gerit, non solùm saepius Templi, & vrbis imagines inspicere, verum etiam vrbis simulacrum, quod dixi, contemplari, quae eius est singularis benignitas, non indecorum sibi existimarit; vt sperare liceat futurum vt opus hoc in nonnullam Christi Optimi Maximi gloriam, totiusque Christianae Reipublicae vtilitatem cedat (quod vnicum nostrum votum est) cuius primitias, ipsius Christi Vicarius, & Ecclesiae totius Caput nequaquam est aspernatus.

Ad alteram operis partem, qua de ponderibus, numismatis, & mensuris Hebraeorum agitur, idem nos Propheta deduxit, qui Templum, & vrbem calamis, cubitis, palmis metitur: sine quarum rerum notitia, vrbis, & Templi ipsius

pli ipsius partes & magnitudo vix, aut ne vix quidem poterat deprehendi: ita vt Ezechiel cubiti longitudinem, sicli pondus, Cori, Ephi, & Bati capacitatem, ac proinde omnes Reipublicae illius mensuras, pondera, ac numismata proponere voluisse videatur. Fuit hoc opus sanè difficile, & multis partibus impeditum, quod nisi Mathematicis demonstrationibus tamquam Ariadnaeo filo errantia vestigia rexissem, proculdubio in obscurissimo labyrintho foedissimè, ac saepius offendissem. Ergo noua quaedam theoremata, ac problemata tamquam futurae molis fundamenta ipso initio praeposuimus. Neque verò partis huiusce argumentum difficile magis fuit, quàm longum: cum agendum necessariò fuerit non solùm de mensuris, numismatis, atque ponderibus Hebraeorum, verum etiam Romanorum, atque Graecorum; quandoquidem sine mutua comparatione totum hoc argumentum tractari non potest. Qua tamen in re laborem nostrum non putabit, opinor, quispiam superuacaneum: siquidem à nemine ad hanc diem tentatam, quod sciam, rationem indagauimus, qua Tabularum, & Arithmeticae beneficio, accurata ponderum omnium, numismatum, ac mensurarum, cuiusque modi inter sese comparatio perspiciatur: neque id solùm, sed etiam quo pacto mensurae ponderibus, numismatis pondera tum veterum, tum nostra haec Romana, & Hispanica mutuo sibi respondeant: ita vt quilibet seu Romae, seu in Hispanijs, mensuris suis, quascunque veterum mensuras quàm exactissime possit examinare; quod equidem initio ne optare quidem ausus essem, nunc autem cum tam feliciter perfectum considero, quid amplius cupere debeam, sanè non video. Atque haec omnia imaginibus summa industria aeneis formis expressis illustranda fuerunt. Singularis enim liberalitas, & munificentia eius Regis, in cuius augustissimo nomine lucem opus hoc aspicit, nequaquam pateretur, vt sumptui parceretur: nec fides, aut diligentia nostra laborem vllum, licet arduum, subterfugere debuit.

Tertia pars ipsi Templo fuerat destinata. quamquam enim secundo tomo, qui Prophetae explanationem continet: praesertim verò altera eiusdem tomi parte, qua vltima Ezechielis visio exponitur, multa de Templo differuntur; non tamen abunde tam amplo argumento factum satis videri poterat, nisi Templum ipsum integram sibi in hoc opere partem vendicaret: in qua ordine de ipsius Auctoribus, Architectis, Fabris, operis artificio, materia, instrumento aureo, argenteo, aeneo disputaremus: ad haec quo tempore coeptum fuerit exaedificari, quo absolutum, direptum, excisum, instauratum, qua denique ratione fuerit miserandum in modum solo aequatum, funditusque deletum. Est haec pars infinitis propemodum rebus referta, quae non solùm legentium voluptati; sed, quod caput est, etiam ipsius Templi cognitioni magnopere deseruiant. Neque verò his omnibus cognitis Lectoris animus conquiescere posse videbatur, nisi etiam intelligeret cui tandem rei, cuinam vsui tanti operis molitio fuisset exstructa. addenda proinde fuit. Quarta pars, in qua de Templi Ministerijs atque Ministris, de diebus festis, deque feryis, in quibus stata fieri consuessent sacrificia differetur, qua sanè pars est non minus, quàm reliquae ad Prophetam nostrum intelligendum necessaria: quoniam hisce postremis ipse capitibus data opera de hisce rebus omnibus non obiter egit. Atque haec omnia, quae hactenus diximus, ad historiam de Templo pertinere nemo non videt: quae historia cum, quemadmodum ego sentio, mysteriorum sit quasi solum ac fundamentum; non abs re futurum existimauimus, si quintam superioribus partem adiungeremus, quae tropologicam Vrbis, & Templi Hierosolymitani interpretationem comprehenderet, non quidem longis, siue nostris, siue alienis disputationibus onerandam: quid enim hoc esset aliud, quàm topp partem maiorem redderè? Sed ijs dumtaxat exornandam sententijs, quae in sacris Litteris aut exprimuntur, aut indicantur: idque parcè; quantum vtdelicet

satis

satis esset, viam hac in re ineundam tamquam digito commonstrare. Hoc igitur opus, etsi non deinceps è singularum eius partium ordine typis mandatum, de industria est à me velut in liberali custodia retentum, eo consilio, vt simul deinde prodiret vniuersum, aut certè donec eiusmodi pars tomi cuiusque in manus hominum venire posset, quae eiusdem specimen aliquod exhiberet.

Habes, Benigne Lector, quae fuerit consilij nostri ratio, quodque in hoc opere patrando institutum. Sed quia, quemadmodum diuinitus à Sapiente pronuntiatum est, Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius; ad hanc diem non solum ad exitum perduci non potuit, sed ne illa quidem ratione, qua maxime cupiebamus, omnino disponere licuit. cum enim Deus Optimus Maximus duos dumtaxat, & quod ad me attinet, satis imbecillos, ad tantum onus subeundum vocasset, cui vix plurimi fortasse vel robustissimi ferendo essent; Patrem Hieronymum Pradum (quae sunt Diuinae sapientiae consilia) suscepto labori ante subtraxit, quàm primi Tomi folium vllum iret sub praelum. Quae profectò causa fuit, cur Tomus ipse vna sui parte minor redderetur, quam deinde in secundum reijciendam existimaui; egoque adhuc neque secundum confecerim, & in tertio propter rerum multitudinem ac varietatem, ita duae primae partes excreuerint, vt ne iusti voluminis modus excederetur, postremae tres alteri volumini fuerint reseruandae; quem Deo bene iuuante primo quoque tempore in lucem edere constitui. Interim ad secundi Tomi partem posteriorem, omissa tantisper priore, cuius adhuc duo tantum capita sunt excusa, regrediendum est, ne diutius quàm plurimorum expectatio, qui ex prouincijs omnibus fidem appellare nostram non desistunt, suspensa teneatur.

Porro quod ad huius tertij Tomi auctorem pertinet, auertat à me Deus, vt in partem laudis non vocem Patrem Hieronymum Pradum, qui fuit particeps & laboris. multa ex his cum eo contuli; quaedam ab illo accepi; accepta tamen conatus sum reddere meliora. Verùm in multis, vti fit, ab illo dissensi secutus sum interdum eius sententiam; in nonnullis deserui. ex quo intelligas, quid causae sit, cur in huius tertij tomi inscriptione verba illa ponantur, Collato studio cum Patre Hieronymo Prado. Atque vtinam vere Patri Hieronymo totum opus posset adscribi: profectò longè aequiore essem animo. nam praeterquam quòd multo plus auctoritatis ab eius nomine opus ipsum acciperet: prope decem annorum laborem (tot enim ab eius obitu iam effluxerunt) ad id, quod propriè meum erat, contulissem & hoc tempore fortasse intelligerem, quae sint de opere nostro posteritatis futura iudicia: nec assiduo metu sollicitarer, ne, infirmissimis praesertim vtens viribus, non possem aliquando institutum opus ad exitum, fastigiumque perducere. Verum his omissis, quae ad Lectorem non pertinent, iterum profitebor id quod res est: si quid à nobis excogitatum est, quod legentibus vtile futurum sit, aut cum aliqua nostra laude coniunctum, quando diuini muneris totum fuit, Deo bonorum omnium largitori acceptum esse referendum: si quid secus; ignorationi, atque imperitiae meae. Quocirca quidquid hoc in opere continetur, meque ipsum Diuinae gloriae, & Christianae Reipublicae commodis prorsus addico. Libros verò ipsos vt iam ad pedes Clementis Octaui Sanctissimi, atque optimi Pontificis detuli; ita etiam penitus eiusdem iudicio, atque censurae libens volensque subijcio.

S. D. N. Clementis Papae Octaui priuilegium ad viginti annos habetur Tomo primo. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris. Die ix. Maij. M. D. XCIIII.

RVDOLPHVS Secundus, Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, & Virtembergae &c. Comes Tirolis &c. Notum facimus tenore praesentium vniuersis: Quòd cum nobis exponi curauerit honorabilis, doctus, deuotus, Nobis dilectus Ioannes Baptista Villalpandus Societatis IESV Theologus, se vnà cum Hieronymo Prado assiduis multorum annorum lucubrationibus opus quoddam tribus Tomis distinctum, & imaginibus illustratum concexuisse, & elaborasse, quod inscribitur: Explanationes & Commentarij in Ezechielem, & Apparatus Vrbis, ac Templi Hierosolymitani; idque vt in publicum edatur, magnis ab se non tantum curis, sed & sumptibus curarit: vereri autem sese, ne alij praeter suum Typographum quaestus causa (quod fieri solet) opus hoc imitentur, aut excudant; ac proinde nos obnixè rogarit, vt auctoritate nostra Caesarea interposita, suae hac in parte indemnitati consulere cleniens dignaremur. Nos benigne considerantes, quàm opus illud publicè vtile futurum, quantumque solatij pijs Christianorum animis allaturum sit, humilibus eiusdem precibus deesse noluimus. Ideoque omnibus, & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcumque Librariam negotiationem exercentibus, serio firmiterque vetamus, ac inhibemus, ne quispiam praenarrata opera per viginti annorum spatium, à prima editionis die computandorum, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque, & Dominiorum nostrorum hereditariorum fines, simili, vel alio charactere, aut forma, siue in toto, siue in parte, recudere, vel alio recudenda mittere, aut alibi etiam impressa adducere, vendere, & distrahere, clam, seu palam contra voluntatem, & consensum supradicti Ioannis Baptistae Villalpandi, eiusdemue heredum praesumat. Si quis verò secus faciendo, priuilegium hoc nostrum Caesareum negligere, vel transgredi conatus fuerit, eum non solum praenarratis libris, perperam quippe recusis, & adductis (quos praenominatus Ioannes Baptista Villalpandus, eiusue heredes, & Mandatarij illorum, vbicumque deprehensos, vel propria auctoritate, vel Magistratus loci illius ope & auxilio, sibi vendicare poterunt) de facto priuandum, sed & poena decem marcharum auri puri, Fisco nostro Caesareo, fraudis vindici, & saepe fato Ioanni Baptistae Villalpando, eiusue heredum vsibus ex aequo pendenda, decernimus irremissibiliter plectendum: dummodo tamen opera illa nihil in se scandalosum, aut Orthodoxae religioni Catholicae, Sacrique Romani Imperij constitutionibus aduersum, siue in praefatione, siue in textu, vel aliàs quoquo modo contineant. Mandamus ergo omnibus ac singulis nostris, & Sacri Romani Imperij, Regnorumque, ac ditionum nostrarum hereditariarum subditis, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis, quàm saecularibus, praesertim vero ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum nomine & loco, Ius, ac Iustitiae administrationem exercent, ne quemquam hoc priuilegium nostrum Caesareum temere, & impune transgredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos forte compererint, praescripta poena plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli nostri Caesarei impressione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Pragae, die decima quinta mensis April s. Anno Domini Millesimo, quingentesimo nonagesimo nono. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo quarto, Hungarici vigesimo septimo, & Bohemici itidem vigesimo quarto.

Rudolphus.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium.

Rudericus Coraducius.

Locus † sigilli

Ioannes Baruitius Secretarius.

HENRY *par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos amez & feaulx Conſilliers, les gens tenans noz Courts de parlement de Paris, Tholouze, Rouen, Bourdeauz, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretagne, Bailliz, Preuoſtz, & Seneſchaulx deſdictz lieux, Lyon, Poictiers, Orleans, Bourges, Champagne, ou leurs Lieutenants, & à tous nos autres Iuſticiers, & officiers, & à chacun d'eulx endroict ſoy, ſi come à lui appartiendra ſalut. L'Ambaſſadeur de noſtre treſcher & treſamé frere & couſin le Roy Catholicque d'Eſpagne Nous ayant ſupplié & requis qu'il nous pleuſe en ſuitte du priuilege & permiſſion accordee par noſtre Treſainct Pere le Pappe, & par ledict Roy d'Eſpagne aux Peres Hyeroſme Prado, & Iehan Baptiſte Villalpand preſtres de la Compagnie de Ieſus, leur accorder auſſi noſtre promiſſion de faire imprimer trois tomes de leur oeuures intitulez: Hieronymi Pradi, & Ioannis Baptiſtae Villalpandi In Ezechielem Explanationes, & Apparatus opus tribus Tomis diſtinctum. In quorum primo continentur Explanationes, & Commentarij Hieronymi Pradi in priora ſex & viginti capita Ezechielis: In ſecundo verò Explanationes Ioannis Baptiſtae Villalpandi, in reliqua viginti duo eiuſdem Prophetae capita. Tertio denique Apparatus Vrbis, ac Templi Hieroſolymitani ab eodem Ioanne Baptiſta Villalpando Commentarius, & aeneis deſcriptionibus explicatus; ſtudio tamen eum ſupradicto Hieronymo Prado collato. Nous inclinans liberalement à la priere, ſupplication, & requeſte dudict Ambaſſadeur, Nous auons auſdictz peres Prado & Villalpando, de noſtre grace ſpecialle, plaine puiſſance, & auctorité Royalle, donné & octroyé, donnons & octroyons par ces preſentes congé & permiſſion d'imprimer, ou faire imprimer en telles marges & caracteres que bon leur ſemblera les trois tomes des liures ſuſdictz. Iceulx faire mettre & expoſer en vente en ceſtuy noſtre Royaume, durant le temps & eſpace de vingt ans, à commencer du iour qu'ilz ſeront acheuez d'imprimer. Pourueu qu'en iceulx il n'y ayt aucune choſe contre le bien de noſtre eſtat. Deffendans à tous Imprimeurs de noſtre Royaume, & à toutes perſones de quelque qualité qu'il ſoyent, de les faire imprimer, ny mettre en vente, durant ledict temps, ſans le congé, conſentement, & permiſſion deſdictz Prado, & Villalpand, ſur peine de confiſcation d'iceulx, d'amende arbitraire, & de tous deſpens, dommages & intereſtz enuers eulx. Voulons en outre qu'en mettant, ou faiſant par eulx mettre au commencement, ou à la fin deſdictz liures ceſdictz preſentes, ou vn bref extraict d'icelles, qu'elles ſoyent tenues pour ſignifiees & venues à la cognoiſſance de tous, ſans ſouffrir, ny permettre leur eſtre faict, mis, ni donné aucun empeſchement au contraire. Non obſtant oppoſitions, ou appellations quelconques. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris quatrieſme Iour d'Aouſt. L'an de grace mil ſixcens vn, & de noſtre Regne le treizieme.*

Henry

Par le Roy

De Neufuille.

Locus † sigilli

MARINVS GRIMANVS Dei gratia Dux Venetiarum &c. Vniuerſis, & ſingulis Rectoribus quarumcumque Ciuitatum, Terrarum, & locorum noſtrorum, ceterisque Repraeſentantibus, & Miniſtris noſtris quibuſcumque; necnon Magiſtratibus huius Vrbis noſtrae Venetiarum tam praeſentibus, quàm futur s, ad quos harum executio ſpectat, ſeu ſpectare poterit, ſignificans hodie in Conſilio noſtro Rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infraſcripti. Videlicet. Che in gratificatione dell'Illuſtriſſimo Signor Duca di Seſſa ſia conceſſo al Reuerendo Padre Giouan Battiſta Villalpando della Compagnia di Gieſu, che neſſuno nello Stato noſtro, poſſa ſtampare, ne altroue ſtampati vendere in eſſo, libri, & opere, che egli inſieme co'l Reuerendo Padre Gerolamo Prado della iſteſſa Compagnia, hà compoſto, intitulara: Commentarij & Expianationi ſopra Ezechiel, & Apparatus Vrbis ac Templi Hieroſolymitani, opus tribus Tomis d ſtinctum, & imaginibus illuſtratum, ſenza eſpreſſa licenza del detto Reuerendo Padre Giouan Battiſta Villalpando, ò de chi da lui haue à procura, & queſto per il ſpatio di anni dieci, à computarſi dalla publicatione di detti Libri, ſotto pena di perder le opere ſtampate, qual ſiano del ſupplicante, & di ducati trecento da eſſer diuiſi per terzo, ſecondo l'ordinario, all'Accuſatore, al Magiſtrato, che farà la eſſecutione, & alla Caſa del l'Arſenal, eſſendo obligato oſſeruar quanto è diſpoſto per le leggi noſtre in propoſito di Stampa. Quare auctoritate ſupradicti Conſilij mandamus vobis, vt ſupradictam partem obſeruetis, atque ab omnibus inuiolabiliter obſeruari faciatis. Datae in noſtro Ducali Palatio Die iij. Auguſti, Indictione xv. M D CII.

Locus ✠ ſigilli.

Franceſco Vienello Secretario.

INDEX

XIIII.

INDEX PER CAPITA

eorum omnium, quae hac Prima & Secunda Apparatus parte continentur.

PROOEMIVM

Quo Vrbis laus, & tractationis Ordo continetur.

NOMINA, SITVS, AC PRIMA fundatio vrbis,

Primae partis Apparatus

LIBER PRIMVS.

Nomen Salem proprium Hierosolymae fuisse, deque eius etymologia. Cap. 1.
Fueritne alia aliqua Palaestinae ciuitas Salem dicta, & de alia vocis huius significatione. Cap. 2.
De etymologia Ierusalem, eiusque multiplici notione. Cap. 3.
De situ vrbis, & ad quas caeli regiones spectat. Cap. 4.
Dispositio montium, quibus vrbs condita est, & circumdata. Cap. 5.
ANTIQVAE IERVSALEM DELINEATIO iuxta B. Ariaemontani P. LacKsteyn, F. Hogenbergij, & aliorum placita.
De monte Sion. Cap. 6.
De monte Salem, siue Acra. Cap. 7.
De monte Moria, & vnde nomen acceperit. Cap. 8.
De augustissimo, eodem Sacratissimo Caluariae monte. Cap. 9.
De fundatione arcis Iebus. Cap. 10.
Fundatio vrbis Salem, & duplicem fuisse vrbem. Cap. 11.
Melchisedechum Regem Salem, hominem fuisse Chananaeum, non vero Spiritum Sanctum, aut diuinam aliquam virtutem, vt haeretici autumant. Cap. 12.
Melchisedechum fuisse Sem primogenitum Noe. Cap. 13.
Quis fuerit fundator Salem. Cap. 14.
Ad quam Tribum pertineat Ierusalem: Tribus namque Dei iussu oportuit fuisse diseretas. Cap. 15.
Montem Sionem ad Tribum Iuda, & Salem ad Beniamin pertinuisse. Medium templum ad quam Tribum pertinuerit. Cap. 16.
VERA HIEROSOLYMAE VETERIS imago aere incisa, & duplici maximo folio excusa.

DE AMPLIFICATIONE VRBIS,

Primae partis Apparatus

LIBER SECVNDVS.

De Ciuitate Dauid. Cap. 1.
In qua regione montis Sion sita fuerit Regia Dauid. Cap. 2.
De triplici vrbis muro. Cap. 3.
De turribus Tsephina, Hippicos, Phasaelon, & Mariammes. Cap. 4.
De duplicis Herodis duplici Regia. Cap. 5.
De Xysto turri, porticu, & ponte. Cap. 6.
De Ophel nathinaeorum habitatione. Cap. 7.
De Mello, & voragine ciuitatis Dauid. Cap. 8.
De superioris vrbis muro: Betiso, & carcere S. Petri. Cap. 9.
De mensura ciusdem muri tertij. Cap. 10.
De arce Bari, quae ab Herode dicta est Antonia. Cap. 11.
De Bezeta, noua vrbe, quo loco, & qua occasione coepta fuerit aedificari. Cap. 12.
De muro secundo vrbis Bezetae; & Porta Genath, quae & Gregis dicebatur. Cap. 13.
De origine, & notione vocis Bezetae, & de probatica piscina, necnon de foro, & porta Gregis. Cap. 14.
De Bezetae vrbis, eiusque muri auctore, & dimensione. Cap. 15.
De inferiori Coenopoli quinta vrbis parte. Cap. 16.
Vrbis inferioris murus tertius. Cap. 17.
Tertium murum antiquiorem Agrippa fuisse, Iosephi, ac sacrae Scripturae testimonijs probatur. Cap. 18.
Qui fuerint aedificatores, quique instauratores muri tertij, ante vniuersalem vrbis euersionem per Nabuchodonosor factam. Cap. 19.
Crassitudo, altitudo, & forma murorum, ac turrium. Cap. 20.
Murorum Ierusalem dimensio ac forma.
Totius vrbis dimensio. Cap. 21.
Multarum Regionum metropolim fuisse Ierusalem, ac diuersarum gentium domicilium. Cap. 22.
Maximae hominum multitudinis Hierosolymam fuisse capacem. Cap. 23.
Fuersio vrbis à Chaldaeis illata. Cap. 24.

INSTAVRATIO VRBIS, DEQVE EIVS portis ac vijs; necnon de nouissimo perpetuoque vrbis interitu.

Primae partis Apparatus

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM

In quo ratio explicatur, propter quam nonnulla Nehemiae Capita in hoc libro explanantur.

DE initio septuagenariae captiuitatis Babylonicae. Cap. 1.
De fine septuagenariae desolationis. Cap. 2.
EX LIBRO NEHEMIAE, QVI ET ESDRAE secundus dicitur, Caput secundum.

Argumentum.

Nehemias impetratis ab Artaxerxe litteris, Hierosolymam venit, & attentius considerato muro, magistratus, ac populum hortatur, vt despectis hostibus, vrbis murum solerter instaurent.

Explanatio eiusdem 2. Capitis Nehemiae.
De Artaxerxe Persarum Rege, & Nehemia, qui illius permissu vrbem instauravit. Cap. 3.
Qua occasione instaurandae vrbis prouinciam sibi assumpserit Nehemias; seque eius desiderio teneri Regi manifestauerit. Cap. 4.
De potestate Nehemiae à Rege data redeundi in patriam, eamque instaurandi. Cap. 5.
De Nehemia dirutos Hierusalem lustrante muros, & populum ad eorum instaurationem exhortante; ac de porta Vallis. Cap. 6.
EX LIBRO NEHEMIAE, QVI ET ESDRAE secundus dicitur, Caput tertium.

Argumentum.

Muri aedificatores, aedificij seriem, portas, ac turres ordine percenset Nehemias.

Explanatio eiusdem tertij Capitis Nehemiae.
De porta Gregis, turri Meath, & turri Hananeel, ab Eliasibo summo Sacerdote, & fratribus aedificatis. Cap. 7.
Qua ratione murum fortiti sint instauratores: quo ordine instaurationem commemoret Nehemias: & quòd ciuitas quadrata fuerit. Cap. 8.
De porta piscium, & Thecuenis principibus, sese ab opere Domini subtrahentibus. Cap. 9.
De porta veteri, Gabaonitis, atque alijs instauratoribus. Cap. 10.
De muro, & platea latiori, de porta Ephraim: necnon de porta Anguli. Cap. 11.

Instaura-

Instaurationem muri Occidentalis à Raphaia principe inceptam, totamque vrbem in plures vicos distributam, totidem principum curae demandatam fuisse. Cap. 12.
De porta Vallis, deque seris, ac vectibus portarum. Cap. 13.
De porta Stercoris. quae & Essenorum dicta est, & de nominibus vicorum Hierusalem. Cap. 14.
De porta Fontis, aquaeductu, & triplici piscina. Cap. 15.
De sepulchris Dauidis, & aliorum Regum Iuda; necnon de combustione in eorum funeribus vsitata. Cap. 16.
De vicis Bethsur, & Cellae, & de domo fortium. Cap. 17.
Quid sit mensura secunda, & ascensus firmissimi anguli, ac de domo Eliasibi Sacerdotis magni. Cap. 18.
Qui sint Sacerdotes de campestribus Iordanis, deque flexura, & angulo. Cap. 19.
De turribus Regiae Salomonis, deque platea, & porta Aquarum. Cap. 20.
De porta Equorum, ac Sacerdotibus contra gazophylacia sua aedificantibus. Cap. 21.
De Nathinaeorum, ac scruta vendentium domibus. Cap. 22.
De porta iudicij & custodiae, deque absoluta muri instauratione. Cap. 23.
De porta Beniamin superiore, & inferiore, ac de duplici Ieremiae carcere. Cap. 24.
De porta Fictilis, eiusque multiplici denominatione. De valle Tophetb, atque agro Acheldema. Cap. 25.
Tribus vrbis lateribus duodenas tantum apertas fuisse portas, quaternas singulis: necnon de vijs Hierosolymitanis. Cap. 26.
EX CAPITE DVODECIMO LIBRI NEhemiae, qui & Esrae secundus dicitur.

Argumentum.

Muro absoluto, binis cantorum choris à porta stercoris, duplici via, ad domum Domini venientibus eius dedicationem factam fuisse percensetur; necnon aedificati, muri ordine portas.

EXPLANATIO EIVSDEM PARTIS CAPITIS duodecimi Nehemiae.

Dedicatio muri quid sit, & qua ratione fieret. Cap. 27.
Dedicationem muri processione quadam à principibus Sacerdotum, Leuitarum, ac populi factam. Cap. 28.
Peccato suo in IESVM Christum Dominum, omnium grauissimo, grauissimum supplicium promeruit Hierosolyma. Cap. 29.
Dum vendidit Christum Dominum Israel sibi extremum excidium comparauit. Cap. 30.
De atrocissimis aliis sceleribus, quibus excidij poenam sibi augeri promeruit, & auxit Hierosolyma. Cap. 31.
Quam dira experta sit vrbs Romana obsidione vallata. Cap. 32.
De abominatione desolationis. Cap. 33.
Vrbis euersionem perpetuo duraturam. Cap. 34.
Primae partis Epilogus, & Hierosolymitanae euersionis historia. Cap. 35.

APPARATVS VRBIS AC TEMPLI Hierosolymitani

PARS SECVNDA

DE HEBRAEORVM PONDERIBVS numismatis, atque mensuris

MATHEMATICARVM DEMONSTRATIONVM

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

In quo Mathematicarum commoda, ea potissimum quae huic afferunt disputationi, continentur.

Lemmata quae magnitudines proportionales inuicem conferunt. Cap. 1.
De affectionibus varijs linearum proportionalium. Cap. 2.
De inueniendis lineis proportionalibus. Cap. 3.
Circuli ac Sphaerae dimensio. Cap. 4.
De vsu linearum proportionalium. Cap. 5.

TABVLA PARTES CONTINENS VNCIAE & earum, quae continentur in libra; necnon librarum quae continentur in Hebraeorum talento, cum partium earundem radicibus cubicis; atque insuper diametrorum cubos, & Sphaerarum diametros: Sphaerarum, inquam, quae totidem vncias, vel libras penderent.

INSTRVMENTVM AERE INCISVM, in quo describuntur Diametri Sphaerarum, & latera cubica metallorum, altarumque rerum, quae hic recensentur, libram vnam, duas, & reliquas deinceps vsque ad centum viginti quinque pendentium. Cubica quoque latera assignantur mensurarum, quae Hebraeis olim, Graecis, atque Romanis vsui fuere, quantumque singulae singulis praedictis rebus plenae, pendant, indicatur.

Num montuosa Regio vltra quadruplum maiorem sui vsum exhibeat, quàm inferioris areae spatia definiant: vbi de centro grauitatis, & linea directionis. Cap 6.

DE ROMANIS, GRAECIS, HEBRAICISQVE ponderibus, atque numismatis

Secundae partis Apparatus

LIBER SECVNDVS

In quatuor Disputationes tributus.

DE PONDERIBVS ET MENSVRIS in vniuersum:

Disputatio Prima.

QVos vsus Reipublicae afferant pondera, atque mensurae, deque eorum primo inuentore. Cap. 1.
Mensurarum ponderumque iustam rationem à Deo iniungi, tum quòd in foro venali iustitiae instrumenta; tum verò maximè, quòd in iudiciali aptissima iustitiae symbola sunt. Cap. 2.
De multiplici mensurarum genere, deque earum mutua collatione, & aequalitate. Cap. 3.
De Romanis, ac Graecis ponderibus, mensurisque agendum, quoniam ea mutua collatione percipiuntur. Cap. 4.

ROMANA ANTIQVA PONDERA, atque numismata:

Disputatio Secunda.

DE Romanorum libra, pondo, & asse. Cap. 5.
De partibus assis, & duodenarij diuisione. Cap. 6.
De vncia, drachma, atque earum partibus. Cap. 7.
Explicatio Sebematis partes assis, libram, atque vncias simul colligentis: necnon de earundem partium proportione. Cap. 8.

SCHEMA PARTES ASSIS, LIBRAE, ATQVE vnciae simul colligens.

Partium assis mutua collatio indicans quoties maior quaeuis quamlibet contineat minorem.

De Romanorum denario, eiusque, & assium permutatione. Cap. 9.
Quo trutinae genere vti deceat mensurarum, ac ponderum indagatores ne decipiantur. Cap. 10.
Num certi quippiam statui possit de Romanis ponderibus, quo eorum ratio habeatur. Cap. 11.
De Romanorum numismatis, eorumque materia, pondere, & aestimatione. Cap. 12.
Quo tempore, quaque ratione imminuti fuerint aurei nummi, & de aureis solidis. Cap. 13.
Qua ratione sestertium Romani vsurpent, vbi de centesima vsura. Cap. 14.
De nummi notione, & vsu. Cap. 15.

GRAECORVM PONDERA, ATQVE numismata:

Disputatio Tertia.

DE Atticae drachmae origine, pondere, nominibus; Cap. 16.
De drachma Attico numismate, obolis, aereis minutis. Cap. 17.
De Graecorum mina. Cap. 18.
Graecorum multiplex talentum. Cap. 19.

HEBRAEORVM PONDERA, ATQVE numismata.

Disputatio Quarta.

DE characteribus, quibus olim Hebraei numismata signabant, vbi de Hebraicae linguae antiquitate, & dignitate. Cap 20.
De antiquis figuris, seu characteribus litterarum. Cap. 21.
HEBRAICI CHARACTERES TVM VETVstissimi, tum ij, quos Esdras inuenit, aere incisi.
Hebraeorum numismata cum inscriptionum interpretatione.

Quibus

Quibus nominibus Hebraeorum ſiclus appellari conſueuerit. Cap. 22.
De ſiclo pondere. Cap. 23.
De ſiclo Hebraeorum numiſmate. Cap. 24.
Hebraeorum numiſmata animalium formis caruiſſe. Cap. 25.
De argentei ſicli, ac ſemiſicli figuris, & inſcriptionibus. Cap. 26.
De forma, atque inſcriptione aerei ſicli; necnon de argentea, atque aerea quarta parte ſicli. Cap. 27.
De ſicli pondere & aeſtimatione, & quòd vnius tantummodo ſicli mentio fiat in ſacris Litteris. Cap. 28.
Nullo certo Ioſephi teſtimonio duplicem ſiclum probari. Cap. 29.
De aureis & argenteis Sacrae Scripturae; necnon de pretio venditi Domini. Cap. 30.
De ſemiſiclo, & de tributo, qui Deo primum, deinde Romanis exhibebatur. Cap. 31.
De Hebraeorum mina. Cap. 32.
De Hebraeorum talento. Cap. 33.
Quam proportionem habuerit olim aurum ad argentum. Cap. 34.
Collatio antiquorum ponderum, ac numiſmatum cum noſtri temporis ponderibus, atque numiſmatis. Cap. 35.

HISPANA AVRI PRETIA IN SINGVLIS perfectionis gradibus, quos vocant quilates.
HISPANA ARGENTI PRETIA IN SINGVLIS perfectionis gradibus, quos vocant dineros.
ROMANA AVRI PRETIA IN SINGVLIS perfectionis gradibus, quos vocant dineros.
ROMANA ARGENTI PRETIA IN SINGVLIS perfectionis gradibus, quos Hiſpano more vocabimus dineros.
Fabrica ſequentium tabularum oumiſmatum, ac ponderum.
Earundem tabularum vſus.
TABVLA NVMISMATVM, AC PONDERVM PRIMA, in qua aurea Hebraeorum pondera, atque numiſmata cum Graecis, Romanis, Hiſpanis, tum antiquis, tum noſtris conferuntur.
TABVLA NVMISMATVM AC PONDERVM SECVNDA, in qua argentea Hebraeorum pondera, atque numiſmata cum Graecis, Romanis, Hiſpanis tum antiquis, tum noſtris conferuntur.

DE ROMANIS, GRAECIS, HEBRAICISQVE menſuris

Secundae partis Apparatus

LIBER TERTIVS.

DE Romanae amphorae dimenſione & forma. Cap. 1.
Amphorae Geometrica, atque Arithmetica diuiſio. Cap. 2.
Scriptorum teſtimoniis praedictae amphorae diuiſiones probantur. Cap. 3.
De Romanis frugum menſuris Medimno, & Modio. Cap. 4.
De Graecorum metreta, & amphoreo, necnon de Hebraeorum cado. Cap. 5.
Cbus congio par ſex continet Romanos ſextarios, qui totidem Graecis ſunt pares. Cap. 6.
De Graecorum Cotyle, Choenice, Hebraeorum Caph, necnon de Romanorum demenſo. Cap. 7.
De duplici Hebraeorum bato. Cap. 8.
De coro, & ephi Hebraeorum. Cap. 9.
De ſato, eiuſque, & cori ad modium, & medimnum proportione. Cap. 10.
De cori partibus, artaba, & lethec. Cap. 11.
De gomor menſura, quae & aſſaron dicitur. Cap. 12.
De cabo diurno hominis cibo. Cap. 13.
De logo, & hin. Cap. 14.
Longitudinum menſuras ex humana ſtatura deſumptas olim fuiſſe, eandemque membrorum corporis rationem ſeruare. Cap. 15.
Palmi, ac pedis mutua collatio. Cap. 16.
Quam habeat cubitus ad pedem, palmum, digitum proportionem; necnon de duplici palmo. Cap. 17.
Proportio cubiti ad latus cubicum bati, & palmi ad ſimile latus cubi, ſeu Choenicis. Cap. 18.
Menſurae pondere quoque examinari conſueuerunt apud omnes gentes. Cap. 19.
De Romanis, Hiſpaniſque noſtris liquorum, ac frugum menſuris, earumque pondere. Cap. 20.
De pondere rerum, quas metimur; deque eius inueſtigandi commodis. Cap. 21.
Bati, & ephi aequam librationem inueſtigare docet Sanctus Propheta Ezechiel. Cap. 22.
Fabrica, & vſus quatuordecim ſubſequentium tabularum, quae ponderum dicuntur. Cap. 23.
Earundem tabularum vſus conſequuntur ſeptem aliae proportionum tabulae, in quibus omnes omnium menſurarum proportiones continentur. Cap. 24.
De certa aliqua Romanorum menſura ſtatuenda, cuius beneficio omnia antiqua pondera, atque menſurae ſtatuantur; vbi de mirabili Farneſiani congij artificio. Cap. 25.

FORMA AEREI CONGII, QVO AB ANTIquis Romanis, menſurae, & pondera exigebantur, accurate ad exemplum duorum ſimilium, quos Romae habuimus, expreſſa.
TABVLA PONDERVM PRIMA, in qua omnes menſurae antiquae, ac noſtrae examinantur: quotque ex ſingulis ponderibus, ſingulae auro plenae pendant, oſtenditur.
Huic ſimiles ſequuntur tredecim tabulae, quae eaſdem menſuras, ac pondera eadem conferunt, in argento viuo, plumbo, argento, cupro, ferro, ſtanno, melle, frumento Palaeſtinae, aqua vel vino, oleo, frumento Romano, hordeo Palaeſtinae, hordeo Romano.
TABVLA PROPORTIONVM PRIMA, in qua omnes liquorum, ac frugum, cubicaeque longitudinum menſurae, quibus Hebraei olim, Graeci, Romani; nunc Romani, Hiſpanique vtuntur, mutuo conferuntur: & oſtenditur quoties maior quaeuis quamlibet contineat minorem.
TABVLA PROPORTIONVM SECVNDA, in qua omnes praecedentis tabulae menſurae iterum conferuntur, quamque binae ſingulae inter ſe habeant proportionem, binis integris numeris indicatur.
TABVLA PROPORTIONVM TERTIA, in qua latera cubica menſurarum, liquorum, frugum, longitudinum, quae Hebraeis olim, Graecis, Romanis fuerunt, nunc Romanis, Hiſpaniſque ſunt in vſu, mutuo conferuntur; & oſtenditur quoties minus quodlibet maiori contineatur.
TABVLA PROPORTIONVM QVARTA, in qua omnia praecedentis tabulae cubica latera iterum conferuntur, binisque numeris integris indicatur, quam bina ſingula habeant inter ſe proportionem.
TABVLA PROPORTIONVM QVINTA, in qua omnes liquorum menſurae, quibus Hebraei olim vtebantur, cum Graecis, & Romanis antiquis, noſtriſque Romanis, & Hiſpanis conferuntur.
TABVLA PROPORTIONVM SEXTA, in qua omnes frugum menſurae, quibus Hebraei olim vtebantur, cum Graecis, & Romanis antiquis, noſtriſque Romanis, & Hiſpanis conferuntur.
TABVLA PROPORTIONVM SEPTIMA, in qua omnes interuallorum menſurae, quibus Hebraei olim vtebantur, cum Graecis, & Romanis antiquis, noſtriſque Romanis, & Hiſpanis conferuntur.
INDEX PRIMVS locorum omnium ſacrae Scripturae, qui vel ex profeſſo, vel obiter explicantur; vel certe ex proximorum interpretatione illuſtrantur.
INDEX SECVNDVS phraſium ſacrae Scripturae, quae pro locorum opportunitate ſparſim pertractantur, ſacrae Scripturae ſtudioſis perutilis. Sunt & in eo voces nonnullae ex Hebraicis notatae, quae ad aliquas phraſes illuſtrandas maxime conducere videbantur: verum, ne dubium tenerent lectorem, eae aſteriſco notantur.
INDEX TERTIVS verborum, & rerum locupletiſſimus.
INDEX QVARTVS rerum Mathematicarum.

IOANNIS

IOANNIS BAPTISTAE VILLALPANDI CORDVBENSIS E SOCIETATE IESV

APPARATVS VRBIS AC TEMPLI HIEROSOLYMITANI.

PARS PRIMA DE VRBE.

PROOEMIVM.

INSTITVTI nostri ratio A postulat, vt in hac Apparatus tractatione à sanctae ciuitatis descriptione exordiamur. Nam & ipsum templum huius vrbis moenibus continetur; cuius nimirum templi gratia noster hic omnis susceptus est labor; & ab Ezechiele nostro non exigua opera in eadem vrbe describenda consumitur: & eius dignitas tanta est, vt quamuis in ea tum leuiter adumbranda, tum suis veluti coloribus exprimenda, multorum ac magnorum virorum desudarit industria; tamen nostram quoque diligentiam, ac sedulitatem non exigere modò, sed etiam flagitare videatur.

Ac de huius quidem vrbis celeberrimae laudibus par esset vt aliquid antè diceremus, quàm ad eius partes describendas aggrederemur: verùm non erit id, opinor, ornamentis rhetorum, quasi pigmentis quibusdam fucati candoris vndique conquisitis agendum: diuinis ero testimonijs potissimum in vrbe ornatissima B pro viribus laudanda contentus. Atque vtinam mihi insignem illum pictorem Zeuxim aliqua ex parte, licet in dissimili genere, imitari liceret; vt sicut is ex Homeri carmine, tamquam ex quadam loquente tabula Helenam penicillo, ita ipse calamo ex varijs librorum sacrorum locis, quibus haec ciuitas diuina quadam eloquentia laudatur, vnum veluti corpus laudationis effingerem: sperarem profectò tanto pulcriorem huius vrbis formam videri posse; quanto maior est diuinae vis eloquentiae in sacratissima vrbe describenda, quàm Homeri facultas in Helenae forma versibus persequenda. Verùm quoniam ita rei necessitas cogit, pauca quaedam testimonia de Hierosolymae laudibus in medium conabor afferre: vt ex ijs facilius tantae vrbis maiestas atque amplitudo cernatur. Ac primùm quidem si vrbis varia nomina consideres, de quibus deinceps suo loco susius agimus, quantus tandem laudum campus aperitur, in quo, si velit, excurrere possit oratio? Nam siue Algariza olim diceretur, hoc est mons celsissimus, non exigua sanè laus censeri

debet, quod nomine ipso situs optimus atque pulcherrimus indicetur? siue Iebus aliquando appellaretur, hoc est calcata, vt S. Hieronymus interpretatur, frequentia ciuium, apertè opinor ostenditur, à quibus huius vrbis amplissimae viae tererentur assiduè, aedes, porticus, compita calcarentur: siue Salem Hebraicè, Graecè Solyma nominaretur, hoc est, pax, incolumitas, praesidium, integritas, atque perfectio; satis huius vrbis dignitas praefertur hoc nomine, quo ciuitas omnibus numeris absoluta significetur: siue Hierusalem, aut Hierosolyma postremò vocaretur, id est, pacis contemplatio, atque prospectus; quae maior tandem laus vrbis nomine ipso contineatur, quo scilicet intelligamus, nihil omnino fingi potuisse, quod ad pacem, hoc est, ad beatam vitam spectet, quod non in hac vrbe cerneretur? Sed me reprimo; neque liberius patiar diuagari orationem meam; ne videar verborum flosculos consectari, quos me de industria repudiare profiteor, praesertim cùm sint alia maiora.

Solent enim illae in primis magnae vrbes ac praestantes haberi, quarum permagni conditores, ac tamquam parentes fuisse tradantur. Psal. 47. ℣. 3. *At haec,* ciuitas *dicitur* Regis magni, *quòd eius praecipuè voluntate sit condita, quòd ipsum Dominum vnum agnoscat, & colat; quòd in eius vnius tutela sit: quòd eius prouidentia contineatur, sapientia gubernetur, benignitate locupletetur, augeatur, ornetur. Quae porro vrbs melioribus auspicijs, aut magis faustis acclamationibus est aliquando fundata quàm nostra? quae fundari scribitur* Psal. 47. ℣. 3. exultatione vniuersae terrae? *vt non modò Deum nacta sit auctorem ac Dominum; verùm etiam totius terrae populos, principes, Reges, laudatores & comprobatores habere videatur.*

Iam verò si loci positionem contemplemur, Psal. 86. ℣. 1. fundamenta eius in montibus sanctis *iacta, vrbemque ipsam loci natura munitissimam, caeli bonitate saluberrimam, specie pulcherrimam fuisse comperiemus. Verùm longè illa magis Dei erga se beneuolentia gaudere, quàm ceteris rebus omnibus iure optimo potest.* Diligit Psal. 86. *enim, vt ait idem vates,* Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. *Quod si nominis gloriam, famaeque celebritatem quaerimus,* Ibid. ℣. 2. Glorioſa, *inquit,* dicta sunt de te ciuitas Dei. *Quae enim natio fuit vmquam tam remota, quae gens tam barbara, quae regio tam obscura, quam non huius nobilissimae, ac celeberrimae vrbis fama penetrarit? Neque enim ciuium suorum duntaxat est, atque indigenarum propè incredibili multitudine celebrata; verùm etiam ab exteris assiduè cum finitimis, tum longius dissitis populis frequentata; vt iure ipsa apud eundem suum Regem, vatemque praeclarissimum glorietur,* Memor ero Raab, & Babylonis scientium me: Ibid. ℣. 4. ecce alienigenae, & Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerunt illic. *Quin etiam à Regibus* 2. Machab. cap. 3. *ipsis alienae religionis cultoribus in honore serè semper est habita; vt ab illis interdum non modò multis, ac magnis muneribus ornaretur; verùm etiam sumptus omnes ei ad sacrificia suppeditarentur. Quid quod & Lacedaemoniorum, & Romanorum florentissimas quondam* 1. Machab. 8. & 12. *Respublicas semel, atque iterum cum hac ciuitate, totius videlicet Iudaeae principe libentissimè foedus iniisse memoriae proditum est?*

Quid ego vel de mutua ciuium inter se consensione dicam atque concordia, vel de optimis institutis ac legibus, quibus eam sapientissimus conditor temperauit? quod idem vates non obscurè videtur indicasse, cum ait. Numquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea, & Psal. 86. ipse fundauit eam altissimus? *Quamuis enim esset haec fecundissima ciuitas infinito propemodum ciuium numero referta: ea tamen inter eos viguit caritas, ac beneuolentia; vt non amplissima, frequentissimaque Respublica, sed exigua quaepiam, optimè tamen instituta familia videretur. Ergo & ipse Porphyrius, quamuis à vero Dei cultu alienus, hoc tamen Iudaeis testimonium luculentissimum dedit, mutua ipsos inter se beneuolentia & caritate ceteris omnibus praestare mortalibus. Quod si ciuium ipsorum dignitas, splendor, nobilitas esset oratione persequenda; illud credo verissimè dici posset, plures in hac vna ciuitate sapientissimos principes, ducesque maximos atque fortissimos, quàm in ceteris pleriſque milites aut opifices exstitisse: vt iure idem quoque vates cecinisse videatur:* Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Psal. 86. ℣. 6.

Cineas à Pirrho Epirotarum Rege orator ad Romanos missus in Senatum ingressus, ac Senatorum habitum, grauitatem, sapientiam admiratus, dixisse fertur, singulos sibi Reges singulos Senatores videri: Quanto id verius de singulis propè Hierosolymitanis ciuibus praedicare potuisset? qui tanto Romanis praestitisse sapientia, ac fortitudine censendi sunt; quanto Deus ipse Romulo, Deique leges, & instituta Solonis aut Romuli legibus antecellunt. Nihil hic dico de huius vrbis pomoerio, de suburbio, de hortis, vijs, portubus, fontibus. Taceo turrium celsitudinem, arcium robur, murorum firmitatem. Praetereo agrorum, qui ad illam pertinent, vbertatem, collium amoenitatem, vallium fertilitatem. Quis igitur miretur ciuitatem tot ac tantis opibus, & commodis circumfluentem, summo omnium tum aduenarum,

rum, tum indigenarum gaudio celebrari, non secus, ac si perpetuò dies omnes agantur festi, atque sollemnes? Vt iure idem vates laeta illa psalmum peroratione concludat: Sicut laetantium omnium habitatio est in te. Ac si diserte vrbem verbis alloquatur: Non minore, qui te incolunt, gaudio perfunduntur assiduè, quàm soleant ij, qui curis omnibus abiectis, molestiisque perfuncti, sollemne aliquod celebrant magno apparatu laetitiaque conuiuium.

Psal. 86. ¥. 7.

Quare si rectè ratiocinari voluerimus, facilè intelligemus ceteras ferè vrbes cum vna Hierusalem neque conditoris potestate, maiestate, sapientia; neque templi augustissimi sanctitate ac religione, neque loci positione, soli vbertate, caeli salubritate, neque ciuium numero, probitate, nobilitate; neque vllo ferè genere laudis posse conferri. Verumtamen ne fortè magis id Oratoriè, quàm verè dici quispiam suspicetur; libet hoc loco grauissimi viri testimonium sanctissimique Hieronymi proferre, qui hoc idem in epistola, quam ad Marcellam scribit, illis verbis disertè affirmare non dubitat. Quanto, inquit, Iudaea ceteris prouincijs, tanto haec vrbs cuncta sublimior est Iudaea: & totius prouinciae gloria metropoli vindicatur, & quidquid in membris laudis est, omne refertur ad caput.

Hieron. ad Marcell.

Magna haec sanè laus censenda est, praesertim à tam laudato viro profecta: multò tamen illa maior videri debet, quae non ex his caducis fluxisque bonis; verùm ex aeternis ac numquam perituris manat. Quis est enim in sacrosanctis nostrae religionis mysterijs vel mediocriter versatus, qui nesciat vrbem Hierosolymam, de qua nobis est agendum, Ecclesiae militantis exemplar esse, atque inchoatam quandam imaginem? vbi videlicet prima Christus ipse iecit eiusdem nouae Ecclesiae fundamenta: vbi sacramenta nouae legis instituit: vnde primam Euangelij lucem ceteris orbis terrae partibus voluit importari: vnde suae primi alumni disciplinae, doctrinae praecones, & resurrectionis testes, mundi magistri prodiere; indeque in omnes terras proseminati errorum tenebras discusserunt, scelerum caliginem dissipauerunt, impium simulacrorum cultum, falsorumque deorum superstitionem ex hominum animis depulerunt: vt illud Isaiae vaticinium exitu comprobaretur: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Quid quod hac terrestri Hierusalem caelestem illam Deus referri, ac prope exprimi voluit? vbi se ipse, qui est pax nostra, quae exuperat omnem sensum, beatis ciuibus palam, remotis mortalitatis & insciitiae velis ostendit? Illa est enim ciuitas omni ex parte perfecta, vbi pax nullo vmquam belli metu percellitur: vbi libertas nullo seruitutis iugo deprimitur: vbi caeli temperies nullis vicissitudinum iniurijs immutatur: cuius moenia nullo vmquam tempore concident, turres nullis hostium machinis subruentur: cuius aedificia viuis ex lapidibus constructa, fundamentum lapis angularis, precijosus, probatus, Christus Iesus: praeter quod haud vllum praeterea poni queat: portae margaritis gemmisque precijosis nitent, plateae auro probatissimo longè, lateque collucent: quae nimirum ciuitas numquam Solis cernit occasum: quicum si noster hic Sol, quem cernimus, conferre se audeat, multo pluribus partibus, quàm ab ipso minora sidera, superetur: cuius Rex omnipotens, ciues ipsi Reges ac beati: cuius denique pulcritudinem, splendorem, opes, maiestatem nullius vel angelica oratio consequatur: nullius, nisi Dei, mens & cogitatio comprehendat. Eiusmodi tamen vrbis, de qua nos haec pauca pro nostra infantia balbutimus; qua nihil aut ad Dei potestatem, sapientiam, probitatem demonstrandam accommodatius, aut ad hominum beatitudinem possit esse perfectius: eius, inquam, vrbis terrestrem hanc Hierosolymam voluit vtriusque conditor & architectus Deus formam quandam esse, quoad eius fieri potuit, absolutissimam: qua non modo tota illa caelestis ciuitas leuiter adumbraretur, sed singulae quoque eius partes quodammodo describerentur.

1. Cor. 3. ¥. 11.

Quod cum sit & apertis vatum testimonijs, patrumque grauissimorum scriptis comprobatum, & à nobis suis locis copiosius explicandum; non ponam orationem in ea re demonstranda longiorem. An est igitur quidquam, quod fingi animo possit illustrius vel admirabilius, quàm vt ciuitas vna inter omnes iccirco sit diuinitus instituta potissimum, vt supremam illam, bonisque omnibus affluentem ciuitatem, tamquam imago quaedam pulcherrima referat: vt in hanc intuentes, facilè possimus, quoad nostrae mortalitatis fragilitas patitur, animum ad illam erigere, & in eius immensum splendorem mentis oculos aciemque defigere? Equidem nisi magnam hanc Hierosolymae laudem esse confitear, atque ita magnam, vt reliquas omnes, quas attigimus, facilè obruat, amens sim.

Verumtamen cùm mecum ipse reputo, quantum sit illud huic vrbi datum beneficium, quòd prae ceteris vna delecta est, vbi Dei filius, Deus ipse, humana indutus forma versaretur: vbi mortales de sempiterna animorum salute coram docere non grauaretur: quam sua praesentia cohonestaret: quam virtutum egregiarum documentis ad omne genus officij atque honestatis instrueret: quam admirandis, ac supra naturam operibus illustraret: quam deni-

Isai. 2. ¥. 3.

Ephes. 2. ¥. 14. Philip. 4. ¥. 7.

que suo sanguine, qui caelo est ipso longè praestabilior, consecraret: haec, inquam, huius vrbis dignitas ac laus tanto videtur ceteris eius laudibus antecellere: vt haec vna, quamuis reliquae desiderentur, satis possit seipsa esse contenta: reliquae verò omnes ne laudum quidem nomine, prae hac vna, dignae esse videantur. O praeclarissimum Hierosolymae decus! o singulare beneficium! o admirabilem planè Dei erga illam benignitatem! Non enim Susas, non Ecbatana, non Babylonem, sedes veteris imperij Medorum atque Persarum: non Byzantium Thraciae metropolim, non Athenas doctrinarum domicilium: sed vnam Ierusalem Deo placuit ad tantum honoris gradum ac dignitatis euehere: vbi se mortalem Deus viſendum praeberet, qui se immortalem in caelesti illa spectandum caelitibus praebet. Iure igitur nos hanc in terris vrbem vnam maximè suspicimus, colimus, veneramur: quae Christi est, veri Dei atque hominis impressa

Psal. 131. ℣. 13. *vestigijs: & quoniam* elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi; *nos quoque* introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi *non modò* steterunt pedes eius, *sed eiusdem sanguis prosusus, quo nihil est precioſius: quo scilicet nos precio è dira seruitute*

Isa. 12. ℣. 6. *in libertatem filiorum Dei vindicamur.* Tu autem exulta, & lauda habitatio Sion, *non tam quia magnitudine, frequentia, celebritate, pulcritudine, salubritate, ceteriſque fragilibus ornamentis olim reliquis vrbibus praestitisti: quam* quia magnus in medio tui sanctus Israël: *sanctus, inquam, sanctorum Christus, qui Israëlem sanctitatis muneribus maximis atque amplissimis cumulat: qui in medio tui operatus est salutem, & adhuc sua virtute, atque efficacitate operari non desinit. In te, inquam, mystica Sion, quae adhuc hauris aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: cum qua sanctus Israëlis erit vsque ad consummationem saeculi.*

Verùm ne laudationis huius qualiscumque fines, quos nobis initio circumscripsimus, excedamus: ad rem nostram tandem propius accedamus. Scimus quidem multas vrbis Hierusalem circumferri descriptiones, à viris eruditissimis elaboratas: sed vt ille in Homero Homerum desiderabat: sic nos has vrbis illius imagines contemplantes, Ierusalem veterem, suis, vt ita dicam, coloribus omnibus expressam adhuc requirimus: qua perspecta, innumerabilia paene dicam sanctorum oracula, quae de ipsa extant, perspicere quoque possimus. Haud ignoramus rem esse difficilem, vetustissimae vrbis fundamenta resodere, murorum ambages, sinus, recessus, munitiones, portas, arces, Regias, & palatia suis locis effingere:

denique pulcherrimae vrbis tamquam faciem pristinam, viuamque referre: praesertim cùm neque aedificiorum vestigia vlla sint reliqua, effodientibus hostilibus vsque ad fundamentum in ea, vt habet Hymnographus. Verùm vrget nos susceptum argumentum, vt tenuissimas ac paene obliteratas exemplaris tam praestantis figuras in ipsis ruinis inuestigemus, non vt fugientes vmbras consectemur. Et sanè inuitat sua nos pulcritudine admiranda, ac dignitate singulari tot nominibus sancta ciuitas: vultumque suum pictoris ignorantia, vel descriptoris ignauia deformatum veluti manu prae pudore contegens, grauiter queritur: atque adeo nobis exprobrat, quòd nos, qui Theologi sumus, rem tam dignam Theologo negligamus: cumque omnium ferè vrbium schemata veriſſima & accuratissima quotidie cernamus, vnam Hierosolymam pietatis magistram, Ecclesiarum originem, Theologiae scholam, Asiae gloriam, mundi miraculum in suis ruinis sinamus iacere sepultam, eiusque memoriam perpetua quadam obliuione deleri. Allicit nos & Hymnographus ad vrbis suae moenia inuisenda, cùm dicat. Circumdate Sion, & com- Psalm. 47. ℣. 13. & 14.
plectimini eam, *hoc est circumluſtrate eam:* narrate in turribus eius, *scilicet, numerate turres:* ponite corda vestra in virtute eius, *nempe animaduertite arcem:* distribuite domos eius, *varia, inquam, palatia recensete,* vt enarretis in progenie altera. *His querellis & cohortationibus excitati, decreuimus nulli parcere labori, sanctorum patrum annales omnes euoluere, vrbis veteris ruinas, si quae fortè supereſſent, perscrutari, diligentissimè chorographos omnes inspicere, tabulas inter se conferre: vt veram imaginem veteris Hierusalem proponamus.*

Quod cùm aliquot iam annis seciſſemus, illud primùm fortaſſe consequuti sumus: vt neque consilium nostrum temerarium existimari posit: neque actum, vt dicitur, egisse videamur. Animaduertimus enim hac in re chorographos paene omnes, dum aliorum alij fortaſſe auctoritatem sequuntur, aut certè non firmiſſimis argumentis innituntur, multis ac magnis in rebus esse deceptos. Nam vt suis locis luce clarius ostendemus, deprehendimus in pleriſque tabulis turrium vicinarum interruptam seriem, portarum immutatum situm, ementita nomina, palatia pro arbitrio conficta, & magnificis nominibus insignita, nomina eadem rebus accommodata quàm diuerſissimis, vel contrà, diuersa eisdem attributa: munitiones & praesidia nouae vrbis adscripta veteri, murorum ductus ad regulam & lineam, ac si in campo esset ciuitas, non in curuatis montium iugis collocata, vallium oppoſita.

positarum confusas appellationes, nempe orientalem pro occidentali vsurpatam, fontes nusquam visos Hierosolymis, atque alia eiusmodi sexcenta, quae in nostris descriptionibus se ipsa prodent me etiam dissimulante. His igitur incommodis vt pro viribus occurreremus, instituimus topographiam persecuti sumus. At quoniam in re tam dubia, infinitisque variarum opinionum inuolucris contecta maximè verebamur, ne quòd in alijs reprehendimus, id in nos ipsos retorqueri maiore cum dedecore posset; praesertim cùm montes ipsi, quibus tum vetus, tum noua ciuitas insidet, adhuc maxima ex parte videantur exstare, quos viri sollertissimi peragrarunt; nostro non satis confisi iudicio, doctissimorum virorum sententiae rem totam subijciendam curauimus, priusquam in aspectum hominum lucemque proferretur.

Et quia difficillimum est montium tumores, vallium profunda, anteriorague aedificia simul ac posteriora in superficie plana lineis describendis effingere, multoque difficilius, ijs qui non sunt eidem scientiae assueti veram rei imaginem obijcere, qua perspecta iudicare de re tota facilè possint; ideo graphice praetermissa, ad plasticen artem confugimus; atque ex molli creta montes, valles, muros, turres, palatia, arces, praecipitia, fontes, eaque omnia, de quibus nobis singulis hoc volumine agendum est, ad certam mensuram proportionemque effingenda curauimus; corrogatisque vndique omnium nationum doctissimis viris, illis potissimum qui essent Hierosolymis diutius commorati, omniumque sententijs auditis; in spem venimus, rei obscurissimae pariter ac necessariae sedula opera nauata, nonnihil nos esse lucis allaturos, praesertim propter id, quòd cum pluribus ex nostra Societate, tum inter alios, qui tunc fortè aderant, Reuerendissimo, atque humanissimo Domino Leonardo Abel Melitano, electo Sidoniorum Episcopo contigit: nam cùm tanti viri maximè iudicium expetendum videretur, quoniam non solùm Hierosolymam perlustrarat, sed & plures de ea conscriptos libros diligenter euoluerat, is à nobis rogatus ad nos perhumaniter venit, secumque Abissinum quendam Aethiopem adduxit, qui plures annos Hierosolymis versatus, tum fortè à suis ad Sanctissimum Dominum nostrum Clementem Octauum Pontificem Maximum missus erat. Atque is quidem, quem dixi, Abissinus, qui neque linguam, qua ego vterer, intelligere posset, & ea vteretur ipse, quam ex ijs, qui aderant, vnus Episcopus nosset, statim vt Hierosolymae imaginem aspexit; singulas eius partes, nemine indicante, ostentare digito coepit: ita vt nobis illud Apellis euenisse quodammodo videretur, qui vuas ementitus, aues ipsas dicitur fefellisse. Quae res ita repente eorum qui aderant, animos in admirationem rapuit, vt Illustrissimi quoque deinde grauissimique Cardinales, luteum adhuc & rudem modulum suo benignissimo non dedignarentur aspectu, mirabilique plausu comprobarent.

Quae nos res, praeter amicorum cohortationes, facilè permouit, vt è solidiore materia, quae diutius permaneret, idem exemplar confectum, & coloratum, suisque nominibus singulis eius partibus appellatis, aurata capsa inclusum, ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem Catholicum, optimè de nobis meritum Maecenatem ac Dominum, mittercmus: retenta tamen apud nos eiusdem archetypi imagine, quanta maxima diligentia elaborata. Neque verò ob hanc vnam causam studium nostrum eruditis viris probatum iri speramus: verùm etiam multò magis, quòd non ex ciuium Hierosolymitanorum traditionibus, aut ex pictorum figmentis, sed è sacrae scripturae potissimum monumentis rem totam accuratè depromsimus: cuius tamquam filum viae impeditae ducem in labyrintho tam caeco semper adhibuimus, idemque exitus dubij certissimum indicem fore speramus. Neque tamen propterea Flauij Iosephi testimonia spernenda putauimus, in ijs praesertim rebus, quarum ipse non se modò diligentem historicum, sed etiam testem oculatum esse profitetur. Quin etiam ne à recentioribus quidem eiusdem rei scriptoribus dissentiendum nobis esse existimauimus; vbi maximè à sacrorum voluminum veritate, aut à manifesta ratione, aut à grauissimorum virorum testimonijs nulla ex parte deflexerint.

Porrò autem ne temerè in tota hac de Hierosolyma vrbe disputatione, sed via, & ratione progrederemur; eam nobis maximè sequendam esse censuimus, quàm tenere in ceteris caducis rebus natura consueuit. Eadem enim ferè vrbibus vsu venire cernimus, quae hominibus ipsis à natura tribuuntur; vt primùm quidem veluti nascantur, cùm à fundamentis excitantur: deinde verò paulatim amplificentur; postremò aut vetustate, aut bellorum vi, temporumque iniurijs deleantur, & occidant. Nam vt ait Seneca: certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, erescere, & exstingui. Quocirca nos quoque primum tamquam vrbis ortum primo hoc Apparatus libro persequimur: quo scilicet eius nomina, situs, ac prima fundatio continetur. Secundus vero eiusdem velut adolescentiam, ac reliquas aetates ad interitum vsque complectitur; quo de vrbis amplificatione, magnitudine, capacitate, euersione disputatur. Verum cùm haec ciuitas, quippe quae Deo fuerat antè carissima, non diu posset in suis iacere cineribus; excitata est velut ab

Senec. 3. epist. 59.

inferis aliquando, & in pristinum honoris, atque amplitudinis gradum quodammodo restituta. Ergo iure nos quoque tertium librum in eiusdem instauratione consumimus; in quo, ne in plures libros disputationem tribuere cogeremur, sigillatim de portis, aliisque nonnullis nobilissimis vrbis ornamentis agimus, quae à Nehemia quoque iisdem capitibus percensentur, quibus de instauratione disseritur.

Quamquam ad vitam reuocata ciuitas non cautius, quàm antea viuendi rationem instituit: immo verò in morbum incidit longè ceteris periculosiorem, atque in peccatum omnium grauissimum prolapsa est. Etenim non iam falsis religionibus colendis Deum ad iracundiam concitauit; verùm Deum ipsum, qui hominis natura suscepta, eandem vrbem perhumaniter, vt antè diximus, incolere, maximisque muneribus ornare benignissimè voluerat, Deum inquam ipsum, eundemque hominem innocentem, ac de illa optimè meritum contumelijs afficere, flagellis caedere, in crucem tollere, seque tam nefario parricidio non dubitauit obstringere. Quare meritò tantum sibi exitium concilianit, vt funditùs euersa suis in perpetuum ruinis obrueretur. Ergo id quoque nos in eodem tertio extremo libro breuissimè perstringemus. Multo enim est grauius, quàm vt possit vlla disputatione comprehendi. Reliquum erat, vt de locis, Christi Domini perpessionibus ac sanguine consecratis ageretur, & de mystica vrbis huius interpretatione. Quam disputationem vel in extremam Apparatus huius partem conijciemus, eamque persimilibus de templo commentarijs adnectemus; vel quartum propterea huius primae partis librum, prout commodius visum fuerit, instituemus. Ad extremum, quoniam benignissimus atque optimus Deus, Aelij Hadriani opera ex veteribus Hierosolymae cineribus, quasi Phoenicem quandam, hoc est alteram vrbem excitauit, quae hac vna re duntaxat insignis esset, quòd loca praecipua passionis Christi complecteretur, eiusque diuina mysteria referret; de hac etiam vrbe, quatenus eam prophetae describunt, quae ab eodem Imperatore Aeliae nomen inuenit, ibidem nonnihil agemus, vbi de mystica Hierosolymae vrbis significatione, locisque sacrosanctis nos esse disputaturos dicimus: propterea quod haec nouissima vrbs non tam veteris Hierosolymae splendorem praeseferat, cuius perexiguam partem complectitur, quàm veram adumbret Hierosolymam, & sacrosancta loca coërceat, quae sunt Christi gestis, perpessione, morte, resurrectione, grauissimisque mysterijs illustrata. Atque his ita breuiter expositis, ad singula iam deinceps Deo bene iuuante pertractanda pro viribus aggrediamur.

NOMINA SITVS AC PRIMA FVNDATIO VRBIS PRIMAE PARTIS APPARATVS LIBER PRIMVS

NOMEN SALEM PROPRIVM Hierosolymae fuisse, dèque eius etymologia. Caput I.

MVLTIplex nomen vrbis. *Plin. lib.5. cap.14.*

HIEROSOLYMA vrbs non Iudaeae modò, verùm totius Orientis vrbium longè clarissima Plinio; neque Orientis tantùm, sed etiam totius orbis vrbium celeberrima, vt à multis commemorata, ita etiam varijs fuit olim nominibus insignita. Quorum omnium notiones elicere haud ita in promptu est: varijs enim incertisque multorum opinionibus res alioqui clarissima, tamquam tenebris, obscuratur. Earum tamen aliquas percensere in animo est, vt ex illarum collatione nostra magis elucescat opinio: omnibusque plenè perspectis integrum sit lectori de re tota iudicare. Antiquum, seu potius antiquatum vrbi nomen Algariza fuit, auctore Eupolemo, vt refert Alexander historicus apud Eusebium: quam vocem altissimum montem idem historicus interpretatur. Neque immeritò consimili nomine condecoratur ciuitas, in altissimo monte sita, in quem delatum se è Babylone testatur Ezechiel, vt templum, ciuitatemque ipsam attentius contemplaretur, dum ait: *Et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium ciuitatis vergentis ad Austrum.* Fuit aliud vrbis nomen antiquitate insigne, nobilitate celeberrimum, Hebraicae linguae proprium שלם Salem: quod quidem Graeci paululum immutatum ad suae linguae phrasim inflectentes, Solymam dixere pro Salem. Quos sequutus est Iosephus, vtpote Graecè scribens; de consimilibus enim loquens, nomina, inquit, ista decoris causa in Graecam formam mutata sunt ad aurium voluptatem; nostrates enim huiusmodi forma non vtuntur, sed eandem apud nos perpetuò speciem obtinent, nec terminationem variant. Idemque Iosephus, occurrisse Melchisedechum Solymorum

ALGARIza dicta est. *Euseb.lib.9. Praeparat. cap.4.*

Ezech. 40. ỳ. 2.

SALEM antiquum vrbis nomen Solyma Graecis dictum. *Ioseph. lib.1. Antiq. c.7.*

Ioseph. ibid. c.11.

Regem Abrahamo commemorat his verbis: Abrahamus verò captiuis incolumibus reductis, parta pace, victor ad suos redijt: redeunti Rex Sodomitarum vsque in locum, quem campum Regium vocant, gratulabundus occurrit; vbi à Solymae vrbis Rege Melchisedecho est exceptus; id nomen interpretatur Rex iustus: Erat enim reuera talis sacerdotio summi Dei ob iustitiam dignus habitus. Sed Solyma posterior aetas vocauit Hierosolyma. Haec ille. Id ipsum cum Hieronymo & Augustino sanctissimis patribus Ecclesiastici ferè omnes scriptores asseuerant, Hebraeos nimirum sequuti. Hi enim regionem illam incolentes, quae à maioribus traditu acceperunt, ea memoriae posteris tradiderunt. Hoc tamen vnum, vrbem nimirum Hierusalem olim Salem dictam, in dubium vocari ab vllo cordato viro vix posse putamus, propter locum illum psalmi: *Notus in Iudaea Deus, in Israël magnum nomen eius: & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* S. Hieronymus ex Hebraeo sic reddit: Cognoscitur in Iudaea Deus, in Israël magnum nomen eius, & erit in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion. Idemque in Commentario sic scribit: *& factus est in pace locus eius*, quod Hebraicè dicitur שלם Salem. Videtur ergo secundum litteram dicere, Hierusalem, quae antè vocabatur Salem: & post pauca subdit: In Hebraico habetur: & factum est in Salem vmbraculum eius. Videte quid dicat, secundum tropologiam non est vmbraculum Domini nisi vbi pax est. Haec Hieronymus. Quibus verbis duplicem videtur eius loci expositionem indicare, litteralem alteram de Salem, hoc est de Hierusalem; alteram verò tropologicam de pace, siue pacifica, quae est vocis Salem interpretatio. Eandem sententiam amplectuntur Rabbini ferè omnes, arbitrantes Salem nomen esse proprium Hierosolymae, non autem appellatiuum. Id autem manifestissimè docet

S. Hieron. quaes. Hebr. in Genes. S. August. in Psal. 33.

HIERVSALem olim Salem dicta. *Psal. 75. ỳ. 2. & 3.*

S. Hieron. in Psalter. & cõment. Psal.

cet illa psalmi interpretatione Chaldaeus: Et fuit in Hierusalem domus sanctuarij eius, & habitaculum diuinitatis sanctae ipsius in Sion. Neque verò Septuaginta interpretum versio, qui notionem vocis Salem respicientes verterunt εἰρήνη irini, id est pax, siue pacifica; eoſque imitata vulgata nostra versio, reddens: *factus est in pace:* neque aliorũ versiones nostrae aduersantur sententiae; quinimo eam confirmant maximè: siquidem testari videntur, in archetypo haberi Salem, ac si scripsissent: *Factus est* in Salem, quae Graecè dicitur εἰρήνη irini, Latinè pax, *locus eius:* nihil enim significari potest Graeca voce εἰρήνη irini, aut Latina pax, quod non expressius Hebraica שלם Salem significetur; cuius multo latius quàm Latinae aut Graecae vocis nótiò patet. Deducitur enim à tadice שלם Salem, quae significat aliquid esse integrum, perfectum, suis numetis absolutum: et per metalepsim, habere pacem, quam Hebraeus sermo consensum, concordiam, seu integritatem vocat; quòd pax sit partium inter se dissentientium compositio & redintegratio. Quare nomen inde deductum significat integritatem, perfectionem, concordiam, vnanimitatem, consensum, incolumitatem, salutem, felicitatem, pacem. Cuius vocis vim respexisse videtur apud Malachiam Dominus, felicem quondam statum Leuiticae Tribus enumerans, dum ait: *Pactum meum fuit cum eo vitae, & pacis,* hoc est incolumitatis. & subdit: *In pace*, hoc est in integritate, *& in aequitate ambulauit mecum.* Hanc vocem gladio & bello sacrae litterae frequenter opponunt: vt videre est apud Matthaeũ, dicente Domino: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium.* Quid verò nomine gladij intelligat, mox explicat: *Veni enim*, inquit, *separare hominem aduersus patrem suum, &c.* Itaque separationem opponit paci, quae pro vnanimitate, consensione, & concordia accipitur. Apertius etiam Paulus, quid nomine שלם Salem significent Hebraei, disertis verbis persequitur; quod totum paci tribuit Latinus interpres, ait enim: *Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, &c.* Est ergo, definiente Paulo, Hebraeis pax duorum inter se dissidentium redintegratio, seu reconciliatio: ponitúrque pro tranquillo & felici rerum statu; & opponitur perturbationi, vt in Genesi: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Hac illi voce in salutationibus vtebantur, salutem, felicitatem, & incolumitatem precantes: vt videre est in eo, quod dispensator domus Ioseph respondit timore turbatis filijs Israël, & ait: *Pax vobiscum, nolite timere.* Et in libro Iudicum: *Cui respondit senex; pax tecum sit.* Quem morem seruasse videtur Christus Dominus, suos hac voce salutans, maximè post resurrectionem, dicens: *Pax vobis.* Quinimo & discipulos suos hortatur, vt hac vtantur salutatione, dicens: *In quamcunque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui, &c.* Et de hac incolumitate scisciatur Dauid nuncium, dicens: *Estne pax puero Absalon?* Et in psalmo: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Est autem omnium salutationum amantissima illa, qua praecepit Dauid Nabalem saluere, dicens: *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè, & dicetis: sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuae pax, & omnibus, quaecumque habes, sit pax.* Quibus omnibus locis integritatem & incolumitatem significat, vt opponitur perturbato rerum statui. Ab hac voce deducitur שלמה Selomo Regis, & שולמית Sulammith eiusdem Regis dilectae, ab integritate formae, & incolumitate, pace, ac felicitate desumptum nomen. Tria ergo haec nomina, Salem, Salomon, Sulammithis, ex eadem radice derinata, Christi Domini, eiusque dilectae Ecclesiae felicitatem, integritatem, & pacem mirificè innuunt. Ex quo infertur, quàm sit damnandus Rabbinorum error, arbitrantium Cantico Canticorum Salomonis amatorium carmen contineri, cùm Sulammith non certam aliquam, sed speciosam potius, & si nominis originem spectes, Hierosolymitanam mulierem, seu Hierusalem ipsam significet. Quapropter etiam eidem aptissimè conueniunt sponsi encomia dicentis: *Pulcra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Siue vt alij ex Hebraeo reddunt: Pulcra es amica mea, sicut Thirsa, decora sicut Hierusalem, terribilis sicut castra cum vexillis. Quibus symbolis quis non videat ingentem, atque optimè caelestibus armis instructam Christi fidelium multitudinem, vni capiti Christo copulatam, eius sanguine, tamquam purpura fulgentem, eius augustissima cruce tamquam vexillo conspicuam, sub eius quasi Imperatoris auspicijs, in hoc saeculo felici ausu, feliciorique spe militantem, in futuro verò aeterna pace omnium bonorum accretione cumulata fruentem indicari?

SALEM significat integrum, perfectum, suis numeris absolutum.

Malach. 2. ℣.5. & 6.

PAX Opponitur gladio & bello. *Matth. 10. ℣.34. & 35*

GLADIVS quid significet.

Ephes. 2. ℣. 13. & 14.

PAX EST duorum inter se dissidẽtium redintegratio.

PAX Opponitur perturbationi. *Genes. 15. ℣. 15.*

PAX QVAre adhiberi solita in salutationibus. *Genes. 43. ℣. 23. Iudic. 19. ℣. 20. Ioan. 20. ℣. 21. & 26. Lucae 10. ℣.5.*

PAX PRO incolumitate. *2. Reg. 18. ℣. 28. Psal. 37. ℣. 4. 1. Reg. 25. ℣.5. & 6.*

SVLAMmith vox à pace deducta aptissimè Ecclesiam Christi significat. *Cantic. 6. ℣. 12. & c. 7. ℣. 1.*

DAMNATur error Rabbinorũ, qui Cantica Cãticorum tamquam amatoriũ Salomonis carmẽ reijciũt. *Cant. 6. ℣. 3.*

CANTICA de Ecclesia Christi interpretanda, probatur.

FVERIT NE ALIA ALIQVA PALAESTINAE CIVITAS, Salem dicta, & de alia vocis huius significatione.

Cap. II.

POSTQVAM explicatum est iam, quid nomine Salem significetur, & qua ratione Hierosolymae proprium hoc nomen fuerit, illud vnum adhuc examinandum videtur, an alia fuerit eiusdem nominis Palaestinae ciuitas. Quam quaestionem mouet & soluit Hieronymus propter locum Geneſis, quem refert his verbis: Et venit Iacob Salem, ciuitatem Sichem in terram Chanaam, cùm veniſſet de Meſopotamia Syriae. Quaestio oboritur, quomodo Salem Sichem ciuitas appelletur, cùm Hierusalem, in qua habitauit Melchisedech, Salem ante sit dicta? Aut igitur vnius vtraque vrbs nominis est, quod etiam de pluribus Iudaeae locis possumus inuenire, vt idem vrbis & loci nomen in alia, atque alia Tribu sit: aut certè istam Salem, quae nunc pro Sichem nominatur, dicimus hic interpretari consummatam atque perfectam: & illam, quae postea Hierusalem dicta est, pacificam nostro sermone transferri. Vtrumque enim, accentu paululum declinato, hoc vocabulum sonat. Tradunt Hebraei, quòd claudicantis femur Iacob ibi conualuerit, & sanatum sit; propterea eandem ciuitatem, curati, atque perfecti vocabulum consecutum. Et post pauca hoc idem confirmat, dicens: Et venit Hemor, & Sichem filius

Hieron. de quaest. Hebraic. Genes. 33. ℣.4.18.

LOCVS Genesis explicatus.

Genes. 34. ℣.21.

lius eius ad portam ciuitatis suae, & locuti sunt ad viros ciuitatis, dicentes: viri isti pacifici sunt. Vbi nunc Septuaginta interpretes pacificos transtulerunt (inquit Hieronymus) Aquila interpretatus est ἀπρτισμένους apirtismenous, id est, consummatos, atque perfectos: pro quo in Hebraeo legitur שלמים Salamim. Ex quo perspicuum est, verum esse illud, quod suprà de Salem diximus. Haec Hieronymus. Quibus verbis sententiam nostram, Hierosolymam fuisse nuncupatam olim Salem, maximè confirmat. Cui non aduersatur, inquit idem Hieronymus, aliam etiam ciuitatem eodem nuncupatam nomine, sicùt aliàs quoque videre est, duas, vel etiam plures ciuitates, aut plura loca, eodem compellata nomine. Hactenus ille. At vero in sacris litteris nullam aliam ciuitatem hoc nomine Salem insignitam fuisse praeter eam, cuius Rex fuit Melchisedech, & hanc quam ingressus est Iacob (si tamen Salem hoc loco est vrbis nomen) nemini obscurum arbitror. Salim enim (loci nomen) cuius sanctus Ioannes Euangelista meminit, licet si litterarum sonum respicias, cum voce Salem plurimum conuenire, ac Beato Hieronymo idem prorsus esse videatur: tamen quod ad nos attinet, si ipsa vocis prolatio attendatur, diuersa vox est. Est igitur Hieronymo de alijs nominibus sermo, vt videre est apud eundem. *Abela*, inquit idem, *vinearum*, vbi dimicauit Iephte in terra filiorum Ammon; nam & vsque in praesentem diem, in septimo lapide Philadelphiae villa Abela cernitur vinetis consita. Alia quoque est ciuitas, nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo à Gaderis milliario contra orientalem plagam: nec non & tertia in Phoenice Abela, inter Damascum & Paneadem. Haec Hieronymus; & sexcenta alia reperies apud eundem similia loca. Ac tandem id asserere videtur Hieronymus, si nomen Salem ciuitati Sichar conueniat, ex eo tantùm tempore conuenisse, quo incolumis ad eam peruenit Iacob, ad quod affirmandum coniectura potius, quàm certa aliqua ratione duci videtur. Verùm Caietanus accuratè satis, & ingeniosè locum hunc discussisse videtur, dum ait iuxta Hebraeum haberi: Et venit Iacob Salem ciuitatem Sechem: & subiungit, ambiguitas vndique consurgit, tum ex aequiuocatione dictionis Salem, quoniam est quandoque nomen proprium vrbis, quandoque nomen appellatiuum, significans completum, seu integrum: tum ex defectu praepositionis, quia nulla inuenitur praepositio antecedens dictionem, Salem, aut dictionem, ciuitatem. Subiuncta tamen mansio ante ciuitatem cum egressu Dinae, & gestis in ciuitate Sechem testatur, quòd Salem hoc in loco est nomen appellatiuum, ita quod littera est: Et venit Iacob integer ciuitatem Sechem. Narratur enim, quod cùm quieuisset in Suchot aliquanto tempore; & (si Hebraeis creditur anno & dimidio) venit inde incolumis, quoad coxam, & vniuersaliter integer quoad vxores, filios, & facultates, ad ciuitatem Sechem. Haec Caietanus. Cui sententiae suffragari videtur Hebraica lectio, quae sic habet: ויבא יעקב שלם עיר שכם vaiabo Iaghacob Salem ghir Sechem; quam lectionem Latinè sic reddunt nonnulli: Et venit Iacob incolumis in ciuitatem Sichem. Eamque lectionem expresè reddit Chaldaeus: Et venit, inquit, Iacob sanus in ciuitatem Sichem. Quae omnes huius loci interpretationes vnico nituntur fundamento, quod retulimus ex Caietano, nempe שלם Salem non esse loci proprium nomen; neque concordare cum nomine ciuitatis, sed cum nomine Iacob; quam constructionem non negamus admittere posse Hebraicum textum. Verùm auctoritati vulgatae editionis consulendum est maximè, quae sic habet: *Transiuitque* Iacob *in Salem vrbem Sichimorum*. Apponens autem voci Salem praepositionem, in, quae, Caietano teste, in Hebraeo desideratur, Salem indicat loci nomen fuisse. Quapropter sequenda potius videtur Hieronymi sententia, quae tradit ex optata eò aduenientis Iacobi sanitate & incolumitate, loco nomen inditum Salem; eoque per anticipationem vsum Moysem, sacrae Geneseos auctorem, vt aliàs saepe. Hoc tamen vnum notandum videtur, non fuisse peruulgatum huius vrbis Sichem nomen Salem; aut saltem vetustate nimia obsoletum fuisse. Nam, cùm haec eadē vrbs sit illa Samariae, Christi Domini aduentu, peccatricisque mulieris mira conuersione celeberrima, cuius Ioannes meminit, dicens: *Venit ergo in ciuitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo*; facilè conijci potest Ioannem, qui tam accuratè ciuitatem ex prouincia, nomine, adiacente puteo, alijsque circumstantijs describit, non taciturum fuisse nomen Salem, si adhuc illud retinuisset, quod salutem, integritatem, pacemque significat; cùm aduentum Saluatoris, instauratoris, principis pacis, Iesu Christi Domini nostri scriberet. Quapropter in huius quaestionis calcem nostram consultò distulimus sententiam; nempe Hierosolymae tantùm vrbi conditores nomen Salem indidisse; propriam eius vrbis pulcritudinem, membrorum integritatem, omniumque partium mutuam consensionem, ac pacem attendentes: quod illa nomen multis saeculis retinuit, vsque ad tempus illud, quo Salem cum alia voce compositum integrum, nomen Hierusalem, reddidit. Vrbi verò Sichem commodatum potius, & ex Iacobi eò aduentantis incolumitate, quàm ex propria aliqua regionis virtute, ac merito profectum nomen Salem, nec peruulgatum fuit, nec diuturnum. Aliam quoque vocis Salem notionem tradit Iosephus, quam capite sequenti pertractabimus.

Ioan. 3. ℣. 25.

D. Hieron. ad Euagriū.

Hieron. de locis Hebr. Iudic. 11. ℣. 23.

PLVRES Vrbes eodem nomine compellatas in Palaestina.

Caietan. in Genes.

NOMEN Salem nonnumquā est propriū loci, quandoque appellatiuum.

VVLGATae editionis auctoritati consulendum. *Genes. 33. ℣. 18.*

NOMEN Salem etiam vrbi Sichem aliquando conuenit.

Ioan. 4. ℣. 5.

VRBI, IN quam aduenit Christus, maximè cōuenisse nomen Salem.

HIEROSOlymae propriū nomen Salem, & quare; vrbi verò Sichem accōmodatum & breui tantùm tempore.

Ioseph. 7. antiq. c. 3.

DE ETYMOLOGIA HIERVSALEM EIVSQVE multiplici notione. Cap. III.

IAM de composita voce Hierusalem ירושלם Ierusalem agendum videtur, quam ex praedicta voce שלם Salem, & alia quadam componi compertum est omnibus. Quae autem, & qualis illa altera vox sit, maximè dubitant doctissimi etiam viri. Etenim Eusebius, Egesippus, Suidas, Nicephorus, Calixtus, & alij complures, vt ipsi sibi persuadent, Iosephum secuti; putant ex Graeca voce ἱερὸν hieron, & Hebraica שלם Salem compositum nomen Hierusalem. Quam sententiam meritò reprehendit Hieronymus, eam iuxta communem sententiam Iosepho tribuens, his verbis: Salem autem non vt Iosephus & nostri omnes arbitrantur esse Hierusalem, nomen ex Graeco Hebraicoque compositum,

Euseb. lib. 9. Praepar. Euang. Egesippus lib. 5. cap. 9. Nicephor. Callix. hist. 10. c. 33.

EX GRAECA & Hebraica voce cōponi nomen Hierusalē tradunt complures, sed consutantur.

tum, quod absurdum esse peregrinae linguae mistura demonstrat. Haec ille. Quam Hieronymi sententiam eisdem ferè verbis sequutus est Eucherius, hoc vno distans ab illo, quod is Iosephum prioris sententiae auctorem facit, hic Egesippum. Verum haec tam aperta in re minimè dubia oscitantia, vel ignorantiae suspicio abesse meritò debet à Iosepho, viro Hebraicarum non modò vocum, sed etiam rerum omnium peritissimo. Quis enim ignoret Melchisedechum Hebraica, non Graeca voce locutum? ἱερὸν hieron verò Graeca vox est, sacellum, templumque significans. Hebraeis verò nulla vox est huiusmodi. Quapropter Iosephum à tam absurdae sententiae culpa vindicandum putaui, si eius verba quibus simile quidpiam dixisse videtur, attentius considerentur. Sic enim scribit in libris antiquitatum: Primus igitur Dauid Iebusaeis inde ejectis, à se ciuitatem denominauit: nam tempore Abrahami, generis nostri auctoris, Solyma vocabatur. Nec desunt qui affirment etiam apud Homerum Solymorum nomine hanc Vrbem intelligendam: Templum enim iuxta Hebraeorum linguam nominatum est hac voce securitatem significante; Graecè: τὸ γὰρ ἱερὸν τὰ Σόλυμα κατὰ τὴν Ἑβραίων ὀνόμασα γλῶσσαν, ὅ ἔστιν ἀσφάλεια, tò gàr hierón tà Solyma katà tèn Hebraíon onómase glòssam, hò éstin asphaleia, quae ad verbum sic vertere licet: Templum enim ex Hebraeorum lingua Solyma nominauit, hoc est securitas, munimen, praesidium, arx. Quibus verbis nihil de composita voce Hierusalem, sed tantùm de significatione vocis simplicis Salem, quam Graecorum more inflectit, vt dixi: ac propterea vocat vrbem Solymam. Assignat autem rationem, quare sic dicta sit; nempe, propter templum ibi exaedificatum. Templum enim Hebraicè licet vocare Salem, vel Solyma, hoc est, securitatem, &c. Quibus verbis aliam tantùm ab ijs, quas recensuimus, vocis Salem significationem, seu potius interpretationem assignat, pacis enim hoc nomine aptè significatur, & securitas ab hostium incursibus, & munitissima arx, quae securam pacem incolis suis praestet. Hanc vero non editissimis, quibus ciuitas insidebat, montium verticibus, non profundissimis, quibus vndique cingebatur, vallibus, non firmissimis murorum, celsissimarumve turrium praesidijs, non incolarum multitudini, viribus, consilio, exercitationi adscribendam putabant antiqui; sed numini, sed templo, hoc est, vero Dei cultui, ac religioni. Siquidem omnia, humana industria, ac viribus comparata, hominibus superari non est difficile: contrà verò, quae Dei sunt munita praesidio, ea perpetuam securitatem, ac pacem suis sectatoribus polliceri, & praestare consueuerunt. Quae omnia indicare voluisse videtur Regius psaltes, cùm diuino afflatus numine cecinit: *Nisi Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificant eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*: & quae sequuntur. Verùm iam satis constare videtur, quid Iosephus eo loci significare voluerit, neque vlla ratione fuisse in illa sententia, in qua si fuisset, meritò reprehendendus esset. Alter tamen eiusdem Iosephi locus expressiùs videtur eam sententiam indicare, qui sic habet: Primus autem conditor eius fuerat Chananaeorum dynasta, qui patria lingua iustus appellatus est Rex: erat quippe talis: ideoque sacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primùm aedificato, Hierosolymam ciuitatem vocauit, cùm ante Solyma vocaretur. Quae verba Graecè scripta, cùm coniungant simul templi (quod ἱερὸν hieron vocatur) primam exaedificationem, & Hierosolymae vocis compositionem, occasionem non modicam praebuere nonnullis opinandi, Iosephum significare voluisse ex voce Graeca ἱερὸν hieron, & Hebraica Salem compositam fuisse Hierosolymam. Verùm verba ipsa nihil tale sonant, sed inter eximia iusti Regis facta haec duo simul commemorant templi nimirum primam aedificationem, & vrbis nouam denominationem, quae longè à se inuicem disiuncta esse, nihil obstat historiae veritati: sicut & sacerdotis commemoratum munus nihil conducit ad nominis Melchisedechi interpretationem, de qua aliàs. Sed eadem adhuc supereſt difficultas, vnde dicta sit Hierosolyma: & alia non minor; quate primus eam sic vocauerit Melchisedechus. Vtraque nobis discutienda. Ergo quod ad primum attinet: non defuere ex neotericis aliqui, putantes ex nomine Iebus, & Salem compositam fuisse vocem Iebus Salem: posteà verò euphoniae causa mutatam ב beth in ר resch. Quod duplex dictum duplicem inuoluit difficultatem. Alteram, quia cùm tempore Melchisedechi qui primus vrbi suae nomen Hierusalem indidit, Iebusaei obtinerent ciuitatem suam; neque vmquam fuerit haec ciuitas cum illa coniuncta, vsque ad tempora Dauidis, impossibile omnino videtur, nomina illarum ciuitatum composita fuisse ita vt vnum nomen ex earum nominibus conficeretur, vrbibus loco dissitis manentibus, & imperio à se longe sepositis. Alteram, quòd licet Hebraeis litteras commutare sit frequens, ac loco vnius alteram sufficere, numquam tamen id temere: sed tantùm permutant eas, quae eodem pronunciationis instrumento proferri solent, vt labiales labialibus, gutturales gutturalibus, & sic ceteras dentium, vel palati. Verùm ב beth & ר resch longè diuersae sunt, & quae numquam inter se permutari consueuerunt.

Neque propterea verum est, quod alius quidam vir doctus tradit, eandem vrbem priùs dictam Iebus, mox Salem, postea Ierusalem. Nam vsque ad Dauidis tempora habitatores superioris ciuitatis, quae in monte Sion erat aedificata, vocati sunt Iebusaei & vrbs ipsa Iebus, vt patet ex historijs Iosue, Regum, Paralipomenon, & Iosephi: quo eodem tempore inferior vrbs, quae olim Salem dicta fuerat Ierusalem dicebatur: Ideoque vix intelligi potest qua ratione, aut superiori vrbi nomen Salem, aut Inferiori Iebus commutata nomina tribuerentur. Quapropter & Hieronymus, à quo id ille sumpsisse videtur, interpretandus est, ita vt particulae illae, prius, mox, postea, non sint intelligendae de successione temporum, sed tantùm de diuersitate nominum, quae eidem ciuitati Hierusalem tributa sunt, vt suis locis planum faciemus. Eaque ratione hic interpretandum Hieronymum, conuincit hic alter eiusdem Hieronymi locus: Ierusalem, in qua regnauit Adonibezech, & post eum tenuere Iebusaei. Haec ille. Cumque Adonibezech fuerit posterior Melchisedecho, vt mox videbimus, necessariò conuincit Hieronymi locus, Iebusaeos multo posteriores fuisse Melchisedecho. Hic autem Melchisedechus, vt ex Iosepho paulo ante vidimus, vtrumque nomen, nempe Salem, & Ierusalem vrbi indidit. Ergo non potuit iuxta Hieronymi sententiam esse prius nomen Iebus nomine Salem. Ne ergo tantus vir, sanctissimusque Ecclesiae doctor

Hieronym. Euagrio. Euther. lib. 2. in Genes. c. 17.

SENTENtia Iosephi de composita voce Hierusalem declaratur.

Ioseph. 7. antiq. c. 3.

VOX Salem significat templũ, hoc est, securitatem, praesidium, vel arcem.

VERO DEI cultui potius, quàm alijs vrbis praesidijs eius securitatem & pacem adscribebant antiqui.

Psal. 126. ℣. 1. & 2.

ALTER Iosephi locus, quo videtur asserere vocem Hierusalem ex Graeca & Hebraica voce componi, declaratur.

Ioseph. 7. de bello c. 18. In Graeco lib. 6. c. 47.

IIIERVSAlem nequaquam ex Iebus & Salem composita. *Vivallus lib. de magnificentia Salomo.*

HEBRAEIS quas litteras permutare sit frequens.

VRBEM non prius dictam Iebus, mox Salem, postea Hierusalem. *Lippoman. super Gen. 13. ex Hieronymo ad Dardanium. Iosue. 18. 2. Reg. 5. 1. Paral. 11. Iosephi 7. antiq. c. 3.*

HIERONymi locus explicatur. *Hieron. de locis Hebr.*

ctor sibi ipsi contrarius fuisse dicatur, explicandus est, vt supra. Nisi malis Hieronymum locutum de arce ipsa Iebusaeorum, in monte Sion aedificata, quam, vt ad calcem huius capitis videbimus, certum est, eo ordine atque ijs nominibus, quibus eam appellauit Hieronymus, medio tantùm excepto, compellatam fuisse: nomen enim Salem numquam (quod obseruaui) arci fuit attributum.

HIERVSALẽ visio pacis quare dicatur.

Iam verò quod ad nominis etymologiam attinet, concors Patrum sententia nos cogit visiõnẽm pacis vocem Hierusalem interpretari; immo & ipsa totius Ecclesiae auctoritas, quae canit vbique:

Vrbs beata Hierusalem, dicta pacis visio. B

Ex qua interpretatione rationem adinuenit Augustinus discriminis, inter Sion, & Hierusalem. *August. super psal. 9.* Nam dum interpretatur illud psalmi: *Psallite Domino qui habitat in Sion*, ipse, inquit, habitat in Sion, quod interpretatur speculatio, & gestat imaginem Ecclesiae quae nunc est; sicut Hierusalem gestat imaginem Ecclesiae quae futura est, id est, ciuitatis sanctorum, iam angelica vita fruentium, quia Hierusalem interpretatur visio pacis. Praecedit autem speculatio visionem, sicut ista Ecclesia praecedit eam, quae promittitur, ciuitatem immortalem & aeternam, sed praecedit tempore, non dignitate. Haec Augustinus.

VOCEM Ieru, quae nomen Ierusalẽ componit, non esse Graecam, neque templum significare.

Quapropter vocem *Ieru*, ex qua componitur Ierusalem, non esse Graecam, neque templum significare, apud omnes extra controuersiam esse debet: sed Hebraeam esse, & deduci à verbo, quod videre significet, satis probabili coniectura monstratur. Quale autem sit illud verbum, deinceps videndum est. Putant nonnulli esse verbum ראה raa, quod oculos & animum in aliquam rem intendere significat, & illam apprehendere, nulloque alio Latino verbo commodius reddi posse videtur, quàm verbo videndi. *Afflictionem meam*, inquit Iacob, *& laborem manuum mearum respexit Deus*; hoc est, animum aduertit. Et in libro Regum: *Vidit enim*, Deus, *angustiam Israël, quia attriuerat eos Rex Syriae.* Et iterum: *Dixit autem* D *Rex, reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat. Reuersus est itaque Absalon in domum suam, & faciem Regis non vidit.* Dicitur etiam figuratè pro experiri aut sentire. Isaias enim ait: *Et calefactus est, & dixit: Vah calefactus sum, vidi focum.* Et Ieremias bis repetit verbum in hac significatione, dicens. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricae in deserto, & non videbit.* Hebraicè יראה ijreh *videbit, cùm venerit bonum.* Hispani eadem phrasi dicimus, no verà vn buen dia; hoc est, nulla illi illucescet serena dies, nulla vmquam fruetur felicitate. At contra: *Benedictus vir*, inquit, *qui con-* E *fidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit.* Hebraicè ירא ijre: quam vocem Hebraei reddunt, non videbit, quasi sit idem huius verbi, quod interpretamur, futurum. Verùm Hieronymus sensisse videtur deductam esse hanc vocem à verbo ירא iare, quod timere significat: quare scripsit: *non timebit, cum venerit aestus*: vtraque autem versio genuinum loci sensum reddit. Sensus enim loci est; non sentiet, vel non experietur aestatis calores, & iniurias. Extulit autem hanc interpretationem vulgata nostra, dicens: *non time-* A *bit*, ac si diceret, non tantùm non experietur aestatis damna, verùm neque oculis ea à longè prospiciet, neque aliquo eius videndae timore afficietur, aut sollicitabitur. Ratio autem tam diuersae interpretationis in hoc vno sita est in Hebraeo, quod litterula illa parua, quae praeponitur vtrique voci, aliquando est heemantica (quod aiunt) siue addititia, formatiua futuri temporis, ex qua deducitur prima interpretatio: nonnumquam verò est radicalis, vt in secunda interpretatione videre est; licet etiam aliàs haec litterula sit formatiua nominis proprij. Ab hoc ergo videndi verbo ראה raa, & ab eius futuro יראה ijre mutata א aleph in ו vau, quod Hebraeis vsitatum est, cum vtraque sit gutturalis littera, formatur ירו ieru, quod compositum cum priori nomine שלם Salem, constituit nomen vrbis integrum ירושלם Ieruſalaim, quod visionem pacis licet reddere, vt sanctis Patribus placuit. Quid autem ea dicendi phrasi intelligendum sit, inuestigare oportet. Quod vt manifestum fiat, notandum est, Hebraeos, quidquid pulcrum significare volunt, visu pulcrum dicere solitos, vt videre est in Genesi: *Produxit*, inquit, *Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu*, desiderabile ad visum reddunt aliqui. Et iterum, vbi nos legimus dixisse Abrahamum Sarai vxori suae: *Noui quòd pulcra sis mulier*, ex Hebraeo verti potest, Scio C quòd sis mulier pulcra visu. Atque iterum vbi nos legimus: *Ascendebant septem boues pulcrae, & crassae, aliae quoque septem foedae, deuorauerunt que eas, &c.* ex Hebraeo reddi potest: Septem vaccae pulcrae visu, aliae quoque septem malae visu; deuorabant vaccae illae malae visu atque tenui carne septem vaccas pulcras visu. Hinc etiam fit, vt absolutè visus accipiatur pro pulcritudine, quasi res aliqua sit visu digna, vt patet in libris Regum, vbi sic scribitur de Banaia: *Ipse quoque interfecit virum Aegyptium, virum dignum spectaculo*; ex Hebraeo reddi posset, virum visu, quasi diceres, spectandum, Hispani, vn hombre para ver, aptè vulgatus sensum reddit, *dignum spectaculo*, quasi diceret, totum spectabilem viribus, robore, membrorum proportione, & dexteritate. Sic Isaias de Christo Domino loquens: *& vidimus*, inquit *eum, & non erat aspectus: aspectus* in Hebraeo hoc ipsum nomen est, de quo agimus: non erat visus; vbi pro forma atque decore accipitur: no estaua deuer diceremus Hispanica phrasi. Ex dictis nominis ירושלם Ieruſalaim etymologia facilè intelligetur esse visio, visus, seu pulcritudo, vel forma pacis. Quae duo nomina inter se consert phrasis Hispana, ait enim, vista apazible, vt amoeniſſimum locum describat. Verùm adhuc obscura erit haec vox, neque à quoquam satis percipietur, nisi attentè legatur Isaias: is enim huius vocis interpretem quendam agere videtur, dum verae Hierosolymae, Christi sanguine redemptae, & habitantium in ea felicitatem, & reliquas conditiones enumerat: *& sedebit*, inquit, *populus meus*: sedere securam indicat habitationem, *in pulcritudine pacis*, hoc est, in Hierusalem, cuius pacis pulcritudinem cognosces, si, quae diximus capite superiore de pace, ea cum pulcritudine coniungas; *& in tabernaculis fiduciae*. Haec est alia eiusdem vocis interpretatio, quam paulo ante retulimus: nam voce Salem securitatem Hebraica lingua significari Iosephus auctor est: *& in requie opulenta*; vel vt conuertit ex Hebraeo Foreirus: In residentijs tranquillis, quod est proprium pacis, nempe

VOCIS Ieruſalem compoſitio & notio.

PVLCRVM, visu pulcrum vocat Hebraea phrasis. *Genes. 2. ℣. 9. Genes. 12. ℣. 11.*

Genes. 41. ℣. 2. & seq.

VISVS pro pulcritudine. *2. Reg. 23. ℣. 21.*

Isai. 53. ℣. 2.

PVLCRItudinem vrbis significat vox Ieruſalem.

ECCLEsiae Christi potissimum cõuenit vox Ieruſalem. *Isai. 32. ℣. 18.*

Ioseph. supra cita. c. 3. Foreirus super Isaia.

Genes. 31. ℣. 42.

VOCIS Ieru interpretatio. *4. Reg. 13. ℣. 4. 2. Reg. 14. ℣. 24.*

Isai. 44. ℣. 16.

Ierem. 17. ℣. 5. & 6.

Ibid. ℣. 7.

nempe tranquillam reddere vitam, atque pacatum animum. Hanc autem pacem non dat fidelibus suis parcè, sed largè & affluenter *in requie opulenta*, in abundanti pace: non infundit Deus illam populo suo guttatim, vel ad mensuram, sed vt apud eundem Isaiam promittitur à Domino: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis*, id est, in tanta copia, vt teste Paulo, exsuperet *omnem sensum*, quasi neque visu percipi, neque lingua efferri, neque auditu cognosci, aut aliquo alio sensu comprehendi, possit.

Isai. 32. ℣. 18.

Isai. 66. ℣. 12.

Philip. 4. ℣. 7.

Iam verò his praeiactis fundamentis, non erit difficile ad eam quaestionem respondere, quae doctissimum virum torsit, nimirum cur à futuro ירא iere, & non à praesenti, vel alio quoquam verbi tempore composita sit vox Ierusalem. Quoniam tunc aptissimum verae Hierosolymae futurum erat nomen hoc, cùm, vt paulò ante diximus, Christus illi per sanguinem suum pacem allaturus erat, quod vt nobis praeteritum, sic Melchisedecho, vrbis & nominis auctori futurum erat.

IERVSAlem à futuro iere composita, quoniam futura illis erat Ecclesia Christi, cui propriè conueniret hoc nomen.

Neque difficilius erit alteri quaestioni, quam nos proposuimus, satisfacere, nempe, quare tunc primum eam vrbem, quam prius Salem vocauerat, Ierusalem vocauerit Melchisedechus, cùm templum aedificatum ab eo est? Respondeo significare voluisse Dei altissimi sacerdotem Melchisedechum, tunc primùm pacem, atque omne bonum possideri coeptum, & visu quasi contingi, cùm templum exaedificatum est, in quo ipsemet Christus tunc venturus coleretur, & obsequijs, ac muneribus assiduè oblatis quasi praesens haberetur. Et quidem, vt paulo ante notaui, omnem securitatem, integritatem, pulcritudinem, & pacem, regnis, vrbibus, ac statibus, sola Catholica religio parit; qua manente pax propè oculis percipi ab omnibus possit; religione deficiente dissensiones, ac bella oriantur, omniaque ab integritate excidant, ac mox ruitura labantur.

VISIO PAcis dicta Hierusalem quando templum in ea exstructum, quoniam à Dei cultu omnis pax, & securitas prouenit, sicut bella à religionis defectu.

Haec autem omnia, quae de nomine Salem & Hierusalem hactenus diximus, de vrbe illa intelligenda sunt, quae primò dicta est Salem & Hierusalem; vtpote, quae à Rege Melchisedech aedificata, & cognominata his nominibus fuerit. Quae autem & quanta ea fuerit, & ad quam Tribum spectauerit, suis locis dicemus. Id verò hic obiter notandum est, vrbem Salem siue Hierusalem nequaquam tanta ciuium frequentia nobilem fuisse, vt ad montem Sion, in cuius vertice exaedificata erat arx Iebusaei, murorum eius laxitas ac latitudo peruenerit, totumque montem suo quasi gremio complecteretur: verumtamen ob niniam vtriusque vrbis vicinitatem celeberrimum, admirandumque nomen Hierusalem ipsi Iebusaeorum arci, & ciuitati tribui certum est. Quod patet ex libris Iosue & Iudicum, in quorum primo sic scribitur: *Iebus, quae est Hierusalem*. In secundo verò & manifestè magis confirmatur nostra sententia; sic enim scribitur: *Et uenit contra Iebus, quae altero nomine uocabatur Ierusalem*. Haec enim duplicis nominis commemoratio indicat, primum nomen proprium à conditore sumptum, alterum ex propinquitate celebrioris vrbis acceptum. Quo autem tempore nomen Ierusalem coeperit vrbi Iebus tribui, non vsquequaque certum est: si tamen conijcere licet, id crederem primùm contigisse, filijs Israël terram ingressis. Quae coniectura vel ex eo tantum probabilis mihi fit, quòd in historia Iosue prima fit huius nominis mentio sub ingressu filiorum Israël in terram Canaam. Auctor verò libri eius nominis meminit quasi quadam prolepsi, ac si dicat: Iebus, quae altero nomine mox coepta est appellari Hierusalem. Verùm quidquid de tempore sit, quo vrbs Iebusaei hoc nomen Ierusalem adepta sit, hoc certum videtur, post tempora Iosue vtramque vrbem communi nomine Ierusalem appellatam. Atque ex eo tempore coniectari licet nomen ירושלם Ierusalem terminationem dualis accepisse, dictumque ירושלים Ierusalaim, quod in eodicibus Hebraeis nunc exstat. Neque obstat terminationi duali deficere nonnumquam litteram י iod ante ם mem; nam ea solet in huiusmodi nominibus subticeri. Quod si duale nomen est, significabit duplicem Ierosolymam; siquidem Dauidis tempestate ex duplici, antiqua vrbe nimirum, & ex Salem sita in Boreali monte, cuius Rex fuit & auctor Melchisedechus, & ex Iebus, quae in Sione monte fuit à Iebusaeo fundata, & cognominata, ex his inquam duabus vrbibus vnica vrbs Hierusalem fuit effecta. Significabit praeterea geminatum nomen Ierusalem geminatam pacis visionem, nempe augustissimam, perfectissimamque pacem: geminatio enim nominis auxesim innuit Hebraeis, ac superlatiuorum quibus carent, vice sufficitur. Quare non tantum hoc nomine significabitur prospectus vrbis amoenissimus, omni pulcritudine atque decore perfectus, quà oculis corporis percipi potest; verum geminatus alius, qui oriturus praedicebatur in psalmo, nosque iam ortum credimus: *Orietur enim*, inquit, *in diebus eius* (Messiae inquam Christi Iesu) *iustitia & abundantia pacis*. Quae quidem iustitiae & pacis abundantia de Hierusalem orta est per Spiritum sanctum, quem effudit inibi abundè in corda discipulorum suorum.

NOMEN Ierusalem dualis formam tenere apud Hebraeos, & quare.

GEMINAtà pacis visionem hoc est augustissimam perfectissimamque significat vox Ierusalem.

Psal. 71. ℣. 7.

Ex eadem vocis figura duali manasse credimus ἱεροσόλυμα Ierosolyma Graecum plurale, cuius originem ex Hebraea lingua quaerere superuacaneum censeo. Non verò, vt aliqui putarunt, à nomine שלמה Selomo deducitur, sed merè Graecum est, iuxta eius linguae inflexionem, vel corruptum à voce Hebraea ירושלם Ierusalaim, vt supra notauimus: quare & retinuit pluralis terminationem, quò Hebraico duali magis conueniret. Graecam autem non Hebraicam terminationem esse illam vocis Ierosolyma, probat manifeste vsus illius, qui in illis tantum libris sacris inuenitur, qui Graecè conscripti sunt, Machabaeorum videlicet & noui Testamenti. Verùm Matthaeus Syrus vocem ipsam suo idiomati adaptauit, littera י iod mutata in א aleph, & punctis paulisper immutatis. Scribit enim אורשלם vrislem pro ירושלם Ierusalaim, ne putares Graecum nomen esse, vel à Salomone deriuatum: sed satis est si Salomonis & Salem nomina ab eadem radice deducantur, vt suprà ostendimus.

IEROSOlyma pluralis Graecis terminatione quare efferatur.

Matth. c. 2.

IEROSOlyma nequaquam à Salomone denominari potuit.

Iam vero Cornelium Tacitum de Iudaeorum, ac Solymae origine scribentem afferre non grauabimur, qui vt conceptum in Iudaeos odium, ac maleuoli animi virus tegeret, quasi ab alijs accepta retulit, quae ipse ad eam gentem maledictis proscindendam callidè excogitauerat figmenta: Iudaeos, inquit, Creta insula profugos, nouissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iouis pulsus cesserit regnis. Argumentum è nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montē, accolas Idaeos, aucto in Barbarum cognomento, Iudaeos vocitari (scribunt) quasi Idaeos. Quidam etiam referunt regnante Iside exundantem

CORNElij Taciti aduersus Iudaeos figmenta. *Corn. Tacit. Annal. lib. 21.*

VRBS INferior à Melchisedecho aedificata, ab eodē denominata Salem & Ierusalē, quod nomen postea arci Iebusaei propter vicinia accommodatum est.

Iosue 18. ℣. 28.

Iudic. 19. ℣. 10.

QVANDO coeperit vrbs Iebusaei dici Ierusalem.

tem per Aegyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam. Pletique Aethiopum prolem, quos Rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant Assyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, ac mox proprias vrbes, Hebraeasque terras, & propiora Syriae coluisse. Clara alij Iudaeorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditae vrbi Hierosolyma nomen è suo fecisse. Haec ille: quae in multis, sacrae aduersantur historiae. At Solymos montes, & eorũ nomen suae tantùm genti adscribere videtur Iosephus. Is enim haec habet. Cherilus quoque poëta, antiquior (Herodoto Halicarnassensi) meminit nostrae gentis, quae Xerxi Persarum Regi, expeditionis in Graeciam socia fuerit. Enumeratis enim cunctis gentibus, nostram quoque postremo loco collocauit his verbis.

Ioseph. lib. 1. contra Apion.

CHERILI poëtae de Iudaeis nobile testimonium.

Ponè sequebatur genus admirabile visu;
Lingua quibus Phoenissa fuit, sedesque locatae
Montibus in Solymis, quà latè stagna patescunt.
Squalet eis vertex, circum coma rasa, supernè
Duratae fumo exuuiae gestantur equinae.

Hic certè nostri eum meminisse cuiuis perspicuum est: siquidem & Solymi montes in nostris sunt finibus, eosque incolimus, & lacus qui Asphaltites appellatur: is enim omnium Syriae lacuum latissimus est, & maximus. Et Cherilus quidem sic nostri meminit. Haec Iosephus. Quibus subdit Aristotelis de gentis Iudaicae, eiusque vrbis nomine testimonium, à Clearcho Aristotelis discipulo relatum. Sunt autem, inquit, hi (Iudaei) prognati ex Indicis Philosophis, vocanturque (vt aiunt Philosophi) apud Indos Calani, apud Syros Iudaei, nomen à loco adepti: nuncupatur enim, quem incolunt locum, Iudaea. Vrbis autem eorum nomen admodum durum est: vocant enim Hierosolymam. Haec Iosephus. Graecè scriptum accipimus ἱεροσαλύμην per alpha hierosalymin, nisi vitium sit scriptoris. Exstat & aliud Hierosolymae nomen, malitiosè quidem effictum à Lysimacho Graeco historico, qui vt hostili erat in Iudaeos animo, suos non modo mendacij argumento est imitatus, sed eos omnes incredibili figmento superauit. Hic igitur Iudaeos tradit Aegypto pulsos, atque in deserta loca coactos, Moysis consilio vnam tenuisse viam, donec ad culta loca venirent. Haec, inquit, approbantibus ceteris, ex illius sententia per solitudinem iter fecisse, atque ita multa perpessos, in regionem cultam venisse, & in homines saeuiendo, & sana depeculando, atque comburendo, peruenisse in eam, quae nunc Iudaea nuncupatur; & condita vrbe ibi consedisse, atque vrbem hanc ἱεροσυλα Hierosyla ab illorum sacrilegijs fuisse nominatam. Sed eos postea rerum potitos, appellationem illam, probri declinandi gratia, mutasse, & vrbem Hierosolyma, & se Hierosolymos appellasse. Haec ille. Aduersus quem meritò insurgit Iosephus: & hoc verò, inquit, singularem non illorum, sed mentientis dementiam arguit, qui etiam nomen vrbi indidisse illos à sacrilegio ausus est dicere, idemque postea immutasse; scilicet eorum posteris probrum odiumque conflabat illud nomen: ipsi vrbis conditores hoc sibi nomen decori fore putabant. Et iste vir egregius, prae immodica maledicendi intemperantia non intellexit, sacrilegium à nobis Iudaeis non eadem, qua à Graecis, voce nominari. Hactenus Iosephus. Quibus verbis & vrbem suam ab effícto ad calumniam nomine; & seipsum ab ea suspicione, quam initio capitis ab eo remouere contendimus, vindicat; qua videlicet, putabatur Hebraicam vocem Hierusalem ex Graeca, & Hebraica compositam affirmasse. Verùm de nominibus vrbis iam satis dictum sit.

LACVS Asphaltites.

ARISTOteles Iudaeos sapientes dictos esse testatur.

IEROSAlymin dicta apud Iosephum vrbs.

Lysimachus apud Iosephum lib. 1. con. Apion.

Ioseph. ibid.

DE SITV VRBIS ET AD QVAS CAELI regiones spectet. Cap. IIII.

VRBEM Hierusalem in medio gentium sitam fuisse testatur Dominus per Ezechielem, dicens: *Ista est Hierusalem: in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* Quem locum enarrans Hieronymus, sic habet: Hietusalem in medio mundi sitam, hic idem Propheta testatur, vmbilicum terrae eam esse demonstrans. Et Psalmista natiuitatem exprimens Domini: *Veritas*, inquit, *de terra orta est:* ac deinceps passionem: *Operatus est*, inquit, *salutem in medio terrae.* A partibus enim Orientis cingitur plaga, quae appellatur Asia; à partibus Occidentis eius, quae vocatur Europa: à Meridie & Austro, Libya & Africa, à Septemtrione Scythis Armenia, atque Perside, & cunctis Ponti nationibus. Haec Hieronymus. Quibus verbis diuisisse videtur Hieronymus terram omnem, quae antiquis Cosmographis nota fuit, non in tres tantùm partes, vt illi, sed in quattuor, iuxta totidem caeli regiones; Asiam ipsam, orbis terrae maximam partem, in duas diuidens, nempe in eam, quae ad Orientem vergit, & illam quae ad Aquilonem. Et sanè Hieronymus intellexisse videtur Hierusalem in orbis terrarum medio sitam fuisse, & meritò: quoniam hoc ipsum significare videtur Dominus, subdens: *Et in circuitu eius terras.* Perinde ac hanc vnam ciuitatem sibi delegerit Dominus, tamquam Reginam, eiusque siue stipatores, siue ambientes pediseguas ceteras mundi partes esse voluerit. Ad quam loci interpretationem respexisse videntur interpretes illi, qui ea, quae sequuntur Prophetae verba: *quia superastis gentes, quae in circuitu vestro sunt*, sic interpretantur. Superastis, inquiunt, copia, luxu, fastu, aedificijs, opibus: nosque addemus, his in rebus omnibus gentes longè superastis; haud secus, quàm Rex stipatores; & dux milites. In medio ergo orbis terrarum sitam esse Hierosolymam facilè intelliges, si animaduertas Ptolemaeum Cosmographorum parentem, ac magistrum, suorum maiorum sententiam secutum, totum illud orbis spatium, quod solum habitari putabat, in septem tantummodo diuisisse climata: in quorum quarto sita est Hierosolyma, Soli, me iudice, aequa ratione respondentem. Vt enim is inter planetas sita haec inter regiones medium, eundemque principem obtinet locum: vt iure optimo apud Bedam presbyterum Victorinus Pictauorum Episcopus canat.

HIERVSAlem in medio gentium sita vmbilicus terrae dicitur. *Ezech. 5. ℣. 5. Hieronym. ibid.*

Psalm. 84. ℣. 12. Psalm. 73. ℣. 12.

HIEROsolymae situs.

IN MEDIO gentiũ quasi Regina.

HIERVsalem Soli comparatur.

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Iudaei patrio cognomine dicunt.

Beda lib. de locis sanctis c. 3.

IN MEDIO terrae Chanaam Hierosolyma sita est.

Neque in medio orbis tantùm sita est, quasi Regina Hierusalem; verùm etiam in medio terrae Chanaam, quae filijs Israël, vtpote optima mundi, promissa & exhibita fuit à liberalissimo munerum, bonorumque omnium largitore Deo Optimo Maximo. Auctorem habeo huius rei Aristeam. Vrbem enim, inquit, in monte suspicimus totius Iudaicae regionis mediam, sublimem prospectum praebentem: in cuius vertice templum apparebat visu pulcherrimum. Testatur hoc idem Iosephus, dum Iudaeam describit; air enim: Media verò eius est Hierosolyma. Quocirca quidam, non sine ratione, vmbilicum eius terrae illam vrbem vocauerunt. Et post pauca subdit: In vndecim autem sortes diuisa est, quarum prima est tamquam Regia Hierosolyma, prae ceteris inter omnes accolas, eminens velut caput in corpore⌣. Haec Iosephus: qui Iudaeae tantùm quasi vmbilicum⌣, & caput constituit Hierusalem⌣. Verùm hoc testimonio non videtur fecisse satis Iosephus Ezechielis textui, quem citat suprà allatus Hieronymus, inquiens: *Super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere coepit & esse habitator vmbilici terrae*, Hebraice טבור הארצ, tabur aarets, vox enim tabur propriè vmbilicum corporis humani significat. Quoniam autem in medio corporis humani situs est vmbilicus: ideo & apud Latinos vsus obtinuit, vt vrbem, vel locum illum, qui in medio alicuius regionis collocatur, eius regionis vmbilicum dicant: sic Cicero Ennam ciuitatem in medio Siciliae sitam, eius insulae vmbilicum vocat: Et Plinius vmbilicum Italiae, circa lacum Reatinum esse dixit, quòd ibi medium Italiae sit. Cuius rei rationem reddere videtur Vitruuius; qui, dum admirabilem humani corporis commensurationem testatur, affirmat, hominem si extensis manibus & pedibus ambitum circuli contingat, centrum eius circuli in vmbilico constitui. Quod idem Galeno placuit, quicquid Varro, & Andreas Vesalius reluctentur. Quare meritò vmbilici nomen regioni tribuitur, quae in vniuersi medio constituta est, sicuti לב leu, cordis nomen maris medio frequentius; nam cor in⌣ media corporis latitudine situm, vmbilico eminet: sicut mare ipsum continenti superstat. At si totius terrae, quae antiquis cognita fuit, latitudinem pariter, longitudinemque consideres; facilè inuenies totius terrae vmbilicum Hierosolymam esse. Quòd si id experimento fortasse quispiam cognoscere cupiat, terrestrem globum adeat, circiniique pedem alterum Hierosolymis figat, alterum in ultimos vsque Africae fines protendat atque circumagat; sic enim fiet, vt circulum describat, qui omnes olim cogniti orbis terminos comprehendat. Atque haec fortasse causa est, cur Deus Sionem elegerit, ex qua legem suam toto terrarum orbe diffunderet: nimirum vt è media mundi regione ceterae aequa ratione distantes, Dei verbum facilius commodiusque cognoscerent. *De Sion*, inquit vates, *exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem*: quò facilius verbum in⌣ centro prolatum, ab aequidistantibus omnibus orbis terrarum partibus audiretur. Ad quam quidem Hierosolymae constitutionem respexisse videtur celebris ille psalmus, non naturae tantùm, aut legis beneficia commemorans: sed multò maiori iure maiora illa dona gratiae, quae per Christum iustitiae Solem, eiusque caelestes orbes Apostolos recepimus, credentes in eum. Ad hos enim potius, quàm ad illos accommodat versum psalmi

Aristeas lib. de 70. interpret.

Ioseph. 3. belli cap. 2.

Ezech. 38. ℣. 12.

Cicc. 6. in Verr.

Plin. lib. 3. cap. 12.

Vitruu. lib. 3. cap. 1.

MEDIVM terrae quare vmbilicus, & medium maris qua ratione cor dicatur. *Galenus lib. 2. de Placitis Hippocratis & Platonis, et lib. 15. de vsu part. Varro apud Vesalium lib. 6. de fabrica corporis humani.*

OSTENDITVR Hierosolymam centrum mundi esse.

Isai. 2, ℣. 3. Miche. 4. ℣. 4.

Psal. 13. ℣. 5.

Paulus, dicens: *Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrae uerba eorum*; *sonus* Hebraicè קום Kauuam, linea eorum. Qua voce Isaias propheta ad naturam circuli probè respexit, quem fingunt Mathematici ex lineae circumductione constitui, cùm altero lineae termino manente, altero verò circumducto, ad eundem locum reuertitur linea, vnde primò eius motus inceperat; quo in motu fluxus ille puncti extremi circumferentiam describit; reliquae verò lineae partes vniuersam circuli aream peragrant. Nam si quispiam est, qui

Rom. 10. ℣. 18.

--ex uno ferrea brachia nodo
Iunxit, vt aequali spatio distantibus ipsis,
Altera pars staret, pars altera duceret orbem:

Ouid. lib. 8. Metamor.

Intelliget profecto lineam rectam, quae ducta fingitur ab vno termino pedis circini, ad terminum alterius pedis, circuli vniuersam aream peragrasse; sicut terminus mobilis circumferentiam peregit. Ergo indicare voluisse visus est Regius Psaltes totam peragratam terram, non tantùm terminos: vt mox de Sole idem testatur, subdens: *neque est qui se abscondat à calore eius*. Et paulo antè de ipsis caelis, loquentibus gloriam Dei, dixerat: *Non sunt loquelae, neque sermones, quorum*, pro, quibus, *non audiantur voces eorum*; id est, non sunt linguae, neque sermones, quibus non audiantur voces eorum: quasi dicat: nulla est natio tam barbara, quae caelos intuens, ex eorum aspectu ad opificis contemplationem, & praedicationem facilè perduci non possit. Vel potius Pauli Apostoli interpretationem secuti, dicamus: Caelestes viros Apostolos, Hierosolymis igne Spiritus sancti accensos, quasi Solis radios inde egressos, suae, irradiatione Euangelicae praedicationis, quasi linea quadam à centro egressa, totum peragrasse orbem terrarum. Quem sensum sequuti videntur Septuaginta & Hieronymus, ac nostra vulgata, dum pro linea sonum reddunt. Sonus enim praedicationis Euangelicae linea illa fuit, quae totum peragrauit orbem terrarum, & Apostolis praedicantibus expletum peculiari quadam ratione propheticum illud est: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Sed vt ad institutum nostrum redeamus, assignemus oportet discrimen, quod inter duas illas versiones, quas paulo antè attulimus, cordis, & vmbilici intercedit. Etenim cor, cùm in profundo pectoris situm sit; ideo aptè significat profundum maris: vt videre est apud Ezechielem, dicentem ad Principem Tyri: *Morieris in interitu occisorum in corde*, hoc est, *in profundo maris*. At contrà, vmbilicus, quoniam patens est, & eminens in medio ventris, ideo transfertur ad significandum, quod eminens atque excelsum est, & in medio situm. Quod manifestum est, sponsae pulcritudinem in Canticis contemplanti: ibi enim comparatur venter turgido tritici aceruo, cuius aureum colorem illustrat liliorum candor. *Vmbilicus tuus*, ait sponsus, *crater tornatilis*, vel rotundus, siue lunaris, plenae Lunae similis, *numquam indigens poculis*; hoc est, semper plenus, & numquam deficiens. Quo loquendi modo illustratur parabola illa Gaal, quae refertur in libro Iudicum his verbis: *Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul, ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit; vmbras montium tu uides, quasi capita hominum, & hoc errore deciperis, Rursumque Gaal ait, ecce populus*

EX HIEROsolyma quasi è centro egressa est praedicationis Euangelicae irradiatio. *Hieronym.*

Sap. 1. ℣. 7.

COR, ET vmbilicus quare ad significandum maris & terrae medium transferantur. *Ezech. 28. ℣. 8.*

Cantic. 7. ℣. 2.

VMBILICus terrae pro loco eminenti & excelso.

Iudic. 9. ℣. 36. & 37.

pulus de vmbilico terrae descendit. Quos enim prius montes terrae manifesto sermone vocauerat, mox illusus à socio, per metaphoram vocat vmbilicum terrae. Cui assimilis est interpretatio, quam paulò antè attulimus ex Iosepho. Ergo cùm vmbilicus terrae vocatur Hierosolyma, vrbs sublimis & excelsa, eminensque dicitur; ac propterea conspicua & manifesta. Ex his liquidiùs apparebit veritas celebris illius elogij sancti Leonis Papae: Praeelegit Bethlehem natiuitati, Hierosolymam passioni: id enim significare voluit sanctus Pontifex, Christum dominum gloriosae natiuitati, ab Angelis, stellis, pastoribus, & Regibus illustratae Bethlehem, in eaque speluncam, noctisque obscuritatem elegisse: ignominiosae verò passioni conspicuam Hierosolymam, excelsumque in ea montem, sollemnitatem paschae, atque meridianum Solem; quò adimpleretur illud, quod dictū est per Prophetam: *Operatus est salutem in medio terrae*, id est, manifestè, palàm, non in abscondito, aut in angulis. Ex his patet, aptè scripsisse Benedictum Ariamontanum; vmbilicū pro optimo, firmissimo, & vberrimo loco, sacro sermone vsurpari. Atque haec ratio omnino est, cur loca ea, quae Hierosolymae ad Occidentem cadunt, pro Occidente accipiantur in sacris litteris; & quae ad alias caeli regiones spectant, pro eisdem regionibus vsurpentur. Res paulo post exemplis demonstrabitur. Nunc ratio ipsa è Cosmographis petatur, qui in describendis, tum ad aliorum, tum praecipuè ad nautarum vsum regionibus, certis quibusdam locis, quasi centris in descriptione constitutis, totum in circuitu ambitum in tot diuidunt partes, quot ventos terram vndequaque perflare arbitrantur: lineisque se mutuò in assignato centro intersecantibus, ventorum flatus in descriptione designant; quorum postea beneficio maria nauigant, & ad quam caeli regionem quaelibet ciuitas sita sit, respectu prioris facilè cognoscunt. Hunc ventorum circulum, vmbilicum vocat Plinius. Idipsum Hebraeis accidit, qui centrum, seu vmbilicum mundi Hierosolymis constituentes, ad angulos rectos, sese binis intersecantibus lineis, quattuor mundi angulos seu regiones constituunt. Quo sit vt verum sit, quod Hieronymus annotat, hanc esse scripturae sacrae consuetudinem; vt pro situ terrae Iudaeae, semper mare Occidentem vocet. Et huius rei ratio est, quia si Hierosolymae, immo totius Palaestinae situm respicias, ad Occidentem constitui videbis mare mediterraneum; quod magnum dicitur, vt distinguatur à multis lacubus, quos maria nuncupant: vt videre est in mari Tyberiadis, mari salis, & alijs. Nolim tamen hinc contendat aliquis, ad mare mediterraneum sacros semper scriptores respexisse, cùm Aquilonem, aut mare magnum nominant; nonnumquam enim intelligunt Oceanum mare, quod totum meridianum mundi tractum occupare putabant antiqui; nam Septemtrionales ipsi tantùm mundi partes incolebant, reliquas ne fama quidem cognouerant. Hunc igitur morem imitatus videtur Psaltes, dum ait: *Aquilonem & mare tu creasti*. Et iterum: *A solis ortu & occasu: ab Aquilone & mari*. Multi verò arbitrantur dextèram pro australi parte accipiendam in allatis psalmis, & alibi; qui quidem in afferenda eius appellationis causa decipiuntur planè. Propterea enim Meridiem dextrum vocari existimant, quòd aspicientibus Orientem, ad dexteram stet Meridies; quasi verò aspicientibus Occidentem, non stet ad sinistram. Et iccirco in assignandis caeli permanentibus regionibus longè falluntur opinione, cùm ex ijs, quae mouentur, & non permanent, rationes aucupentur. Eius enim rei potissima ratio petenda videtur ex permanenti Dei, *qui sedet super Cherubim*, augustissimo solio ad Occidentem posito, tum in tabernaculo Mosis, tum in templo Salomonis: cui triumphale elogium concinitur in psalmo: *Iter facite ei* (voces sunt praeeuntium satellitum) *qui ascendit*, vel equitat *super* ad *occasum*. Ibi enim statuit sedem suam, immo & Cherubinorum carrucam, cuius facies conuersa videtur ad Orientem; eidemque ad dexteram sistitur Meridies, ad sinistram Septemtrio, ad dorsum Occidens. Quae omnia Ezechielis testimonio confirmantur: *Facies enim*, inquit, *domus respiciebat ad Orientem; aquae autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris*.

Illud vero praetereundum non est, quod locus, & dicendorum ordo exigit, Cosmographos horizontem in quattuor primùm partes aequales diuidere solitos, in punctis quae meridianus circulus cum verticali assignat in ipso horizonte: ea verò puncta, vt mundi angulos, siue regiones vocant, ita & eadem Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem praecisè indicare putant; ac de eisdem intelligendi sunt, cùm absolutè cum Astrologis loquuntur. Verùm cum Hebraei, & consequenter sacra scriptura de sua tantùm regione ita loquantur, ac si nullius alterius ratio habenda foret (quoniam tractus Palaestinae maritimus, qui à Meridie versus Septemtrionem protenditur, nonnihil deflectit à Septemtrione ad Orientem) ideo totam ventorum & caeli regionem, quam Hierosolymis constitui suprà memorauimus, semper intelligere oportet deflexam: ita vt meridianus aliquantulum declinet à Septemtrione in Orientem, Oriens rursus in Meridiem, Meridies in Occidentem, & Occidens tandem in Septemtrionem. Ex quo fit, vt, cùm ventus Aquilo (Plinio teste) perflet inter Septemtrionem & Ortum solstitialem, saepe accipiatur pro ipsomet Septemtrione: vt videre est in Genesi, dicente Domino ad Abrahamum: *Vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem*. & aliàs saepe Aquilo opponitur Austro. Atque eandem etiam ob causam Chaldaea regio, quae toti Palaestinae ad Orientem videtur sita, Aquilonis nomine saepe nuncupatur; vt videre licet apud Ioëlem, dicente Domino: *Et eum qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis*. Et apud Ieremiam: *Ab Aquilone pandetur malum*: & alibi saepe. Aegyptum etiam Austrum vocauit Daniel, cùm Regem Austri saepe nominat, Ptolemaeum significans (si Hieronymo credimus) Lagi filium, qui primus regnauit in Aegypto. Neque immeritò hanc nouam plagarum appellationem, suo quasi iure sibi Hierosolyma vindicat, quae in sacris litteris, orbis terrarum non semel dicitur, praesertim apud Isaiam, loquente Domino de ruina Nabuchodonosoris: *Numquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit*? Et iterum idem Isaias: *Luxit*, inquit, *& defluxit terra, & infirmata est, defluxit orbis, & infirmata est altitudo populi terrae*. Quibus verbis toto eodem capite & sequentibus, excidium Hierosolymae praedicit Vates: sub quo etiam vniuersi

S. Leo sermone 1. de Epiphan. *S. Thom. 3. p. q. 35. art. 7. ad 1. & q. 47. c. 10. ad 1.*

Psalm. 73. ℣. 12. IN MEDIO terrae, id est propalam, manifestè. *Ariam. lib. Ioseph.*

REGIONES caeli respectu Hierosolymae obseruantur in sacris litteris.

COSMOGRAPHORUM mos in describendo mundo qualis sit.

Plin. lib. 18. c. 33.

Hieron. super Ezech. 16. ℣. 19.

MARE pro Occidente quare vsurpetur.

MARE & Meridies nonnunquam pro Oceano vsurpantur.

Psalm. 88. ℣. 13. Psal. 106. ℣. 3.

MARE quare mundi dextera vocetur.

CAELI regiones ex permanenti situ non ex mobili capiendae. *Psalm. 79. ℣. 2. & Psalm. 98. ℣. 1. Psalm. 67. ℣. 5.*

Ezech. 47. ℣. 1.

CAELI REgiones quomodo assignēt Cosmographi.

CAELI REgiones, quas Sacra scriptura frequenter vsurpat. *Plin. lib. 2. c. 47.*

Genes. 13. ℣. 14. Deuter. 3. ℣. 27. Isai. 43. ℣. 6. Ioel. 2. ℣. 20. Ierem. 1. ℣. 14. Daniel. 11. per totum. Hieron. ibi.

Isai. 14. ℣. 16.

Isai. 24. ℣. 4.

uersi vltimum finem. Atque is loquendi mos magis patet in Euangelio: loquentem enim Dominum de Hierosolyma & templo, quia *uenient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*, interrogant discipuli. *Dic nobis, quando haec erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis saeculi?* Quibus tamquam bene intelligentibus consummationem saeculi in consummatione Hierosolymae, multa respondet de vtraque desolatione simul intelligenda, alia quaedam quae alteri excidio ita conueniunt, vt alteri conuenire nulla ratione possint.

Luc. 21. ỳ. 6.

Matth. 24. ỳ. 3.

Sed de situ Hierosolymae hoc vnum ad calcem huius capitis subiungendum videtur, quòd ita antiquis philosophis probatus fuit, vt Hierosolymã, quasi optimum constituendae vrbis exemplar, suis scriptis proposuerit Plato; quòd disertè probauit Eusebius, sic scribens: Prisci Iudaei metropolim suã diuino consilio, longè à mari in montibus condiderunt. Plato quoque, quam in legibus condidit vrbem, in simili Hierosolymorum loco eam constituit; vt videatur ad vrbem Hebraeorum respiciens, verba composuisse. Ferme namque, inquit, ò amice, per decem millia passuum à mari abierit haec ciuitas, portumque habebit quàm optimum; & agros, regionemque fecundissimam: cauebitur autem ne alia ciuitas prope nimiùm sit: maritimam enim condere non debemus, ne alienis moribus, varijs, vilibusque facilius corrumpatur. Cùm autem per decem millia passuum distet à mari, portuosaque optimè sit, nec vtilitate, iucunditateque maris omnino priuabitur; neque ita facilè moribus alienis repleta, nequitiam fouebit. Haec Eusebius. Quibus maximè commendari videtur ciuitas, quae virgo propterea dicitur à prophetis, quod alienigenarum gentium moribus non sit corrupta; cùm tamen earum omnium mercibus, atque aliarum comportatione rerum, consuetudineque fuerit felicissima, dicente Domino: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Memor ero,* vel (iuxta Rabbinorum & Chaldaei interpretationem) memorare faciam laudes tuas, apud *Rahab*, Aegyptum scilicet, & incolas *Babylonis scientium me*, hoc est scientes me. *Ecce alienigenae, & Tyrus & populus Aethiopum hi fuerunt illic.* Ex his (opinor) situm Hierosolymae longè optimum prope cognoscimus. Sed haec omnia de Ecclesia Christi sub figura Hierusalem intelligenda esse, non est qui ambigat.

Plato apud Euseb. lib. 12. præpar. cap. 27.

QVARE dicatur virgo Hierusalem.

Psalm. 86. ỳ. 3. & seq.

DISPOSITIO MONTIVM, QVIBVS VRBS condita est, & circumdata.

Cap. V.

Psalm. 86. ỳ. 1.

GLORIOSA enumerans Psaltes, quae tot anteactis saeculis dicta sunt de ciuitate Dei, quàm pretioso sanguine suo, ex Iudaeis & gentibus, fundauit altissimus, IESVS Christus Dominus noster: omnia non sub nomine tantùm, sed etiam sub figura, situ, & alijs, quae Hierosolymae propria sunt, intelligi cupit, atque sigillatim perpendi. Quapropter ab vrbis fundatione exorsus: *Fundamenta*, inquit, *eius in montibus sanctis:* non enim in humili aut obscuro loco sita erat, sed in conspicuis, excelsisque montibus, sanctitate celeberrimis, quos plures fuisse mox ostendemus. Verumtamen vnius Sionis nomine, vtpote celsissimi & maximi, omnes Hierosolymae montes, immo & totam ciuitatem intelligendam esse innuit, dum subdit: *diligit Dominus portas Sion*, hoc est, quod extimum est, & quasi operimentũ vrbis huius in monte Sione aedificatae, *Super* plusquam *omnia tabernacula Iacob*: id est, prae omnibus omnium ciuitatum Israëlis domibus, palatijs ac Regijs, placet Deo, huius vrbis exterior facies. Verumtamen fuisse Hierosolymis Sionem, ac Moriam celeberrimos montes, atque alios praeterea, quos Iosephus enumerat, nullus, quod sciam, in dubium vocauit; maximè cùm & hi, & alij colles, è sacra scriptura probentur. De eorum tamen situ, ac dispositione ingens nobis est cum doctissimis nostri saeculi viris disputatio: quorum descriptiones firmissimis argumentis refellere cogimur, non quod disputationi, aut gloriae cupiditati studeamus; sed quod ex horum montium vera, aut falsa dispositione tota pendet mutorum, portarum, aedificiorumque omnium, ac tandem totius vrbis vel intelligentia, vel ignoratio. Quidam igitur ita montes disponunt, vt subsequens indicat descriptio.

MONTIbus fundata ciuitas, hoc est excelso & illustri non obscuro loco.

EX MONTium dispositione tota pendet vrbis intelligentia.

ANTIQVAE IERVSALEM delineatio iuxta B. Ariaemontani P. Lackſteyn, F. Hogenbergij, & aliorum placita.

Petrus Lackſteyn Gregorius Bruin, Fráciſcus Hogembergius in ſuis deſcript.

Et primùm quidem montem Sionem à Meridie porrigunt ad Aquilonem, eiuſque inflexionem Occidenti opponunt, finum verò Orienti: deinde vallem Ioſaphat cum magna parte montis Oliuarum ad Meridiem templi ſtatuunt: ac tandem vallem Tyropoeon, qua ſuperior ciuitas diuiditur ab inferiore, procurrere faciunt à Meridie in Aquilonem. Quae omnia & falſa ſunt, & paene innumeras includunt portarum, turrium, aliarumque vrbis partium perturbationes. Etenim praeterquam quod haec magna ex parte adhuc intacta, & integra permanent, ita vt à quamplurimis quotidie cernantur, & longè aliter ab eiſdem in ſuis deſcriptionibus, & commentarijs notentur; multis etiam ſacrae ſcripturae, ſanctorumque Patrum, & Ioſephi teſtimonijs refelluntur. Ac primùm quidem montem Oliuarum ad Orientem totum collocari, manifeſtè probat locus Zachariae, ſic de Domino loquentis: *Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra* Hebraice על פני ghal pene, ad facies ex aduerſo, *Hieruſalem ad Orientem.* Cuius loci ſenſus eſt, totum montem obiectum eſſe Hieroſolymae à parte orientali. Et mox ſubdit, diuidendum montem oliuarum in quattuor partes, vallibus binis ſeſe in medio eius ad crucis modum interſecantibus: *Et ſcindetur*, inquit, *mons Oliuarum ex media parte ſui ad Orientem,* & ex media *ad Occidentem praeruptu grandi valde.* Haec eſt altera vallis, procedens à Septemtrione in Meridiem, diuidens medietatem montis verſus Orientem, & reliquum contra Occidentem.

MONTEM Oliuarum totum ad Orientem vrbis ſiſti. *Zach.* 14. ℣. 4.

A Eam verò diuiſionem quis non videat ſtare non poſſe cum praeſenti deſcriptione, quae conſtituit montem Oliuarum media ferè ſui parte flecti ad Occidentem, conſtituereque angulum quendam, quaſi fabrorum normam? Ex quo fit, vt vallis illa, quae intelligitur deſcribi à Propheta per medium montis, ſi rectà tendatur, non diuidat totum montem medium; cùm maxima eius pars integra maneat ab Occidente. Quod ſi deflectere, aut curuari intelligatur vallis, prout curuatur montis cacumen, non manebit medietas montis ad Orientem, & medietas ad Occidentem: cùm ex magna parte maneat ad Aquilonem, & ad Auſtrum. Quod non tantùm ſuperioribus, ſed etiam B his, quae ſequuntur, aduerſatur. Subdit enim Propheta: *Et ſeparabitur*, ſubaudi alia interiacente praerupta valle *medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.* Neque huius argumenti vim effugere licet, ſi dicatur, Zachariam ad myſticos ſenſus potius referendum, quoniam nuſquam auditum eſt in ſacris litteris, montem Oliuarum in quattuor has partes eſſe diſciſſum: nam licet id non negemus; hoc tamen certò ſtatuimus, loqui Prophetam ſub analogia rerum poſſibilium, reſpicientem ad montis diſpoſitionem; quod probant manifeſtè ſequentia. *Et fugietis*, inquit, *ad vallem montium eorum; quoniam coniungetur vallis montium vſque ad proximum.* Hebraicè C כי יגיע גיא הרים אל אצל chi iaggiagh ge harim el atſal. Quem locum ita ad verbum reddunt nonnulli: Eo quòd vallis montium ad *Atſal* pertingat; putantque *Atſal* nomen eſſe proprium loci.

ATSAL quid ſignificet.

loci. Verùm quis ille sit, aut quid locus significet, non exponunt. Hieronymus legit: *Et fugietis ad vallem montium meorum*; interpretaturque vallem, quae montem Sionem, hoc est superiorem ciuitatem separat ab inferiore, cui coniunctus est mons templi: hosque duos montes putat vocari peculiari ratione montes Dei, vtpote illi prae ceteris consecratos. Vallem autem eam vocat Iosephus Tyropoeon. Quare sensus loci iuxta Hieronymum hic est, fore vt vallis illa profunda, quae diuidit montem Oliuarum, pertingat vsque ad vallem Tyropoeon. Ex quo manifestum elicitur argumentum, confirmans quod suprà diximus, vallem nempe Tyropoeon procurrere ab Occidente in Orientem, non autem ab Aquilone in Meridiem, vt praeallata descriptio designauit. Argumentum verò est huiusmodi. Mons Oliuarum stat ad Orientem vrbis: ergo vallis, quae illum diuidit, non potest pertingere ad vallem Tyropoeon, nisi vallis Tyropoeon accedat ad Orientem. At iuxta allatam descriptionem vallis Tyropoeon terminatur ad Meridiem, & insuper vallis Iosaphat, quam totam statuit ad Meridiem, sita est inter vallem Tyropoeon & montem Oliuarum: ergo nulla ratione poterit vallis, diuidens montem Oliuarum, pertingere ad vallem montium. Quae ratio conuincit falsam esse eiusmodi descriptionem. Sed & totum Zachariae locum examinemus oportet, vt montium situs clarius haec legentibus pateat. *Et fugietis*, inquit, *ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum, & fugietis sicut fugistis à facie terraemotus in diebus Oziae Regis Iuda*. Manifestè respicit textus terraemotum illum, qui accidit in diebus Oziae Regis. Rex hic in libris Regum vocatur Azarias: Is sicut refertur in libris Paralipomenon, omnium scelerum colluuione foedatus, atque omnia pro suo arbitrio sibi licere existimans, illicitum suo generi sacerdotium arrogauit; ac proinde leprae tabe percussus est, quo tempore terra contremiscens, habitatores suos timore atque stupore repleuit. Eius quidem terraemotus meminit Amos propheta, qui primam suam visionem vidit *ante duos annos terraemotus*. Quid verò tunc acciderit, enumerat Iosephus, qui postquam retulisset ea omnia, quae de Ozia templum ingresso enarrauerat liber Paralipomenon, subdit: Accessit huic & aliud prodigium, quòd eodem terraemotu, ante vrbem, in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, & per quattuor stadia volutum, obiectu demum orientalis montis constitit, obstrusa via publica, & oppressis ruina hortis regijs. Haec Iosephus.

Ioseph. 6. belli c. 6.

Zachar. 14. ℣. 5.

DE TERraemotu, Oziae praesumptione puniente.

4. Reg. 15. ℣. 1. & seq. 2. Paralip. 26. ℣. 16.

Amos 1. ℣. 2.

Ioseph. lib. 9. Antiq. cap. 11.

DE MONte Eroge bifariam diuiso & per quattuor stadia deuoluto.

Iam si haec cogitatione lustremus, facilè intelligetur loci sensus: si addatur versio Septuaginta interpretum, quam refert Hieronymus. Et obturabitur, inquiunt, vallis montium eorum, & adiungetur vallis montium vsque ad Asaël: & replebitur, sicut repleta est à facie terraemotus in diebus Oziae Regis Iuda. Cumque sciamus ex Iosepho, vallem Iosaphat, quae proxima est monti Oliuarum, de quo est sermo, repletam fuisse, deuoluto medio monte Eroge ab Occidente in Orientem, dubitandum non est habitatores Hierusalem repentino terraemotus pauore perterritos, saluti suae fuga consuluisse; praesertim cùm Dominus in quattuor partes diuidendum praedicat Oliuarum montem *praeruptu grandi* nimis: & tunc *fugietis*, inquit, *ad vallem montium eorum*, vel meorum, quos, inquam, ego denuo separabo interiecta noua valle: quoniam coniungetur ea *vallis montium vsque ad proximum* montem, montem inquam ciuitatis, vel vsque ad proximam vallem Iosaphat, siue ad Tyropoeon. *Et fugietis, &c.* Vel sensus est iuxta Septuaginta, Vallem montium intelligendam vallem Iosaphat, quam obturandam dicit, deuoluto tunc in eam medio monte Oliueti; sicut olim deuoluto in eam monte Eroge obstructa fuit: & adiungetur haec vallis Iosaphat vsque ad *Asaël*: quam vocem non pro nomine proprio loci accipimus, nam eius nullibi aliàs fit mentio. Nomen verò אצל et ſel praepositionis loco accipi, significareq. apud, iuxta, videre est in Genesi: vbi enim nos legimus: *& pascebantur in ipsa amnis ripa*, in Hebraeo reperitur haec vox, quam alij reddunt: Et steterunt apud vaccas. Et in Leuitico: *Vesiculam verò gutturis, & plumas proÿciet prope altare*. Quare aptissimè interpretatus est vocem Vulgatus, *vsque ad proximum* reddens, nempe locum, vel proximam vallem, quasi dicat vallem montium, seu vallem Iosaphat coniungendam proximae valli, denuo aperiendae per medium montē Oliuarum ab Occidente in Orientem, qua *separabitur* medium montis ad Aquilonem, & medium ad Meridiem. Vel fortè longè melius Hieronymus interpretatus est, qui vallem Tyropoeon intellexit, quae, vt suo loco monstrabimus, procurrit ab Occidente in Orientem; quamque significauit Zacharias coniungendam cum noua valle, quae simili tractu aperienda praedicitur per medium montem Oliuarum. Quibus omnibus interpretationibus aduersatur omnino, quam examinamus, vrbis descriptio, vt illam intuenti patebit; videbit enim vallem Tyropoeon ad terminum occidentalem montis Oliueti accedere, nullaque ratione coniungi posse cum valle aliqua, quae bifariam diuidat Oliueti montem. Sed hanc montis diuisionem aliàs latius persequemur, nunc ad alia huius descriptionis absurda examinanda progrediamur.

VALLIS montiū Dei quare dicatur vallis Iosaphat.

Genes. 41. ℣. 3.

Leuit. 1. ℣. 16.

Et primùm quidem montem Bezetae, hoc est, nouae ciuitatis, non statuendum ad Orientem templi, neque ad orientalem Bezetae partem procedere Acram superiorē, manifestè testatur Iosephus, Bezetae montem his verbis describens: Bezeta collis, ita vt dixi, ab Antonia separabatur, qui cùm omnium esset altissimus, etiam parti nouae ciuitatis coniungebatur, temploque septemtrionali solus obstabat. Haec Iosephus. Deinde montem Sion non procedere à Meridie in Aquilonem, testatur occulatus testis Borchardus his verbis: Mons Sion sumens principium à porta aquarum, quae sita est contra Orientem, constituit semicirculum contra Austrum vsque ad Occidentem. Adde his testimonium Augustini sic scribentis: Contrarius solet esse Aquilo Sion; Sion quippe in Meridie, Aquilo contra Meridiem. At haec descriptio Sionem constituit ad Occidentem. Sunt etiam in eandem sententiam Bedae verba huiusmodi: Situs, inquit, Vrbis Hierusalem paene in orbem circumactus non paruo murorum ambitu surgit, quo etiam montem Sion quondam vicinum intra se recipit, qui à Meridie positus pro arce, vrbi supereminet. Verùm manifestissimè sese opponunt toti huic descriptioni Iosephi verba hiusmodi: Vrbs enim, inquit, sita erat è regione templi, theatrali specie, toto australi tractu in profundam vallem desinens. Haec autem descriptio nullam partem ciuitatis opponit à Meridie tēplo; nec

Ioseph. 6. de bello c. 6.

MONS Bezeta est ad Aquilonem templi non ad Orientem.

Borchard. p. 1. cap. 7.

MONS Sion non procedit à meridie in Aquilonem, sed ab Oriēte in Occidentem.

August. super psal. 47. Beda lib. de locis sacris. cap. 1. Ioseph. 15. antiq. c. 14.

VRBS E regione templi theatrali specie sita est.

nec bene intellexit Iosephi verba, si putauit eum hoc loco de valle Iosaphat sermonem facere, ac propterea eam statuit ad Meridiem, cùm Iosephus loquatur de alia valle, quae munit ciuitatem & montem Sion à Meridie: cuius idem Iosephus alibi meminit, dicens: Ciuitas autem trino muro circumdata erat, nisi qua vallibus inuijs cingebatur. Ex ea namque parte vnius muri habebat ambitum. Quae autem pars ea fuerit, apertè colligitur ex eiusdem Iosephi descriptione murorum, nempe australis tractus montis Sion, quà montem ambibat tertius murus, de quo Iosephus: Trium verò murorum vetustissimus quidem propter valles, imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat: ad hoc autem quòd loco praestabat, etiam firmissimè structus erat, Dauid & Salomonis, aliorumque interea Regum largissimis impensis operi insumptis. At cùm è scriptura sacra liquidò constet, montem Sionem aedificatum à Dauide, de hoc monte consequenter intelligendus erit Iosephus, dum eum theatrali, hoc est semicirculari specie ambire templum testatus est, toto eius australi tractu in profundam vallem desinente: qua ex parte cùm natura munitissimus esset locus, tum propter praeruptas rupes, tum etiam propter adiacentem profundam vallem, vnico tantum muro fuit circumdatus: neque vmquam ex ea parte ab exterorum hostium incursibus impetitus. Quae omnia cùm situ ipso, ac dispositione montium, quos Hierosolymis quotidie nunc videre licet, satis superque probentur, id quod conspecta nostra descriptione multi oculati testes probarunt; non est cur in eisdem confirmandis diutius immoremur: cùm praesertim ea etiam omnia, quae à nobis dicenda sunt, ex aduerso cum hac descriptione pugnent.

Ioseph. 6. de bello cap. 6.

Ioseph. ibid.

MERIDIANUS tractus vrbis natura munitissimus, neque vmquam expetitus ab hostibus.

Reiectis igitur in re tam manifesta tam manifestis erroribus, ad montium verum situm exponendum ex eodem Iosepho propius accedamus. Qui sic scribit: Et ipsa quidem ciuitas super duos colles erat condita, contrarijs frontibus semet inspicientibus interueniente valle discretos: in quam domus creberrimae desinebant: collium verò alter, quo superior ciuitas sedet, multo est excelsior, & in prolixitate directior: adeo vt quoniam tutus erat, castellum à Dauid quondam Rege vocaretur (is pater Salomonis fuerat, qui primùm templum aedificauerat) à nobis autem forum superius. Alter autem qui appellatur Acra, inferiorem sustinet ciuitatem, & vndique decliuis est. Contra hunc autem tertius collis erat natura humilior quàm Acra, & alia lata valle ante diuisus, &c. Et post pauca subdit: quin & quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezeta, situs quidem ex aduerso Antoniae, fossis autem altissimis separatus, quae de industria ductae sunt, &c. Hos quattuor montes vt facilius intelligamus, prorsijs licet compellare nominibus. Primum Sion, secundum, hoc est Acram, vocamus Salem, tertium Moria, quartum Bezeta. Inter Sion verò & Salem ad Occidentem situs est collis, non admodum excelsus, aut amplus, si molem respicias: verùm si loci dignitatem maiestatemque consideres, diuino beneficio omnium terrarum orbis montium, seu locorum celsissimus ac maximus, Goatha Ieremiae, Gabatha Matthaeo, nobis Caluariae dictus. Qui quinque montes vnà cum sexto, qui monti Salem stat ad Occidentem, Caluariae verò ad Aquilonem, diciturque Ieremiae collis Gareb, ciuitatem totam diuersis temporibus sustinuerunt. Ciuitatem vero vniuersam circumdant montes, prout habetur in psalmo: *Montes in circuitu eius*, ab Oriente nimirum mons Oliuarum in tres diuisus colles; ab Occidente mons Gihon, qui directè patet ad Occidentem Sionis; à Meridie mons Haceldama; à Septemtrione mons Scopos: de quorum singulis seorsim agemus.

Ioseph. ibid. DISPOSITIO mõtium vrbis.

QVATTUOR sunt colles in vrbe praecipui.

CALVARIAE montis situs.

MONTES qui ambiunt ciuitatem.

DE MONTE SION

Caput VI.

SION EM montem mirificè commendat Regius Psaltes innumeris paene locis, sed eo potissimum quo illum, montem Dei compellat, pinguem, coagulatum, eum inquam, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Quibus in locis excelsum eum ac magnum, sanctum, foecundum, & pinguem fuisse commemorat, excelsissimosque montes superantem; vtpote qui eorum omnia encomia complectatur, haud secus quàm eorum omnium princeps ac Rex. Et primum quidem dicitur *mons Dei*, phrasi Hebraeis vsitata: nam cùm superlatiuis careant, eorum loco subiungunt vocem Dei: qua intelligi volunt excellens quodque, atque in suo genere maximum, quale scilicet Deum decet, vt in psalmo: *& arbusta eius cedros Dei*, hoc est proceras, frondosas, amoenas, quas omnes superasse dicitur vinea Dei. Et apud Ionam: *Niniue ciuitas magna*, Hebraicè, ciuitas Dei magna, hoc est diuitijs, amplitudine soli, magnificentia aedificiorum praestantissima, ac denique rebus omnibus, quae ciuitatem illustrem ac magnam reddere possunt, circumfluens. Et in libris Regum; *Inuasit Spiritus Dei malus Saul*, hoc est, pessimus; quique affligendo Sauli maximè esset idoneus. Iuxta quem sensum montem hunc excelsum, illustrem intelligere decet, vtpote quem peculiari quadam ratione montem Dei liceat nuncupare. Nam etiamsi montem Sina, Horeb, & alios scriptura sacra vocet montes Dei: tamen quicquid in illis diuinitatis, excellentiae, magnitudinis reperitur, hoc totum cumulatissimè Sioni debetur. Nam si in aliquo illorum legem dedit Deus Moysi, vel sanctuarium constitui passus est, vel aliqua ratione apparuit alicui, vel mirandum aliquod opus patrauit; certe Sion, de quo exiuit lex gratiae, eò illis praeferendus est, quò legi praestat Euangelium. Denique vt Prophetae verbis haec omnia concludam, *mons Dei* dicendus est iste, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Mons pinguis*. Hebraicè הר בשן hor bashan, hoc est, vberrimus ac feraciissimus: quam vocem sibi peculiari iure vsurpauit regio illa trans Iordanem, vbi regnauerat Og, vtpote pinguissima. *Mons coagulatus*, vel eandem exaggerat vbertatẽ vox גבנונים gabnunim deducta à voce גבינה gebina, quae caseum significat, quasi dicat mons caseosus, hoc est, ita affluens omnium rerũ copia atque dulcedine, vt quasi lacte coagulatus caseus videatur: vel deducitur vox à dictione גבן gibbeu, siue גב gab, quae gibbosum significat & tumidũ, quasi ex multis coagulatum montibus. Quae interpretatio dupli-

MONS DEI.

Psalm. 67. ℣. 16.

VOCE DEI vtuntur Hebraei superlatiuorum vice, quibus carent.

Psalm. 79. ℣. 11.

Ionae 3. ℣. 3.

1. Reg. 18. ℣. 10.

COMPARATUR alijs montibus Sion.

MONS pinguis.

MONS coagulatus.

OMNES ciuitatis mõtes d.cuntur Sion communi nomine.

duplicem adhuc videtur admittere posse sensum: alterum praecedenti similem, quasi sit mons ex plurium montium perfectionibus coagulatus atque conflatus. Vel montem Sion vocat nomine generali, vniuersos vrbis montes complectentem: quo etiam sensu interpretati sumus capite praecedenti locum psalmi: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Neque verò huic expositioni aduersatur, quod à doctissimis viris notatum accepimus, nempe montem Sion dici matrem Hierusalem, quòd is superiorem sustineat ciuitatem, inferiorem verò dici filiam Sion. In ea enim sententia sumus, vt existimemus Hebraicae linguae proprium esse (quod suprà docuimus) vt Hierosolymam filiam Sion appellet; ita fit vt nihil omnino in verbis mysterij sit, & eadem dicatur filia Sion, quae Sion diceretur: vt & filius hominis idem dicitur, qui alio nomine homo à diuinis scriptoribus appellatur. Quod expresè testatur Augustinus, qui dum illud psalmi interpretatur, *Saluos faciet filios pauperum*, subdit: pauperes & filij pauperum ijdem ipsi mihi videntur, sicut eadem ciuitas est Sion, & filia Sion. Textus autem illi, qui, cùm Sionis & Hierosolymae meminerint, videntur discrimen velle assignare inter vtramque, ita sunt interpretandi, vt sit quaedam eiusdem rei repetitio, maioris emphasis & notationis gratia, vt frequenter solet in psalmis fieri: *Quoniam ecce inimici tui Domine; quoniam ecce inimici tui peribunt*. Et iterum: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & praecinxit se*. Pari ergo ratione interpretandus est psalmus: *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem*, vt eadem intelligatur Hierusalẽ, quae Sion à principali eius parte sic dicta, vel (quod magis probamus) quoniam omnes Hierosolymae colles hoc nomine saepe compellantur in sacris litteris. Iam ille psalmographi locus, qui sic habet: *Laetetur mons Sion, & exultent filiae Iudae*: reliquas Iudaicae Tribus vrbes vnà cum Hierusalem, quam montem Sion vocat, ad communis laetitiae participationem vehementer hortatur.

Psalm. 86. ℣. 1.

FILIA Sion eadem ciuitas dicitur quae Sion.

S. Augustin. super Psal. 71.

REPETITIO eiusdem verbi, vel orationis, psalmis frequens.

Psal. 91. ℣. 10.
Psal. 92. ℣. 1.
Psal. 64. ℣. 2.

Psal. 47. ℣. 12.

MONS reliquorum omnium excelsissimus propterea mons dicitur.

Verùm, vt ad Sionis montis tractationem propius accedamus, editissimum omnium, qui in circuitu eius sunt, esse montem hunc, ostendit eiusdem nominis interpretatio. Dicitur enim ציון tsion, quae vox deducitur à nomine ציה tsija, quod ariditatem significat; transferturque ad significandum locum editum & excelsum, ad quem aquarum riuuli deriuari nulla ratione possint, sed è caelo expectet pluuiam: iuxta illud psalmi: *Rigans montes de superioribus suis* nubibus; *inter medium montium pertransibunt aquae*, non tantùm quae ex saturatis iam imbre collibus ad inferiora labuntur, sed etiam illae, quae per intimas terrae venas, graui nascentium è superioribus fontium capitibus, aquarum pondere pressae, veluti sponte sua scaturiunt, & in imas valles effluunt: ex quo fit, vt aquae viuae ea potissimum ratione dicantur Hebraeis, & valles irriguae; versaque vice editi montes, quod aqua careant, aridi ipsorum lingua nominentur. Quare aptissimè Hieronymus vocem illam apud Ieremiam צינים tsijunim, Latinè speculam reddit: *Statue tibi speculam*. Quoniam autem vox haec voci Sion, voce & significatione tam affinis est, vt illa, quàm Hieronymus vocat vulgatam editionem, Sionem hoc loco reddiderit; ideo loci huius examinatio non parum intelligendae vocis huius notioni conducet. Et primùm quidem eam,

Psal. 103. ℣. 12. & 10.

AQVAE viuae quae dicantur.

Hieronym. Ierem. 31. ℣. 21.

A quam dixerat vulgatam versionem, meritò carperet Hieronymus, si ad montem Sion prophetae verba referret. Neque enim vulgata per Sionem notum illum Hierosolymorum montem intelligit: nam contextus prophetae de Ephraim loquens, ad Sionem Iudae montem deducendus non est: sed Sionem eo loco sumit pro edito excelsoque loco; quo pacto ab omni reprehensione eiusmodi vulgata erit immunis. Locus enim Ieremiae sic habet: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti*. Cuius loci sensus est huiusmodi. Ascende in speculam, siue in speculas, vt habent Hebraea, siue vt Septuaginta interpretes reddunt: Statue tibi speB culatores, hoc est, vel tu ipse ascendens in speculam vel excelsum montem, attentè perspice, vel adhibe fideles speculatores, qui annuncient tibi. Pro voce *amaritudines*, in Hebraeo habetur תמרורים tamrurim, quae aptissimè vertitur, *amaritudines*: deducitur enim à radice מרר marar, quae amaritudinem significat. Nulla enim potest adhiberi praeteritorum attenta cogitatio, qualis ab Ephraim exigitur, quae non sit amaritudinibus plena. Verùm Hebraeorum aliqui hoc loco, & apud Osaeam, eandem vocem תמרורים tamrurim verterunt, titulum excelsum; vt innuant, vocem hanc significatione congruere cum praecedenti. Nam cum alicuius eximij facinoris monuC menta relinquuntur, quae futuris saeculis oculos intuentium cum admiratione moueant, & in eorum mentem reducant superiora illa tempora, illorumque virorum conditionem, ac res gestas; ea inquam monumenta, tituli vocari consueuere; fiebantque aedificijs, columnis, obeliscis, siue etiam trophaeis, quae primùm ex arboribus confecta sunt, quas amputatis ramis hostium spolijs decorare, ac conuestire solebant. Hinc Aeneas Virgilianus.

Mezenti ducis exuuias tibi magne trophaeum
Bellipotens aptat, rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossisque locis, clypeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

D Quae, vt hoc obiter dicamus, ne latronum cupiditate perirent, dijs consecrabant, atque inexpiabilis facinoris loco habebant ea vel contingere. Haec verò cùm temporis processu perire experti essent, ex marmore, vt diuturnius exstarent, conficiebant, qualia hodie in Capitolio visuntur; & in editissimis montibus collocabant, quò longè lateque conspicerentur. Quod Pompeium fecisse legimus, cùm deuictis Hispanis, trophaea in iugis Pyrinaei montis posuisse memoratur. Ex quo MONTES quare oraculis & diuino cultui delegantur. etiam fit, vt montes ipsi, in quibus aliquod memorabile facinus perpetratum esset, ex eiusdem facti memoria quasi monumento, & monumenta E & tituli compellari consueuerint: vt videre est in libro Iosue, vbi habetur: *Fecit quoque quod iusserat Dominus, & circumcidit filios Israël in colle praeputiorum*, sic dicto, quia ibi secunda filiorum Israël facta fuit circumcisio. Illud etiam hoc loco praetereundum non est, montes, quòd editissimam terrae partem occupent, ac propterea caelo propinquiores sint, ideo à summo Deo caelestibus reddendis oraculis, admirabilibusque perpetrandis facinoribus saepissime deligi: vt videre est in Sina, Pharan, & Thabor. De quorum primo in Exodo: *Moyses autem ascendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte*. De secundo in Cantico Abacuc: *Deus ab Austro veniet, & sanctus de morte*

SION commune nomen accipitur pro excelso.

Virgil. 11. Aeneid.

Sallustius.

Iosue 5. ℣. 3.

Exod. 19. ℣. 3.
Abac. 3. ℣. 3.

PRAETERitorum recordatio amaritudinem parit.
Oseae 12. ℣. 14.

TITVLVS quare dicatur mons Sion.

monte Pharan. De tertio vero sanctissimus Apostolus Petrus: *Hanc vocem*, inquit, *nos audiuimus de caelo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto*: loquebatur autem sanctus Petrus de Dominica transfiguratione. Ex hac fortasse consuetudine occasionem errandi sumpsere serui Regis Syriae, Domino suo de Israelitis dicentes: *dij montium, sunt dij eorum, ideo superauerunt nos*. Hoc etiam Israëlitis commune cum gentibus fuit, vt superstitionum, & vani cultus templa in montibus constituta, augustiora, sanctioraque putarent. Ea Graecis & Latinis sana, Hebraeis במות bamoth dicebantur; quam vocem interpretes reddunt, excelsa. Quare idololatriae symbola montes haberi consueuere à prophetis, vt ab Ezechiele: *Cùm fuerint*, inquit, *interfecti vestri in medio Idolorum vestrorum, & in circuitu ararum vestrarum in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium &c.* Hinc titulis quoque in montibus erectis, prisca superstitio, quod in ijs diabolica fraude diuinum aliquid inesse putarent, diuinos honores & cultum exhibuit. Id quod his verbis à Domino prohibetur in Leuitico: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum*. Sed ad nostrum institutum redeamus. Propterea sanè non alienam putarim à significatione vocis Sion, montis ac tituli appellationem, quod in montem ipsum aptissimè vtriusque acceptio quadret, ob memoriam eorum facinorum, quae in ipso colle Sion, & in monte Moria, Caluariae, atque alijs Sionis collibus perpetrata sunt, prout suis locis explicabuntur. Sunt & alij, qui hanc eandem vocem תמרורים tamrurim interpretantur palmas, tamquam similem voci תימרים timerim, quae frequenter apud Ezechielem palmas significat: eritque tunc loci sensus: ascende in speculam, siue in montem excelsum, siue in palmam aliquam. Neque à ratione alienum videtur huiusmodi omnia amara vocare, ad quae non sine difficultate & amaritudine ascendentes peruenimus. Sed de his satis. Iam ad alia Ieremiae verba gradum faciamus. *Dirige*, inquit, *cor tuum in uiam rectam, in qua ambulasti*. Cor saepe accipitur pro potentijs animae, intellectu, seu voluntate, vt suprà vidimus: hic intellectum, & attentam animi cogitationem significat: *in uiam rectam*, hoc est, in eandem viam, quà perrexisti: translatioque est aptissima à vijs ad actiones. Septuaginta verò interpretes diuersa dicendi ratione eundem secuti sunt sensum: Da cor tuum, inquiunt, in humeros tuos: nam ad figuram ipsam respicere videntur hominis retro spectantis, qui vt retro aspiciat, vultum super humerum collocat; cor verò accipiunt pro oculis mentis; quasi dicant, faciem animi tui conuerte ad retroactam vitam. Consimili omnino phrasi Hispani dicimus: Poned la barba sobre el hombro, barbam super humerum pone, hoc est, diligenter animaduerte, & caue, quae retro sunt. Quod vt commodius facere possit, hortatur Propheta filium, siue puerum delicatum Ephraim, vt speculam, titulum, montem, palmam, amaro quodam sollicitoque labore conscendat. Quae duo monti Sion accommodasse videtur S. Cyprianus, quà vocem interpretatur, tentationem exacerbationis, & speculationem: ex quibus prior pars amaritudines refert, posterior speculam siue altitudinem montis. Eandem speculae interpretationem sequitur Augustinus super illud psalmi. *Dominus in Sion magnus*: Sion, inquit, dicta est ciuitas, quae est Hierusalem: sic dicta est autem ex interpretatione quadam nomen accipiens, quia Sion speculatio dicitur, id est, visio & contemplatio: speculari enim prospicere est, vel conspicere, vel intendere vt videas.

Ac tandem erectus etiam videtur mons Sion in titulum, & monumentum diuinae dignationis, & beneuolentiae, qua domicilium sibi inter homines elegit, montemque hunc alijs omnibus totius terrarum orbis montibus praetulit, iuxta illud psalmi: *Repulit tabernaculum Silo, & Tribum Ephraim non elegit, sed elegit Tribum Iuda, montem Sion quem dilexit*. Quod non tam ad Salomonis templum referendum putamus, in monte Moria Tribus Iudae exaedificatum, quàm ad Ecclesiam Christi, quae primùm est in monte Sion congregata, mox aduenientе Spiritu sancto ibidem confirmata.

Iam verò ad montis dimensionem veniamus. Totus mons seu collis Sion latitudinē suam à Meridie ad Aquilonem porrigit, ab occasu in Orientem longitudinem: eius latitudo cubitos bis mille aequat, longitudo quater mille. Contra res erit si totam simul vrbem consideres; nam longitudo à Meridie in Aquilonem excurrit, latitudo ab occasu in Orientem; quod fortasse scriptores illos fefellit, cum quibus superiori capite disputatum est: illi enim colli Sion eam dispositionem tribuerunt, quam toti ciuitati tribuere debuissent. Mons verò Sion ita longè lateque Borchardo patet, vt solus commodam vrbem fundare potuisse videatur. Quod & nos probamus ex Iosepho, qui Titum, capto iam primo & secundo muro, de tertio denique, ipsum duntaxat Sionis montem ambiente, tamquam de summa belli deliberantem sic loquentem inducit. Neque enim circumdari eam (vrbem, inquam, superiorem) propter magnitudinem, locorumque difficultatem ab exercitu posse, &c. Haec Iosephus. Montem Sion describit Beda, dum de vrbe sic loquitur: Situs, inquit, vrbis Hierusalem, paene in orbem circumactus, non paruo murorum ambitu surgit, quo etiam montem Sion, quondam vicinum, intra se recipit, qui à Meridie positus pro arce vrbi supereminet. Haec ille. Et à Meridie quidem totus mons sublimior est, & in prolixitate directior; decliuior autem versus Aquilonem, quà tota ciuitas descendens vergit: & eam ob causam ipsa etiam *latera Aquilonis* dicuntur, *ciuitas Regis magni*. Porro à Meridie praerupta rupe semicirculari forma idem mons clauditur, quae & ipsa in profundam vallem desinit. Ab Aquilone verò nonnihil ad interiora curuatur, valleque Tyropoeon terminatur, in quam, Iosepho teste, domus creberrimae desinebant. Ab Oriente ob rupes, ac vallem Iosaphat, quae ibi latius patere incipit, nullius est certae aut aequabilis formae. Denique ab Occidente mons hic curuatur, & in maximam celsitudinem erigitur, in cuius vertice praerupta rupes in coronae modum exsurgit, in qua olim Iebusaeorum arx constructa erat: postea verò toti huic monti superior ciuitas insedit. Porro in angulo huius montis, Meridiem atque Orientem prospectante, tumulus eminebat, à rupe Iebusaei lata quadam & aequabili valle sepositus, in quo domus Eliasib sacerdotis magni sita erat, vt videre est apud Nehemiam. Quae omnia & suis locis latius persequemur, & in nostra vrbis topographia ad finem huius libri cuilibet inspicienda proponemus.

EXCELSA & montes quare idololatriae symbola.

TITVLI superstitio nefariam adorationem exhibuit.

COR PRO animae potentijs.

VIARVM ad actiones translatio.

SPECVLA. ri quid sit.

MONS Sion erectus in titulum.

DISPOSITIO montis Sion.

1. Petr. 1. ℣. 18.

3. Reg. 20. ℣. 23.

Ezech. 6. ℣. 13.

Leuit. 26. ℣. 1.

Ezech. 40.

Supra Ezechiel. 28. ℣. 2.

S. Cyprian. lib. de Syna & Sion.

August. super Psalm. 98.

Pſalm. 77. ℣. 60. 67. & 68.

Borchard. 1. par. cap. 7. §. 42.

Ioseph. 6. bel. cap. 13.

Beda lib. de locis sanctis cap. 1.

Nehem. 3. ℣. 20.

MONS SALEM, SIVE ACRA

Cap. VII.

ABSOLVTA Sionis disputatione, ordo ipse naturae postulare videtur, vt de monte Salem, nempe de monte illo, in quo antiqua vrbs Salem condita fuit, nonnihil agamus. Cui disputationi non tam ipsa vrbis dispositio, quae iam conspicitur in Aelia, quàm Iosephi verba, & sacrae potissimum scripturae testimonia occasionem praebuere. Ille enim sic describit vrbem: Et ipsa ciuitas, intellige Hierosolyma, super duos colles erat condita, contrarijs frontibus semet inspicientes, interueniente valle discretos, in quam domus creberrimae desinebant: collium verò alter, quo superior ciuitas sedet, multo est excelsior, & in prolixitate directior: adeò vt, quoniam tutus erat, castellum à Dauid quondam Rege vocaretur, à nobis autem forum superius. Quibus verbis montem Sionem, qui ad Meridiem situs erat, descripsisse videtur Iosephus, vt ex singulis eius circumstantijs, quae seorsim à nobis suis locis pertractantur, conijcere licebit. Cuius quidem montis & nomen, & exaedificatio, & encomia sacris litteris consignata inueniuntur. Alterius verò montis vrbs tantùm nominata est Salem: de monte tamen ne verbum quidem, quòd viderim: verùm ex ipsius Iosephi verbis, quae sequuntur, facilis erit coniectura. Et primum montem ipsum appellari Acram testatur, facili sanè deductione, si vox haec Graecorum est: Ακρα acra enim arcem significat, cacumen montis, promontorium, vel summum iugum. Verùm hoc non loci proprium nomen videtur esse potuisse, in vrbe maximè, cui mons alter Sion & celsior fuit, & plurium Sacrae scripturae locorum commemoratione celeberrimus. Quare cùm Iosephus montem hunc dictum fuisse Acram commemoret, & nomen loci proprium esse conijcimus, & ex natiua Hebraeorum lingua deductum.

Ioseph. 6. belli Iudaic. c. 6.

DE INterpretatione nominis Acra.

Eius verò nominis dum originem inquiro, obuiam mihi factus est locus Genesis, quo in loco interroganti patri Isaaco; *quomodo tam citò inuenire potuisti fili mi?* *respondit* filius Iacob, *Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam*. Hebraicè כיהקרה יהוה אלהיך לפני chihikra adonai eloheca lephanai; verbum ex verbo sic vertere licet: quia fecit occurrere Dominus Deus tuus ante faciem meam, הקרה hikra verò cum ה he scribitur finali, & interdum cum א aleph הקרא hikra, estque sexta coniugatio verbi קרה kara, significatque idem quod accidit, euenit, occurrit, obuiam venit, vel factus est: vt in Numerorum libro dixit Balaam ad Balac: *Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi Dominus.* Sed enim hoc verbum in sexta coniugatione, significat, venire facere, vel occurrere facere; vt videre est in oratione serui illius Abrahami, quem miserat in Mesopotamiam, vt acciperet vxorem filio suo. Is enim dixit: *Domine Deus domini mei Abraham occurre.* Hebraicè הקרה hakra venire fac *mihi hodie*, subaudi, quod peto, & opto, *& fac misericordiam cum domino meo Abraham.*

Genes. 27. ℣. 20.

Num. 23. ℣. 3.

Genes. 24. ℣. 12.

A Quare cùm in monte hoc Melchisedech Rex Salem obuiam fuerit victori Abrahamo, & benedixerit ei: vel potius, cùm Dominus Abrahamo triumphatori occurrere fecerit Melchisedechum; quid mirum, si à tam celebri & insigni beneficio, gentis illius parenti Abrahamo à Deo dato, mons ipse nomen acceperit? Immo verò quid mirum, si ipse mons in titulum, hoc est in perpetuam ibi factam mirabilium suorum memoriam, Acra diceretur, hoc est, venire faciens? Etenim in eum montem venire fecit Dominus primam commemorationem aeterni sacerdotij Christi, atque eius incruenti sacrificij, corporis, inquam, & precioſi sanguinis eiusdem Dei, & Domini nostri IESV Christi, sub speciebus panis & vini: siue etiam, quia occurrere ibi fecit Abrahamo Melchisedechum, qui illum benediceret, Abrahamo, inquam, auctori futuro populi Hebraici, sed nondum circumciso, vt per Christum manentem, & aeternum sacerdotem benedicendos simul in Ecclesia innueret Iudaeos cum gentibus. Mons igitur hic ad Aquilonem situs Sioni, ad Occidentem Moriae, describitur à Iosepho his verbis: Alter autem, qui appellatur Acra, inferiorem sustinet ciuitatem, & vndique decliuis est. Contra hunc autem tertius collis erat, natura humilior quàm Acra, & alia lata valle antè diuisus. Verùm postea, qua tempestate Asamonaei regnabant, & vallem aggeribus repleuerunt, vt templo coniungerent ciuitatem; & Acrae altitudinem caesam, humiliorem fecerunt, vt ex ea quoque fanum supereminens cerneretur. Talia Iosephus. Quibus verbis decliuem vndique montem describit, & lata valle ad Orientem sita diuisum à tertio monte templi, nempe Moria, & alia latiore & profundiore, quae ad Meridiem illi respondet, diuidi à monte Sion. Subdit enim: Vallis autem, quae Tyropoeon appellatur, qua diximus superioris ciuitatis collem dirimi ab inferiore, &c. Extrinsecus autem, nempe à partibus Occidentis & Aquilonis, terminabatur mons hic vallibus, quae toti ciuitati erant pro fossis: de quibus Iosephus, duos colles vocans totam ciuitatem, nempe collem Sion, & Acram; quoniam reliquos his annumerat, tamquam eorum partes; Foris, inquit, ciuitatis duo colles profundis vallibus cingebantur, & vtrimque obstantibus rupibus nulla ex parte adiri poterant. Adde his etiam excelsum nimis fuisse montem Acram: nam quamuis à Machabaeis, quos Asamonaeos vocat, eius altitudinem caesam testetur Iosephus, tamen multis postea elapsis saeculis, cùm Romani, Titi Imperatoris iussu, machinas muris vrbis admouissent; seditiosorum (inquit idem Iosephus) alij, qui ciuitatem desperauerant, muris relictis in Acram recedebant. Quibus verbis celsissimum locum describere videtur, ita vt propter naturalem munitionem tutior haberetur absque muris Acra, quàm ipsamet ciuitatis moenia. Ac tandem celsissimam collis huius partem fuisse ad Orientem montis, quà templum respiciebat, constat ex eo, quòd ex inferioris ciuitatis parte quae vergebat ad Occidentem & Aquilonem, cerni non poterat templum: at explanato montis vertice toti ciuitati mox conspicuum fuit.

Genes. 14. ℣. 18.

ABOCcursu Melchisedechi vocatur mõs Acra.

ACRA potuit hic mons dici, quia in eum venire fecit Deus primam Eucharistiae commemorationem.

SITVS & dispositio mõtis Acra. *Ioseph. 6. belli cap. 6.*

EXCELSVS fuit, mons Acra & munitus.

Ioseph. 7. belli c. 16.

Sed non parum conducere putaui ad perfectam huius montis tractationem, & eorum quae dicenda sunt intelligentiam, si tempus, quo mons hic explanatus fuit, & eius occasionem subiungamus. Primum sanè in promptu sunt ea quae in li-

QVA TEMpestate & occasione explanatus fuerit mons Acra.

in libro Machabaeorum facer historicus de Antiochi exercitu, Hierosolymam obtinente, illis verbis recenset: *Et aedificauerunt*, inquit, *ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem: & posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & conualuerunt in ea. Et posuerunt arma, & escas, & congregauerunt spolia Hierusalem, & reposuerunt illic, & facti sunt in laqueum magnum. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israël.* Quod si eonsulas libros Regum; facilè inuenies ciuitatem Dauid exaedificatam in monte Sion, in quo superiorem ciuitatem sitam fuisse testatur Iosephus; non autem in monte Acra, vbi inferior ciuitas sedet. *Vt deferrent* enim, inquit, *arcam foederis Domini de ciuitate Dauid, id est, de Sion*: & alibi saepe. Eandem Antiochi historiam referens Iosephus, sic scribit: Incendit etiam aedificiorum eius quicquid erat pulcherrimum, & demolitus moenia, in inferiore vrbe arcem condidit: erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens: quapropter bene prius firmatae moenibus, & turribus Macedonicum praesidium imposuit: admisti tamen erant ex impiis Iudaeis sceleratissimi, à quibus plurimùm vexata fuit ciuitas. Hucusque Iosephi verba. In quibus omnibus sacro textui maximè congruit, hoc vno ab eo distans, quòd textus sacer in ciuitate Dauid fundatam arcem, in insidias sanctificationis, hoc est, templi, affirmat; Iosephus verò in inferiore ciuitate, eò quod templo immineret locus ille, siue mons Acra. Et quamuis situs vrbis, & montium, qui nunc Hierosolymis cernuntur, magis videantur adstipulari Iosephi testimonio: quoniam mons Acra propinquior est templo: montis verò Sionis cacumen, in quo Dauidis arx olim fuit, longè distat à templo: ita vt non facilè inde videatur impediri posse templi aquilonaris ingressus, qui frequentissimus erat; cùm mons Sion, vt satis explicatum est, ad Meridiem totus pateat, medijs tamen interiacētibus totius templi aedificijs. Verum enimuero tanta est vis, tantumque pondus sacrae historiae, vt omnibus rationibus auctoritatibusque praeponderet. Et nos quidem vnico tantùm verbo hanc difficultatem exsorbere possumus, dicentes, deceptum fuisse Iosephum: quoniam arx Antiochi sita fuit in Sione superiore ciuitate, non in inferiore Acrae monte. Ab his difficultatibus facilius quidem multò, sed non felicius se expedit Adrichomius, qui cùm & Machabaeorum, & Iosephi restimonium afferat, diuinae scripturae oblitus, Iosephi partes sequitur; deinde verò sui etiam oblitus, eò tandem prolabitur: vt dicat Antiochi arcem in Sione constructam, vt nulli posthac mirum videri possit, si vnus ipse alijs grauissimis, immo & sacris nonnumquam scriptoribus aduersetur, qui secum ipse pugnare soleat. At verò cùm anno centesimo quadragesimo quinto regni Graecorum, in Sione monte arcem aedificatam fuisse testetur sacer historicus, quo ex tempore, vsque ad annum centesimum septuagesimum primum, qui fuit primus Simonis Pontificis, arx ea Macedonum praesidio munita fuerit: video magnam nobis difficultatem facessere textum alterum Machabaeorum, qui confirmat anno centesimo quadragesimo octauo, praecipiente Iuda, & fratribus eius, arcem in monte Sione alteram aedificari coeptam. *Congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion.* Et post multa subdit: *Et aedificauerunt in tempore illo montem Sion,*

1. *Machab.* 1. ℣. 35. 36. 37. 38.

DE ARCE Antiochi in qua parte fuerit sita.

3. *Reg.* 8. ℣. 1. *Ioseph.* 12. *antiq.* c. 7.

Adric. de Hierus. nu. 31. *& nu.* 3.

1. *Machab.* 1. ℣. 21. *&* 30. *&* 57.

1. *Machab.* 13. ℣. 51.

1. *Machab.* 4. ℣. 37. *&* 60.

A *& per circuitum muros altos, & turres firmas: ne quando venirent gentes & conculcarent eum, sicut antea fecerunt. Et collocauit illic exercitum, vt seruarent eum, & muniuit eum, &c.* Qui ergo fieri potest, vt in vno eodemque Sione duae arces diuersarum gentium Iudaeorum scilicet, & Macedonum praesidijs exstructae esse potuerint? Sanè mons Sion, qui eius loci situs est, duplicis arcis, duplicisque praesidij capax non est. Quid igitur? Sanè, vt eos conciliemus textus, asserendum puto cum Iosepho, & textu Machabaeorum, arcem Antiochi cum suo exercitu, ac praesidio Macedonum, altero vrbis monte, nempe Acra, siue Salem in inferiori ciuitate sitam fuisse; arcem verò Iuda in B Sione monte. Nam duorum tantùm montium praecipuam mentionem facit Iosephus, quòd ij Hierosolymis nobiliores essent, atque in primis illustres; reliqui cùm humiliores atque angustiores essent, horum quasi colles ac tumuli habebantur. Neque his obstat ille alter textus Machabaeorum, cum reliquis eiusmodi, qui asserunt, in ciuitate Dauid sitam fuisse arcem Antiochi: nam licet olim eiuitas illa, quae in monte Sion exstructa fuerat à Dauide, ciuitas Dauid peculiari ratione diceretur, vt constat ex libris Regum: *Cepit autem Dauid arcem Sion, haec est ciuitas Dauid.* Et iterum: *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid*: tamen, sicut Sionis nomine to- C ta ciuitas cum omnibus suis collibus nonnumquam comprehendebatur, vt suprà vidimus; sic etiam tota ciuitas, quae Dauidis tempore exstructa erat, eiuitas Dauid appellabatur, vt latius patebit, cùm de muro Manasses agemus, interpretantes illud Paralipomenon: *Aedificauit murum extra ciuitatem Dauid, &c.* Interim Iosephi verbis hanc nostram sententiam comprobabimus. Igitur, inquit, primus Dauid, Iebusaeis inde eiectis, Dauidis ciuitatem appellauit. Nam tempore Abrahami generis nostri auctoris, Solyma vocabatur. Haec ille. Cùm verò suprà ostensum sit, Solimae nomen solius vrbis Salem olim fuisse (altera enim vrbis pars Iebus dicebatur) manifestè patet, to- D tam ciuitatem Dauidis nomine compellatam, non tantùm eius partem, quae Iebus dicebatur, sed etiam reliquam, quae Salem.

ARX ANtiochi in monte Acra sita.

2. *Reg.* 5. ℣. 7. *&* ℣. 9.

Supra cap. praecedēti.

2. *Par.* 33. ℣. 14. *Ioseph. antiq. lib.* 7. *cap.* 3.

Sed iam tandem, quando, & qua occasione, & quanto tempore explanatus fuerit mons Acra, dicendum superest. Et quoniam simul cum arce Antiochi Simon demolitus est montem; primùm videndum est, quando Simon obtinuerit arcem. Quod quidem habetur expressè in libris Machabaeorum, his verbis: *Qui autem erant in arce Hierusalem, prohibebantur regredi, & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt, & clamauerunt ad Simonem, vt dextras acciperent. Et dedit illis, & eiecit eos inde, & mundauit arcem à contaminationibus. Et intrauerunt* E *in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël, &c. & muniuit montem templi, qui erat secus arcem.* (Vatablus montem templi, arci proximum legit) *& habitauit ibi ipse, & qui cum eo erant.* Quibus verbis manifestissimè conuincitur, arcem sitam fuisse in monte Salem, siue Acra; qui monti templi proximus fuit; non autem in Sione monte, cuius superior pars à templo valde remota erat. Hoc autem quod sacer historicus vno

QVO ET quanto tempore & qua occasione explanatus fuerit mons Acra. 1. *Machab.* 13. ℣. 49. *& sequent.*

verbo

verbo dixit: *muniuit montem templi*; latius explicat Iosephus. Eadem enim de Simone referens, subdit: Deuastauit enim Gazaram, & Ioppen, & Iamniam, expugnataque Hierosolymorum arce, solo eam aequauit, ne posthac esse posset hostibus receptaculum, neve inde vrbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto visum est ei operaepretium, si mons quoque, in quo sita fuerat, complanaretur, vt solum templum emineret: effecitque id, commemoratis pro concione malis, quae à praesidiarijs in eam diem Iudaei passi fuerant; quaeque etiam in posterum ferre cogerentur, si externus aliquis princeps ei loco imponeret praesidium. Adeoque permotus est eius exhortatione populus, vt non intermisso per triennium, neque interdiu, neque noctu opere, tandem ad planiciem eum locum indefesso labore, per vices sibi succedentes, redegerint; atque ita nihil reliquerint, quod obstaret, quò minus templum omnibus in vrbe locis esset longè celsius. Haec Iosephus. Quibus apertè ostendit, qua ratione à diebus Simonis, mons templi, vtpote toti ciuitati imminens, coeperit vrbi esse pro arce. Qua propter ordo ipse iam postulare videtur, vt de templi monte fusiùs aliquantò disseramus.

Ioseph. 13. antiq. c. 11.

MORIA mons templi sub Simone coepit arcis loco haberi.

DE MONTE MORIA, ET VNDE NOMEN acceperit. Cap. VIII.

MONS Moria diuino cultui dedicatus, eximijque facinoris monumentum fuisse probatur.

SACRVM montem hunc diuino cultui iam olim dedicatum fuisse, plura probant sacrae scripturae, eiusque interpretum testimonia. Quare diuini cuiusdam, mirificique facinoris monumentum eius nomine indicatur. Quale autem illud sit, & quando primùm id nomen monti sit inditum, non erit difficile cognoscere; si historia tentati Abrahami legatur in Genesi. Ibi enim sic scribitur. *Ait illi*, Abrahamo Deus; *tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram* מריה Moria *visionis, atque ibi offeres illum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi*. Quibus verbis hoc primum innuitur, nomen Moria iam olim inditum fuisse toti illi regioni montuosae, non monti alicui. Nam si nomen regionis notum non fuisset, frustra dixisset, *in terram* Moria, siue *visionis*: cùm non solùm mons in regione, sed regio, & mons ipse demonstrandus esset. Quòd si montis alicuius nomen esset proprium Moria, non dixisset Dominus: *super unum montium, quem monstrauero tibi*; sed satis fuisset dixisse, *ibi offeres illum*. Quare cùm montem se demonstraturum Abrahamo polliceatur Deus, non regionem; clarè patet, regionem ex nomine cognitam illi fuisse: montem verò ex diuina demonstratione notum futurum. At postea quàm filij oblationem, suffecto ariete in locum Isaaci, acceptauit Deus, eoque facto libertatem generis humani, IESV Christi, Domini ac Saluatoris morte

Genes. 22. ℣. 2.

MORIA totius regionis nomen.

A parandam agnouit Abrahamus; in memoriam tantorum mirabilium, nomen, quod commune regioni fuerat, peculiari quadam ratione monti indidit, ac si diceret; non iam ampliùs regio haec Moria vocabitur, sed hic tantùm mons dicetur Moria. Quod apertè testatur historicus sacer, subdens: *Appellauitque nomen loci illius, Dominus uidet. Vnde usque hodie dicitur, in monte, Dominus uidebit*. Quale autem fuerit hoc montis nomen, indicant verba libri Paralipomenon, sic scribentis: *Et coepit Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius*.

MONTI peculiari ratione tributitur commune regionis nomen Moria. *Ibid. ℣. 14.*

2. Paral. 3. ℣. 1.

B E quorum collatione locorum id certè intelligendum videtur, eiusdem significationis esse nomen Moria, & illud alterum, quod interpretatur, *Dominus uidebit*. Sed tamen in huius nominis etymologia inuestiganda Doctores mirificè variant, praesertim Hebraei. Chaldaeus enim eo loco Geneseos, pro voce *Moria* reddit aliam, quae, diuinum cultum Latinè sonat. Hieronymus verò sic scribit: Difficile est idioma linguae Hebraicae in Latinum sermonem vertere: vbi nunc dicitur: Vade in terram excelsam, in Hebraeo habet, Moria: quod Aquila transtulit τῷ καταφανῇ tìn cataphanì hoc est lucidam. Symmachus τῆς ὀπτασίας tis optasias hoc est visionis. Aiunt ergo Hebraei hunc montem esse, in quo postea templum conditum est.

Hieron. de quaest. Hebraic.

C Hactenus Hieronymus. Et Beda: Moria, inquit, visio, vel visionis, siue illuminans, aut dilucidans. Haec ille: Diuisi autem sunt in tot, tamque varias eiusdem vocis acceptiones interpretes; quoniam vox Hebraea מריה Moriah aequè bene potest à triplici verbo deduci, & eorundem naturam, & significationem sequi, vel à verbo ירא iare, vel à ירה iarah, vel à יאה iaah: quae quidem verba prius intelligat oportet, qui ad veram vocis interpretationem penetrare cupit. quare de singulis nonnihil nobis dicendum est. Et primùm quidem verbum ירא iare, contrariam significationem habere putant Hebraico verbo ראה raah; vt enim hoc verbum, oculos & animum in rem aliquam

Beda de interpretatione nomin. Hebrai.

DIFFICILIS interpretatio nominis Moria, & quare.

D intendere significat, & illam comprehendere; sic illud ירא iare obiectum, oculis & animo auersari denotat. Quare nullo alio commodiore Latino verbo reddi potest, quàm verbo timendi: vt videre est in Genesi. *Timuerat enim*, Loth, *manere in Segor*. Et in Exodo. *Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat*, Hebraicè, quia timuit, *aspicere contra Deum*. Ex hac ergo radice deducitur vox יראה ijrah, quae timorem significat, non quemcumque, sed reuerentiae, quem nos cultum, seu pietatem, vel religionem dicimus, Graecè θεοσέβειαν theosebian; timorem, inquam, illum, quem cum amore coniunctum erga dilectos parentes gerunt obsequentes filij. Hi enim maiores

PRIMA Moriae interpretatio.

TIMERE quid significet apud Hebraeos. *Genes. 19. ℣. 30. Exod. 3. ℣. 6.*

E suos, quos vnicè diligunt, & pro quibus sanguinem vitamque ipsam profundere sunt parati, tanta veneratione colunt, vt praesentes demissis oculis auidè quidem, sed quasi furtim intueantur, neque audeant fixis obtutibus in faciem illorum aspicere, ac multo minùs aliquid, quod illis displiceat, dicere seu cogitare, ne dum facere. Hunc ipsum timorem exigit à nobis Deus noster, vt ad mandatorum suorum obseruationem apprimè necessarium: quae res ex libro Exodi, & alijs quamplurimis Sacrae scripturae testimonijs satis liquet. Vt iure sacer Ecclesiastes extremam suam concionem illis verbis absoluat: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius*

TIMOR filiorum quo parentes venerantur.

eius obseruat, id est Deum ita time, vt hunc timorem obseruandis eius mandatis præteferas; *hoc est enim omnis homo*; nimirum vt aliqui ex Hebræo interpretantur: hoc (subaudi spectat) ad omnem hominem. Vel vt alij: nam in hoc consistit omnium hominum perfectio: vel, hoc est omne, quod ab omni homine exigitur. Vel, *hoc est enim* id, propter quod *omnis homo* creatus est, nempe vt Deum timeat. Quod si fecerit, & mandata Dei obseruabit, & quidquid illi muneris iniunctum fuerit à Deo; id omne alacriter exsequetur.

Prou. 8. ℣. 13. TIMORIS Domini natura & effectus. *Prou. 14. ℣. 27.*

Hunc ipsum timorem definire videtur idem Sapiens, dum ait: *Timor Domini odit malum, arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor*; quae ex Hebraeo sic verti possunt: Timor Domini est odisse malum, superbiam, arrogantiam, &c. Et iterum: *Timor Domini fons vitae, vt declinent à ruina mortis; à ruina*, à laqueis, conuertunt alij eodem sensu. Qui enim dum timent Deum, à morte laedi non possunt; ijdem laqueis peccatorum irretiti, id est, timore Domini carentes, in mortis, non temporalis tantùm, sed aeternae ruinam, atque interitum pertrahuntur. Quod significare voluisse videtur Paulus, cùm ait: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit*. Oritur ex eadem radice vox מורא mora, quae timorem & terrorem significat; eaque vox absolutè ponitur quasi veri Dei vnicum epithetum, in psalmo: *Vouete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera terribili*, Hebraicè, timoti, vel vnicè timendo. quare ad verbum reddidit Genebrardus: Omnes circuitus eius afferant munus timori, id est terribili Deo. Chaldaeus verò vocem מורא mora דחיל dachel reddidit, quae timorem, aut timendum Deum pariter significat; ficque Latinè legeretur: Omnes qui habitant in circuitu sanctuarij, offerant sacrificia aedi sanctuarij in timore; vel ad verbum reddi possent: domui sanctae timori. Quibus verbis Chaldaeus & Deum nomine timoris intellexisse videtur, qui timendus, seu, vt propriè vim vocis exprimamus, colendus est: & domum, seu templum, eodem timoris nomine significari, vt pote in quo timendus, seu colendus est Deus, quasi dicat domum diuino cultui dicatam. Quare vocem Moria diuinum cultum vertit idem Chaldaeus loco Genesis, quem interpretamur, ac si esset à radice ירא iare timere deducta: nam vbi nos legimus: *Vade in terram visionis*, ipse conuertit: Vade in terram diuini cultus. Quo circa vox Moria si à praedicto verbo deducatur, locum significabit diuino cultui ac religioni dicatum: tum ob diuina beneficia inibi à Deo in Abrahamum collata, ob gratam Deo Isaaci filij, qui ei se, vitamque suam libenti animo dedit dicauitque, voluntatem, ob arietis igne absumpti oblationem; tum etiam ob templum inibi à Salomone constructum, & religionem ac cultum à Synagoga inibi Deo exhibitum: & quod caput est, ob Christi Domini aduentum in illud idem templum, cui maximam gloriam additurus erat, vt, teste Aggeo, intelligimus, de quo Aggei testimonio fusius alibi. Neque verò repugno, si malueris locum montis, timorem Domini appellari, propter responsum Domini ad Abrahamum, dicentis: *Nunc cognoui, quod timeas Deum*. De quo autem timore loquatur, indicant sequentia verba: *& non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*; quae facilè intelligentur ex supra dictis. Quapropter locus ille, in quo ipso Deo teste, maximè enituit in Abrahamo timor, cultus, & reuerentia Dei, meritò vocabitur Moria, hoc est timor, seu cultus Dei.

Rom. 5. ℣. 12.

Psal. 75. ℣. 12.

DEVS VOcatur timor quasi vnicè timendus. *Genebr. in Psal. Chaldaeus.*

Gen. 22. ℣. 2.

MORIA significat locum diuino cultui dicatum, & quare.

Alij Hebraeorum vocem hanc deriuant à verbo, ירה iarah, quod iacere, seu iaculari lapidem, vel sagittam, vel pluuiam significat; ac lapidi à Deo tributum apud Iob: *Quis demisit lapidem angularem eius?* hoc est, quis deiecit primarium fundamenti lapidem, cui insisteret terra? Sagittis verò idem verbum tribuitur in libris Regum. Dixit enim Eliseus ad Regem Israël: *Iace sagittam: & iecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini*, &c. Et ab eodem verbo deducitur nomen יורה iore, quod pluuiam significat, eam scilicet, quae iactis seminibus decidit, cuius proprium est excitare, fecundare, & prouehere; pluuiam temporaneam posses vertere, seu tempestiuam, quam Latinus interpres matutinam aptissimè vertit: cui opponitur nomen מלקוש malchos, significans pluuiam serotinam, eam scilicet, quae grandiores segetes ad maturitatem perducit. Vtriusque fit mentio in Deuteronomio: *Dabit*, inquit, *pluuiam terrae vestrae temporaneam, & serotinam*. Et apud Ieremiam: *Et non dixerunt in corde suo, metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam*, quasi dicat: neque ex animo, & seriò statuerunt timere Deum, cuius benignitate tantopere indigerent, & cui tantum timoris, cultus, & reuerentiae deberent; tum quia Dominus est, ac Deus eorum; tum quia absque illius prouidentiae subsidijs, viuere nequaquam possent. Quo fit, vt hoc verbum ad illud magistri aut doctoris opus significandum transferatur, quo verbis ex ore fluentibus, quasi guttis pluuiae è caelo in terram decidentis, auditorum corda fecundat, atque efficit, vt scientiarum fructus producant vbertimos, earum rerum cognitione, quarum aliàs inscij fuerant. Quae tam ampla huius verbi notio ac vis nullis alijs Latinis verbis commodius exprimi potest, quàm hisce erudiendi, instituendi, aut docendi: licet haec totius verbi notionem non exhauriant. Ex his quae dicta sunt facilè controuersia componitur, quae diu multumque inter Doctores Ecclesiae, & Hebraeorum sectatores agitata est, quaenam sit loci Ioëlis intelligentia, qui cùm Dominum, populi ieiunio ac paenitentia, sacerdotum planctu & oratione placatum, laeta omnia temporalia primùm & terrena promittentem induxisset, deinde caelestia; eamque ob causam animalia terrae, scilicet Israëlitas, nihil praeter terrestria cogitantes, ad Dei laudes incitasset, mox ad fideles suos orationem conuertens ait: *Et filij Sion*, quorum, inquam, mens caelestia contemplatur, & sperat, *exultate & laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae*; Hebraicè המורה לצדקה hammore litsdacha, *& descendere faciet ad vos imbrem matutinum*, מורה more *& serotinum* ומלקוש umalchos, *sicut in principio* ברשון barison. Quem locum cùm de Christo domino intelligant propemodū omnes Ecclesiae Doctores, nec putemus alia ratione verti posse: Hebraei tamen, quorum erga Christum mala mens, & malus animus, huius loci vim cum alijs quamplurimis eludere conantur, dum מורה more pluuiam, non doctorem

Iob 38. ℣. 6. *4. Reg. 13. ℣. 17.*

PLVVIA temporanea quae dicatur.

Deut. 11. ℣. 14. *Iere. 5. ℣. 24.*

MAGIstri doctrina quasi pluuia caelestis discipulorum corda fecundat.

Ioel. 2. ℣. 23.

DISPVTAtio aduersus Hebraeos de intelligentia loci Ioëlis.

SECVNDA Moriae interpretatio, timor Domini dicitur.

significare contendunt. Quibus negari non potest more saepe pluuiam significare, vt in eodem versu apparet, vbi hanc vocem sine vlla dubitatione intelligunt tum Hebraei, tum Latini omnes de pluuia matutina: sed non iccirco doctorem non significat. Quare hoc vnum probandum Hebraeis fuisset, vocem illam more ita pluuiam significare, vt nulla ratione significare possit doctorem: quod nec probabunt vmquam; non enim possunt. Quinimmo (iuxta illorum idiomatis regulas) propterea significat doctorem, quòd significat pluuiam, vt paulò antè ostendimos. Fateantur igitur necesse est, malitia potius, quàm ignoratione institutam ab eis huiusmodi disputationem, qua Christum è sacris libris abolere conantur.

MALITIA potius quàm ignoratione Iudaei Christum è sacris litteris abolere conantur.

Sed age, sententiam nostram aliis exemplis, atque ipso textu confirmemus; mox suis ipsis Hebraeorum testimonijs, & argumentis Hebraeos conuincemus. Et primùm parum omnino refert, siue scribatur vox haec יורה iore cum ו rod in principio, siue cum מ mem מורה more; idem enim prorsus nomen est ab eadem radice deductum, eandemque vtraque ratione significationem reddere potest, vt è testimonijs ex Hebraeo textu allatis, atque afferendis videre licet: quinimmo & eodem loco in diuersis codicibus diuersimodè scribitur, non mutato sensu. Ergo vt ad institutam disputationem reuertamur, מורה more doctorem saepe in diuinarum litterarum monumentis significare, eorundem testimonijs demonstremus. Atque in primis praeclarum est illud ex libris Regum: *Igitur*, inquit, *cùm ueniſſet unus de ſacerdotibus his, qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum;* docebat eos ויהי מורה uaihi more, & erat docens. Quis intelliget, & erat pluens, aut stillans eis, nisi hoc metaphoricè dictum; & idem significare, quod docere intelligatur? Eadem est eiusmodi loci Paralipomenon interpretatio, in quo Azarias filius Obed prophetat ad Assa Regem Iuda, dicens: *Tranſibunt autem multi dies in Iſraël abſque Deo uero*, hoc est absque cultu, & cognitione veri Dei; *& abſque ſacerdote doctore, & abſque lege.* ולא כהן מורה ולא תורה ulelo chohen, more, ulelo torah Quo loco vocem addit תורה torah, ab hac eadem radice deductam, quam frequenter conuersam uenies in Latinam vocem, lex. Significat autem Hebraea vox operationem illam doctoris, de qua agimus; nempe doctrinam, institutionem, legem. In qua significatione intelligendi sunt quamplurimi Euangelij textus: siue cùm ad Iudaeos apud Ioannem Christus ait: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, dij eſtis?* siue cum eisdem loquens: *Sed ut adimpleatur*, inquit, *ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt; quia odio habuerunt me gratis.* Quae diuinae scripturae testimonia à Christo allata, non ex Moyse, sed ex psalmis petita sunt. Quare doctorem, institutorem, magistrum oportet intelligere praedicto Ioëlis textu, non autem pluuiam. In quo eodem sensu accipiendus est insignis alter Isaiae textus, de Christo Domino loquens: *Et non faciet vltra auolare à te doctorem tuum, & erunt oculi tui uidentes praeceptorem tuum.* Nihil enim contextui conducit, neque eius intelligentiae conuenire potest pluuiae promissio.

4. *Reg.* 17. ℣. 28.

2. *Par.* 15. ℣. 3.

LEX QVAE dicatur Hebraeis, & vnde originem trahat eius nomen Torah.

Ioan. 10. ℣. 34. *Pſalm.* 88. ℣. 6. *Ioan.* 15. ℣. 25. *Pſalm.* 24. ℣. 19.

Iſai. 30. ℣. 20.

CHRISTVS Dominus sub doctoris nomine promissus. *R. Salomon. Chaldaeus.*

Sed iam Hebraeorum testimonia perpendamus. Chaldaeus, doctorem vestrum, legit in Ioële. Et R. Salomon vi contextus coactus, fatetur vocem more priori loco doctorem significare: verùm effugium adinuenit, de pluribus doctoribus intelligendo; quod effugium inane est ac planè nullum, cùm terminatio vocis singularis, & praepositus articulus non possit ad plures detorqueri; sed de vno eoque insigni, & promissionibus celeberrimo doctore, necessariò vocem intelligendam esse conuincat. Quoniam verò sub pluuiae analogia doctoris meminerat Ioël propheta, in eadem persistens, imbris matutini, & serotini mentionem facit. quo vtroque imbre illius celeberrimi doctoris verba, doctrinam, & instituta, quae incipientes prouehunt, prouectos perficiunt, perfectos ad patriae veram perfectionem deducunt, eleganter exprimit. Hac eadem metaphora vsus Isaias: *Et quomodo*, inquit, *deſcendit imber, & nix de caelo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & inſundit eam, & germinare eam facit; & dat ſemen serenti, & panem comedenti; ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur, ſed faciet quaecumque volui; & proſperabitur in his, ad quae miſi illud.* Adde illud aduersus Hebraeos firmissimum argumentum: Hebraei nomen Moriah compositum putant à voce מורה more, deducta ab hoc verbo & Dei nomine יה iah: quare doctrinam Domini illud interpretantur. Cur ergo vox more in nomine moria significabit doctrinam, & in Ioëlis promissione non poterit significare doctorem? Sed cùm iam satis probatum sit, vtrobique idem significare posse, immo verò aliud non posse, ad Moriae interpretationem propius accedamus, ac quid tandem causae sit, cur mons ille doctrina Domini dicatur, aperiamus. Sanè Rabbini eam reddunt rationem, quia in eo monte aedificatum fuit templum à Salomone, in quo erat דביר debir, quod nos oraculum vertimus, in quo Dei oracula, institutio, & doctrina audiebatur. Verùm longè nimis petita videtur interpretatio huius nominis, quod monti ab Abrahamo inditum fuit. Numquid ad templi Salomonici debir post tam multa saecula aedificandi Patriarcham respexisse credendum est? Numquid in eo monte nulla praeterea res insignis contigit Abrahamo, ex qua monti huiusmodi nomen imponeret? Contigit & sanè celebrior doctrina Dei; siquidem in eo monte vidit finem legis, & prophetarum, atque omnium oraculorum, Christum IESVM, & illud mysterium Crucis eius, quod meritò Paulus vocat *Dei uirtutem, & Dei ſapientiam*, vt mox fusè probabimus. Huius igitur doctrinae non immemor Abrahamus, montem illum Moria, hoc est, doctrinam Dei appellauit, ac meritò; cùm in eo Doctorem mundi conspexerit, ab eoque eius animam tamquam terra sine aqua inbrem illum disciplinae ac gratiae caelestis acceperit. de quo in psalmo dicitur: *Riuos eius*, hoc est, sulcos noualis eius, *inebria, multiplica*, vel multiplicas *genimina eius*, imbre scilicet matutino, *in ſtillicidys eius*, imbre videlicet serotino *laetabitur germinans*. Neque doctrinae solùm, qua imbutus fuerat, memor, id nominis, *Pater fidei*, vel fidelium Abrahamus monti indidit, sed eius etiam doctrinae Christi, quae in hoc monte primum vulgari coepta instar torrentis aut fluminis, per totum deinde terrarum orbem effluxit; quasi praescius illius prophetiae, quam postea scriptis mandauit Oseas: quam si paucis explicauero, operaepreciuum me factum arbitror: *Seminate uobis*, inquit, *in iuſtitia*, hoc est, operamini ea opera, ad quae ex iustitia tenemi-

PROMISSIONI doctoris quare iungatur imbris matutini & serotini commemoratio. *Iſai.* 55. ℣. 10.

CONVINCUNTUR Hebraei eorundem testimonio.

MONS Moria doctrina Domini interpretatur.

MORIA dictus doctrina Domini, quoniam ibi manifestatum fuit mysterium Crucis, quod dicitur Dei sapientia. *1. Cor.* 1. ℣. 24.

Pſalm. 64. ℣. 11.

ALIA NOMINIS ratio.

Oſe. 10. ℣. 12.

tenemini, sperantes promissi praemij fructum, & *metite in ore misericordiae*. Misericordiæ operibus quasi falce metite; os misericordiae significat aciem: sicut alibi dicitur *in ore* acie *gladij*: tribuitur autem operibus misericordiæ, fructus aut segetes metere, quia ipsa misericordiae opera fructus sunt aliorum bonorum operum: ijs enim, qui iustè operantur, hoc donum largitur Altissimus, vt & misericordes sint; siue etiam, quia ipso Christo Domino teste, operibus misericordiae regnum caeleste in praemium datur. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, & quae sequuntur. *Innouate vobis nouale*, facite quod in vobis est, vt caelesti pluuia terra possit inebriari. Nam quid praedicta metaphora intelligat, ipse se explicat Oseas cùm addit: *Tempus autem requirendi Dominum cùm venerit, qui docebit vos iustitiam*. Quem locum ex Hebraeo sic vertit Forsterus: Seminate vobis ad iustitiam, metite in misericordia: sulcate vobis sulcos, tempus est enim quaerendi Iehoua, donec veniat, & iaciat, siue pluat iustitiam vobis. Chaldaeus verò: Recipite vos, inquit, ad timorem Domini; nunc enim reuelabitur, & afferet vobis iustitiam. Cùmque in Hebraeo sit vox, more, docens, pluens, vel stillans iustitiam, meritò Doctores sacri locum hunc de Christo Domino interpretantur, immo etiam Hebraei ipsi, vt fusè probat Galatinus. Sed iam de his satis. Nos vltimam & textui magis consentaneam vocis Moria interpretationem aggrediamur.

2. *Reg.* 15. ℣. 14. OS PRO acie gladij vsurpatur. OPERA misericordiae bonorum operum fructus existunt. *Matth.* 25. ℣. 35. *Forsterus in dictio. Hebr.* *Chaldaeus.* *Galatin. libro* 3. *contra Iud. c.* 29.

TERTIA vocis Moriae interpretatio. *Rupertus.*

Ea verò à quamplurimis deducitur à verbo ראה raa *vidit*, quamquam Ruperto nequaquam ab Hebraeis exquirenda videatur huius nominis interpretatio, dum haec scribit: Quid opus est ab Hebraeis nominis huius, id est terrae, vel montis visionis, etymologiam dubitabilem quaerere, aut vt opinabilem inuestigare, cùm ex praesenti loco scripturae manifestè constet, propter praesentiam, siue respectum gratiae Dei, Abraham locum illum appellasse nomine eodem? nam quia Dei tentantis oculos super se apertos, atque defixos praecordialiter sensit, clamante Angelo Domini, cùm arripuisset gladium Abraham: Non extendas manum super puerum; & nunc cognoui quod timeas Dominum; deinde subiungitur: Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt: vnde vsque hodie dicitur, in monte Dominus videbit. Constat ergo quòd ob causam praedictam iubilans, atque ineffabiliter gratulabundus Abraham, illum suae laetitiae locum visionis nomine signauit, in quo visum se esse à Domino veraciter confiteri potuit. Itaque sicut cetera multa, sic & hoc per anticipationem paulò antè dictum est, vade in terram, cum additamento nominis huius, id est visionis. Haec Rupertus. Sed si nobis à tanto viro discrepare licet, interpretationem nominis ab Hebraeo fonte petamus. Nam etsi translatio nostra innuere videatur, nomen deduci à verbo, quod videre significat; tamen non ostendit aliquid praeterea non posse hoc nomen significare, quod ipsum quid sit inquirimus. Neque enim vbi primùm constet, visionem Dei, conuertendam vocem Moria, statim constat ratio, ob quam hoc nomen inditum sit monti: an quia Abrahamum Deus, an verò, quia Deum Abrahamus in eo monte conspexerit? Sed neque illud Ruperto concedimus per anticipationem quandam, vt ipse ait, dictum prius: *Vade in terram* Moria, id est *visionis*. Scio hunc modum interpretandi sacras historias Patribus frequentem esse; sed hanc anticipationem hunc locum non admittere contendo. Quaero enim, si montem se demonstraturum Abrahamo pollicetur Dominus in terra Moria, seu visionis, ac tum ipsam terram, vbi mons sit non demonstraret; quam terram peteret Abrahamus, quam viam insisteret? Certè ex sacro textu tantùm nouimus Abrahamum iter trium dierum peregisse; tertiò tandem die montem vidisse. Nec quidquam aliud illi Deum demonstrasse legimus, quo hanc terram agnosceret, nisi hoc ipsum nomen Moria: ergo aut sacram historiam in hac narratione diminutam esse fateamur necesse est; aut eam regionem de nomine Abrahamo notam fuisse, quippe quae antea nomine Moria ab alijs indito insignita fuerit. Quamuis & aliam ob causam idipsum nomen, ob mysterium, inquam, monti deinceps conuenire coepisse fatendum sit. Quod ipsum quale fuerit, ac quae sit huius nominis verior ac certior, mea sententia, etymologia, videndum est.

MORIA non sic dictus per anticipationem.

Significat ergo praedictum verbum ראה raah praeter ea, quae suprà diximus, non solùm videre, sed aliquando idem etiam quod prouidere. Nam in eodem loco Geneseos, illa mutua confabulatio Abrahami & Isaaci refertur his verbis: *Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi; At ille respondit: Quid vis fili mi? Ecce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi*, Hebraicè אלהים יראה לו השה heloim iire lo hasse, ad verbum redderes: Dominus videbit sibi agnum. Quod verbum optimè vulgatus reddidit, *prouidebit*. Quamquam enim Septuaginta ad verbum transtulerunt ὁ θεὸς ὄψεται ho theos opsetae, Deus videbit: sensum tamen omnino reddidisse non videntur sicut vulgatus. Nam licet verbum Graecum ὄψεται opsetae videre significet, vt Hebraeum iire, non tamen significat prouidere, vt in hoc, de quo agimus, alijsque locis patet. Chaldaeus quoque paraphrastes maximè ad vulgatam accedit, & optimè huius verbi vim exprimit, dum, coram Deo, inquit, reuelabitur sibi agnus in holocaustum fili mi. In eadem significatione sumitur hoc verbum in libris Regum, dicente Domino ad Samuelem: *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israël? imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem*. Sed ad institutum nostrum redeamus, & primum intelligamus Patriarchae tam aptam, tam piam, tam fidei plenam responsionem, *Deus prouidebit*. Aptam quidem teste Chrysostomo: Ignarus, inquit, insinuat, quod futurum est. Videbatur enim per responsum decepturus Isaac, sed illum quidem verbis interim solatur; ipse autem maiorem, grauioremque dolorem pertulit, verba in anima versans, & cogitans pueri elegantiam externam, internamque pulcritudinem, obedientiam, gratiam, aetatis florem. Haec Chrysostomus. Piam verò dixeris, si Ambrosium legas dicentem: Et vide quomodo inflexibilis à studio deuotionis minister, vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc se meliorem patrem putabat,

RAAH Hebraicum verbum, videre simul ac prouidere significat. *Supra c.* 2. *Genes.* 22. ℣. 7. & 8.

Chaldaeus.

1. *Reg.* 16. ℣. 1.

APTA; pia, fidei plena Abrahami responsio filio data. *Chrysost.*

Ambrosius.

hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Deo. Hæc ille.

Fide tandem fuit plena responsio; quoniam indubitanter credebat Dominum prouisurum & sibi victimam, & Abrahamo posteritatem, & Isaaco vitam & benedictionem. Quare mirandum hoc Abrahami facinus mirificè cõmendat Sanctus Zeno Veronensis Episcopus: O mira, inquit, Patriarchae tentatio, quae eum aut sacrilegum fecerat, si contemneret Deum, aut crudelem, si occideret filium; nisi quadam singulari, ac verè diuina patientia inrer religionem, pietatemque negotium temperaret, in spe non denegans Deo, quod contra spem acceperat à Deo. Ideo Isaac sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem contemnit vt seruet, destinat iugulare ne iugulet, securus illo se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O nouum spectaculum, ac verè Deo dignum, in quo definire difficile est, vtrum sit patientior sacerdos, an victima. Non percussoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur, non demissi, non torui sunt oculi; nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne verè sit parricidium. Ille exerit gladium, iste ceruicem: vno voto, vna deuotione, ne quid profanum sit; diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Ille lignum, quo inuratur, sibi portat, iste aram struit. Sub tanto non dicam humanitatis, sed ipsius naturae metu laeti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni: fauet vtrique religio. Medius stupet gladius, nullo impedimenro suspensus, mactationi terribili gloriam se praestitisse non crimen. Quid est hoc? Ecce immanitas in fidem, & scelus transit in sacramentum; parricida incruentus redit, & qui immolatus est, viuit. Ambo igitur gloriae claritatis exemplum, ambo Dei cultus admirabile saeculis restimonium. His verbis Sanctus Zeno Abrahami virturem collaudauit. Quibus omnibus restimonijs illud ostenditur; quod & Chrysostomus obseruauit, Deum opere complesse, quod Abrahamus ignorans dixerat, *Deus prouidebit*; nempe ita prouidit, vt omnia insinira Dei sapientia composita manerent, & pater sacrificaret, & filius seipsum offerret, & Deus vtrumque acceptaret: nec tamen propterea aut parer filio orbaretur, aut Deus filij victima, aut victima vita. Deo ergo tam mirabiliter rerum inter se discrepantium prouido compositori mons hic pro titulo manens, vocatur, Dominus prouidebit.

Verùm nondum admirabili videor huius vocis notioni satis feciſſe; maiora adhuc in ea mysteria clauduntur, sacratiora continentur oracula. Neque enim nudam ac simplicem rei gestae narrationem continent haec, quae interpretamur verba Geneseos, sed maxima prorsus, sed diuina mysteria. Quod non aliqua communi coniectura, non alicuius Patris testimonio, non alicuius prophetae oraculo (quod si fuisset, maxima oporteret veneratione susciꝑi, maxima attentione perpendi) sed illius restimonio, cuius spiriru illuminati sunt sancti Dei homines, confirmatur ipsius Dei, & hominis, filij quidem aeterni Patris, & temporalis Abrahami, Christi IESV Domini nostri, qui Iudaeis dixit: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Quae verba variè interpretantur sancti Patres. Auguſtinus autumat diem Domini vel intelligi posse de die temporali, quo scilicet venturus erat Christus in carne; vel de die aeternitatis, qui nescit ortum, nescit occasum, & vtrumque putat ab Abrahamo visum cum magna exultatione. Eandem sententiam de die aeternitatis, sequi videtur Gregorius, dum ait: Tunc etiam diem Domini Abraham vidit, cùm in figura summae Trinitatis, tres Angelos hospitio suscepit. quam etiam probare contendit Caietanus ex contexru. Alij verò putant diem Domini intelligendum de temporali aduentu Christi in carne; eumque ab Abrahamo visum purant, cùm in limbo detineretur. Quorum auctorum sententia sic intelligenda videtur, ac si diceret Dominus; Abrahamum & dum in carne viueret, & deinde cùm esset in limbo, diem Domini, quem reuelatione cognouerat, exultasse vt videret, id est, & viuentem Abrahamum ante Seruatoris aduentum gestiisse, & cum mira exultatione expectasse eum videndum; & postquam is pro nobis de Virgine nasci dignatus est; hunc ipsum Christi natalem diem Abrahamum iam vita functum, & in limbo degentem cognouisse, ac gauisum esse, quòd is randem venisset in terras, qui mundum suo sanguine in promissam assereret libertatem; tunc enim *vidit, & gauisus est*. Quam sententiam propterea non admittimus, quod grauissimorum Patrum testimonijs aduersetur; & ratio Caietani, quam haec sententia eludere conatur, vim videatur habere maiorem, quàm quae eiusmodi responsis eleuerur; quae talis est. Iudaei enim verba haec primum audientes, ea intellexerùnt in eo sensu, quòd scilicet Dominus fuerit visus ab Abrahamo, dum in carne viueret, & eundem ipse vicissim viderit. Siquidem objciunr: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Sed & hanc Caietani coniecturam iterum eneruare conantur, quia Iudaei frequenter, pro suo carnali sensu, malè interpretabantur verba, atque putabant Dominum locutum esse de visione corporali, cùm loqueretur de visione spirituali. Et quidem quod artinet ad hoc, de visione corporali, falli potuisse Iudaeos, immo & re ipsa decepros esse, nemo est qui dubiret: verùm Dominum locutum de visione Abrahami, dum in carne viueret, non auderem dubitare, quoniam aliàs maxima tollitur vis & auctoriras verbis Christi Domini. Quis enim ex illis, qui tunc aderant, disputanres cum Christo, & illum calumniari cupiebant, si haec verba ita intelligeret, non etiam ipse quamuis superbè dicere posset, & Abrahamum diem etiam suum vidisse, cùm esset in limbo, & gauisum esse; quandoquidem & ipse quoque filius Abrahami esset? Adde quod frustra Dominus aeternam suam generationem commemorans addidisset: *Antequam Abraham fieret, ego sum*: si non de viuente Patriarcha, sed de iam mortuo loqueretur. Christus ergo grauissimorum Patrum sententia de Abrahamo dum viuerer, loquutus est, quo tempore eum diem Domini vidisse air.

Diem autem Domini intelligimus cum Chrysostomo, Ambrosio, Origene, & alijs Patribus, diem passionis Domini, tum quia dies supremus alicuius, dici consueuit dies eius, vt in Psalmo: *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniet dies* mortis, siue interitus *eius*. Qui porissimum dies alicuius dicitur, quia illius diei tantùm opera, hoc est, quae vsque ad illum diem

ABRAHAmi facinus commendatur. *S. Zeno ser. de patientia & apud Lipomanum in Catena Gen. 22.*

Chrysost.

DEO RErum discrepantium prouido compositori mons hic pro titulo manens, vocatur, Dominus prouidebit.

Ioan. 8. ℣. 56.

Augustin.

DIEM Domini, quem vidit Abrahamus, aeternum generationis, & temporalem aduentus intelligendum putat Auguſtinus. *Gregorius. Caietanus.* IANSENII sententia.

Chrysost. Ambrosius, Origenes. DIES DOmini dicitur dies passionis eius, & quare. *Psalm. 36. ℣. 13.*

diem vltimum permanent, cum homine in aeternum permanent: ceterorum verò dierum opera ita subsequentium dierum conditioni subiacent, vt homini quasi commodata videantur, non propria. Quare non reliqui, sed vltimus meritò dicitur dies hominis. Et quidem dies passionis Christi, dies eius celeberrimus dici atque haberi debet, quo videlicet die Seruatorem mundi se maximè ac filium Dei ostendit, cùm patri potuit de toto (quod aiunt) rigore iustitiae satisfacere pro nostris, atque omnium hominum sceleribus: & se hominem factum quasi vnum ex nobis ostendere, immo longè maiora sufferentem, quàm nos omnes perpeti potuissemus, cùm sese placationis, & laudis hostiam obtulit Deo; cùm sese Regem saeculorum declarauit, cuius *principatus super humerum eius*. Quid plura? hoc ipso die se mortis triumphatorem, debellatorem diaboli, inferorum dominatorem ostendit, cùm *Cornua*, vt ait Habacuc, id est Sole splendidiora clauorum foramina visa sunt *in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*. Diem ergo celeberrimi, gloriosissimique triumphi sui meritò vocat Christus Dominus *diem meum*, diem inquam, in quo Patris ira, hominis damnatio, mortis imperium, diaboli tyrannis, ac tandem omnium malorum origo, pernicieque ipsa, peccatum, eiusque imperium destructum est: quo die demum omnia diuina opera mea, mea virtute perfecta & consummata sunt. *Diem meum* exultauit vt videret Abraham, *uidit, & gauisus est*. Quando autem viderit, & quando exultauerit, vel videre gestierit, de sententia Patrum aperiamus. Origenes tunc vidisse vult, cùm respondit filio, Dominus prouidebit sibi victimam fili mi. Nescio, inquit Origenes, quid videbat in spiritu, quia non de praesenti, sed de futuro dicit: *Deus prouidebit* sibi ouem, futura respondit filio de praesentibus requirenti. Ipse namque sibi Dominus ouem prouidebat in Christo. Hactenus Origenes. Iam Augustinus & eadem, quae suprà attulimus, refert, & haec ipsa, quae iam probare conamur: Videte fratres, inquit, Abraham patientia fortem, deuotione constantem, non cum aliqua fera luctantem, sed cum ipsa natura pugnantem. Deuotio dicebat, percute: pietas clamabat, parce: illa reuocabat, ista prouocabat. Filius tunc moriturus iacebat, erigit dexteram feriturus, & locum, quo libens percutiebat aucupat. Parce, inquit, Abraham. Qui iusserat vt feriret, modò vociferatur vt parceret. Sciebat enim probatum patrem, & in deuotione feruentem, gladium temperare, & filium non perimere, sed nec cremare. Parce, inquit, deuote pater, parricida sine crimine parce. Tuum sacrificium, quod paraueras, intendi. Ego quod iusseram, vt obtulisses, accepi, in voto probaui, quod in facto renui. Acceptaui votum, nec repuli sacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa. Vincitur innocens hostia, ne offerentis deuotio putaret se minus aliquid exhiberc, si impatientia doloris victima calcitraret. Ecce spiritali praesagio meum praeueniisti consilium. Quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in filio tuo. quod in vnigenito meo disposui, tu in tuo vnico perfecisti. Haec ille. At Ambrosius responsum patris ita interpretatur. Non solùm autem, inquit, hoc prophetauit, quod statim accidit, quia Deus prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: verùm illud magis, quod non haec hostia diuinae esset dispositionis; sed alia esset hostia, quam Deus sibi pararet, vt mundaret orbem terrarum; illa esset omnibus acceptior, per quam multi patres offerrent filios suos, & separari ab hoc saeculo, & à filijs non timerent. Haec Ambrosius.

Quibus testimonijs hoc vnum probatur, Abrahamum exultasse, vt videret diem Christi; nempe illius diei ardentissimo desiderio flagrasse, quo & filium ab illa morte, quam ei parabat inferre, liberatum, & totum mundum à vinculis mortis, & potestate tenebrarum ereptum cerneret. Atque huiusmodi securum desiderium, ac firmissimam spem, non anxiam, non timore refertam, non conturbatione animi dubiam, sed securam, omnique exultatione plenissimam indicat Christus Dominus, dum non simpliciter dicit, desiderauit, sed *exultauit, ut uideret diem meum*. Quod ad alteram huius textus partem attinet, nempe, *uidit, & gauisus est*, multi grauissimique Patres affirmant, tunc vidisse Abrahamum diem Domini, mysterium, inquam, Crucis Christi, cùm *uidit arietem inter uepres haerentem cornibus*; quorum nonnulla testimonia, quae ad huius nominis Moria recondita mysteria intelligenda plurimum conferre vt videas, non grauatè referemus. Origenes. Aries, inquit, cornibus haerens in virgulto Sabech, formam nihilominus Christi gerere videtur: sed quomodo Christo vterque conueniat, & Isaac qui non est iugulatus, & aries, qui iugulatus est, operaepretium est noscere. Christus verbum Dei est, sed verbum caro factum est; vnum igitur in Christo de superioribus est, alterum ex humana natura, & virginali vtero susceptum. Patitur ergo Christus, sed in carne, & pertulit mortem, sed caro, cuius hic aries forma est, sicut & Ioannes dicebat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Verbum verò in incorruptione permansit, quod est secundum spiritum Christus, cuius imago est Isaac. His suam sententiam expositi Origenes. Verùm Ambrosius singula verba expendens: *Vidit*, inquit, *arietem*: qua ratione arietem? quasi praestantem vtique ceteto gregi. Qua ratione suspensum? vt aduertas hostiam illam non fuisse terrenam. Qua causa cornibus suspensum? nisi quod carnem suam virtute superiore à terris leuaret, iuxta quod scriptum est: Cuius *principatus super humeros eius*. Quis vtique significatur, nisi ille, de quo scriptum est? *Exaltauit cornu populi sui*. Cornu nostrum Christus est, qui praestitit omnibus, sicut legimus: *Speciosus forma prae filijs hominum*. Solus eleuatus, & exaltatus à terris, quemadmodum ipse nos docet, cùm loquitur: *Ego non sum de hoc mundo: Ego de supernis sum*. Hunc vidit Abraham in isto sacrificio, huius passionem aspexit, & ideo ipse Dominus ait de eo: Abraham diem meum *vidit, & gauisus est*: & subdit: Peracto autem sacrificio vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videt; vt dicant hodie; Dominus in monte apparuit, hoc est, quòd apparuerit Abrahae, reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cùm suspensum ostendit arietem in virgulto, & virgultum illud patibulum Crucis. Et in hoc ligno praestantissimus ductor gregis exaltatus, omnia traxit ad se, vt ab omnibus cognosceretur. Vnde & ipse ait: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*. Hactenus Ambrosius.

VLTIMVS dies, quare hominis dicatur dies, reliqui non hominis videantur.

Isai. 9, ℣. 6.

Habac. 3. ℣. 4.

DIES triumphi Christi, meritò dies eius dicitur.

Origenes.

DIEM DOmini quando exultauerit vt videret Abrahamus.

Aug. serm. 71. & 72. de temp.

Ambrosius

EXVLTARE vt videret, quid significet.

DIEM DOmini quando viderit Abrahamus.

Origenes.

TVM VIdit diem Domini Abrahamus, cùm arietem inter vepres haerentem cornibus vidit.

Isai. 9. ℣. 6.

Psal. 148. ℣. 14.

Psal. 44. ℣. 3.

Ioan. 8. ℣. 23.

Ioan. 8. ℣. 28.

Qui autem plura de hac re Patrum testimonia exoptauerit, legat Lipomanum: nos enim instituti nostri rationi fecisse satis videmur, cùm ostenderimus, communem esse Patrum sententiam, Abrahamum tum vidisse diem Domini, cùm in monte Moria filium suum à morte liberum recepit. Qui cùm primùm propheticè dictum comperit, quod antea confidenter dixerat: *Deus prouidebit sibi victimam*, אלהים יראה elohim ireh, vocauit deinde nomen loci illius יהוה יראה Adonai ierae: septuaginta verò futurum ierae aoristo reddiderunt, ὲν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη en to ori kyrios ophthi, in monte Dominus visus est: quasi id referant ad visionem Christi, quam vidit Abraham. Quae versio plurimum nostrae fauet sententiae; praesertim, si quam attulimus, Hebraei verbi vis attendatur, quae etiam prouidere significat, vt supra fusè ostendimus: & hoc modo legendum esset, Dominus prouidit sibi victimam; vel rectius, Dominus ipse prouidebitur sibi victima. Quod si aliam huius verbi significationem attendamus, Dominus videbit, vel visus est ipse sibi victima, hoc est, expertus est, quanti stet victimam filij offerre, haec erit sententia: quod mihi sentiendum dedit Deus, cùm filium meum sacrificandum praecepit, hoc ipsum in se idem Dominus praesensit; siquidem ipse sibi prouidit filium suum vnigenitum, in quo sibi bene complacuit, pro toto mundo immolandum in Cruce. Mirificè igitur Zeno Veronensis Episcopus, more nostro de Deo loquens, cùm Abrahami & Isaaci laetitiam multis argumentis declarasset, subdit: In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit. Quibus verbis hoc innuere videtur, quod Dominum fecisse testatur Isaias, dicens: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: & de filio dixerat: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*; vt quia Abrahamum à doloribus perditi filij, & spe posteritatis; Isaacum verò, immo & totum mundum à mortis & inferni doloribus eripere decreuerat, eos omnes, quos ab omnium hominum cordibus sustulerat dolores, vnigenito filio suo imponeret Deus in crucem subleuandos, vt inde eos cum morte *in sempiternum* praecipitaret. Quod quidem & ad sufficientiam (vt aiunt Theologi) tum peractum est, cùm Christus crucifixus est: & ad efficaciam tum peragitur, cùm vnusquisque nostrum configurati passioni ipsius, participes efficimur meritorum eius. At verò si futuri temporis sit verbum, quod vbique praefert Hebraicus cum Latino textu; non tantùm visionem, quam vidit Abraham, respicit nomen hoc, sed etiam factum ipsum, visionisque complementum, quando verè Christus pro Isaaco, Abrahamo, & omnibus fidelibus, immo & pro toto mundo oblatus est in Cruce. Vnde putamus exortum prouerbium illud, quod refert Hieronymus: Hoc autem, inquit, apud Hebraeos exiuit prouerbium, vt si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio subleuari, dicant; In monte Dominus videbit; hoc est, sicut Abrahae misertus est, miserebitur & nostri. Haec ille. Verùm longè sublimius mysterium putamus hoc Abrahami relato verbo contineri, nempe memoriam venturi Christi in montem Moria, prout Abrahamo promissum fuerat. Quoniam si praeteriti tantùm beneficij fieret mentio, Dominus vidit, dixissent, non autem *uidebit*: videbit, seu prouidebit, dicunt, sibi victimam Deus, & nostris omnibus malis remedium, cuius memoria, & spe etiam à praesenti malo petimus vt liberemur.

Lipom. Caten. in Gen.

CVM propheticè dictum comperit Abrahamus quod confidenter dixerat, Deus prouidebit, tũc Moriae nomen loco imposuit, quod idem significet.

Zeno ser. 5. de sancto Abrahamo.

DOLOREM, quem abstulit Abrahamo Deus, quomodo pertulerit.

Isai. 53. ℣. 6. & 4.

Isai. 25. ℣. 8.

NON tantùm propter Abrahami visionem, sed potius propter Christi mortem dicitur mons Moria.

Hieron. de locis Hebr.

Ex quo etiam intelliges, quàm sit antiquum Ecclesiae institutum, per Dominum nostrum IESVM Christum deprecari Patrem: siquidem ante aduentum eius, illa verba proferentes, Dominus videbit, eundem venturum in montem Moria profitebantur, quo beneficia consequerentur. Haec autem quae diximus omnia, & alia quamplurima his ipsis recondita mysteria contemplans Abrahamus; admirans loci sanctitatem, eiusque memoriam cupiens aeternae hominum memoriae consecrare, nomen regionis, quod à Deo acceperat, repetens, elegantem fecit paronomasiam. O regio visionis, siue excelsa, Moria tibi nomen, quia vndique videris, vndequaque conspicua es & patens; sed longè maiori iure collis iste tuus Moria deinceps vocabitur, quia in eo Dominus prouidisse se ostendit irreuocabili decreto, & prouisurum infallibili euentu sibi victimam, pro totius mundi delictis expiandis, & libertate totius humani generis asserenda, immolandam. Quod nomen non tum primum huic monti inditum fuit; id quod satis probabili coniectura, cùm contra Rupertum disputaremus, haud quaquam verisimile ostendimus, sed ab Abrahamo quasi renouatum fuit, mutata atque innouata nominis causa, atque etymologia.

QVAM sit vsitatus Ecclesiae mos etiam in Synaga per Dominum nostrum Iesum Christum exorare Patrem.

QVARE regio diceretur Moria.

Verùm magna ex dictis suboriri videtur difficultas, quoniam quae diximus omnia, hoc probare videntur, Dominum in monte Moria crucifixum fuisse. Idipsum confirmat Augustinus: Audite, inquit, aliud sacramentum, fratres carissimi. Hieronymus presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Iudaeis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est. Quod etsi de Hieronymo testetur Augustinus: locus tamen hic non inuenitur in operibus Hieronymi, quae circumferuntur; nisi admittatur commentarius eidem adscriptus super Marcum; in quo huius traditionis fit mentio. Potest tamen dictus locus, transmissus scripto credi à Hieronymo ad Augustinum. His adde, quod à nostris peregrinis sanctam vrbem inuisentibus traditur, sacellum quoddam magna veneratione coli, in memoriam sacrificij Abrahami, intra celebre illud templum, quod à pijssima, eademque sanctissima Regina Helena supra Caluariae montem exstructum est, in qua putant ab Abrahamo arietem pro Isaaco immolatum fuisse. Huius quoque sacelli meminit Beda. Verùm cùm mons ipse, in quo sacrificium Abrahami peractum, & Christi passio reuelata fuit, Moria nuncupatus sit, tradatque liber Paralipomenon, in monte Moria aedificatum à Salomone templum, quod adhuc, saltem quod spectat ad locum, Hierosolymis exstat longè remotum à Caluariae monte, in quo crucifixus fuit Dominus: certò statuendum videtur, non eodem loco, si colles intueamur, crucifixum Dominum, & immolatum Isaacum. Attamen rationes omnes, & testimonia, quae oppositum probare videntur, sic sunt accipienda, quasi vterque collis, & Moria & Caluariae eiusdem montis colles sint, quem vniuersali nomine Sionem licet nominare, prout suprà probauimus. Sacellum verò mirabili consilio exstructum est in Ecclesia montis Caluariae, in memoriam sacrificij Abrahami; non quòd ibi praecisè sacrificare destinauerit filium: sed quia, cùm non longè ab eo loco promissionem de ea re acceperit, eiusque figuram

AN CHRIstus in monte Moria fit crucifixus. *Aug. serm. 71. de tempore.* *Hieron.*

DE SACELLO sacrificij Abrahami in Caluariae monte aedificato.

Beda c. 2. de locis Hebr.

2. Par. 3. ℣. 1.

Suprà c. 6.

guram viderit; ibi tamen eius memoria sollemniter celebraretur, vbi & promissio & figura Crucis Christi comprobata est. Sed iam de ipso Caluariae monte agendum est: nam licet olim extra vrbem fuerit, nunc vrbis moenibus cingitur: quare inter montes vrbis connumerandus videtur.

DE AVGVSTISSIMO EODEMQVE SACRATISSIMO Caluariae monte. Cap. VIIII.

QVAM venerandus sit Caluariae mons.

PRIVSQVAM huius sanctissimi montis tractatum aggrediamur, libet tantisper in eius veneratione immorari, atque illud psalmi commemorare: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*; siue vt Hebraea habent, adorabimus scabellum pedum eius. Quibus verbis omnes omnium gentium populos, ac potissimum huius libri lectores hortamur, vt IESV Christi Domini nostri praestantissimum hoc munus agnoscant ac recolant, ad idemque ipsum faciendum illis alterius psalmi verbis sese mutuò cohortentur: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Quem locum Chaldaeus vltimo psalmi versiculo explicat, sic scribens: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius.* Et vtrumque alterutro interpretari videtur, dum idem legit: Et adorate montem sanctitatis eius, *Quoniam sanctus Dominus Deus noster*: quare de templo, & monte Moria sermonem esse arbitratur. At Hebraei arcam foederis intelligendam putant: in qua Sanctus Dominus sedebat, reddens oracula, & miracula; apud quam suam praesentiam & opem pollicebatur inuocantibus, dicente ad Salomonem Domino: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meae erectae ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Sed Sanctus Hieronymus antiquam Hierosolymam nouae comparans, montem Moria Caluariae monti, multò hunc augustiorem & sanctiorem probat, dicens: Ceterum quantum ad locum pertinet, per profectus temporum multo nunc augustior est, quàm antè fuit. Venerabantur quondam Iudaei Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca testamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulcrum Domini? quod quotiescumque ingredimur, toties iacere in sindone cernimus Saluatorem, & paululum ibidem commorantes, rursum videmus Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium conuolutum. Cuius sepulcri gloria, multò antè quàm excideretur à Ioseph, scimus Isaiae vaticinio prophetatum, dicentis: Et erit requies eius honor, quod scilicet sepulturae Domini locus esset ab omnibus honorandus. Haec Hieronymus. Verùm si omnia in figura Hebraeis contigisse à Paulo Apostolo accepimus, vbi clarius Sancti Sanctorum veritas, quàm in hoc sanctissimo monte apparere poterit? in eo arca, sanguinem noui & aeterni testamenti continens, caro Christi in Cruce pendens inuisitur: *Hic est panis, qui de caelo descendit: non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem, viuet in aeternum.* Hic est virga Aaron, quae fronduerat, nempe crux Christi, in qua prioris ligni mors mortua est, pendente noua & aeterna vita. Hic sunt tabulae binae legis, quarum altera, quae ad Deum nos erigit, erectum alterum lignum Crucis, altera, quae ad proximos se extendit, transuersum demonstrat. Quam Crucis significationem pertractasse videtur Paulus, dicens: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*: hunc enim locum plerique doctorum veterum referunt ad Crucem: Augustinus: Erat latitudo, inquit, in qua porrectae sunt manus; longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo innexo ligno sursum quod eminet; profundum, vbi fixa erat Crux, & ibi omnis spes vitae nostrae. Cyprianus Dominum in Cruce morientem sic alloquitur: Da nobis in vita praesenti, vt simus sine angaria baiuli Crucis tuae, & comprehendamus cum omnibus sanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum huius ligni significet: quo conspecto non noceat nobis, neque mordeat coluber folitudinis. Hae ille. Et Beda: Moralem, inquit, Crucis figuram describit Apostolus, vbi ait: *In caritate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis*, &c. Damascenus: Sicut quatuor extrema Crucis per medium centrum vinciuntur, & iunguntur: sic per diuinam potentiam sublimitas & profunditas, longitudo & latitudo, siue omnis conspicua, & inconspicua creatura continetur. Haec Damascenus. Atque eodem pacto philosophari nos decet de duobus hisce Crucis lignis, ac de duabus olim legis tabulis, quibus Deo, & proximis facilè coniungimur, viuam Christi exemplo legem sectantes, qua Deum diligimus supra nos ipsos, & proximum quasi nos ipsos. Verùm non est in re manifesta diutius immorandum, cùm ipsa verba Domini, quae retulimus Salomoni dicta, de illo templo figuratè intelligenda, atque in alio impleta esse tabernaculo perspicuum sit: quoniam locum dicit Deus sibi electum, vt sit nomen suum ibi in sempiternum. Illud autem tabernaculum, illud templum iam dirutum, quo pacto manebit in sempiternum? Hinc validissimum instruit aduersus Hebraeos argumentum Paulus: *Nam si illud*, inquit, *prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & consummabo super Domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti.* Et postquam multis argumentis hoc idem persecutus est Paulus, subdit: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta.* Quae si rectè perpendantur, facilis est coniectura quantò Caluariae mons

Psal. 131. ¥.7.

Psalm. 98. ¥.5.

QVO FAuore prosequeretur olim Deus arcam testamenti, ac templum. 2. Par. 7. ¥. 15.

S. Hier. epist. 17. ad Marcellam.

SANctior Caluariae mons, & augustior Moria monte.

Isai. 11. ¥.10. iuxta Sept.

CONFERtur Caluariae mons oraculo templi.

Ioan. 6. ¥.59.

CRVX Christi binis legis tabulis confertur.

Ephes. 3. ¥.18.

Aug. psal. 103.

Cypr. serm. de passione Christi.

Beda super Matth. 27.

Damascen.

BINIS Crucis lignis sicut totidem legis tabulis Deo & proximis coniungimur.

Hebr. 8. ¥. 7. & seq. Ierem. 31. ¥.31.

PAVLI argumentum aduersus Hebraeos de non sufficienti antiquo tabernaculo.

CALVARIAE mons praestat Moriae, quoniam hic Leuitico sacerdotio, ille sacerdotio Christi locum praestat.

mons praestet monti Moriae, templo Salomonis insigni: cùm hic sacerdotio Leuitico domicilium praebeat, ille sacerdotio Christi: quantoque altare Crucis maiori sit veneratione dignum, quàm illud aeneum, vel aureum; crux enim in sanguine Christi consecrata est, altaria illa in sanguine vitulorum, aut hircorum; quantum ergo vmbram excedit ipsa rerum repraesentatio, tantum Calvariae mons superat montem templi. Vt propterea meritò de monte Calvariae, vtpote de repraesentata ipsa rerum forma, potius quàm de vmbra, dictum fuisse intelligamus à Propheta: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*; eiusque exhortationi obtemperantes dicamus: *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*; non quidem in figura aut in vmbra, sed verè *pedes eius*; neque transeuntes vt in via; sed residentes vt in throno, aut sede: quid dico residentes? immo clauis confixi, ac manantes sanguine, vt non modo scabellum pedum suorum sanctificaret; sed & montem ipsum omnibus hominum nationibus adorandum exhiberet. Quòd si ad mysticos sensus gradum faciamus, in augustissimo hoc monte Cherubinorum templi mysteria non vtique desiderabimus. Etenim si quaternis faciebus ineffabilem Christi Domini gloriam referebant, vt fusè persecutus est Pradus; alis diuinitatem, facie & toto corporis habitu humanitatem Christi; vitulinis pedibus sacerdotium, quo se ipse moriens obtulit Patri quasi *vitulum nouellum, cornua* virtutis, & gloriae *producentem, & vngulas* infirmitatis, & carnis; sic tandem si regiam resurgentis potestatē, leoninis dorsi iubis repraesentabat: ea omnia Christi mysteria in hoc potissimum monte cernuntur. *Adorabimus* igitur *in loco vbi steterunt pedes eius*: in monte, in quo Christus verus Deus & verus homo, secundum humanitatem crucifixus, mortuus, & sepultus est. Quare de hoc potissimum monte intelligi debent omnia, quae suprà de monte Moria dicta à nobis sunt. Hic enim est verè mons, in quo Dominus prouidit sibi victimam vnigeniti filij sui: mons in quo Dominus vidit sibi verè in filio suo, quod tantùm Abrahamus in Isaac videre decreuerat. Mons tandem, inquo Dominus IESVS visus est, visus est inquam, crucifixus, mortuus, & sepultus, tertiaque die post crucem, obitum, tumulum, visus est rediuiuus ac laetus, haud secus quam Isaac post tres itineris dies incolumis visus fuit à damnatione mortis, quam illi parauerat pater suus.

Vbi supra. QVOMODO Christi pedes in Calvariae monte steterint.

QVOMODO Cherubini in monte Calvariae cernantur. *Pradus tomo 1. Comment. de prima visione.*

Matth. 27. ℣. 33.

COLLATIO Calvariae & Moriae.

Et si altius notionem nominis Moria perscrutemur, inueniemus hunc tandem esse montem diuini cultus, honoris, & reuerentiae, quo non tantùm Israëlitae Dominum olim timuerunt, quem nunc reuerentur ac timent; sed & eundem omnes homines & Angeli, & inferorum habitatores prae nimia reuerentia contremiscunt, eodem attestante Domino, quod *exaltatus à terra* omnia traxit ad se ipsum: in hoc enim monte *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum.* Hic est mons doctrinae Dei, ad quem sese mutuò inuitant omnes gentes, dicentes: *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius*; quas docuit nos Christus Dominus, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: absque dubio in montem Calvariae, ad quem *baiulans sibi Crucem exiuit*, & quò nos illum sequimur consimilium perpessionum imitatione. Huius meminit Matthaeus: *Duxerunt*, inquit, *eum, vt crucifigerent*; subditque: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus.* Marcus verò: *Et perducunt*, inquit, *illum in Golgotha locum; quod est interpretatum Calvariae locus.* At Lucas: *Et postquam venerunt*, inquit, *in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum.* Ac tandem Ioannes, qui multa paucis significanter expressit: *Et baiulans*, inquit, *sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, Hebraicè Golgotha, vbi crucifixerunt eum.* Quibus verbis Ioannes situm montis indicat, cùm ait, *exiuit*, extra portam videlicet ciuitatis, vt apertè in sacrificijs antiquis praefiguratum testatur Paulus: *Quorum enim*, inquit, *animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*: id quod in Leuitico praeceptum, & opere completum cernimus in Christo: & subdit: *Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*: antiquans vetus altare & antiqua sacrificia, atque in veteri Hierosolyma montem templi repellens, nouum exstruxit altare in Calvariae monte; cuius meminerat paulò antè Paulus: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*: ac si diceret; habemus altare nouum, in quo immaculati agni, extra vrbem in Calvariae monte oblati, carnes incruentae comeduntur, & sanguis viuus hauritur: quod quidem nouum altare iure, optimo vetus illud ita superat, vt nulli eorum, qui veteri tabernaculo, aut altari deseruiunt, liceat vllo pacto de hoc nouo altari edere, aut nobiscum participare. Hic ergo mons est, qui olim extra vrbem situs, nunc vrbe crescente ex ea parte vrbis moenibus vndequaque cingitur, vt infrà tractabimus.

Ioan. 19. ℣. 17.

Matth. 27. ℣. 31. et 33. Marc. 15. ℣. 22. Luc. 23. ℣. 33. Ioan. 19. ℣. 17.

Heb. 13. ℣. 11. Leuit. 4. ℣. 10. & 6. ℣. 30. et 16. ℣. 27.

ANTIquans vetus altare Christus, nouum sibi delegit in Calvariae monte.

Hebr. 13. ℣. 10.

Infrà lib. vlt. Vrbis.

Quod autem ad montis dispositionem attinet, situs erat ad Occidentem templi & vrbis, inter montem Sion & Salem, cuius meminit Hieronymus his verbis: Golgotha locus Caluariae, in quo Saluator pro salute omnium crucifixus est, & vsque hodie ostenditur in Aelia ad septemtrionalem plagam montis Sion. Haec ille. Aeliam verò vocat eam, quae nunc exstat, Hierosolymam, in qua septemtrionalis & occidentalis est Calvariae mons monti Sion. Mons autem Calvariae lapidosus est, neque aut nimia altitudine sublimis, aut amplitudine latè patens; vtpote cuius aream totam occupet magnificum illud templum à Constantino, siue ab eius sanctissima matre Helena exstructum. Quod ita immensum est, vt eius partes, quasi varia quaedam templa, describat Venerabilis Beda, quas omnes vnicum illud eximia sua magnitudine comprehendit. Montis verò huius, his verbis Beda meminit: Golgotha, inquit, Syrum nomen est, & interpretatur Caluariae. Est autem ipse locus in Aelia, tunc extra vrbem ad septemtrionalem plagam montis Sion. Haec Beda. Sed Calvariae locum dici Hebraicè Golgotha, non tantùm Ioannes, sed cum illo Euangelistae omnes affirmant. Quocirca duplex nobis pertractanda est quaestio, vtraque difficilis; vna de origine vocis; altera, quare huiusmodi nomen monti illi impositum fuerit. Quod ad priorem attinet, Ioannes expressè affirmat

CALVARIAE montis dispositio & situs.

Hieron. de locis Hebr.

Beda lib. de locis sanctis cap. 2.

QVAEstio duplex.

Ioan. 12. ℣. 32. Philip. 2. ℣. 8. & 9.

Isai. 2. ℣. 3.

Matth. 16. ℣. 24.

mat Hebraicè dici Golgotha: quam vocem deduci arbitramur à radice גלל galal, quae voluere, conuoluere, significat in Geneſi: *Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis, deuoluerent lapidem.* Et in libro Ioſue circumciſis filijs Iſraël: *Dixitque Dominus*, inquit, *ad Ioſue: hodie abſtuli*, Hebraicè גלותי gallothi, deuolui, *opprobrium Aegypti à vobis; vocatumque eſt nomen loci illius Galgala*, גלגל gilgal deuolutio, *vſque in praeſentem diem*; quaſi diceret, deuolutio opprobrij. Hinc fit vt caput hominis ob eius rotunditatem גלגלת gulgoleth, geminata prima ſyllaba, nuncupetur, & propriè hac voce cranium, ſeu caluaria ſignificetur: vt in libris Regum de Iezabele, à canibus exeſa: *non inuenerunt*, inquit, ex ea, *niſi caluariam*, Hebraicè הגלגלת hagulgoleth. Accipitur etiam figuratè nonnumquam pro toto homine: ſicut in Exodo: *gomor per ſingula capita*; Hebraicè ad verbum gomor caput, vel capiti. Quod aptiſſimè vulgatus interpres reddidit, vt ſenſum exprimeret: *Gomor per ſingula capita*, id eſt, in ſingulos homines. Quoniam autē vox Golgotha nonnihil variat ab hac radice; ideo non defuere, qui putarent deduci hanc vocem à Syriaca, vel Chaldaica Golgolta, caluariem ſignificante. At cùm & ab ea etiam Syriaca voce, deficiat Golgotha vnica littera, alij vel addendam putant, vel vſu conſumptam. Sed cùm maximè vrgeri ſe ſentiant huius opinionis auctores verbis Ioannis, expreſsè aſſerentis, Hebraicè dictum locum illum Golgotha, quam vocem reddit Latinam vulgatus, dicens: *quod eſt Caluariae locus*; ad duplex excogitatum Hebraicae linguae idioma confugiunt; alterum primitiuum & purum; alterum Chaldaicae linguae permiſtum, propter conſuetudinem cum Babylonijs, cum quibus verſati ſunt per ſeptuaginta captiuitatis annos, quo tempore Hebraeorum vulgus vtebatur Syrochaldaico idiomate, vel Hebraeochaldaico, cùm tamen ſapiētes viri, qui ſacra volumina euoluebant, primitiuam linguam, quam Grammatica inſtitutione diſcebant, puram, inuiolatamque retinerent. Quare cùm Euangeliſtae nomen loci exprimant, quod vulgò ferebatur, Golgotha ſcripſerunt: eandemque Hebraicam vocem eſſe dixerunt, quòd ea Hebraei vulgari, & communi ſermone vterentur. Verùm haec omnis idiomatum permiſtio licet alijs Euangeliſtarum locis adaptari poſſit; tamen interpretandae voci Golgotha ſuperuacanea videtur omnino: tum quia vox ipſa ſine vlla litterarum mutatione à radice Hebraica deduci facilè poteſt; nulla verò ratione à Chaldaica, niſi ל lamed litteram ſublatam intelligas. Atque hoc item meae ſententiae firmiſſimum argumentum erit: nam ſi in voce Golgotha, praedicta peregrinae vocis permiſtio admittatur; neceſſariò admittendum eſt, vocem non antiquiorem eſſe reditu è captiuitate Babylonica: quod abſurdum omnino videtur, & valde diſſonum ijs, quae mox de nominis interpretatione dicemus. Quibus adde, Lyranum putaſſe, eius mentionem fieri ab Ieremia, qui ante reditum è captiuitate prophetiam ſuam ſcripſit: dum enim muri nouae Hieroſolymae fines deſcribit, ſubdit: *Et circuibit* filum menſorium *Goatha, et omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuerſam regionem mortis*. Goatha enim eundem montem Golgotha putat ſignificare: & optimo iure, ſi circumſtantium locorum nomina perpendas. Vallis enim cadauerum nulla alia reperitur Hieroſolymis, praeter eam, quae ſita eſt inter Sionem & Caluariae montem, in quam proiecta fuit Crux Chriſti Domini, vnà cum latronum crucibus, quas ibidem inuenit religioſiſſima Helena, vt fuſius ſuo loco dicetur. Regio autem mortis nulla alia dici poteſt Hieroſolymis, niſi ea, quae ſontibus morte plectendis, in vertice montis Caluariae aptiſſimum praeſtabat locum.

Cineres. Septuaginta interpretes nomen hoc eſſe vallis cadauerum innuunt; ſic enim ſcribunt; πᾶσαν φαράγγα φαγαείμ καὶ ασοδοῦ, paſan pharanga phagarim chie ſpodu, id eſt, omnem uallem cadauerum, & cineris, ac ſi eadem diceretur vallis, quae alio nomine & cauſa, vallis dicebatur *cadauerum*. Et meritò quidem: in ipſa enim valle locus erat ſacris cineribus excipiendis, quae inibi ex altari aeneo exportabantur: ſed id ſuis locis oſtendemus.

Maximè etiam praedictam Lyrani ſententiam confirmare videtur ipſa nominis Hebraici notio. nam vocem געתה goghathah Chaldaeus paraphraſtes vertit, arcam rotundam: Septuaginta verò, circumdabitur in circuitu, addentes paraphraſticè, de electis lapidibus. eandemque vocem à radice גגל ghagal quidam deducunt, idemque ſignificare putant, quod vox גלל galal, quae voluere ſignificat; ac ſi dicant conuolutum, ſeu rotundum. Nos hanc vocem Chaldaico more formatam cenſemus, quo in idiomate Hebraicae litterae facilè permutantur, ל lamed in ת thau. Quare non immeritò ſic etiam dictum accipiemus Caluariae montem ob rotundam formam; è vallibus enim vndequaque circumiacentibus exſtabat. Neque huic ſententiae aduerſantur rationes Epiphanij mox afferendi, quibus probat nomen capitis, aut ſpeculae huic monti conuenire non poſſe: nam licet ipſe mons non ſit altior ceteris Hieroſolymae montibus; tamen ſatis altus eſt, & capitis formam praeſefert, id eſt rotundam. Significat etiam vox גלל galal ſtercus, ſic dictum, quia volutatur cùm verſtur; volutatum ad verbum redderes. Sicut hac voce vſus eſt Dominus, eiuſque ſignificationem reſpexiſſe videtur, dum iratus contra Ieroboam Regem Iſraël: *Et mundabo*, inquit, *reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet ſimus vſque ad purum*. Hebraea ſic verti poſſent: Et remouebo domum Ieroboam, quemadmodum remouebit (ſubaudi quiſpiam) הגלל hagalal ſtercus, ſimum, ita dictum, quia ab hominum conſpectu deuoluitur. Quae vocis interpretatio, ſi Hebraeorum iudicio ſtandum eſt, aptè quadrat Caluariae monti, ad cuius radices ſordes ſuperioris vrbis per portam ſtercoria egerebantur: ac multò aptius, quoniam ad eius verticem efferebantur ſontium vrbis ſordes, ſontes videlicet, qui ibi ſcelerum poenas dabant, atque vrbem ſcelerum inquinamentis purgatam relinquebant. Hunc locum deſignaſſe crediderim Iudaeos, cùm diabolica perſuaſione, ac propria malitia commoti, inſanis clamoribus à Pilato contenderunt, vt Chriſtum cruci affigeret, *Tolle tolle, crucifige eum*, Golgotha illi innuebant: ac ſi omne malum à ſe, ſuisque liberis his vocibus auerti deprecarentur, ac dicerent: auerte hominem hunc nequiſſimum ab aſpectu, & oculis noſtris, proijce eum in locum ſtercoris. Eandem auerſionem populorum, ac dedecoris notam hilari ac laeto animo adſcribere ſibi videtur ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus, cùm factum ait: *Tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema* περίψημα peripſema enim Graeca vox id quod abijcitur ſignificat à περὶ peri, quòd eſt circum, & ψάω pſao, rado, tergo, quaſi ramen-

Geneſ. 29. ℣. 3. *Ioſu. 5. ℣. 9.* *4. Reg. 9. ℣. 35.* *Exod. 16. ℣. 16.* *Matth. 27. ℣. 33.* *Lyranus.* *Ierem. 31. ℣. 39.* *Ioan. 19. ℣. 15.* *1. Cor. 4. ℣. 13.*

REGIO mortis locus damnatorum morti deſtinatus.

CINERES altaris vbi reponerentur.

VOCIS goatha notio.

CHALDAEI Hebraicas litteras facilè permutant.

CALVARIAE mons primo ſic dictus, quia rotundus & altus vt caput. *Epiphan.*

QVARE Caluariae mons dicatur ſtercoris.

PERIPSEMA quid ſignificet.

VOX Golgotha quare habita ſit à nonnullis Chaldaica.

DVPLEX Hebraicae linguae idioma.

VARIA idiomatum compoſitio nihil ad vocis Golgotha intelligentiā conducit.

QVAE vallis cadauerum fuerit Hieroſolymis.

ramentum, & purgamentum cuiusque rei, quod abijcitur: congruitque valde cum voce ghalal, quam interpretamur. Quasi diceret Paulus: equidem non dedignor despici, & quasi stercus reputari, quo similis Christo sim, in locum stercoris abiecto, & crucifixo. Configuratus ergo passioni illius; *non vt confundam vos haec scribo; sed vt filios meos carissimos moneo;* ne dedignemini me parentem compellare, & meis iussis obtemperare. *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui.* Ac propterea subdit: *Rogo ergo vos imitatores mei estote.* Verùm Christus Dominus in hanc deuolutus Golgothae ignominiam, Golgothae nomen in maximam gloriam euexit. Ergo si priorem illam, quam suprà attulimus, huius vocis significationem, atque etymologiam inspiciamus, erit Golgotha deuolutio nostri nimirum opprobrij, & totius nostrae ignominiae. Cuius gloriosissimi facinoris meminisse videtur Isaias, dicens: *Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, חלוט hallot hallot, inuolucri inuolucri, *super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de uniuersa terra.* Et huius loci interpretem egisse visus est Paulus haec scribens: *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti.* Ecce vinculum colligatum: nam membranis olim scribebantur chirographa & libri, quae conuoluebantur: ideo libri & chirographa vocantur inuolucra, & volumina. Huius ergo chirographi, seu voluminis faciem, qua scripta erat nostrae damnationis poena, deleuit Christus, atque ita deleuit, vt nullum exstaret chirographi vestigium; habet enim maximam vim vox illa *praecipitabit*, id est, absorbebit, vt nullum eius rei vestigium aut monumentum appareat. Huius verò chirographi vel inuolucri damna exaggerat Paulus, subdens: *quod erat contrarium nobis.* Et Isaias: *& telam, quam orditus est super omnes nationes*; hoc est, damnationem continentem; quam promeriti sunt mortales omnes, ac ceteros miseriarum laqueos & retia, quibus implicantur. Quò autem clarius pateat, quisnam sit mons ille glorioſus, in quo tam praeclarum, tam necessarium, tamque salutare facinus operatus est Deus noster, subdit Paulus: *Et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Ergo in monte hoc Crucis, *expolians principatus, & potestates, traduxit illos confidenter, palam.* Quod multo antea prophetauerat Isaias, dicens: *Praecipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de uniuersa terra.* Summis igitur in caelum laudibus efferatur Golgothae mons, vbi deuolutum est opprobrium nostrum, praecipitata mors, & omnis occasio & causa nostri luctus absorpta. Iam verò cùm Euangelistae omnes vocem Golgotha Caluariam vertant; qua de causa hoc nomen monti, de quo agimus, tributum sit, videamus. Neque enim nos iccirco alias attulimus huius vocis interpretationes, quod hanc non admittamus; sed quia vox ipsa plures recipit atque admittit explicationes.

Illud certè Euangelistarum testimonio satis apertè ac firmiter probatur, primaeua impositione, & communi populi acceptione receptum fuisse, vt hoc nomen Caluariam significaret. Atque hoc illud est, quod altera propositione examinandum suscepimus, quare sic dictus fuerit locus iste. Communis ac concors Patrum sententia recepit, vt rem antiquam, Hebraeorum traditione confirmatam, propter Adami primi hominis caluariam inibi sepultam, nomen hoc monti inditum iam olim fuisse. Patres autem, qui in hac sententia sunt, afferre nobis molestum non erit, vtpote qui multas afferant ad hanc rem confirmandam non leues coniecturas. Et primùm in hac sententia esse videtur Sanctus Hieronymus, de Hierusalem loquens: Antiquiora repetenda sunt, inquit: in hac vrbe, immo & in hoc tunc loco & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam. Vnde & locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Caluaria appellatur: scilicet quod ibi sit antiqui hominis caluaria condita: vt secundus Adam, & sanguis Christi de cruce stillans, primi Adam, & iacentis protoplasti peccata dilueret; & tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare, *qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Haec Hieronymus. Beatus verò Augustinus: Etiam hoc antiquorum relatione refertur, inquit, quod & Adam primus homo in ipso loco, vbi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Caluariae locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verò, fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat aegrotus. Et dignum erat, vt vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia; & sanguis ille preciosus, etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. Hactenus Augustinus. Sanctus Cyprianus: Nos ad Christum, inquit, pertinentes, cuius sanguine conspersa creditur Adam caluaria, qui ibi loco, quo crux Domini fixa est, humatus creditur ab antiquis, eiusdem sanguinis sanctificati elapsu laetemur, & delectemur in Domino. Haec ille. Iam Athanasius: Quapropter, inquit, non alibi patitur, neque in alia regione crucifigitur, nisi in Caluariae loco, quem Hebraeorum magistri dicunt Adami sepulcrum fuisse: ibi enim post maledictionem humatum esse asseuerant. Haec ille. Et Ambrosius: Haec est anima, inquit, euangelica, haec est de gentibus, &c. quam suscepit in Golgotha Christus, vbi Adae sepulcrum, vt illum mortuum sua cruce resuscitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Praeterea Origenes: Locus, inquit, Caluariae dicitur non qualemcumque dispensationem habere, vt illic, qui pro hominibus moriturus fuerat, moreretur. Venit enim ad me traditio quaedam talis, quòd corpus Adae primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus; vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluariae locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inueniat cum populo vniuerso, per resurrectionem Domini Saluatoris, qui ibi passus est, & resurrexit. Inconueniens enim erat, vt multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, & beneficium resurrectionis consequerentur; non magis ipse pater omnium hominum huiusmodi gratiam consequeretur. Haec Origenes. Sed & Theophylactus: Porro, inquit, Caluariae locum dicebant, quod illic (vt fertur) sepultus sit Adam: vt vbi principium

GLORIOsum Golgothae nomen.

Isai. 25. ℣. 7. & 8.

Coloss. 2. ℣. 14. et 15.

LIBRI quare voluмina vocentur.

CALVAriae mons quare dicatur.

RECEPTA Patrum sententia à primi hominis caluaria ibi sepulta nomen monti inditum.

S. Hiero. in epist. Pauli ad Marcel.

Ephes. 5. ℣. 14.

S. Aug. ser. 72. de temp.

S. Cypr. ser. de resurrec. Christi.

S. Athanas. de pass. Saluatoris.

Ambr. lib. 5. epist. 19.

Orig. tract. 35. in Mat.

Theophy. in Ioan. c. 19.

pium mortis, illic & casus eius fieret. Traditio enim Ecclesiastica est, quòd prima Iudaea hominem, postquam eiectus est ex paradiso, habitatorem habuit in solatium bonorum, quae in paradiso sunt, dataq. ei terra est illa, quae aliarum omnium regionum optima esset atque pinguissima. quocirca etiam mortuum hominem excepit prima. Illius igitur aetatis homines cadaueris cranium pro miraculo habentes, cùm iam cutis diffluxisset, in eo loco deposuerunt, atque inde locum denominarunt, & post diluuium fama haec à Noë in omnes diuulgata est. Ergo Dominus quoque illic moritur, vbi fons mortis, vt illũ siccet. Haec Theophylactus. Quae quoniam erratis respersérat Latinus interpres, ad Graeci textus veritatẽ accommodauimus. B

Chrysost. homil. 84. in Ioan. Sed & Sanctus Chrysostomus: Et exiuit, inquit, in eum, qui dicitur Caluariae locus, vbi quidã dicunt, Adam & mortuum & sepultum esse: & IESVM, vbi mors dominata est, ibidem trophaeum erexisse, hoc est, Crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem. Ceteris autem omnibus fusius idem

Epiph. lib. 1. contra haeres. haeres. 46. argumentum persequens Epiphanius, cùm in haeresim Tatiani, asserentis Adam saluum non fuisse, inueheretur, post alia argumenta subdit: Etiam in libris reperimus, Dominum nostrum IESVM Christum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi, quàm vbi corpus Adam iacebat. Egressus enim de paradiso, cùm habitasset è regione illius multo tempore, & per (ad, corrigo) multos dies peruenisset, postea abijt eò, & in loco hoc Hierosolymorum videlicet, debitum naturae persoluens, illic sepultus est in loco Golgotha, vnde meritò cognomen habuit locus, quem cranij siue caluariae locum interpretantur. Cuius nominis similitudinem aliquam figura loci non ostendit. Neque enim in altitudine quadam situs est, vt hoc cranium interpreteris, velut in corpore capitis locus dicitur: neque speculae interpretationem facere possis; nam neque reliquis locis altior est. E regione enim est Olineti mons altior, & à signis (hoc est milliaribus, quod Romani dicerent, lapidibus, quia singula milliaria lapidibus singulis signabant) octo, Gabaon est altis- D sima. Sed & altitudo, quae olim erat in Sion, nunc verò diiecta est, etiam ipsa altior loco illo fuit. Vnde igitur cognominatio Caluariae est? immo quia primum formati hominis Adam Caluaria illic inuenta est, & illic reliquiae sitae erant, ea de causa cranij locus cognominatus est. In quo crucifixus Dominus noster IESVS Christus, per aquam & sanguinem, qui fluxit ab ipso per compunctum ipsius latus, in aenigmate salutem nostram ostendit, ab initio massae primi patris reliquias respergere auspicatus; quo etiam nobis ostenderet, respersionem sanguinis ipsius ad mundationem nostrae inquinationis, & animae paenitentis, & in exemplum, rigationis, ac E purificationis sordium peccatorum nostrorum factam esse; effusam videlicet aquam super iacentem suo loco, & sepultum in spem ipsius & nostram, qui ex ipso geniti sumus. Quare & hic implebatur,

Ephes. 5. v. 14. quod dictum est. *Surge qui dormis*, & resurge ex *mortuis*, & illucescet tibi Christus. Etiamsi enim de nobis dicit, qui mortificati sumus operibus, & in profundo ignorantiae somno dormimus: attamen illuc principium insinuationis nodum continet, &

Matth. 27. v. 52. & 53 non simpliciter, neque otiosè: surrexerunt enim, inquit, multa corpora Sanctorum, velut Euangelium habet, & ingressi sunt cum ipso in ciuitatem sanctam. Hactenus Epiphanij verba retulimus. Nunc extremo loco Basilium audiamus, qui auctoritate qua pollet maxima, sententiam hanc nostram ita communit, vt nullo pacto conuelli posse videatur. Atque eum ego lubens ac prudens ad finem reieci, vt eius singula verba legentium animis infigerentur. Obtinuit fama quaedam, in Ecclesia memoriam conseruans, non quidem scripto proditam, quae & talis est; quod prima vtique Iudaea hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit delicijs paradisi, in hac terra collocatum, ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plenè est exsecutus. Itaque insolens esse ac nouum videbatur illius aetatis hominibus spectaculum, os capitis defluente carne nudum. At illi recondentes cranium, loco illi nomen indidere κρανίον cranion, id est, Caluariam. Probabili ratione potuit Noë non ignorasse sepulcrum principis huius, & mortalium omnium primigenij; siquidem hac de re fama à diluuio mox per orbem propagata est ab ipso, & dimanauit, eoque Dominus excussa origine humanae mortis, in loco, qui κρανίον cranion dicitur, id est Caluaria, passus est, vt quo in loco corruptio, siue mors hominum initium accepit, illic vita regni suum sumeret exordium. Haec Basilius. Quae omnia Patrum testimonia eò libentius ad verbum retuli, quò facilius posset, qui oppositam vellet tueri sententiam, testimoniorum, & rationum momenta iusta lance perpendere, priusquam sententiam tot tantorumque Patrum consensione receptam reijcere, aut respuere audeat, sibi id licere putans, alijs Hieronymi testimonijs innixus. Neque enim defuit, qui haec scriberet: Hanc tamen traditionem, tamquam fabulam mulcendis auribus populi excogitatam, iure reijcit idem Diuus Hieronymus. Quae quidem verba, vt sana mente prolata recipimus, ita existimamus considerandum omnino fuisse tanto viro, quam ex huiusmodi verbis occasionem debacchandi in sanctos Patres, arrepturi sint petulantes haeretici, si nos ipsos, qui omnem illis honorem exhibendum profitemur, audiant dicentes, sanctos Patres fabulis plerumque delusos, atque excogitatis figmentis fidem adhibentes, suis ipsos & auctoritatem monumentis & scriptis abrogasse. In quo quidem cuperem, vt cuius sequi se putat Hieronymi sententiam, imitaretur modestiam. Is enim sic scribit: Audiui quendam exposuisse Caluariae locum, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput: & hoc esse quod Apostolus dicat: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Fauorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Quibus verbis annectit Hieronymus rationes, quibus commotus, non sibi vera sententia videatur. Quocirca mihi omnino persuasum est, Hieronymum aduersus vnum aliquem tantummodo disputantem ita scripsisse; at si tot grauissimorum Patrum audisset ipse sententias, in hanc vnam rem conspirantes, qua erat modestia praeditus, & ingenij liberalitate, eisdem vltro subscripsisset, aut validiora certè fundamenta suae sententiae subiecisset; quibus tantorum virorum auctoritates, & rationum pondera sustineret. Quare non quid tum senserit Hieronymus, sed quid sanctissimus Pater, & doctor egregius (cuius vestigiis insistere

Basilius. in Isa. cap. 5.

NON est tantorum Patrum contemnenda sententia.

Hieron. super Matth. 27.

sistere & cupimus, & maximè profitemur) iam sentiret, si ad nostra tempora peruenisset, considerantes eiusdem rationum vim, & argumentorum pondera quantum premant, examinare non dubitabimus.

Prima igitur ratio, quam assignat Hieronymus haec est: Quia extra vrbem, inquit ille, & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum: & caluariae, id est, decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij. Secundam verò assignat rationem, subdens: Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, vt sanguis ipsius super Adae tumulum distillaret: interrogemus eum, quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sint? Haec Hieronymus. Nos tamen certam quandam excogitabimus respondendi rationem, quae vtramque sententiam concordet; quamuis non desint ex neotericis grauissimi viri, qui priorem rationem absolutè negent, quia decollare Hebraeis non fuit commune; quod quidem nos confirmare possemus; quia inter omnia supplicij genera, quae malefactoribus censentur in sacris, nulla decollationis fit mentio. Quibus addi etiam posset Iacobum Maiorem, quem occisum ab Herode gladio tradit Lucas, in vna ex plateis Hierusalem longè dissita à Caluariae loco decollatum fuisse, vt ex aliorum sententia probat Adrichomius. Quare vel Iudaeis non fuit decollandi vsus, vel non fuit destinatus Caluariae locus decollandis. Sed esto, demus hunc etiam decollatorum locum fuisse, numquid propterea eorundem capita seu crania palsim inhumata cerni possent? ex quorum frequentia facilè vulgus eraniorum locum posset compellare, vt quidam pias potius, quàm veras pertexentes meditationum formas, autumant. At lege sancitum Hebraeis fuerat, ne damnatorum corpora inhumata manerent vsque ad sequentem diem; & rationem subdit lex: *Et nequaquam*, inquit, *contaminabis terram tuam*, ne fontium cadaueribus terra contaminari, aut infici posset. Quibus omnibus rationibus non obstantibus, nos vltro concedamus Hieronymo, Caluariae locum dici potuisse, quia locus damnatorum fuit. Nam vt Latinis mos est, caput pro vita vsurpare: & capite plectendos vocare non tantum eos, quibus caput amputandum est, sed omnes vita multandos: & capitale crimen dicere, quod morte dignum est: idem ipsum apud Hebraeos in vsu fuisse, facilè conijcere possumus. Cuius rei exemplum aliquod apud Danielem exstat, dicentem vtrique peruerso seni seorsim: *Rectè mentitus es in caput tuum*, id est in damnationem capitis vel vitae tuae; cùm tamen lapidati credantur senes illi, non capite multati: atque eodem pacto locus Caluariae, vel capitis, quod sonant Hebraea, posset dici, quasi capitalis, hoc est, damnatorum capitis. Haec inquam omnia etiamsi concedamus; ac demus illi praeterea, locum hunc capite damnatorum supplicijs destinatum fuisse; num propterea negare cogemur ibi sepultum quoque fuisse Adamum, capite damnatorum primum; in quem prima mortis sententia lata fuit, immo & per quem, teste Paulo, omnium hominum *mors*? *Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quinimmo & iccirco dicemus eum locū delectum à Christo, vt primi & reliquorum mortuorum destrueret mortem moriens, & vitam resurgendo repararet. Itaque nihil inde sequitur incommodi, aut absurdi, si cum tot Patribus, & antiqua traditione asseramus, ibi sepultum Adamum, & propterea dictum Caluariae locum; & praeterea cum sanctissimo Hieronymo affirmemus, ibidem capite damnatorum locum fuisse; quapropter etiam Caluariae, seu capitalis mons compellari potuerit. Tertiam quoque subiungit rationem Hieronymus: Adam verò, inquit, sepultum iuxta Hebron & Arbee, in Iesu filij Naue volumine legimus. Loeus autem, quem citat, sic habet: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est, & terra cessauit à praelijs.* Quem locum ex Hebraeo sic vertit Vatablus. Porro nomen Hebron antea fuit Kiriath, Arba: fuit enim, Arba, homo magnus inter Anachim, & terram quietam habuit, &c. Eundem locum luculenter explicat atque interpretatur Toletus in haec verba: Erat Arbee nomen viri magno corpore, à quo ciuitas illa nomen prius acceperat, vt à Romulo Roma, ab Aelio Aelia: & sic legendum videtur: antè vocabatur Cariath Arbe, homo maximus inter Enacim ipse. In Origene non habetur, *situs est*, sed maximus inter Enacim ipse: hoc est, erat homo quidam eximius & praecellens Arbe, à quo nomen accepit ciuitas. Haec Toletus. Quae mirificè confirmantur ex eo, quod tradunt Hebraei, Adam non esse nomen proprium, sed commune speciei humanae, quod saepe hominem interpretatur vulgatus, nec potuit aliter contextum exprimere, vt in Genesi: *Et homo non erat, qui operaretur terram.* Et iterum: *Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terrae, ab homine vsque ad animantia.* Et aliàs saepe. Quibus omnibus adiungenda videtur interpretatio, quae habetur in indice biblico, Chariath Arbe, ciuitas quattuor, sic dicta ab Arbea, siue Arba, qui illam condidit, aut illi praefuit: non autem à quattuor Patriarcharum Adam, Abraham, Isaac, & Iacob, qui ibi sepulti sunt, sepulcris, vt quidam interpretantur. Hoc autem nomen sortitus est gigas, qui quattuor viris robore praestaret. Verumtamen, licet admittere vix posse videatur textus Iosue, sensum de primo homine, sepulto in Hebron: si tamen propter Diui Hieronymi auctoritatem admittamus Adamum primum hominem in Hebrone prius sepultum, non continuo reijcienda videtur tantorum Patrum sententia, sed vtraque stare poterit, praesertim si legatur Iacobus Edessenus Syrus, qui affirmat traditione Patrum in Ecclesijs Syriae receptum fuisse, quòd ossa Adami ex Hebron translata à Patriarcha Noë, tempore inundationis, filijs suis fuerint distributa, & quòd Sem caput Adami acceperit, illndque in Caluariae loco sepeliuerit; cui traditioni assentitur Rab Simeon Hesraita.

Aliam longè ab ijs omnibus diuersam huius nominis explicationem adinuenit Honcala, nempe Golgotha dictum non tam à caluaria Adae, quàm à Saulis capite, quod fuspensum fuit in templo Dagon; quam qui sequi voluerit, eius argumentum roboret, quia nobis nihil probat haec, qua vtitur, coniectura: Caput Regis Saul affixum est in templo Dagon: ergo ab eo, non ab Adami capite denominatur Golgotha Caluariae locus. Verùm Honcalae sententiam aliorum iudicijs relinquamus; nostra aliò flectatur oratio.

DE FVN-

DECOLlare non cõsueuerunt Hebraei.

Act. 12.

Adrichom. de Hierusalem. n. 47.

PRIMA ratio soluitur.

Deuter. 21. ℣. 23.

DAMNAtorum locus Caluariae mons.

CAPITALE crimẽ quodnam dicatur

Dan. 13. ℣. 55. 59.

ARGVmento secundo fit satis. *1. Cor. 15. ℣. 21. & 22.*

ET PROpter Adami caput, & propter capite ibidem damnatos Caluariae mons dicitur.

TERTIA ratio explicatur.

Ioſu. 14. ℣. 15.

VTRVM in Hebron fuerit sepultus Adamus. *Vatabl.*

Toletus not. 12. in cap. 19. Iosu.

CHAriath Arbe vnde dicta.

ADAM non est nomen proprium, sed commune speciei. *Gen. 2. ℣. 5. & c. 6. ℣. 7.*

Iacob. Edessenus.

Rab. Simeon.

Honcala c. 11. Sam.

DE FVNDATIONE ARCIS IEBVS.

Cap. X.

POST designata vrbis fundamenta, quae in montibus sanctis iacta testatur Propheta, montibusque ob oculos positis; iam par est, vt eiusdem vrbis fundationem perscrutemur. Et primùm sese nobis offert arx Iebus, in vertice montis Sion exaedificata, vt clarè patet ex libris Regum, & Paralipomenon, referente sacro textu, quia, *Abijt quoque Dauid, & omnis Israël in Ierusalem: Haec est Iebus, vbi erant Iebusaei habitatores terrae, &c. Porro Dauid cepit arcem Sion &c. Habitauit autem Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid.* Ex quibus verbis hoc primùm conuincitur, castrum seu arcem, siue malis vrbem illam vocare, quae in monte Sion exstructa fuerat, dictam fuisse יבוס Iebus, quicquid dicat Massius, qui leui coniectura ductus, contra textum sacrae scripturae negat hoc nomen loci fuisse, sed tantùm habitantium in eo. Verùm id falsum esse ostenditur hac ratione. Nam vt ex historia Iosue habemus, nomen loci fuit יבוס Iebus, at habitantium יבוסי Iebusi; ita ex libro Iudicum apertè colligimus, vrbem ipsam appellatam Iebus: *Noluit*, inquit, *gener acquiescere sermonibus eius, sed statim perrexit, & venit contra Iebus, quae altero nomine vocatur Ierusalem.* Ecce sacer textus manifestè testatur, altero nomine vocari vrbem Iebus, altero Hierusalem: cumque Hierusalem nullus dixerit esse nomen habitantium, non verò vrbis; immo propterea habitantibus nonnumquam tribuitur, quia vrbis est idem de nomine Iebus dicendum videtur. Verumtamen nomen Iebus à primo vrbis conditore vrbi est inditum. Is autem fuit tertius filius Chanaan, quarti filij Cham, secundi filij Noë, prout habetur in Genesi; vbi etiam enumeratis omnibus filijs Cham, terminisque terrarum, quas incoluerunt, subditur. *Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis.* Ex quibus testimonijs certum est, hos omnes filios Cham, siue etiam Chanaan, quorum habitationis termini ibi assignantur, habitatores terrarum, gentiumque parentes fuisse: quibus etiam varia linguarum idiomata in confusione Babel obtigerunt. Quare cùm Iebusaei nomen nusquam aliàs reperiatur, nisi in arce Hierusalem, eam à praedicto Iebusaeo Patriarchae Noë pronepote conditam fuisse certò conijcimus. Quae quidem omnia testari videtur Iosephus, qui eadem ferè verba sacri textus referens, nonnulla subdit, quae textus interpretationi conducunt, scituque iucunda sunt: Chananaeo quoque, inquit, filij fuerunt hi: Sidonius qui & vrbem sibi cognominem condidit in Phoenice, Sidonem à Graecis vocatam. Amathus vero Amathem habitauit, quae adhuc exstat, & ab accolis Amathe vocitatur: tametsi hanc Macedones Epiphaniam, ab vno è Regum successoribus, denominauerunt. Aradaeus Aradum insulam obtinuit. Arucaeus Arcem vrbem in Libano sitam. Ceterorum septem, Heuaei, Chethaei, Iebusaei, &c. praeter nomina nihil in sacris codicibus superest: nam Hebraei vrbes eorum exciderunt, Haec ille. Atque huius cladis causam irrisi patris ludibrium assignans, post pauca subdit: Sensit hoc Noë, & precatus alijs filijs felicitatem, ne Chanaan quidem diris deuouit, respectu sui sanguinis, sed tantùm eius posteros: quas cùm ceteri euasissent, Chananaei liberos vltio diuina est consecuta. Haec Iosephus. Sed Iosephum relinquamus. Nos etiam exploratorum testimonio, qui Moysis iussu terram Chanaan perlustrarunt, habitatorem Sionis Iebusaeum fuisse comprobemus. Hi ergo cùm à se cognita, atque oculis explorata Moysi atque Aaroni referrent: *Amalec*, inquit, *habitat in Meridie, Hethaeus, & Iebusaeus, & Amorrhaeus in montanis.* Quibus argumentis facilè conuincitur, quam antiqua fuerit fundatio, & cognominatio arcis Iebus, nempe à temporibus filiorum Noë. Quae cùm ita sint, apertè fateor quiddam me intelligere non posse, quod Hieronymo adscribitur. Hieruſalem enim, is inquit, in qua regnauit Adonibezec, & post eum tenuere Iebusaei, è quibus fortita est vocabulum, quos multo pòst tempore Dauid exterminans, totius eam Iudaeae prouinciae metropolim fabricatus est. Quibus verbis multa inuenio, quae à Hieronymi phrasi, eiusque rerum summa comprehensione abhorrent vehementer. Quare ab eo minimè scripta fuisse hac non leui coniectura ducor. Affirmat enim in primis Adonibezec Regem fuisse Hierusalem. At longè diuersum est nomen Adonibezec, Regis aut domini ciuitatis Bezec, cuius fit mentio in libris Iudicum, quem *caesis summitatibus manuum eius, ac pedum*, adduxèrunt filij Iuda *in Ierusalem, & ibi mortuus est*. Longe, inquam, diuersum est ab Adonisedec, qui Rex Hierusalem dicitur in libro Iosue, quem, vnà cum quattuor alijs Amorrhaeorum Regibus, debellatis eorum copijs, & ab omnibus exercitus sui principibus conculcatis, *percussit Iosue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites*. Quae duorum Regum nomina licet Graecè ac Latinè, & prolatione, & litterarum notis diuersa sint: Hebraicè tamen ita penitus inter se & prolatione, & litteris distant, vt nullum dubitationi locum relinquant vlli, praesertim Hebraicarum litterarum elementis erudito. Etenim illud אדניבזק Adonibezec scribitur in libro Iudicum: hoc verò אדניצדק Adonitsedec in libro Iosue: quorum nominum duae radicales litterae ita diuersae sunt, vt ab Hebraicis numquam permutari soleant, nisi cùm vocis significatio omnino mutatur. Quare in Hieronymum, Hebraicarum litterarum peritissimum nulla ratione cadere potuit similis alucinatio. Secundò affirmat post Adonibezecum, habitatam Hierosolymam à Iebusaeis: & tamen, si sacrae scripturae annales euoluantur, facilè inuenietur, Adonisedecum Regem Hierosolymorum, posteriorem aetate fuisse Iebusaeo plus quingentis annis. Mitto Adonibezecum, posteriorem & ipsum fuisse Adonisedeco: tantum dico, quomodo fieri potuit, vt Iebusaeus, qui annis quingentis praecessit tempora Adonisedeci, posterior illo obtinuerit ciuitatem? Sed posset aliquis dicere, filios seu posteros Iebusaeorum obtinuisse Hierosolymam post Adonisedecum. Verùm hunc iterum interrogarem, vbinam habitauerunt Iebu-

ARX IEBUS in vertice montis Sion exstructa fuit. 1. Par. 11. ℣. 4. 5. & 7.

Masi in Iosu. 10.

IEBVS EST nomen loci, Iebusaei habitantium in eo. Iudic. 19. ℣. 10.

NOMEN Iebus à primo conditore accepit ciuitas.

Genes. 10. ℣. 20.

PRIMVS Vrbis Iebus cõditor fuit pronepos Noe, sic dictus.

Iosepb. 1. antiq. c. 6.

Num. 13. ℣. 30.

QVAM antiqua fuerit fundatio & denominatio arcis Iebus.

Hieron. de locis Hebraicis.

IN QVO differant Adonibezec Rex Bezec, & Adonisedec Rex Hierusalem. Iudic. 1. ℣. 6. & 7. Iosu. 10. ℣. 5. & 26.

IEBVSAEI non fuerunt aetate posteriores Adonisedeco.

Iebusaei isti quingentis illis annis ? necesse enim erat illam priorem regionem ab eisdem esse denominatam, vt ex textu Geneseos supra allato facilè conuincitur. Assignatur enim in eo filijs Cham possessio terrae Chanaan, per cognationes, & linguas, & generationes, terrasque, & gentes. Quorum quidem priorum terrae incolarum superbam perpetuae gloriae praesumptionem reprehendere videtur Psaltes, dicens: *Sepulcra eorum domus illorum in aeternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis.* Vel vt habent Graeca ἐπεκαλέσαντο epecalesanto inuocauerunt nomina sua in terris suis. Vel vt Hieronymus vertit: vocauerunt nominibus suis terras suas; quasi dicat: sperantes perpetua hominum memoria posse permanere, nomina sua imposuerunt terris suis, quas videlicet antea condiderant. Falsi tamen deceptique omnino sunt: cùm ciuitates, palatia, habitationes magnificas alijs habitandas reliquerint; sibi ipsis domorum, ac tabernaculorum vice solum obtigetit sepulcrum, in quo permanebunt in longa saecula, donec succedentibus alijs, & alijs generationibus, nominum eorum memoria omnino aboleatur, & euanescat.

Psal. 48. ϒ. 12.

Hieronym. QVI NOminis sui perpetuam durationem affectantes magnificis aedificijs illud imposuerunt, alijs aedificia sibi ipsis sepulcra cum aeterna oblitione hereditanda reliquerunt.

Sed ad institutam disputationem redeamus. Cùm nusquam alibi inueniatur Iebusaeorum memoria, quàm Hierosolymis; dicendum omnino arbitramur, Iebusaeum primùm eius conditorem fuisse, saltem quod spectat ad illam vrbis partem, quae, incolentibus Iudaeis Hierosolymam, nomen Iebusaeorum vsque ad Dauidis tempora retinuit. Nam altera eius pars dicta Salem, à Melchisedeco condita & habitata, successoris Adonisedeci habitatio fuit & regnum, vt infrà latius.

NOMINIS Iebus etymologia.

Nunc demum de ipsa nominis etymologia, quamuis non sit proprium loci, illi ob insigne aliquod facinus vel monumentum impositum, sed viri proprium, vt vidimus, aliquid dicamus. Nam licet similium nominum interpretationem quaerere superuacaneum videatur; tamen quia primi illi Patriarchae, mirabili quadam sapientia, ac velut prophetico spiritu rebus nomina imponebant (quod significare voluisse videtur Moyses in Genesi, dicens: *Omne enim quod vocauit Adam animae viuentis, ipsum est nomen eius*) ob maximam rerum & vocum cognationem, nomina ipsa aptissimè rerum naturas indicantia; eorum interpretationem inquirere neque à nostro instituto alienum, neque minus vtile iudicandum est. Nomen ergo יבוס Iebus à verbo בוס bus deduci videtur Bedae, & Ariaemontano, quod spernere, calcare, conculcare propriè significat; & ad plura alia transfertur significanda, vt videre est in psalmo: *In Deo*, Dei ope & auxilio, *faciemus virtutem*, fortia & potentia, hoc est, fortissimorum militum facinora. *Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*; Hebraicè יבוס צרינו iabus tsarenu, calcabit, spernet inimicos nostros. Et iterum: *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*. Ex Hebraeo verti potest, conculcabimus, vel spetnemus. Quare Iebusaeus posset interpretari, conculcator, spretor. Nec immeritò sic dicerentur Iebusaei, si ea, quae Dauidi in eorum expugnatione acciderunt, consideres. Quod enim facta historia refert de caecis, & claudis, in moenibus collocatis, id omne in contemptum Dauidis à superbissimis arcis incolis, munitionum firmitate fretis, factum fuisse testatur Iosephus. Quo ludibrio ad iram concitatus Rex, arce expugnata, deletisque Iebusaeis, eorum quoque nomen abolendum curauit, nec eam amplius ciuitatem Iebus, sed ciuitatem Dauid voluit appellari. Quae omnia facta respexisse videtur Euangelicus propheta Isaias, dum nouum Sionem, nouam Iebus, & nouum Dauid, iuxta veteris Melchisedeci sacerdotium, & regnum venturum, ob oculos ponit, & veluti eisdem colotibus exprimit. Quae singula si quis planè percipere volet, attentè legat caput eiusdem prophetae sexagesimum secundum cum sequenti: nos enim duo tantùm vel tria eorundem verba perstringemus: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam*. Magna enunciaturus de Christo Domino Propheta, stylum acuit, orationem exornat, verba componit, & varijs Rhetorum floseulis singulas orationis periodos atque ambitus illustrat. Ac primò extenuatione vtitur, λεπτόνσις leptotiti Graecis dicta, hypetbole omnino contraria, qua figura minus dicimus, quàm significare volumus. Est figura poëtis frequentissima, vt apud Virgilium:

Genes. 2. ϒ. 19.

PRIORVM Patriarcharum nomina quid significent, inquirere vtile est, aliorum verò supernacaneũ.

Beda & Ariasmont. in indice nominum Hebraic.

Psal. 59. ϒ. 14.

Psal. 43. ϒ. 6.

QVARE Iebusaeus dicatur spretor.

Ioseph. 7. *antiq.* c. 2.

Isai. 62. ϒ. 1.

EXTENVAtio figura Rhetorica, eiusque exempla.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Virgilius Aeneid. 1.

Hoc est, miseris omnino experta, miseris compati & subuenire disco. Et iterum:

Munera nec sperno.

7. Aeneid.

Sed libenter accipio. Sic etiam Paulus: *Dilectio proximi malum non operatur:* quasi dicat, omne bonum operatur. Et hanc interpretandi rationem probat adiacens consequentia: *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et iterum: *Obedite praepositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis.* Et hoc pacto locum hunc intellexisse videtur Basilius: Nam mea, inquit, sententia, hoc quod hic dicitur, non expedire, magni cuiusdam detrimenti, & inexpiabilis iacturae significantiam habet. Iuxta hunc ergo interpretandi morem Isaiae sensus erit, perpetuò annunciabo Sioni, vel Sionis causa numquam praetermittam enunciare Hierosolymae, *donec egrediatur, vt splendor, iustus eius, & saluator eius, vt lampas, accendatur.* Praeterea hisce verbis Hebraica vox צדקה tsidcah, reperitur expressè, quae Melchisedeci primi Regis Hierosolymae nomen componit, quod Rex iustitiae explicatur: atque omnino indicat Prophetam ad illum respexisse, cùm hunc nouum Regem, quem venturum promittit, iusium, immo verò ipsam iustitiam fore pronunciat; cuius Regis sanctissimum nomen IESVS indicat alterum nomen ישועתה veiisughathah Saluator, vel salus eius. Illud autem ineffabile mysterium IESV Christi Saluatoris, & iustitiae nostrae, per quem saluati & liberati sumus, nempe quòd sit natus in caelo sine matre, & in terra sine patre, quod silentio praetermissa Melchisedeci genealogia indicari testatur Paulus, id ipsum mirificè indicauit Isaias duplici illa maximè significanti comparatione. Quarum prima illis verbis continetur: *Egrediatur vt splendor:* eamque interpretatus Paulus: *Qui cum sit*, inquit, *splendor gloriae*, & quae sequuntur. Quapropter aptissimè canit in symbolo mater Ecclesia: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Altera verò comparatio lampadis aptissimè indicat incarnationem eiusdem Filij Dei, qua splendor ille Patris coniunctus est cum nostra carne, haud secus quàm ignis cum teda, vel facula. Hunc autem splen-

Rom. 13. ϒ. 10.

Hebr. 13. ϒ. 17.

Basil. constit. Mon. cap. 22.

CHRISTVS Rex iustitiae.

CHRISTVS splendor Patris propter aeternam generationem dicitur.

Heb. 1. ϒ. 3.

Symbolo Nicaeno.

LAMPAS accensa Christus propter incarnationem, quà diuinus Patris splẽdor quasi ignis tedae, carni copulatur.

splendorem egredientem vel illucescentem, hanc lampadem accensam, hanc iustitiam, & hanc salutem, hunc, inquam, iustum, vel iustificantem Saluatorem Sioni, & Hierosolymae proprium esse testatur; quoniam propter Sionem, hoc est Ecclesiam Catholicam, propter nos, inquam homines, & propter nostram salutem descendit de caelis; & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. *Et videbunt gentes*, id est non tantùm Israël, *iustum tuum*, vbi idem Melchisedeci nomen repetitur, sed *& cuncti Reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*. Et hoc nomen licet multis modis interpretetur Propheta, multisque nominibus explicare contendat, cuiusmodi sunt: *Corona gloriae, diadema regni, voluntas mea in ea, laudem in terra, populus sanctus, redempti à Domino, quaesita ciuitas*: tamen his omnibus praeclaris titulis non sibi videtur feciſſe satis Propheta, donec vrbi inderet à conditore nomen, quasi diceret. Vocabaris olim Iebus, hoc est, conculcatrix, propter conditoris & incolarum superbiam; at deinceps non ita, sed Iebus, propter saluatoris tui virtutem & potentiam, nominaberis. Hoc enim significare videtur admiranda illa sequentis capitis apostrophe. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* atque responsum dicentis: *Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum*. Hic enim post explicatam de calcato torculari parabolam, eius interpretationem subdit, dicens: *Et conculcaui populos in furore meo*, Hebraicè וארום עמים veabus ghamim, verbum ab eadem radice deductum, à qua suprà nomen Iebus deductum fuisse probauimus. At haec omnia ad Christi Domini passionem, & mortem referri Catholicorum nullus dubitauit; quae quidem passio Hierosolymis expleta, totum terrarum orbem suis singularibus meritis compleuit. Ibi namque de morte, daemone, peccato & inferno speciosissimum Christus Dominus retulit triumphum. Verùm ne longiores plus iusto in hac re videamur, ad alia perabimus: Hieronymus enim aliam ex etymologia huius & aliorum vrbis nominum longè diuersam theoriam deducit. Totum, inquit, mysterium nostrum istius prouinciae, vrbisque vernaculum est, in tribus nominibus Trinitatis demonstrat fidem, Iebus, Salem, & Hierusalem: appellatur primum nomen calcata, secundum pax, tertium visio pacis. Paulatim quippe peruenimus ad finem, & post conculcationem ad pacis visionem erigimur. Ex quo Salomon, id est, pacificus, in ea natus est, & factus est in pace locus eius: & in figura Christi, sub etymologia vrbis, Dominus dominantium, & Rex regum nomen accepit. Ita Hieronymus. Sed pergamus ad reliqua, ipsamque vrbis faciem ac partes singulas deinceps perlustremus; quae enim de eius expugnatione dicenda videbantur hoc loco, ea commodius post hanc disputationem afferemus.

VARIA & glorioſa Hieroſolymae nomina. *Iſai. 62. ℣. 3. 4. 7. & 12.*

HIERVSAlem quae olim propter incolarum ſuperbiam vocabatur Iebus, nunc ita vocatur propter Saluatoris virtutem & potentiam. *Iſai. 63. ℣. 1. & 6.*

Hieron. ad Marcell. vt commigret Bethlehem.

FVNDATIO VRBIS SALEM, & duplicem fuisse vrbem. Cap. XI.

DVOS praecipuos ac nobiliſſimos montes ſuis moenibus coërcuisse Hieroſolymam, Acram videlicet ac Sionem, ſuprà indicauimus, ac de Sione aliqua ſcitu non indigna paucis perſecuti ſumus; nunc alteram vrbis partem in Acra monte ſitam contemplemur. Atque haec vrbis pars, quae Boream reſpiciebat, non modo aedificijs non caruit, ſed aedium ſplendore ac magnificentia, viarum amplitudine, atque alijs ornamentis meridianae parti praeſtitit: quamuis ab ea viciſſim, loci naturali & artificioſa munitione, ac firmitate longè vinceretur. Aedificata enim in Acra monte fuerat celeberrima, eademque antiquiſſima vrbs Salem, eo nomine (vt ſuprà oſtendimus) nuncupata, quod & partium mutua conſenſione ac ſymmetria, & earundem pulcritudine atque elegantia, & conſpicua eſſet nomine, & omnibus ferè numeris abſoluta. Huius autem ſit mentio in Geneſi, vbi refertur Melchiſedecum Regem Salem, obuiam veniſſe Abrahamo. Probandum tamen eſt hoc loco, quod & alibi innuiſſe viſi ſumus, duplicem vrbem fuiſſe: ex quo facilè conſtabit, hanc vrbem Salem, in monte Acra, nempe boreali vrbis parte ſitam: quoniam praecedenti capite ſatis probatum eſt, vrbem Iebus in meridiano monte Sion exaedificatam fuiſſe. Et primùm quidem hoc, quod agimus, aliqua ex parte probat allatum Ioſephi teſtimonium, referentis has duas vrbes, vſque ad ſua tempora, ſuperioris & inferioris nomine fuiſſe diſtinctas. Quod magis confirmari videtur ſacrae ſcripturae teſtimonijs. Et primùm patet eodem adducto Geneſis loco, quo Melchiſedecum Abrahami tempeſtate Regem fuiſſe Salem teſtatum habemus, qua tempeſtate Iebuſaeos quoque arcem Sion incoluiſſe ſatis probauimus capite praecedenti. ergo affirmemus etiam neceſſe eſt, alteram vrbis partem tenuiſſe Iebuſaeos, alteram Melchiſedecum. Sed adhuc firmius ex hiſtoria Ioſue argumentum deſumitur: in ea enim Adoniſedeci Regis Hieruſalem fit mentio, & iterum, atque iterum opidi Iebuſaei, quod & ad Meridiem ſitum eſſe dicitur, & vocari Hieruſalem: quare diſtincta ibidem opida commemorari neceſſe eſt, diuerſaſque habitationes ab initio fuiſſe, nempe meridianam Iebuſaei, aquilonarem Adoniſedeci. Quod liquidius etiam patet ex libro Iudicum, vbi haec habentur: *Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem*. Et eodem capite haec: *Iebuſaeum autem habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Beniamin: habitauitque Iebuſaeus cum filijs Beniamin in Ieruſalem vſque in praeſentem diem*. Qui quidem duo loci inextricabilem videntur inuoluere difficultatem, niſi iuxta noſtram ſententiam in concordiam reducantur. Qui enim fieri poſſit, vt filij Iuda vniuerſam incendio tradiderint ciuitatem Hieruſalem, cùm tamen Iebuſaeos habitatores Hieruſalem, neque filij Iuda, neque filij Beniamin delere potuerint? ſed habitauerunt

VRBS SAlem in monte Acra aedificata fuit.

DVPLIcem fuiſſe Hieroſolymis vrbem.

PRIMA ratio ex Ioſepho. *Ioſeph 6. de bello cap. 6.*

SECVNDA ex Geneſi.

TERTIA ex Ioſue. *Ioſu. 10. ℣. 1. 5. & 23. & cap. 15. ℣. 8. & c. 18. ℣. 16.*

Iudic. 1. ℣. 8. & 21.

QVARTA ex libro Iudicũ, reconciliaturque duo ſacrae ſcripturae teſtimonia.

runt vnà cum eis in Hierusalem : quòd ex allato scripturae testimonio, & ex alijs, quae infrà afferemus, manifestè probatur . Dicamus ergo necesse est, vrbem inferiorem, nempe eam, quae prius dicta fuerat Salem, & in monte boreali sita, oppugnatam à filijs Iuda, & percussam in ore gladij, cunctamque incendio traditam fuisse : arcem verò Iebusaei in superiore parte ciuitatis nequaquam : cùm eam ipsi atque filij Beniamin vsque ad Dauidis tempora obtinere nequiuerint . Hoc idem confirmatur ex historia Regum . enumerata enim insigni illa à Dauide aduersus Philisthaeum parta victoria, subdit: *Assumens autem Dauid caput Philisthaei, attulit illud in Hierusalem.* Et iterum: *Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthaeo Dauid*, & ferret caput eius in Hierusalem (ita legerunt aliquot Latini codices: verùm, cum neque in emendato vulgatae editionis Sixtiano codice, neque in Hebraeo aut Graeco legantur ea verba; coniectare licet ex aliqua marginali notatione in textum irrepsisse; cùm verum nihilominus sit, & praeallato textu comprobatum, in Hierusalem delatum à Dauide Philisthaei caput) *Egressae sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul Regis, in tympanis laetitiae, & in sistris. Et praecinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Haec verò omnia viuente Saule contigisse ex ipsis sacrae historiae verbis videre licet. Nam post Saulis necem Dauidem, cùm iam inunctus esset Rex super vniuersum Israël in Hebron, iuisse *in Ierusalem ad Iebusaeum habitatorem terrae*, Iebusaeoque profligato cepisse *arcem Sion*, ex ipsius sacrae historiae verbis habemus. Ex quibus praeterea apertissimè constat, Saulem obtinuisse vrbis Hierosolymae partem illam, quam paulo ante ostendimus ex libro Iudicum oppugnatam à filijs Iuda (nempe borealem) cùm tamen eodem ipso tempore Iebusaei incolerent vrbem alteram, nempe arcem Sionis ad Meridiem, quam Sauli Regi succedens Rex Dauid obtinuit. Adde his, quod suprà probauimus, Iudaeos scilicet tempore Machabaeorum incoluisse montem Sion : Gentes autem in arce Antiochi habitasse, quam ostendimus in monte Salem sitam fuisse ; cùm tamen Iudaei & Gentes cruenta inter se exercerent bella, perpetuasque fouerent inimicitias, & simultates. Nihil ergo mirum, si idem ipsum olim contigisse dicamus, cùm nondum circumuallata esset vnico muro Hierusalem : immò verò in duobus montibus sitae essent eius partes, quae intermedia lata valle separabantur. Ea porro vallis, & valli instar vtrique vrbi erat, & instar termini diuersae ditionis: quae Iosepho proprio nomine Tyropoeon vocatur: idemque praeterea testis est, in eam domos creberrimas desijsse, quando, Dauide regnante, in vnum coagmentata ciuitas est, vt infrà latius patebit. Quo primùm tempore factum est, vt vna Hierusalem ciuitas, ex Iudaeis, & gentibus coagmentata, vnicum Dauidis regnum allegoricè ob oculos poneret: quod Christo Domino per Angelum promissum à Patre, & suo tempore exhibitum fuit . *Dabit* enim, inquit, *illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius* : nempe, Hierosolymam, ex Iebusaeis gentibus, & Israëlitis; vnam coagmentatam de caelo descendentem nouam ciuitatem. Vbi animaduertendum est, vt plurimi sacrae scripturae textus intelligantur, praesertim ij, quos proximè afferemus; Sionem saepe, atque adeo ferè semper praeferri Hierosolymae;

1. *Reg.* 17. ϒ. 54. & c. 18. ϒ. 6. QVINCTA ratio ex libris Regum.

2. *Reg.* 5. ϒ. 6.

Supra c. 6. SEXTA ratio ex libris Regum.

Ioseph 6. *bell.* 6. HIERVSALEM duas partes complexa Ecclesiam Christi ex Iudaeis & gentibus coagmentatam significat.

Luc. 1. ϒ. 32.

quoniam Ecclesia potissimum ex gentibus conflata admittit etiam Hebraeos. Hoc ipsum mysterium fusè persequitur Paulus Romanis scribens : *Vobis enim*, inquit, *dico gentibus, quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad aemulationem prouocem carnem meam*, id est, Hebraeos, à quibus carnis originem traho, *& saluos faciam aliquos ex illis*. Iam eam aemulationem longè antè praedictam testatus fuerat idem Paulus : *Primus*, inquit, *Moyses dicit, ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, &c.* Quae autem sit haec aemularo, explicat fusius eleganti illa comparatione naturalis oliuae, nempe Israëlis, & oleastri, nempe gentium : abscissis enim oliuae ramis, id est viuentibus tunc Hebraeis, rami oleastri, genriles videlicet, insiti sunt in bonam oliuam, hoc est in Ecclesiam Christi admissi, & socij facti sunt *radicis, & pinguedinis oliuae*, nimirum fidei & meritorum Christi. Sed iam tandem afferamus duo vel tria scripturae testimonia, quibus duplicis Hierosolymae sit mentio.

SION HIEROSOLYMAE praefertur, quia Ecclesia potissimum ex gentibus. *Rom.* 11. ϒ. 13.

Rom. 10. ϒ. 19. *Deut.* 32. ϒ. 21.

Rom. 11. ϒ. 17.

Et primùm Isaias duplicis collis meminit, dicens: *Sic*, hoc est, ad eum modum liberans Israëlem ab omni inimicorum timore, quo liberatur agnus à rugientis leonis praeda, adueniente plurium pastorum vociferantium multitudine : *Sic*, inquam, *descendet Dominus exercituum, vt praelietur super montem Sion, & super collem eius*, id est, super collem illi ex aduerso stantem; ac si diceret, super collem Sion, & super collem Salem. Eamque protegendae vrbis pollicitationem tunc adimpletâ existimat sanctus Thomas, cùm populus è captiuitate Babylonica, quasi postliminio reuersus, templum magnis animis exstruere, atque instaurare coepit. tunc enim Deus pro populo suo, qui strenuè opus illud vrgebat, contra gentes, exaedificationem templi impedientes, praeliabatur. Quo etiam tempore vtrumque Hierosolymae montem, sub Esdra & Nehemia muris circumdatum fuisse infrà pluribus explicabimus : quare in vtriusque montis defensionem praeliaturum Dominum intelligere fas est. Quae omnia ad spiritualem ac temporalem Ecclesiae suae defensionem tandem referenda non ambigimus . Horum duorum montium meminit etiam Psaltes, dum ait: *Fundatur exultatione vniuersae terrae mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*. In cuius loci interpretatione oculatissimum sese vt in ceteris ostendit Genebrardus; refert enim primùm Septuaginta interpretum aliam versionem, quae sic habet : pulcher regione, vel climate, vel tractu, exultatio vniuersae tetrae (est) mons Sion: subditque, *latera Aquilonis*, & latera, est enim asyntheton : quasi dicat : mons Sion meridionalis , & latera aquilonaria vrbis sunt ciuitas Regis Christi. Hierosolymae praecipuae regiones, & tractus erant versus montem Sion à parte Meridiei, & versus latera Aquilonis, quae erant planiora & humiliora ; vt proinde multo pluribus muris, & turribus essent munita, atque instructa. Ineptè aliqui putant esse appositionem : nam mons Sion non erat vrbi ad Aquilonem, sed ad Meridiem. Id quod ex Iosepho, Nicephoro, Borchardo confirmat, & quod caput est, Isaiae prophetae testimonio. Et subiungit : Significat autem duplicem fuisse vrbem, siue duas vrbis partes praecipuas. Nam vna dicebatur ciuitas superior, ciuitas Dauid, pars sacra, & forum superius apud Iosephum; quae videlicet pars posita erat in Sionis montis vertice & planitie intrin-

DE DVPLICI Hierosolyma sacrae scripturae testimonia. PRIMVM testimonium ex Isai. 31. ϒ. 4.

D. Thom. sit. per Isaiam.

SECVNdum testimonium ex Psal. 47. ϒ. 3. *Genebrardus.*

Ioseph 6. *bell.* 6. & 15. *antiq.* c. 14. *Niceph.* 8. *hist. Borchar.* 6. *itiner. Isai.* 14. ϒ. 13. *Ioseph. ibi.* & 1. *bell.* *cap.* 1.

intrinsecus in plateas & vicos à Dauide distincta. Altera Hierusalem, propriè ciuitas inferior & filia Sion, quae à monte Sion veluti nasci videbatur, & in Septemtrionem distendi. Hactenus Genebrardus. Verùm quomodo vocaretur haec inferior ciuitas, constat ex alio psalmo, quem nos fusiùs suprà explicauimus, qui sic habet. *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*, Hebraicè ויהי בשלם סכו ומעונתו בציון vaihi beſalem ſuccu vmghonatho uetſion. Quibus verbis, vt suprà probauimus, meminit prius Salem, cuius vocis notionem Septuaginta interpretes expressérunt, mysterium innuentes; mox meminit Sionis, in quo vtroque Hierosolymae monte habitaculum Domino parandum testatur, quando deuictis omnium aduersariorum copijs verè & propriè dicetur Domini ciuitas Salem, hoc est, pax, siue pacifica, quoniam *ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum*, tum hostium acutissima iacula, & arma validissima, tum ipsam bellandi peritiam & fortitudinem confregit; vel potius omni bello sedato, omnique belli timore ac suspicione reiecta, omnia bellica instrumenta confringet, & lanceas in falces, gladios in vomeres conflabit, vt alio loco elegantissimè his verbis vaticinatus est Isaias: *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*, pacifica inquam, *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad praelium*. Quam vberrimae pacis copiam, tempore Christi exortam atque efflorescentem, cùm numquam experta sit terrena Salem, aut Sion, neque vlla supersit illi temporariae instaurationis spes; siquidem Salem in Aelia sepulta iacet, & *Sion sicut ager*, aratur, iuxta Ieremiae vaticinium; manifestum est, haec omnia ad Ecclesiam Christi referenda esse, quae, vt paulo ante notauimus, ex gentibus potissimum electa, Iudaeos si ad eam se adiungere voluerint, libenter amplectitur: quae & meritò, & propriè exultatione vniuersae terrae fundari dicitur: ea enim inhabitantis Dei peculiari ac paterna protectione tuta, fidelibus suis ineffabilem pacis, ac bonorum omnium affluentiam liberalissimè impartitur, effunditque. Hanc quoque parentis optimi Dei nostri benignam nobiscum cohabitationem ad eandem Hierosolymam, eiusque binas partes respiciens Isaias, luculentissima diuinae potestatis attestatione describit: *Et pauebunt*, inquit, *fugientes principes eius, dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem*: periphrasi vtitur, quasi diceret: Dominus qui habitat in Sion, & Hierusalem: idem enim significat, habere focum in aliqua ciuitate, quod habitare in ea. Vnde vsus apud Latinos obtinuit, vt foci pro priuatis domibus accipiantur, sicut arae pro templis. Plautus: Vrbem, agrum, aras, focos, seque dederunt. Et Cicero eadem vsus loquendi ratione, eijcere ait, aliquem domo nudum, atque focis patrijs, dijsque penatibus praecipitem exturbare &c. Verùm ignis, & camini in Sione & Hierosolyma meminit Vates, vt cultum indicaret, qui Deo exhiberi solebat, habitanti tum in Sione monte, tum in altari Hierosolymitano: *Ignis*, inquit, *in Sion*: sic enim vocare videtur altare illud Mosaicum, & cultum omnem, qui Deo exhibebatur, equitanti super Cherubim in tabernaculo Mosaico, quod temporibus Dauidis Regis in Sione monte quieuit. Caminum verò vocasse videtur altare illud Salomonicum, quod in medio atriorum templi situm multa victimarum millia vno die absumebat: cuius comparatione illud alterum altare Mosaicum vix fouisse videbatur ignis culum. Hoc autem altare & templum, in monte Moria, ciuitatis inferioris aquilonari exstructum fuerat, eumque, montem testamenti, & latera Aquilonis vocauit, apud eundem Isaiam, superbus ille Babyloniorum Rex. Sed aliud quoque maximum innuunt mysterium verba ipsa Hebraica, quae sic habent: אור לו בציון ותנור לו בירושלים or lo ue tſion verhanur lo biruſalaim, quae sic licet vertere; lux ipsi in Sion, & caminus vel furnus ipsi in Hierusalem, subaudi vtrobique est. Vox autem אור or, vt tradunt Hebraei, significat primaeua sui institutione mutationem peioris in melius, nempe tenebrarum in lucem, tristitiae in laetitiam, frigoris in calorem: quapropter significat illucescere, lucidum fieri, diffundere seu propagare & proferre lucem: Et est caloris, refectionis, gratiae, laetitiae, vitae, adeoque omnis boni. Cuius acceptionis exempla perplura suppeditant sacrae litterae. Vt in psalmis: *Quoniam tu illumi-nas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas*; quasi dicat: quidquid prosperitatis, quidquid laetitiae, quidquid boni habeo, aut vmquam habui, à te Domine prosperum, laetum, ac bonum redditur. Quocirca te Domine deprecor, vt tribulationum tenebras, quibus nunc circumdor, illumines, atque dispellas. Et in alio psalmo: *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte*, hoc est, huius aurae, lucis, & vitae participem me fac, ne vmquam mortis, aut hostium, praeda fiam, *nequando dicat inimicus meus, praeualui aduersus eum*. In quo sensu interpretandus est locus ille difficilis libri Regum, qui sic habet: *Extenditque* (Ionathas) *summitatem virgae, quam habebat in manu, et intinxit in fauum mellis: et conuertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi eius*, hoc est, reuixit. Nam prae lassitudine, & fame paene defecerat. Itemque celeberrimus ille Isaiae locus: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faeces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem* לאור le or, *gentium, vt sis salus mea* ישועתי ieſughathi, quasi dicat, Iesus meus vel Saluator; aptissimè, ipsa *salus mea vsque ad extremum terrae*: in vnum enim coniunxit ac copulauit vocem ex radice nominis IESV deductam, salutis, omnisque boni, & nomen lucis, vtpote significatione persimilia. Ex quibus locis facilè probatur, nomen or, quando ignem significat, illum significare, qui illuminat, fouet, & nutrit; non eum qui comburit, consumit, & in cinerem redigit. Huiusmodi Dei ignis in Sion visus est, *Cum complerentur dies Pentecostes, essentque omnes pariter in eodem loco*: qui locus vsque in hodiernum diem maxima veneratione colitur in summitate montis Sion: *factus est repente de caelo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, et repleuit totam domum, vbi erant sedentes; et apparuerunt illis dispertitae linguae, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum*. Ecce *cuius ignis est* in Sion. Vocem autem alteram תנור thannur, pro qua vulgatus noster, vertit *caminus*, deductam putant Hebraei à radice נור nir, quae valde affinis est voci superiori; significat enim profluuium, seu propagationem luminis, seu successionis.

Supra c. 1. Psalm. 75. ¥. 3.

NOMEN ciuitatis inferioris probatur ex psalmo.

Ibidem.

HIERVSALEM pax siue pacifica propter aduentum Christi potissimum dicitur.

Isai. 2. ¥. 3. & 4.

VTRIVSque partis Hierosolymae restaurationis spes sepulta iacet.

Ierem. 26. ¥. 18.

Isai. 31. ¥. 9.

FOCVS pro priuata domo & ara pro templo. *Plaut. in Amphit. Cic. pro Sex. Roscio.*

IGNIS Sion, hoc est altare tabernaculi, caminus ignis in Hierusalem altare templi.

MONS TEstamenti & latera Aquilonis dicitur mons templi. *Isai. 14. ¥. 13.*

HEBRAIcae vocis *or* quae lucem significat, variae acceptiones.

Psalm. 17. ¥. 29.

Psalm. 12. ¥. 4.

1. Reg. 14. ¥. 27. & 29.

Isai. 49. ¥. 6.

APTISSIME nomen Iesu conuenit Christo Domino.

IGNIS Illuminans non consumens visus est in Sion in die Pentecostes. *Act. 2. ¥. 1. 2. & 3.*

Quare significat תנור thanur, furnum, fornacem, clibanum, qui lucet igne, vt in Genesi: *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas*; nempe vt absumeret sacrificium Abrahami. Quis autem sit iste focus, furnus, aut caminus, facilè intelligetur ex Euangelistarum historia, & situ vrbis Hierusalem. In inferiore enim ciuitate spectare licet Christum Dominum, in domo Pilati flagris saeuissimè percussum, spinis coronatum, baiulantem sibi Crucem, omnes Hierosolymae, quas perlustrauit, vias largissimo sui sanguinis imbre conspergentem. Quo vel ipsa frigidissima mortalium pectora inflammari; immo verò ipsa mortua, densissimis tenebris, & vmbra mortis sepulta Hierosolymitanorum corda in lucem, vitamque restitui potuissent, vt restituta fuere, cùm è sopore, & somno Hierosolyma excitata fuit eiusdem prophetae exhortatione, dicentis: *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est; quia ecce tenebrae operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur: & ambulabunt gentes in lumine tuo, &c.* Vides manifestè de Ecclesia loqui Isaiam, dum ei sub Hebraicae Hierosolymae figura annectendam gentium Sionem praedicit? Sed iam ad reliqua progrediamur.

Genes. 15. ℣. 17.

CAMINVS ignis inferior Hierosolyma, propter plura passionis mysteria in eadem celebrata.

Isai. 60. ℣. 1. & seq.

MELCHISEDECHVM REGEM SALEM,

hominem fuisse Chananaeum, non verò Spiritum sanctum, aut diuinam aliquam virtutem, vt haeretici autumant.

Cap. XII.

DVM primum fundatorem ac Regem vrbis Salem inquirimus, tot ignorationis, & malitiae haereticorum tenebris viam offusam reperimus; vt, nisi illae prius veritatis Catholicae lumine depellantur; vix quidquam certi statuere possimus. Quapropter de Melchisedecho primam disputationem instituimus. Ea verò nulli aut longa, aut nimis prolixa videatur, cùm magna pars institutae disputationis ex vrbis auctoris cognitione pendeat: quo ignorato, & initium, & primam vrbis fundationem ignorari necesse est. Quòd si Melchisedechus vrbis primus fundator, & auctor diuina virtus dicatur, aut Spiritus sanctus, & non homo, vt haeretici fingunt; fieri non potest, quin vrbis fundator ignoretur. Disputationem igitur de Melchisedecho aduersus haereticos, vtpote nostri instituti fundamentum quoddam aggrediamur. Hanc famosissimam quaestionem vocat Hieronymus; eiusque fundamenta, & quid de ea Patres sentiant dum inuestigat: Statim in fronte, inquit, Geneseos, in prima homiliarum Origenis reperi

HIERONymus ad Euagrium famosissimam quaestionem vocat hanc de Melchisedecho.

A scriptum de Melchisedech: in qua multiplici sermone disputans, illuc deuolutus est, vt eum Angelum diceret. Ijsdemque paene argumentis, quibus scriptor tuus de Spiritu sancto, ille de supernis virtutibus est locutus. Transiui ad Didymum sectatorem eius, & vidi hominem pedibus in magistri isse sententiam. Haec de ista sententia Hieronymus. Primam verò Origenis homiliam, quam citat, verisimile est, de medio sublatam fuisse, vtpote manifestis erroribus refertam. Exstat tamen adhuc haeresis haec impudenter, audacterque nomine Augustini se contegens, & cohonestare contendens, perpetuo haereticorum more, qui, vt Hieronymus tradit, ἀνώνυμα anonyma. *Hiero. citat.* HAERETIcorum mos libros vel anonymos edere, vel eos doctissimorum virorum nominibus cõtegere.

B componunt volumina, vt periculum fugiant disputandi: alij verò grauissimis Patribus adscribunt, quae ipsi Patres suis scriptis damnant, detestantur, perhorrescunt. Talis est liber quaestionum veteris ac noui Testamenti, quem tamen perspicacissimi doctissimorum virorum oculi alienam cogunt deponere personam, & nomen; atque cum Ahia propheta clamitant; *Ingredere, vxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuncius.* Quare nulla ratione admittimus illorum sententiam, qui Augustinum fatentur ita locutum, sed ex aliorum sententia. Quod falsum omnino esse, ipse in hac haeresi referenda ardor, ne dicam procacitas, maxi-

C maque rerum ignoratio, quae mox apparebit, aperte conuincit. Quare vt Augustinum admittimus, & debita veneratione suscipimus, libro de haeresibus, hanc haeresim cum reliquis detestantem: ita hunc librum de quaestionibus veteris ac noui Testamenti in hac saltem parte, quoniam cuius sit, ignoramus, omnino reijcimus, id vnum conijcientes, non esse docti vllius, nec pij viri, sed procacis haeretici. Quem, quoniam in singulare certamen prouocamus, Anonymum vocare, hoc est sine nomine, tantisper lubet. Hic ex Epistola Pauli ad Hebraeos sua omnia venenata tela depromere se iactat: sunt autem Pauli verba huiusmodi: *Hic enim Melchisedech Rex*

Hebr. 7. ℣. 1. & seq.

D *Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahae, regresso à caede Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur Rex iustitiae, deinde autem, & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens: assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, &c.* Et post pauca subdit: *Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.* Ex quibus verbis, perperam, & contra mentem Pauli intellectis tale elicit Anonymus argumentum. Maior Abrahamo non potuit ostendi Melchisedechus meritis, aut ministerio:

E ergo natura. Quod ad merita attinet, multis probare contendit, Abrahamum meritis, ceteris hominibus praestitisse: ita enim Abrahami merita enumerat, vt ea à nullo superari posse contendat, forsan natione Anonymus hic Hebraeus, atque Hebionita, qui patres imitari conatus, omnibus praeferre volens Abrahamum, reliquos enumerans, Christum tacens; forsan huic illum praeferre contendens, de reliquis non laborans. Quasi verò potens non sit Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae; aut quia filium non sacrificauit Ioannes, aequari non possit Abrahamo; cùm veritate testante, illo *non* surrexerit

PRIMVM Anonymi argumẽtum de excellentia & meritis Melchisedech.

℣. 7.

RESPONdetur ad argumentum.

maior

Matth. 11. ℣. 11.

maior inter natos mulierum. Et tamen *qui minor est in regno caelorum, maior est illo*; quanto igitur maior erit Abrahamo? Sed nihil de meritis

S. PAVLVM non agere de meritis Melchisedechi, probatur.

Paulus: non enim Aaronis aut Leuiticae Tribus merita cum Melchisedechi meritis comparat. Quid enim cum meritis patris aut matris eommemoratio? quid genealogia? quid initium, aut finis dierum? sed tantùm confert Paulus sacerdotium, quod non hereditario iure, non ad tempus, non exile aut paruum; sed magnum, sed perpetuum, sed sine principio & fine fuit ostensum olim in Melchisedechi sacerdotio, impletum in sacerdotio Christi. Hoc autem, quod est ipsissima mens

SACERdotiũ Christi qua ratione differat à Leuitico.

Pauli, & verborum sensus, negat Anonymus: neque vlla saltem efficta ratione suam sententiam probat: illud confirmat, & probat, quod Paulus nesomniauit quidem. Praesensit tamen ipse huic argumento nullam vim inesse. Quare post longam disputationem subdit: Haec, quae diximus, ingenij fortasse videntur. Ingenij dixit, imaginationis modestius, somnij fortasse verius dixisset. Cumque plurima adhue, & potiora se dicturum promittat, quasi nullum aliud habeat argumentum, in hoc eodem iterum insistit, idem probare contendens ex eo, quòd princeps patrum vocetur Abrahamus à Paulo. Sic enim interpretatur scriptor hic Graecam vocem, quae tum in Graeco, tum in Latino codice habetur Πατριάρχης Patriarchis, Patriarcha, eamque sic explicat, quasi sit Abraham ceteris omnibus melior. Quod si ita interpretanda vox est; erit quoque Dauid melior omnibus Patribus, cui sine controuersia plena concione Hierosolymis hoe nomen indidit Petrus, dicens: *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus*. Et Stephanus in concilio sacerdotum loquens, cùm Abrahamum patrem voeasset, subdit: *Et dedit illi testamentum circumcisionis, & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo, & Isaac, Iacob: & Iacob duodecim Patriarchas, & Patriarchae aemulantes Ioseph vendiderunt in Aegyptum*. Numquid hi filij Iacob meliores eeteris? numquid meliores Abrahamo. Sed, vt hoc loco vox Patriarchae non significat meliores eeteris, fateatur ne ibi quidem quidquam huiusmodi significare; sed vocem ipsam examinemus oportet. Ea verò componitur ex voce πατὴρ patir, quae patrem significat, & ἀρχὴ archi, quod est principium, primum patrum significans. Ea verò Patriarchae vox, duplici respondet Hebraicae voci ראשי אבות rase aboth; nam vbi nos legimus in libro Paralipomenon: *Hi Patriarchae & cognationum principes, qui habitauerunt in Hierusalem*, in Hebraeo habetur אלה ראשי אבות elle rase aboth hi capita, seu primi patrum, ראש ros enim caput significat, seu principium; vt videre est in Exodo, dicente Domino: Mensis iste vobis ראש ros *principium mensium* ראשון rison, *primus erit in mensibus anni*: constat autem eum quibus comparetur à Paulo Abrahamus, nempe cum filijs Leui, qui egressi sunt de lumbis Abrahae; qui quidem ab eisdem nondum egressi, sed in eis manentes, decimati sunt, vt Pauli verbis vtar, a Melchisedecho. Quare cùm sacerdotum Leuiticorum dicatur Patriarcha Abrahamus; eorum quoque principem dici posse non negamus. Illud tamen omnino negamus, principem dici posse eorum, qui fuerunt illo priores, nempe Adami, Abel, & Noë, Sem, & aliorum; inter quos annumerandum Melchisedechum paulo inferius probabimus.

Act. 2. ℣. 29.

PATRIARchae nomen quid significet, & quibus adhibeatur.

Act. 7. ℣. 8. & 9.

EX HEbraeo vox Patriarchae examinatur.

1. Par. 8. ℣. 28.

Exo. 12. ℣. 2.

QVORVM dicatur Patriarcha Abrahamus, quorumque nulla ratione dici possit.

Sed iam hic auctor diuinitatem Melchisedecho tribuere conatur, haud secus, quàm Moysi diuinos honores exhibuere Arabes: & Sebastheni filiae Iephte, vt refert Epiphanius: & Chaldaei ignem adorare solebant, vt tradunt Hebraei, quasi quid diuinum, delusi, quòd viderint ignem de caelo descendisse, Patriarcharum sacrificia consumpturũ. Quapropter & Vr, hoc est ignis, vocabatur eorum ciuitas, ex qua eductus est Abraham. De quibus omnibus dici posse videtur illud Iudae Apostoli: *Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant*; hoc est, ea omnia, quorum causas, aut rationem ignorant, blasphema voce deos appellant. Inter quos non postremum videtur locum tenere hie Anonymus, Deum compellans Melchisedechum, propterea quòd Rex pacis, & Rex iustitiae dicatur à Paulo; quoniam haec glorioſa nomina Deo soli conuenire posse arbitratur. Verùm, quamuis ignorationi linguae ac vocum nonnihil indulgendum videretur Anonymo; nihil tamen omnino ignorationi ipsius textus, quem eitat, & cui inniti putat omne rationum suarum pondus. Quod enim in Genesi scribitur: *Melchisedech Rex Salem*, hoc idem Paulus scribit, dicens, *Primum quidem, qui interpretatur Rex iustitiae: deinde autem & Rex Salem, quòd est Rex pacis*. Idem Graecus codex: πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης: ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης, proton men hermineuomenos basileus dichiaeosynis: epita de chiae basileus Salim hò esti basileus irinis. Ecce tibi vtrumque interpretem Latinum & Graecum, testantem nomina Sedech, & Salem verti Latinè iustitiam & pacem, Graecè δικαιοσύνη dichiaeosynin, & εἰρήνην irinin, quae quidem verè significant. Audiat etiam Iosephum, rationem huius nominis Melchisedechi assignãtem, atque eadẽ ferè, ac Paulum, tradentem longè alia ratione, quàm Anonymus excogitauit: A Solymae vrbis, inquit, Rege Melchisedecho est exceptus (Abrahamus) id nomen interpretatur, Rex iustus: erat enim reuera talis omnium cõsensu sacerdotio summi Dei ob iustitiam dignus habitus. Haec Iosephus. Quibus nihil supra humanam iustitiam significare contendit, sicut & Salem, vel pacis nomen nihil praeter vrbem quandam significat; euius nominis originem fusius suprà discussimus.

CHALdaei ignem adorabant quasi è caelo dilapsum: sacrificia Patriarcharum absumpturum. *Iudae can. ℣. 10.*

SECVNdum Anonymi argumentum de nominibus Melchisedechi, quod Rex pacis, & Rex iustitiae dicitur.

RESPONdetur ad secundum argumentum. *Genes. 14. ℣. 18. Hebr. 7. ℣. 2.*

Ioseph. 1. antiq. c. 10.

Sup. cap. 1.

Verùm si his argumentis non conuincitur Anonymus; idem ipsum, quod de Melchisedecho suo falso deo probare contendit, fateri cogetur de Adonisedecho Rege item Salem. Sic enim habetur in libro Iosue: *Quae cum audissẽt Adonisedec Rex Ierusalem*. Eandem autem vrbem dictam fuisse Ierusalem, quae olim Salem dicta fuerat, satis suprà probauimus. Verùm & nomen Adonisedee teste Hieronymo, dominus meus iustus interpretatur; ac si Bedae credimus, dominus pacis, vel dominator iustitiae conuerti potest; neque immeritò: vox enim Sedech, quam iustitiam conuertit Paulus, cum אדני Adoni, quod dominum, seu dominum meum significat, totum nomen Adonisedec componit. Atque idem Rex Salem, vel Ierusalem dicitur: quas voces pacem vel visionem pacis conuertendas suprà monstrauimus. At hic Rex pessimus fuisse perhibetur: nam duci Iosue, vindictam de eo sumenti, Sol ipse stans, & Luna immobilis perseuerans opitulata est: atque mox comprehensum Adonisedechum occidit Iosue, & suspendit in ligno. Facilè igitur probatur, nihil diuinum ex his nominibus Melchisedeeo tribuendum, praesertim cùm quidquid honoris, quidquid gloriae, quidquid

Iosue. 10. ℣. 1.

INTERpretatio nominis Adonisedec. *Supra. cap. 1. Hieron. de nomin. Hebra. de Iesu Naue Beda interpret. nomi. Hebr.*

Iosue 10.

quid

quid excellentiae ei tribuitur à Paulo, vel à libro Geneſis, id omne in figura illi contigiſſe tradat: propterea quod *aſſimilatus fuit filio Dei*. Quapropter audiendus Epiphanius: Etenim, inquit, iuſtus fuit (Melchiſedechus) & ſacerdos Dei, & Rex Salem, non autem in caelo eſt, neque de caelo deſcendit; *nemo* enim *aſcendit in caelum, niſi qui deſcendit de caelo filius hominis, qui eſt in caelo*. Sic itaque Epiphanius: Quare cùm hoc iam Anonymi argumentum non ingenij ſit, ſed ignari, ignaris perſuadeat, quod volet; nemo enim vel mediocriter verſatus in ſacris litteris ſine ſtomacho leget, quae tam ineptè ſcripſit.

Epiphanius lib. 2. cont. haereſ. haere. 55. Ioan. 3. ℣. 13.

TERTIVM argumẽtum Anonymi, quia ſine patre & matre dicitur eſſe Melchiſedechus.

Sed non ſatis his argumẽtis confiſus Anonymus, nouum, idque firmiſſimum ſe putat effingere, quod multo magis ignorationi, quàm rei veritati innititur. Ita enim difficultate verborum Pauli ſe implicitum reperit, vt quod nulla ratione percallere potuit de homine poſſe intelligi, ad Deum retulerit: nempe quia *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*, dicitur Melchiſedechus. Cui argumento quoniam triumphum ante victoriam adſcribere contendit, ipſe ſibi friuolas quaſdam reſponſiones effingit, quibus aliqua ratione ſolutis, facilè ſtet haec vana ſententia; ſed fingat ipſe ſibi aduerſarios, quos vincat, oportet. Ita enim huius noſtrae ſententiae quaſi arcis firma ſunt moenia, vt nullo defenſore perſiſtant: neque enim nos dicimus ob humilitatem generis Melchiſedechum ſine patre dici, aut matre: non enim reſpicit perſonam hominum Deus: neque cum Rabbinis ſuperſtitioſo hominum genere, ſine patre, aut matre dici Melchiſedechum affirmamus, quia ex adulterio natus fuerit. Nam licet apparens videatur reſponſum; nihil tamen veriſimile continet. Cur enim in Melchiſedechi genealogia magis auerſaretur adulteros Scriptura ſacra, quàm in genealogia Chriſti; in qua Dauidis & Bethſabee meminit? Et ne reputaretur memoria excidiſſe eorum delictũ, *Dauid autem Rex genuit*, inquit Euangeliſta, *Salomonem ex ea, quae fuit Vriae*. Et, *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*. Item, *Salmon autem genuit Booz de Rahab*. Et quidem ſi, quod falſum omnino eſt, verum poneretur, quòd patrum ſcelera deteſtata ſcriptura, ſine patre, aut matre filium ſceleratorum compellaret; numquid propterea filio initium, aut finem dierum negaret?

Hebr. 7. ℣. 3.

REFELluntur vanae quorundam reſponſiones.

Matth. 1. ℣. 6. & ℣. 3. & ℣. 5.

QVARE ſine patre & matre dicatur Melchiſedech, verus loci ſenſus declaratur.

Verum quoniam, vt ſaepe diximus, haec omnis argumentatio in rerum ignoratione conſiſtit, antequam huic, & reliquis Anonymi argumentis reſpondeamus, veritatem ſcientia ſtabiliamus. Et primum quidem Hieronymi ſententiam, eiuſdem verbis referamus. Verti me, inquit, ad Hippolytum, Irenaeum, Euſebium Caeſarienſem, & Emiſſenum, Apollinarium quoque noſtrum, & Euſtathium, qui primus Antiochenae Eccleſiae Epiſcopus, contra Arium clariſſima tuba bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones diuerſis argumentationibus ac diuerticulis ad vnum compitum perueniſſe, vt dicerent, Melchiſedech hominem fuiſſe Chananaeum, Regem vrbis Hieroſolymae, quae primùm Salem, poſtea Iebus, ad extremum Hieruſalem appellata ſit. Haec ille. Neque tantùm ille cum his Patribus, ſed conſtans Catholicorum omnium ſententia (vt doctè poſt alios docet noſter Franciſcus Suarez) tenet, Melchiſedechum verum hominem fuiſſe; neque quidquam ſupra. quod probant Epiphanius, Auguſtinus, Ambroſius & alij: aperte-

Hieron. ep. ad Euagr.

Suarez diſput. 46. de ſacerdot. Epiph. lib. 2. cont. haereſ. haer. 55.

que deducitur ex hiſtoria Geneſis, vbi Rex Salem dicitur, Sacerdos Dei altiſſimi protuliſſe panem & vinum, benedixiſſe Abrahamo, & decimas ab eo accepiſſe: quando & Regi Sodomorum animas tantùm petenti, omnia, quae ſua erant, reſtituit Abrahamus. Quae omnia non poſſunt, ſeruata hiſtoriae veritate, niſi in verum hominem conuenire; contra fidem enim hiſtoriae eſt, metaphoricè eam interpretari, & contextum hiſtoriae intercidere, quando neceſſitas nulla cogit, maximè contra communem Patrum conſenſum & interpretationem. Sed & Hieronymum audiamus oportet: Et reuera ſtultum eſt, inquit, id quod in typo dicitur, eo quod Chriſti ſacerdotium finem non habeat; & ipſe Rex, & Sacerdos, nobis vtrumque donauerit, vt ſimus genus regale, & ſacerdotale; & quaſi angularis lapis, parietem vtrumque coniunxerit; & de duobus gregibus bonus paſtor vnum effecerit gregem, ſic quoſdam referre ad ἀναγωγὴν anagogim, vt hiſtoriae auferant veritatem & dicant, non fuiſſe Regem, ſed in imagine hominis angelum demonſtratum: cùm vſqueadeo nitantur Hebraei, Melchiſedech Regem Salem filium Sem Noë oſtendere, vt ante hoc ſcriptum ſic referant: *Egreſſus eſt autem Rex Sodomorum in occurſum ei;* haud dubium quin Abraham poſtquam reuerſus eſt à caede Chodorlahomor, & Regum, qui cum eo erant, in valle Saue: haec eſt vallis Regis, de qua ſtatim ſequitur: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum, & reliqua. Si ergo haec ciuitas Regis eſt, & vallis Regis, ſiue vt Septuaginta tranſtulerunt, campus, quem hodie Aulonem Palaeſtini vocant, manifeſtum eſt hominem fuiſſe, qui in terrena & valle, & vrbe regnauerit. Haec Hieronymus. Quo eodem argumẽto coactus eſt Anonymus Melchiſedechum hominem confiteri, dum ait; & quia in carne viſus eſt: & iterum: Et quid incredibile videtur, ſi Melchiſedech vt homo apparuit? Et mox caudae mortifera venena diffundit, dum ſubdit: Cùm intelligatur tertia eſſe perſona? Si enim Chriſtus, qui ſecunda perſona eſt, frequenter viſus eſt in habitu hominis, quid ambigitur de his, quae dicta ſunt? Haec pernicioſa Anonymi dicta ſunt. Quibus ab vna in aliam decidit manifeſtiorem, & pernicioſiorem haereſim: tradit enim Spiritum ſanctum tertiam in diuinis perſonam nõ minus in carne apparuiſſe, quàm Filium, ſecundam eiuſdem diuinitatis perſonam. Quae quidem haereſis ſemper damnata fuit ab Eccleſia Catholica, & ab omnibus ſanctis Patribus. Fides enim indubitata tenet, ſolum Filium Dei, ſecũdam ſanctiſſimae Trinitatis perſonam, Dei nempe Verbum, carnem factum. Sic enim definitum eſt quincta Synodo Conſtantinopolitana, & in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, & habetur in capite Firmiter. de ſumma Trinitate, & fide Catholica: & in Concilio Toletano ſexto, & vndecimo in confeſſione fidei: & in Concilio Carthaginienſi quarto: & in Vormatienſi, in profeſſione fidei. Hoc autem fidei noſtrae fundamentum ijs omnibus ſcripturae locis ſtat, quibus Filius Dei ſpecialiter dicitur incarnatus, miſſus in mundum, pro nobis paſſus, & alia huiuſmodi, quae de Patre, aut Spiritu ſancto numquam dicuntur. Quod etiam comprobari poteſt argumento Felicis Papae Primi; quia filius ſpecialiter dicitur viſibilis, ſeu viſus in tertis, propter myſteriuu incarnationis. Et quoniam longum eſſet Patrum percenſere teſtimonia, hanc fidei noſtrae veritatem confirmantia,

Auguſt. de haereſ. haer. 34. & lib. 16. de ciuit. cap. 22. Amb. lib. 5. de fide c. 3.

CONTRA fidem hiſtoriae eſt contextum metaphoricis interpretationibus intercidere, praeſertim ſine cauſa & contra Patrum conſenſum. *Hieron. cit.*

Geneſ. 14. ℣. 17.

PERVERſa Anonymi haereſis.

SOLVM Dei Verbum non autem Spiritus ſanctus incarnatus eſt. *Quinct. Synod. coll. 8. can. 4. & in Concil. Later. conſult. 5. can. 4. & 10. cap. Firmiter. de ſum. Trinit. & fide. Concil. Tolet. 4. & 11. Concil. Carthag. 4. c. 1. Concil. Vormac. Felix I. ep. 1. decretal.*

firmantia, vnum tantùm aut alterum Augustini adducam, quò omnibus magis in comperto sit, numquam fuisse Augustinum Anonymi haeresi commaculatum: eius enim interrogatio est: Si vna, inquit, subſtantia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quare solus Filius incarnatus dicitur? Respondetque, quia alia est persona Filij, alia Patris, & alia Spiritus sancti. Et sola quidem persona Filij incarnata est; operante tamen eandem incarnationem tota sancta Trinitate, cuius opera sunt inseparabilia. Et iterum: Deus vnus est Pater, Deus vnus est Filius, Deus vnus est Spiritus sanctus, non tres dij, sed vnus est Deus: ttinus in vocabulis, vnus in deitate subſtantiae. Sed dicet mihi haereticus; ergo si vnum sunt, omnes sunt incarnati, non ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud est ratio, & tamen in anima est ratio, & vna est anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio: anima viuit, ratio sapit. Et ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et, cùm vnum sint; anima sola susciput sapientiam: & tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Sic & Pater, & Filius, licet vnum sint, & vnus Deus sit, ad Christum solum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licet non recedat ab anima. Ecce aliud. In Sole calor & splendor in vno radio sunt, sed calor exsiccat, splendor illuminat: aliud suscipit calor, aliud splendor: & licet calor & splendor ab inuicem non queant sepatari, suscipit splendor illuminationem, non feruorem; suscipit calor feruorem, non illuminationem, aliud simul, aliud singulares agunt; & tamen ab inuicem non separantur. Sic & filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate; sed tamen & Pater, & Spiritus sanctus non defuit maiestate. In diuinitate aequalitas, in carne sola filij proprietas: non autem ab eo Patris, aut Spiritus sancti recessit aliquando diuinitas. Cùm ergo vna sit deitas, vna sit diuinitas; impleuit quidem carnem Christi & Pater, & Spiritus sanctus, sed maiestate, non susceptione. Et post allatum exemplum de cithara, in qua ars, manus, & chorda sonum reddunt, subdit: Tria pariter operantur, sed sola chorda personat, quod audiatur: nec ars nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur: sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Haec Augustinus: Quibus recensitis, libet Illefonsi à Castro verba recensere, dicentis: Veniat nunc, qui contendit illud opus esse Augustini, & dicat, vtrum Augustinus sentiat Spiritum sanctum fuisse incarnatum. Et cum Epiphanio, qui Hieracem huius haeresis sectatorem lacessit, dicemus: At verò de Melchisedec quod asseris, quod ipse est spiritus. Itaque venit Spiritus, & assumpsit carnem. Non igitur amplius vnigenitus solus genitus est secundum carnem, sed etiam Spiritus. Si verò genitus est Spiritus secundum carnem; ecce Maria est, quae genuit Saluatorem, dicat Hierax, vbi est ea quae genuit Spiritum? Haec ille.

Sed quoniam haec omnia fidei nostrae documenta ita manifesta sunt, vt probatione non egeant; ad argumentum Anonymi dissoluendum nos regredi aequum est, ne sibi arroget victoriam, dum viderit confirmationi veritatis intentos, à cauillationum disturbatione abstinuisse. Et Patrum quidem sententias primo loco afferemus, mox ex ipso contextu respondebimus. Age iam Epiphanius: Quod autem, inquit, sine patre, sine matre dicitur, non eò, quod non habeat patrem, aut matrem, dictum est, sed eò quòd non sunt manifestissimè in scriptura nominati. Diuinae enim scripturae profunditas & clatitudo mentem humanae naturae excedens, decipit quamplurimos. Et post pauca subdit: Nam apud quosdam Melchisedec pater ac mater habetur; non autem in expressis, aut genuinis scripturis. Hieronymus verò sic scribit: Melchisedec autem, Apostolus ad Hebraeos, sine patre, & matre commemorans, ad Christum refert, & per Christum ad gentium Ecclesiam. Theodoretus: Melchisedec, inquit, vnde genus duxit? cùm diuinus Paulus dicat, sine patre, sine matre, sine genealogia? quis veritatem huius rei noscere potest? Vero tamen simile est, illum è gentibus Palaestinam incolentibus fuisse: illorum enim erat & Rex & sacerdos. Et Chrysostomus de Melchisedec loquens: Et typus, inquit, Christi fututus erat; vnde & Paulus ipsum extollens, sic dicit: absque patre, absque matre, absque genealogia, neque initium dierum, neque vitae finem habens. Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Et quomodo, dicis, possibile est hominem absque patre, & matre, & genealogia esse, & non habere vel initium, vel finem vitae? audisti, quòd figura fuit. Ne ergo admirare, neque omnia require in typo: neque enim typus esset, si omnia, quae veritati accidunt, haberentur. Quid igitur est, quod ibi dico? Igitur sicut ille, inquit, eò quod non fit memoria eorum, qui genuerunt, dicitur sine patre, & sine matre, & quia non recensetur eius genealogia, dicitur sine genealogia: ita & Christus quia non habet vel in caelo matrem, vel in terra patrem, absque genealogia dicitur. Hactenus Chrysostomus: Ex quibus omnibus Patrum sententijs haec vna habetur responsio, Melchisedecum genere Chananaeum propterea sine patre, aut matre dici à Paulo; quòd eius pater, mater, aut genealogia, initium, siue finis dicrum non referatur in sacris voluminibus.

Verùm posset adhuc superesse scrupulus. Nam si, vt Hebraeotum constans sententia est, quam & nos infra probabimus, Melchisedec fuit Sem primogenitus Noë, eiusque pater, ac mater, genealogia, & reliqua recensentur in Genesi; quomodo ergo verum erit, quòd haec dicatur nō habere, propterea quòd non referantur in scriptura? Respondet huic quaestioni Abulensis; sub nomine quidem Melchisedeci, non haberi eius genealogiam in sacris litteris; verùm neque ex vlla sacra historia constare potest, an fuerit Sem. Sed vtges hoc eodem argumento; quia hoc saltem sciuit Paulus; quomodo ergo potuit dicere sine patre fuisse, cùm ipse sciret habuisse patrem? Respondet idem Abulensis, impertinens esse, An Apostolus id nosset, vel ignorasset, cùm ipse ex sacra scriptura firmet argumentum, in qua nulla fit mentio patrum, aut genealogiae Melchisedeci. Verùm non adhuc videtur sibi ipsi feciſſe satis Abulensis. Huius enim argumenti vis in eo sita est, quòd ipse affirmat Melchisedecum fuisse Sem, cuius genealogia refertur in sacris litteris, & siue sub hoc, siue sub illo nomine censeatur, nihil refert, cùm ipsi Paulo constaret omnino (si ita est) eundem fuisse Sem, qui Melchisedec dicitur; ac tandem id contendit argumentum, has duas sententias, vtpote sibi inuicem aduersantes, non posse simul defendi, nempe

S. Aug. in quaestiunc. de Trinit. tom. 3. PLVRIBVS Augustini rationibus probatur Filium tantùmodo Dei incarnatum fuisse, nulla ratione Patrem, aut Spiritum sanctum.

S. Aug. sermone in Domin. 4. aduent. to. 10. RATIO & anima in quo conueniant & differant.

Epiph. lib. 2. cont. haeres. haer. 55. RESPONDETUR ad tertium Anonymi argumentum ex Patrum sententijs.

Hieron. de Heb. quaest.

Theodoret. quaest. 63. in Genes.

Chrysost. homil. 35. in Genes.

OBIICI posset, quia Melchisedec dicitur fuisse Sem, cuius pater ac genealogia recensetur. RESPONDET Abulens. Genes. 11.

Illefons. à Castro lib. 10. contra haeres. Epiph. lib. 2. contra haeres. tom. 2. haeres. 67. EPIPHANij argumentum ex eo quòd Christi mater ostendatur, Spiritus sancti verò nulla.

nempe Melchisedechum sine genealogia dici, quoniam eius genealogia non refertur in sacris libris, & eundem fuisse Sem, cuius genealogia in sacris litteris recensetur. Verùm haec duo minimè sibi aduersari probat ipse contextus, si mens Pauli attentius introspiciatur. Etenim ex illo capite septimo epistolae ad Hebraeos, de quo est nostra disputatio, non probare instituit Paulus, vel aeternam Christi generationem, cuius fusè meminerat capite primo, in qua genitus *ex* paterno *vtero ante Luciferum*, matrem non habuit; vel temporalem, cuius mentionem fecerat capite secundo, post alia subdens: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* In qua quidem generatione natus ex Virgine, patrem non habuit in terris; non, inquam, de his agere instituit Paulus, vt propterea in Melchisedeco Christi figura aliquid simile inquireret: sed tantùm de sacerdotio Christi: vt patet ex praecedentis capitis vltimo versu, & toto hoc capite, quo hoc vnum probare intendit Paulus, Christum Dominum aeternum fuisse sacerdotem, eiusque sacerdotium, sicut à nullo alio acceptum, ita mansurum in aeternitatem: in quo sanè praeferendum maximè est Leuitico sacerdotio. atque haec omnia praefigurata fuerunt in Melchisedeco.

RESPONderur non repugnare Melchisedecum sine patre dici, eundemque fuisse Sem, cuius pater recensetur in Genesi, & mens Pauli exquiritur.

Psalm. 2. ℣. 7. *Hebr.* 2. ℣. 16.

Hanc autem esse planè mentem Pauli, probat eiusdem argumentum, siue argumenti conclusio, dicentis: *Et alij quidem*, nempe ex genere Leui, *plures facti sunt sacerdotes, iccirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem*, Christus IESVS, *eò quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Et in omnibus quidem alijs sacerdotium Christi cum sacerdotio Leuitico comparat Paulus: Omnia ex Melchisedeci figura comprobans. Quare cùm non de persona Melchisedeci, eiusve meritis, natura, aut genealogia agat Paulus, nisi quà ex eis aliquid ad sacerdotium Christi pertinens probari possit: siue patrem, siue matrem, siue genealogiam, aut principium, aut finem dierum habeat Melchisedec, siue non; nihil instituto Pauli proderit, aut officit; nisi qua ex parte ea collata cum Leuiticis similibus rebus, conducunt ad sacerdotij dignitatem, & ministerij perpetuam durationem: quo videlicet probet Leuiticum sacerdotium ab initio institutum, temporale, & finem accepturum, sicut & legem; quo translato, etiam legis translationem fieri necesse fuit: Christi verò & sacerdotium & regnum nunquam esse transferendum. Est autem Pauli argumentum huiusmodi: In lege nullus ad sacerdotium ius habuit, nisi proderet parentes, & genealogiam, vt expressè demonstratum est in libro Esdrae, vbi de filijs sacerdotum memoria proditum est: *Hi quaesierunt scripturam genealogiae suae, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. Et dixit Athersata eis, vt non comederent de sanctis sanctorum.* Quo quidem facto Leuiticus sacerdos, dum se ostendit haeredem defuncti, & seipsum quoque ostendit morituum, cuius filius successurus sit in sortem ministerij. Vnde manifesto argumento comprobatur, tale sacerdotium, quod per successionem filiorum loco parentum continuatur, non fore aeternum: siquidem mors ipsa mortalium finis, saepe ampliſſimarum familiarum seriem & successionem intercidit; vt, maxima nostri saeculi calamitate, toties in Regum antiquissimis familijs sumus experti. Quo fit, vt sacerdos, qui quando inungitur, vel ad sacerdotium quoquomodo admittitur, profert patrem, & genealogiam, eo ipso fateatur se obire sacerdotium temporale, quod, inquam, aliquando finem sit accepturum. At verò Melchisedec non fuit hac ratione, & lege Leuitica creatus sacerdos: non paterno, aut hereditario iure, quasi filius aut nepos sacerdotum; neque posteris suis reliquit hereditario iure sacerdotium. Neque enim in genealogijs filiorum Aaron, aut Leui legimus, quando creatus sit sacerdos Melchisedec, aut quando sacerdotio defunctus, vt fieri solet in scriptura, cùm genealogiae sacerdotum referuntur, quorum meminit allatus Esdrae locus. Quòd verò illis omnibus sacerdotibus vetustate, & annorum canitie venerabilior sit sacerdos, qui Abrahamo benedixit, ab eoque decimarum oblatione, tamquam sacerdos Dei altissimi, honoratus est, cùm adhuc omnes hi Leuitici sacerdotes in lumbis essent ipsius Abrahae, probatione non indiget. Idem igitur significat Paulus, dicens: *Sine patre, sine matre, sine genealogia*: vel, vt habet Graecus textus, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος apator amitor, agenealogitos, ac si diceret, neque à patribus accepit sacerdotium, neque filijs reliquit: quia non de genere Leui fuit natus. Hanc autem fuisse mentem Pauli, non alio quàm eodem ipso Paulo interprete ostendam. Nam mox subdit: *Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, &c. Cuius autem generatio non annumeratur in eis*, nempe Melchisedeci, qui numquam inuentus est scriptus in numero eorum, sacerdotum, inquam, Leuiticorum. Vel, vt habet Graecus, ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν ho de mi genealogumenos ex auton, is verò non recensetur ortus ex eis. Ex quibus verbis argumentum elicit Epiphanius contra hunc errorem, dicens. Et quòd quidem Melchisedec homo erat, ipse sanctus Apostolus in epistola dicit sic: At is, cuius genus non recensetur ex ipsis, decimas accepit à Patriarcha: Manifestum igitur est, quòd ipsius genealogia ex ipsis non recensetur. Haec ille. Erit igitur sensus Pauli: Hic autem sacerdos *sine patre, sine matre, sine genealogia* generis Leuitici, decimas accepit à Leuiticis sacerdotibus. Quod maximum mysterium olfeciſſe videtur sapiens ille eloquij mystici interpres Iudaeus Philo, sic scribens: Et oraculum, quod post victoriales preces scriptum est, quas ille à se ipso consecratus sacerdos Melchisedec precatur, &c. Conferatur à seipso sacerdotem dicit, quò diuersum longè à sacerdotio Leuitico ostendat eius sacerdotium, neque ab alio successione concessum, vel saltem alteri tradendum. Atque hinc apertius etiam innuitur sacerdotium Christi, cui dicitur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Quo vnico versiculo ad duos Hierosolymae Reges, quorum nomina, & etymologias suprà interpretati sumus, respexisse videtur Propheta: nempe, Sedec iustum, siue iustitiam, & Iebus conculcatorem; quod ad Christi triumphum de peccato, morte, & inferno retulimus. *Dilexisti* ergo *iustitiam*, vere Melchisedec, *& odisti iniquitatem*, vere Iebus, omnis iniquitatis & peccati destructor Christe, vel Messia vncte, *propterea vnxit te Deus*, ò Deus fili, vt interpretatur Hieronymus: *Deus tuus*, nempe Deus pater tuus, *oleo laetitiae*, non, inquam, visibili aut corporeo, quali inaugurantur Reges aut sacerdotes; sed Spiritu sancto abundè

PAVLVS testimonio proprio suo exponitur. *Hebr.* 7. ℣. 5. & 6.

Epiphan. haeres. 55.

Philo lib. de congress. quaerendae erudition.

SACERdotij Christi quibus exemplis ostendatur aeternum. *Psalm.* 44. ℣. 8. *Sup. cap.* 9.

Hebr. 7. ℣. 23. & 24

PAVLVS tantum assumit, sacerdotium Melchisedeci, neque à patre, aut matre, aut genealogia originem duxisse, sicut Leuiticum sacerdotium.

2. *Esdrae* 7. ℣. 64.

AMPLISsimarum familiarū successionis seriem frequenter solet mors intercidere.

Hiero. ad Principi.

abundè in te effuſo, te Regem, ſacerdotemque conſtituit ſupremum, Regibus omnibus imperantem, ſummeque omnibus ſacerdotibus praelatum, *prae conſortibus tuis*, hoc eſt ſupra omnes, quos participes feceris regni ac ſacerdotij tui. Oleum autem laetitiae, vocat ſummam, vberrimamque bonorum omnium affluentiam & felicitatem, qua humanitas Chriſti Domini ſedens ad dexteram maieſtatis in excelſis, potitur & gaudet. Sed ad Paulum redeuntes, eadem prorſus ratione interpretanda cenſemus illa verba, *neque initium dierum*, ſacerdotij ſui, *neque finem vitae* ſacerdotalis *habens*. Quam etiam interpretationem confirmat ipſe Paulus, ſubdens: *Aſſimilatus autem Filio Dei manet ſacerdos in aeternum*: eaque apte interpretatur Euthymius: Manere ſacerdotium Melchiſedeci in aeternum affirmans, quatenus neque à patribus illud acceperit, neque filijs reliquiſſe legatur. quo ſilentio ſacra ſcriptura ſignificare voluit vmbram quandam aeterni cuiuſdam ſacerdotij: cuius vmbrae veritas Chriſtus eſt, nempe ſacerdos in aeternum manens. Quae quidem omnia explanat ipſe Paulus, poſt pauca ſubdens, figurae & ſymboli interpretationem. *Et amplius*, inquit, *adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedec exſurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitae inſolubilis*. Ecce in quo aſſimiletur Chriſti ſacerdotium Melchiſedeciano, non autem Leuitico, quia non eſt creatus ſacerdos iure legis, quae praecepit filios Aaron ſucceſsione generationis ſacerdotio fungi. Hoc enim mandatum carnale eſt, atque ſolubile, vtpote innixum ſucceſſioni generationis carnis, quae fluxa eſt, nec praedita virtute permanendi in vita: *ſed ſecundum virtutem vitae inſolubilis*. Viden' vt opponat Paulus virtutem vitae carnali defectui, & inſolubile mandatum mandato legali? illud enim in perpetuum permanere poteſt in vita inſolubili; quippe quod non à paterna hominum generatione vim habeat, ſed ab aeterni patris efficaciſſima, atque indeficienti vnctione.

His igitur tam firmis rationibus, ac teſtimonijs ſtabilita veritate, reliquum eſt, vt ad reliqua Anonymi argumenta reſpondeamus. Et quidem, ne quidpiam praetermiſiſſe videamur, ad primum illud, quod ineptiſſimè aſſumit, probans ex benedictione, qua benedixit Melchiſedecus Abrahamo, eum eſſe Deum, reſpondendum eſt. Ait enim: Igitur hic Melchiſedec non vtique ſic benedixiſſe intelligitur Abraham, ſicut faciunt homines ſacerdotes, vt ex legatione daret benedictionem verbis ſollemnibus, ſed quaſi propriam, quam non per verba, ſed per naturam acceperit ſubſtantialiter, vt ſit ei propria. Sacerdotes autem, quos antiſtites dicimus, & regulam habent verbis ſollemnibus ordinatam, & traditam ſibi, quam ſupponentes, hominibus benedicunt &c. Nihil videtur potuiſſe colligere Anonymus, vel rei magis aduerſum, vel verbis ipſius textus magis diſſonum. *Benedixit*, inquit, *ei, & ait, Benedictus Abram, Deo excelſo, qui creauit caelum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Benedictus Abram Deo excelſo*. Hebraicè בריך אברם לאל עליון baruc Abram leel ghaiion, quod nonnulli vertunt: Benedictus Abram à Deo excelſo, vt refert Lipomanus. Quorum interpretatio ſatis illuſtrat hunc locum; hoc enim declarare voluerunt, benedictionem hanc à Deo proficiſci; à Deo enim ſolo benedictum ſe intelligere debebat Abrahamus, miniſterio tamen ſacerdotis. Chaldaeus haec reddit, coram Deo excelſo. Caietanus ſic interpretatur: Datiui caſus eſt, Deo excelſo: Benedictus, inquit, Abram es, ad gloriam Dei excelſi. Qualis ſacerdos, talis benedictio. Sacerdos Dei refert benedictionem in Deum. Et iterum idem Caietanus: Ecce actio ſacerdotalis. Medius ſiquidem eſt ſacerdos inter Deum & populum. Et propterea vice Dei benedicit alijs. Et Chryſoſtomus: Non ſolum Abram benedixit, inquit, ſed & Deum glorificauit. quaſi diceret Chryſoſtomus, vtroque ſacerdotij ſui munere functus eſt Melchiſedecus, & Abramum benedixit, ſe miniſtrum, non dominum oſtendens; & Deum glorificauit, cuius protectione, & miſericordia, & victor Abramus, & ſacerdos Melchiſedecus effectus eſt: & hic benedicendi poteſtatem & munus accepit, & ille benedictionis effectum; Deuſque vtrumque probaret, dum opere complerentur, ſacerdotis ore prolata. Ex quibus patet, in ſingulis verbis ſingulas falſitates, ne dicam mendacia ſingula aſſumere Anonymum: quoniam non alia ratione benedixit Melchiſedecus, quàm ceteri ſacerdotes. Quia quam ille benedicendi formulam à Deo inſtructus obſeruauit, eandem poſtea omnibus ſacerdotibus ſollemni ritu ſeruandam lege praeſcripſit Dominus in Numeris: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, ſic benedicetis filijs Iſrael & ſilijs eius: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, &c.* יברכך iebarecchа benedicat tibi: idem enim eſt, *benedictus Deo*, ſubaudi ſis, ac ſi dicat, benedicat tibi Deus. Neque tantummodo ſacerdotibus ſollemnia fuere verba benedictionis huius, ſed & eadem longè ante à ceteris patribus, ac maioribus omnibus vſurpata fuerant; quae à Noë Patre diſcere licuit Melchiſedeco, in ſe ipſo benedicendo. Nam in Geneſi ſic legimus: *Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet, quae fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Benedictus Dominus Deus Sem*, &c. Et hoc benedictionis quaſi compendio, Noë vtramque benedictionis Melchiſedeci partem complexus eſt; nempe, benedictum, aut benedicendum à Deo parentis cultorem filium Sem, & ab omnibus benedicendum Deum, quod, infinitis in Sem collatis beneficijs, ſeſe peculiari ratione eius Deum oſtenderet. Cui interpretationi concordat, quod Chryſoſtomus ait: Hoc fortè quis dixerit, non eſt benedicere Sem: immo verò, inquit, valde benedixit illum. Quando enim Dominus benedicitur, & aguntur illi gratiae ab hominibus; tunc vberior ab illo ſolet iſtis benedictio dari, propter quos ipſe benedicitur.

Obſeruandum tamen hic eſt, Melchiſedechum ſeruaſſe ſollemnem omnibus morem, non ſacerdotibus tantùm, ſed & Patribus, atque omnibus iuſtis, qui quidquid magnum, quidquid laude dignum praeſtant, id omne Deo auctori tribuunt. Quare cùm benedicere ſit opus maioris dignitatis, teſte Paulo, Deo tribuere ſolent opus benedictionis; à Deoque benedici teſtantur eum, quem ipſi poteſtate à Deo tradita benedicunt. Cùm Deus contrà, non tantum ſacerdotibus benedicendi facultatem tribuat, & parentibus; ſed etiam ipſius benedictionis effectum, nempe prorogationem dierum, quam ſolus ipſe largitur,

eiſdem

OLEVM laetitiae quid ſit.

Euthymius.

Ibid. ℣. 15. & 16.

IN QVO aſſimiletur Chriſti ſacerdotium Melchiſedeciano.

QVARTum Anonymi argumentum, diuinitatem Melchiſedeco adſcribens, propterea quod Abrahamo benedixerit.

RESPONdetur cum benedictionis interpretatione. *Gen. 14. ℣. 19.*

Lipoman. in Cat.

Chaldaeus. Caietanus; ibid.

MEDIAtor Dei & hominum ſacerdos vice Dei alijs benedicit. *Chryſoſt. hom. 35. in Geneſ.*

AD DEVM refertur benedicêdi munus, ac benedictionis effectus.

BENEDIctio Melchiſedeci, ſollemnis omnibus alijs fuit. *Num. 6. ℣. 22.*

Geneſ. 9. ℣. 24.

Chryſoſt. hom. 29. in Geneſ.

IVSTI omnes quidquid magnum, quidquid laude dignũ praeſtant, id omne Deo acceptum referunt.

eisdem parentibus adscribit, vt videre est in Exodo: *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam, vt sis longaeuus* למען יאריכון Iemaghan iaarcun, vt propterea prolongent ipsi dies tuos *super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. Et hanc Dei liberalissimam promissionem, re ipsa comprobatam videmus in omnibus ferè primis Patriarchis, quorum verba omnia, quae filijs benedicentes protulerunt, non minus compleuit Deus, quàm prophetica oracula. Quorum vnicum idque mirandum exemplum dum profero, rem omnem satis probasse videbor. Cùm enim certior factus fuisset Isaac, furtim sublatam natu maximi filij benedictionem, *Expauit*, inquit sacer textus, *Isaac stupore vehementi: &, vltrà quam credi potest, admirans ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, priusquam tu venires, benedixique ei, & erit benedictus?* Quo loco Augustinus: Ecce, inquit, quomodo benedictionem promissam repetente maiore filio expauescit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens, miratur, & quisnam ille sit percunctatur; nec tamen se deceptum esse conqueritur: immo confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem. Ita ille. Quae nobis indicio esse possunt, semel prolatam ore parentum benedictionem, etiam praeter intentionem proferentium, reuera & opere complendam; vt discant filij timere parentes, & hi benedictioni filiorum, non maledictioni assuescere. Sed iam ad alia properandum. Quaerit Anonymus, si Melchisedecus credatur homo, & sacerdos humano more in terris degens; ostendatur locus habitationis eius: aut si fuit templum aliquod, aut synagoga, in qua congregauerit populum, & obtulerit eorum sacrificia, vel qui populus conueniebat ad illum? Sed & nos quaeramus ab illo, num si haec ostenderimus illi, de concepto errore paenitentiam aget? num se ignaua rerum ignoratione deceptum testatus, veritati subdet? Verum licet à proteruis nil tale sperandum sit; ea tamen omnia libenter ostendemus; atque adeo Anonymum taetra errorum caligine offusum, oculos habere & non videre; immo verò ea ipsa, quae viderit, non vidisse ostendemus. Ac de populo quidem: quaeso non fuit populus Solymorum populus? numquid quorum Rex dicitur, non eorundem sacerdos dici potuit? quod si Sacerdos, & Rex, numquid ei templum aedificare non licuit? quid si aedificauit? at non ostenditur, aut legitur aedificasse. Sanè, quae scripta sunt nescientibus, aut non legentibus, perinde sunt, atque ea, quae scripta non sunt. Quòd si legisset Anonymus Iosephum, & templum à Melchisedeco Hierosolymis aedificatum legisset: legisset saltem Augustinum, qui locum illum Geneseos enarrans: *Perrexitque* Rebecca, *vt consuleret Dominum*: dum, quo ierit, interrogat, inter alia subiungit: An adhuc viuebat Melchisedec, cuius tanta fuit excellentia, vt à nonnullis dubitetur, vtrum homo an angelus fuerit? legisset Chrysostomum constanter asserentem ad sacerdotem ijsse Rebeccam: quoniam, vt Eusebius, Gennadius, & Theodoretus, cum Diodoro affirmant, communi traditione receptum fuit, ad Melchisedecum iuisse. Sed non est, cur pluribus in his immorer, quae à me fusius capite sequenti tractanda, vim omnem huius argumenti confringent.

Exo. 20. ℣. 12. DEVS PARentibus tribuit vt dies producant filiorum, cùm contrà parentes Deo ipsam quoque benedicendi facultatem & executionem adscribant.

PARENtum benedictiones haud secus quàm Prophetarum oracula Deus optimus solet comprobare.

S. Aug. lib. 16. de ciuitate c. 38.

QVINctum Anonymi argumentum de templo, synagoga & populo sacerdotij Melchisedeci.

RESPONdetur ad argumentum Anonymi.

Ioseph. 7. bell. cap. 18. S. August. quæst. 72. in Genes. Genes. 25. ℣. 22.

PER MELchisedecum cōsuluit Rebecca, cùm Dominum consuluisse dicitur. *Chrys. hom. 50. in Gen. Theodor. q. 75. in Gen. Eusebius. Gennad. & Diod. apud Lipoman. in catena huius loci.*

Iam verò alia Anonymus excogitauit absurda, quibus suam confirmaret sententiam. Si Melchisedecus erat sacerdos, edocens populum verum Dei timorem, & cultum, frustra, inquit, electus est Abraham, ac paulatim in alium errorum oceanum dilabitur, vt contendat probare, extra synagogam neminem saluari potuisse, cùm tantùm populus Iacob electus dicatur à Deo in Deuteronomio, Deusque in Iudaea tantummodo notus dicatur in psalmo, *& in Israël magnum nomen eius*. Quam haeresim tota detestatur historia Geneseos, & Iobi; in quibus multi non habentes legis iustificationem, acceperunt testimonium iustitiae. Quinimmo si legisset Paulum Anonymus, saltem eadem ipsa epistola, eodemque capite, quo suam putat haeresim stabiliri, cognoscere potuisset, quòd *nihil ad perfectum adduxit lex*. Et iterum: *iuxta quam munera, & hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam*, hoc est, quod ad animam pertinet, *perfectum facere seruientem solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*. Quare necesse fuit iustos tum in lege, tum extra legem alia quadam ratione iustificari, quàm ipsa lege, nempe fide, quae per dilectionem operatur. Cuius beneficio etiam illi, qui extra legem viuebant, iustitiae participes efficiebantur. Quod ipsum argumentum fusius persequitur pluribus locis Paulus, sed expressè epistola ad Romanos: *An*, inquiens, *Iudaeorum Deus tantum? nonne & gentium? immo & gentium. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus*, & quae sequuntur. Quare huic fidei tribuit iustificationem omnium sanctorum, quos enumerat in epistola ad Hebraeos. *Fide* enim, inquit, *plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus. Fide Henoch translatus est, &c. ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. Quae quidem argumenta omnia vera sunt, efficacissimaque de synagoga & lege veteri, quae nihil ad perfectum adducere potuit; non de Ecclesia, & lege Christi, quae perfectionem continet omnis iustificationis. Quare de ea dicit Dominus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit*, aut baptizatus non fuerit, *condemnabitur*. Sic autem intelligendum constat ex alio loco, attestante cum magna asseueratione Domino: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Verum ad institutum nostrum redeuntes, non est mirandum, si Melchisedecus iustus dicatur, & doceat gentes iustitiam, quae per fidem operatur, eodem ipso tempore, quo Abraham eligebatur pater credentium per praeputium.

SEXTVM Anonymi argumentum, quia frustra eligeretur Abrahamus post electum Melchisedecum. *Deuter. 32. ℣. 8. & 9. Psal. 75. ℣. 1.*

Hebr. 7. ℣. 19. *Hebr. 9. ℣. 9.*

Rom. 3. ℣. 29. & seq.

Hebr. 11. ℣. 4. & 5.

EXTRA Ecclesiam nullus saluari potest sicut olim extra synagogam plures poterant. *Marci vlt. ℣. 16. Ioan. 3. ℣. 5.*

Tandem triumphare se putat Anonymus, his quae subdit, vt confundat, inquit, maleuolos, ait Paulus: similatus autem Filio Dei, manet sacerdos in aeternum. Post multa ineptissimè composita hanc affert omnium ineptiarum ineptissimam coniecturam; nempe similem Dei Filio esse non posse, nisi sit eiusdem naturae. Verùm pari ratione fateatur necesse est, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem Dei* fieri minimè potuisse, nisi eiusdem esset naturae ac Deus: aut superbum illum vel Regem, vel Angelum dici nulla ratione potuisse *signaculum similitudinis*,

SEPTIMVM Anonymi argumentum ex eo quòd assimulatus dicitur Melchisedecus Filio Dei.

RESPONdetur ad argumentum. *Genes. 1. ℣. 26. Ezech. 28. ℣. 12.*

militudinis, vt à sanctis Patribus, quos super eo loco attulimus, traditur, nisi sit eiusdem naturae ae Deus. Quam blasphemiam non minus piae horrent aures, quàm id, vnde sequitur. Ego verò Anonymi oscitantiam satis mirari non possum, qui non animaduerterit Paulum loqui de sacerdotio Christi, quod probare contendit, fuisse diuina promissione, ac iureiurando confirmatum. Quapropter aeternum futurum erat, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec: & hac de causa nihil de similitudine naturae loqui eum oportuit, sed tantùm de sacerdotij similitudine: quod suprà ex contextu Pauli satis probatum à nobis est.

Suprà hoc cap. OCTAtum Anonymi argumentum probare contendit Spiritum sanctum sacerdotem fuisse. *Respondetur.*

Verùm ne quid intactum relinquat Anonymus, Spiritum sanctum fuisse sacerdotem affirmat, haud secus, quàm Christum, qui summus sacerdos est: Melchisedecum verò Spiritum sanctum secundum compellat; quo quid potuit, aut à fide Catholica, aut ab omni ratione, & scientia vel dici, vel excogitari magis alienum? Nam, vt Sanctus Thomas, & cum eo doctores omnes affirmant, sacerdotis munus est, esse mediatorem inter Deum, & populum; vt expresse definitur à Paulo, dum ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum*. Quò fit vt Christus Dei Verbum caro factum, verè & propriè dicatur sacerdos noster & Pontifex, vt definitum est in Concilio Ephesino ex verbis Pauli. *Erat*, inquit, *Deus in Christo mundum reconcilians sibi*. Et quamuis, vt fides Catholica asserit, Dei Verbum non nisi ratione humanitatis, vel in humanitate sacerdos esse potuerit: excellentia tamen, & quam Theologi vocant, efficacia illius sacerdotij, ex dignitate diuini suppositi manauit. Cuius rei hanc possumus reddere rationem: quia Deus non habet superiorem, cui sacrificium offerat, aut apud quem intercedat: quare Deus quà Deus est, non potest esse sacerdos: necessarium ergo fuit Deum hominem fieri, vt ea ratione Deus homo sacerdos fieret. Quae fusiùs probat Franciscus Suarez multorum Patrum testimonio, atque alijs Theologicis demonstrationibus. Quapropter fieri non posse conuincitur, vt Spiritus sanctus sacerdos sit; quin idem quoque incarnatus sit; quod & fatetur Anonymus. At praedictum Anonymi assumptum non modo fidei repugnat, propter ea, quae à nobis suprà allata sunt; verùm etiam propter Pauli testimonium, sic scribentis: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS*. Ecce vnum mediatorem, & consequenter, vt probauimus paulò superius, vnum sacerdotem Christum IESVM. Vbi ergo alterum sacerdotem adinuenit Anonymus? Quocirca vnum credimus cum Paulo, & Ecclesia Catholica, qui alium adstruit, anathema sit; quia huius derogat potentiae, dignitati, & merito. At vrget hoc alio argumento Hierax item haereticus apud Epiphanium, nempe illis Pauli verbis: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Ex quo putat probari, Spiritum sanctum mediatorem, ac sacerdotem esse. Verùm haec interpretatio, seu potius verborum Pauli malitiosa, atque adeo inepta peruersio, contraria omnino est menti, & propterea verbis Pauli; quae non licet interpretari, nisi vt ea recipit, & interpretatur Patrum sanctae matris Ecclesiae concors sententia. Quapropter audiendus Sedulius, doctrina aequè & morum sanctitate, atque antiquitate clarus, ac venerabilis. Hic, inquit Sedulius, gratiam spiritus, spiritum nominauit; postulat autem, quia postulare nos facit gemitibus, qui enarrari non possunt. Sicut tentare nos dicitur Deus, vt sciat, hoc est, scire nos faciat, quales sumus.

Suarez in 3. p. disput. 46. sect. 2.

1. Timo. 2. ¶. 5. CHRIstus vnicus Dei, & hominum mediator; qui alium adstruit huius dignitati derogat.

Epiphan. haer. 55. Rom. 8. ¶. 26. HIERAX insistit Anonymi argumento probanti Spiritus postulare dicitur pro nobis.

Sedulius in eum locum Pauli.

A Sed & vsu communi, quod aliquis fieri iubet, ipse dicitur operari vt ille aedificauit domum, aut ille codicem fecit; cùm neque iste scripserit, nec ille struxerit. Haec doctè iuxta ac verè Sedulius. Theodoretus quoque: Spiritum autem hic non dicit substantiam Spiritus, sed gratiam, quae data est ijs, qui credunt. Ab ea enim excitati compungimur, ab ea inflammati alacrius precamur, & gemitibus inenarrabilibus Deum compellamus. Sic Theodoretus. Hieronymus verò: Hic gratiam Spiritus, spiritum nominauit, sicut alibi dicit: si orauero lingua, spiritus meus orat: &: aemulatores estis spirituum: postulat autem, quia postulare nos facit, &c. & subdit: Item gratiam spiritus, nominat spiritum, qui docet nos pro nobis Domino postulare, sicut Isaias dicit: *Spiritus sapientiae, & scientiae, & intellectus*. Et Corinthijs scribens, dicit: *sic & vos; quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae, quaerite vt abundetis*. Hactenus Hieronymus. Sed & Augustinus citatus à Beda: Quid est, inquit, ipse Spiritus interpellat pro sanctis, nisi ipsa caritas, quae in te per Spiritum facta est? Ideo enim dicit idem Apostolus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Caritas ipsa gemit, caritas ipsa orat. Contra hanc aures claudere non nouit, qui illam dedit. Securus esto, caritas roget, & ibi sunt aures Dei. Et iterum: Sic enim, inquit, dictum est, gemitibus interpellat, vt intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit. Adest enim nobis, & insundendo caritatem nobis, facit nos interpellare gemitibus. Denique alio loco, cùm dicit Apostolus Paulus: *Clamantem: Abba Pater*, exposuit, quid sit, clamantem Abba pater, dicendo, *in quo clamamus*. Ac per hoc, quid est clamantem, nisi clamare facientem? Do exemplum locutionis huius. Nonne Deus omnium est praescius futurorum? Quis vmquam hoc negabit vel insanus? tamen ait Apostolus; nunc autem nognoscentis Deum, *immo cogniti à Deo*: vt intelligerent, Deum fecisse in eis cognitionem suam. Cognoscentes Deum. Quid est cognoscentes Deum? Nolite vobis arrogare, nolite superbire, cogniti estis à Deo. Quid est, cogniti estis à Deo? cognitores suos Deus vos fecit. Deus dedit vobis, vt eum cognoscatis, quo modo est & illud: *Nunc cognoui* quoniam *times Deum*. Quando obtulit filium suum ad holocaustum Abraham, dixit ei Deus: *Nunc cognoui*. Ipsa est tota Dei praescientia. Tunc cognouit, quando dixit, nunc cognoui? Sed quid est nunc cognoui? nunc te feci cognoscere. Si ergo has locutiones, sicut libris diuinis eruditus, agnosceres de gemitibus illis, quibus dictum est, gemitibus interpellare Spiritum sanctum, non eum faceres miserum. Quid est enim aliud, semper gemens, quam semper miser? Ideo nos gemimus, quia miseri sumus. Et gratias Spiritui sancto, quia caritate aeterni saeculi facit nos gemere, propter quod dictus est gemere. Facit nos clamare, propter quod dictus est clamans. Facit nos cognoscere Deum, propter quod dictum est: Immo cogniti à Deo. &c. Subditque huius locutionis exempla, quando per efficientem significamus id, quod efficitur; sicut frigus pigrum dicimus, quia pigros facit, & diem tristem, vel laetum, qui tristes vel laetos facit. Et alibi: Quod non sic, inquit, est intelligendum, vt existimemus Spiritum sanctum Dei, qui in Trinitate incommutabilis est Deus, & cum Patre, & Filio vnus Deus, tamquam aliquem qui non sit, quod Deus est, Deum interpellare pro sanctis. Dictum est quip-

QVOMOdo spiritus dicatur interpellare pro nobis. Patrum sententiae. *Theod. ibi.* *Hieron. ibi.* *Isa. 11. ¶. 2.* *1. Cor. 14. ¶. 12.* *Beda ibi.* *Aug. ser. in epis. 10. 6. Roman. 5. ¶. 6.* *Libro cont. Maximin.* *Galat. 4. ¶. 6.* *Ro. 8. ¶. 15.* *Gal. 4. ¶. 9.* *Gen. 22. ¶. 12.* *Lib. ad Probam de orando Deo.*

pe, interpellat pro sanctis, quia interpellare sanctos facit &c. Subditque, interpellare sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis desiderium, etiam adhuc incognitae tantae rei, quam per patientiam exspectamus. Quomodo enim narretur, quando desideretur, quod ignoratur? Nam vtique si omni modo ignoraretur, non desideraretur. Et rursus, si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quaereretur. Et alibi. Non ergo, inquit, Spiritus sanctus in semetipso, apud semetipsum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa aeternitate substantiae gemit, sed in nobis gemit, quia nos gemere facit. Quae quidem omnia Augustini testimonia ideo libenter attuli, vt testatum sit omnibus, quàm aliena fuerit semper à mente Augustini haeresis haec, quae vel Spiritum sanctum incarnatum dicit, vel sacerdotem; ac propterea librum de quaestionibus veteris, ac noui testamenti nulla ratione tamquam Augustini admittendum. Verum quoniam longum esset, à nostroque instituto alienum, omnium Patrum recensere sententias, quae, qua ratione sit intelligendus Paulus hoc loco, tradunt, reliquis omissis, vnus tantùm proferendus videtur Chrysostomus, qui mentem Pauli prae ceteris assecutus est; quippe qui eodem Paulo dictante, commentarios in Pauli epistolas scripsisse dicatur: *Ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Obscurum, inquit, est hoc dictum, propterea quòd multa ex ijs miracula, quae tunc fierent, fieri nunc desierint: ea propter necesse nobis est rerum illarum statum vos docere, atque ita demum apertior erit sermo. Quis igitur tum rerum status erat? Diuersa ijs omnibus dona Deus largiebatur, qui baptismum susciperent, quæ quidem & Spiritus vocabantur: *Prophetarum enim Spiritus*, ait, *prophetis subiecti sunt.* Et hic quidem obtinebat prophetiae donum, ac futura praedicebat; ille autem sapientiae, ac plebem docebat; ille autem sanitatum, & aegrotantes curabat; ille autem potestatum, ac mortuos excitabat: ille autem linguarum, ac varijs loquebatur vocibus. Porrò autem vnà cum his omnibus, erat & precum donum, quod & ipsum Spiritus dicebatur: quo qui praeditus erat, pro plebe vniuersa preces fundebat. Quandoque enim permulta cùm ignoremus eorum, quae nobis conducunt, quae minimè conducunt, postulamus. Accessit donum precum ad vnum aliquem eorum, qui tum viuerent, qui quod communiter vniuersitati Ecclesiae conducebat, id tum ipse pro omnibus postulans, staret, tum autem alios edoceret. Spiritum igitur hic vocat tum donum tale, tum animam eam, quae donum id susciperet; quaeque apud Deum intercederet, ac gemeret. Qui enim huiusmodi gratia dignus est habitus, is magna cum animi compunctione stans, multis item cum gemitibus, ijs dico, qui ipsa quidem mente Deo se prosternunt, quae omnibus vsui sunt, postulat. Cuius & nunc signum diaconus est, pro populo preces Deo offerens. Hoc igitur Paulus sentiens, dixit: *Ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille qui scrutatur corda.* Vides non de paracleto verba fieri, sed de corde spirituali. Quoniam nisi hoc esset, dicere oportebat: at ille qui scrutatur spiritum. Verùm vt intelligas hic agi de homine spirituali, & eo, qui precum donum habet: addidit, at qui scrutatur corda nouit, quis sit sensus spiritus: hoc est hominis spiritualis: quoniam secundum Deum intercedat pro sanctis. Haec ille. Quibus tametsi nihil superaddi posse videatur: addam tamen aliquid ex sacris litteris, quod nequaquam absre erit, cùm plurimorum sanctorum Patrum sententijs, & Chrysostomi potissimum expositioni suffragari videatur. Locus est apud Zachariam, vbi hunc spiritum precum Ecclesiae Christi Dominus pollicetur; eiusque effectum haud obscurè significat, his verbis, quae diligentius perpendenda duximus. *Et effundam super domum Dauid*, sic vocat Sionem montem, vbi exstructa erat domus Dauid, *& super habitatores Ierusalem*, sic vocat inferiorem ciuitatem, nisi malis repetitionem esse, eiusdemque Hierosolymae duplici nomine Ecclesiam significari ex Iudaeis & gentibus conflatam, *spiritum gratiae & precum*, Hebraicè רוח חן ותחנונים ruach chen vethachanunim Vtraque autem vox חן chen & תחנונים chanunim ab eadem radice deducitur חנן chanan, quae & gratis dare, gratiosum esse, vel gratia aliquem prosequi, atque etiam precari pro aliqua gratia, vel supplicare significat. Vnde nomen deductum significat tum gratiam animae, & corporis, tum preces; חן chen, Graecè χάρις, charis gratia, fauor: vt in Genesi. *Noë inuenit gratiam coram Domino.* Et in psalmo: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Preces autem significat eadem vox in Prouerbijs: *Cum obsecrationibus loquetur pauper*, hoc est humiliter supplicans. Et apud Ieremiam: *In fletu venient & in misericordia*, Hebraicè ובתחנונים vbthachanunim, & in, vel cum precationibus *ducam eos.* Et eandem vocem reddidit Hieronymus, modò misericordiam, vel gratiam, modo preces. Vnde loci sensus erit: *effundam* spiritum gratiae & gratiarum, phrasi scripturae communi, qua genitiui additio vice superlatiui ponitur, vt Cantica Canticorum, Rex Regum dicitur, quasi praestantissimus. Gratiam ergo gratiarum vocat, copiosissimam, singularemque gratiam, quod idem effundendi verbum significat teste Hieronymo; vel precem precum, hoc est Spiritum, qui maximè edoceat effundere preces, hoc est, orationi date operam. Vbi nota pro intelligentia contextus Pauli, orationem vocari gratiam, sine qua nullus cum fructu orat: *nam quid oremus sicut oportet, nescimus.* Huius autem spiritus gratiae & precum effectus, indicat Zacharias, subdens: *Et adspicient ad me, quem confixerunt*; Confixerunt, inquam, non tam ferreis clauis, dira lancea, acutisque spinis, quamuis his etiam me acerbissimè excruciatum ac morte turpissima affectum viderunt, excruciarunt, affecerunt; quàm sceleribus, obliuione, ingratitudine, odio atque similibus, quae quibusuis supplicijs quantumuis acerbis, ac grauibus acerbiora, grauioraque duco. *Et plangent eum planctu &c.* Multiplices enim lacrymas excutit gratia Dei, diffusa in cordibus nostris, compassionis erga Christum, odij aduersus peccatum, & desiderij, remissionis, reconciliationis, & vitae caelestis. Quod idem testatus fuerat Paulus: *Scimus enim*, inquit, *quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus &c.* At quis dicet (vt ad institutam disputationem, vnde paululum digressi sumus, reuertamur) loqui Paulum, aut Zachariam de ipsa diuina persona Spiritus sancti? numquid diuisibis est? numquid alijs eius primitiae, alijs partes reliquae conceduntur? absit. Sed vt de gratia & participatione spiritus hic intelligitur locutus Paulus, quae ad mensuram datur vnicuique secundum propositum vocationis suae: ita de eadem gratia intelligendus est, cùm ait, *adiuuat infirmitatem nostram; postulat pro nobis. Quia qui scrutatur corda*, & scit quantum

Tract. 6. in Io.

LIBER quaestionum veteris ac noui testamenti nulla ratione tamquam Augustini admittendus probatur.

Chrysostom. in Paul.

PLVRA olim dona Deus largiebatur baptizatis, quae Spiritus dicebantur. *1.Cor.14. ỳ. 32. 1.Cor.12.*

QVOD olim speciali dono Spiritus sancti praeditus solebat pro omnibus orare, id nunc diaconus praestat.

Zachar. ỳ. 12.

CHANAN quid significet.

Genes.6. 8. Psal. 83. 12. Prouer.1 ỳ.23. Ierem. 3 ỳ.9.

GENIT uus loco perlati

Hiero.ibi.

ORATIO dicitur gra tia, quia fin ea nullus cum fructu orat.

Rom. 8.ỳ. 22.& 23.

tum vnicuique collatum, vel conferendum sit gratiae, *scit quid desideret*, postulet, aut requirat haec gratia *Spiritus: quia secundum Deum*, id est, secundum diuinum propositum, iuxta quod Deus proposuit sanctis conferre, *postulat pro sanctis* siue prospera, siue aduersa. *Scimus* enim *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ex his omnibus liquidò constat, quàm aliena sit à mente Pauli Hieracis haeresis, quamque alienum sit à Spiritu sancto, esse sacerdotem. Quare lubet hanc disputationem verbis Cypriani concludere: Deus (inquit) vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna, super Petrum, Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, praeter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancrum & pestem, fugiendo vitate. Haec Cyprianus.

Rom. 8. ¥. 27. & 28.

Cypria. epist. 8. ad plebem

EISDEM rationibus, omnes de Melchisedeco haereses confutantur.

Isdem rationibus allatis ceterae omnes haereses confutantur, quae, vt Epiphanius testatur, non à veritate, sed ex ipso sibilo draconis, prout vnumquemque potuit decipere, ac seducere, excogitatae sunt. Satis enim probatum est Melchisedecum fuisse verum hominem, fideque constat, nullam ex diuinis personis incarnaram fuisse ante Verbi incarnationem: quam factam testatur Paulus, quando venit plenitudo temporis: tunc enim, non ante nec post, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Constat etiam vehementer deceptos illos, qui dixerunt Melchisedecum fuisse ipsam personam filij Dei, quae in veteri testamento saepe apparere solebat in humana specie, & dicitur apparuisse Abrahae, & repraesentasse Dei filium, se ipsum oblaturum aliquando in sacrificium, in vera humana natura: & ideo dicit: Assimilatum Filio Dei, & sine patre, & sine matre exstitisse. Aduersus quos militant argumenta omnia, quibus suprà probauimus, Melchisedecum fuisse verum hominem, Regem Salem, sacerdotemque Dei altissimi. Quae nulla ratione possent Dei Filio conuenire sub humana specie, hoc est, non reuera homini, sed specie, & figura quadam tantùm homini, quia diuinae personae repugnat esse sacerdotem, nisi ratione assumptae naturae humanae, vt suprà probauimus.

MELCHISEDECUS non fuit filius Dei, Verbum inquam diuinum.

Sup. hoc cap.

Illa autem Origenis, & discipulorum eius opinio, quam refert Hieronymus, nempe Melchisedecum fuisse Angelum, vnum, inquam, de superioribus virtutibus, omnino falsa est: nam, praeterquam quòd eisdem argumentis nititur, quibus Anonymus, quae similiter labefactari possent; quiddam assumit tamquam certum, quod piorum omnium aures horrent, nempe angelum incarnatum fuisse; nam negare non potest, Melchisedecum verum hominem fuisse. Cui quidem sententiae, vel potius errori satisfieret omnino vno verbo, si diceremus, id omnino impossibile semper fuisse; suppositum creatum incarnari, quod solius est diuinae personae, vt tradit Sanctus Thomas. Verùm quoniam non nostri instituti est huius quaestionis momenta perpendere, quidquid sit de possibili, hoc certo statuimus, numquam factum fuisse, vt angelus, vel aliud creatum suppositum, naturam humanam assumpserit. Quomodo enim incarnationis mysterium vocari posset à Paulo sacramentum absconditum à *saeculis in Deo*, vel *mysterium absconditum à saeculis & generationibus*, si eiusdem tam expressa imago ante tot aetates edita fuisset? Aut qua ratione Hierotheus apud Dionysium, incarnationis mysterium nouitatum omnium supereminentem nouitatem appellaret; eumque imitatus Damascenus vocaret hoc mysterium, nouum omnium nouorum: si ante tot saecula, aliquid simile factum esset in angelo? Quare credendum potius omnino est Concilio Toletano, quàm Origeni. Illud enim de mysterio incarnationis Christi loquens, ait: Si ratione ostendi posset; non esset mirabile: si exemplo; non esset singulare. Quapropter siminus possumus dignas, debitas cerre omnipotenti Deo gratias pro ineffabili incarnationis beneficio agentes fateamur, illud esse admirabile, quia ratione ostendi non potest, & singulare, quia nullum eius exemplum visum est aut in caelo, aut in terra.

S. Hier. epi. ad Euagr.

MELCHISEDECUS non fuit Angelus.

S. Thom. p. 3. q. 1. ar. 1.

ANGELUS nulla ratione incarnatus est.

Ephes. 3. ¥. 9. Coloss. 1. ¥. 26.

Dion. Areo. c. 2. de diuinom.

S. Io. Damasc. lib. 3. cap. 1.

Conc. Tol. 2.

Eadem prorsus ratione, & Catholica fide confisi, detestamur illorum blasphemias, qui Melchisedecum non verentur asserere non solùm virtutem quandam, sed etiam maiorem Christo. Quo quid possit excogitari vel magis impium, vel ab ipsa ratione & naturali lumine magis alienum? Cùm enim Christum confitemur Deum verum de Deo vero, fatemur pariter eo nihil maius neque esse, neque dici, neque excogitari posse. Hos ergo omnes haereticos exseerantes, eorumque praua dogmata etiam atque etiam abnegantes, adoremus Dominum, dicentes: Quoniam *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

DETESTANDA haeresis eorum qui Melchisedecum Christo praeferte conantur.

Psal. 144. ¥. 3.

Sed iam tandem fugatis haereticorum tenebris, taetraque caligine discussa, in veritatis semita insistamus, & quis tandem hic Melchisedecus fuerit statuamus. quod ne capitis modum longioribus disputationibus excedere videamur: in sequens proximum caput reijciemus.

MELCHISEDECVM FVISSE SEM primogenitum Noe.

Cap. XIII.

ACC primùm quidem sese nobis opponere videtur Theodoretus, dicens. Cùm diuinus ille Paulus dicat sine patre, sine matre, & sine genealogia; quis veritatem huius rei nosse potest? Verùm verba Pauli nihil nostrae derogant inquisitioni: immo verò mens Pauli, quae ijs continetur, magis confirmari posse videtur; si quod certissimum est, nouis rationibus, ac testimonijs stabiliatur, nihil communicasse Melchisedecum carni & sanguini sacerdotij Leuitici. Hoc enim potissimum spectari à Paulo ex ipsius verbis suprà probauimus, idemque confirmare possumus Eucherij testimonio, qui postquam Christi Domini aeternam sine matre, & tempora-

Theodor. q. 63. in Genes.

DIFFICILLIMUM est inuestigare quis fuerit Melchisedecus.

MAXIME conducit ad intelligendum locum Pauli, quis fuerit Melchisedecus, inuestigare.

Euche. lib. 2. in Gen. c. 13.

lem sine patre generationem, silentio paternae, ac maternae genealogiae Melchisedeci significari à sacra Scriptura probauit; mox mentem Pauli assecutus, de Christo Domino subdit, sine aliqua etiam sacerdotali genealogia, homo exstitit ex hominibus, vtpote non ex tribu Leui ortus, sed ex tribu Iuda: ex qua tribu nihil de sacerdotali praecepto accepit. Haec & optimè Eucherius.

S. Hieron. ad Euagrium. Hippolyt. Irenaei. Euseb. Caes. Euse. Emiss. Apollinar. Eustath. apud Hiero.

Quae maximè confirmat Hieronymus, ex sententia Hippolyti, Irenaei, Eusebij Caesariensis, & Emisseni, Apollinaris, & Eustathij, & subdit: Quomodo autem Noë, inebriatus in domo sua, & nudatus, atque derisus à mediano filio, typum saluatoris praebuit, & Cham populi Iudaeorum? Samson quoque amator meretricis, & pauperis Dalilae, multo plures hostium mortuus, quàm viuus occidit, vt Christi exprimeret passionem; omnesque paene sancti, & Patriarchae, & Prophetae in aliqua re figuram expressere Saluatoris: sic Melchisedec, cò quòd Chananaeus fuerit, & non de genere Iudaeorum, in typum praecessisse sacerdotis filij Dei. &c. Ordinem autem eius multis modis interpretantur, quòd solus & Rex fuerit, & sacerdos, & ante circumcisionem functus sacerdotio; vt non gentes ex Iudaeis, sed Iudaei à gentibus sacerdotium acceperint. Haec Sanctus Hieronymus. Quae ostendunt quantum aetate praecesserit Melchisedecus Abrahamum, & quomodo hic ab illo originem duxerit, potius, quàm ille ab hoc, vel ab eius posteris sacerdotibus, vel à Chananaeis, qui posteriores fuerunt ipso Melchisedeco. Quamuis Theodoreti primum sententia id asserere videatur, quòd cum eiusdem bona venia negare compellimur, vt reliquorum possimus placita sectari. Verisimile est autem, inquit, illum esse ex illis gentibus, quae Palaestinam incolebant: nam ille tum Rex, tum sacerdos erat. Rex quidem Salem, sacerdos autem Dei omnium. Quibus Theodoreti verbis nixi videntur illa plurium scriptorum sententia, quam refert Franciscus Suarez, nempe. Melchisedecum ex Chananaeis originem duxisse.

Theodoret.

Franc. Suarez. tom. 1. in 3. p. disp. 46. sect. 4.

Cuius rei ea assignari potest ratio, quòd totum illum ferme terrarum tractum, quem Abrahamo promiserat Deus, & posteris Hebraeis largitus est, terram Chanaan compellare solet Scriptura sacra; vt videre licet in Leuitico: *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt darem vobis terram Chanaan*: Et alibi saepè. Cui sententiae subscribere propter allatas rationes nullo modo possumus. Verùm qua stirpe, aut quibus parentibus ortus sit Melchisedecus, hi Patres non tradunt. Epiphanius: Dixerunt autem quidam, inquit, Eraclam vocari ipsius (Melchisedeci) patrem, matrem verò Astaroth, quae & Asteria dicitur. At cùm idem Epiphanius non ab expressis, ac genuinis scripturis desumptam testetur hanc sententiam; illam tamquam nulli certo, aut saltem rationabili innixam fundamento consultò prætermittimus. Constans fuit Hebraeorum omnium sententia, quam à maiorum traditione acceptam referunt, Melchisedecum fuisse Sem primogenitum Noë. Quam sententiam vtpote nihil continentem vel sacrae Scripturae repugnans, vel quod sanctis Patribus videretur indignum; non reijciendam putaui, praesertim cùm saeculis illis, Melchisedeco propinquioribus, ac viris illis suarum rerum sollicitis indagatoribus, non sit cur non fidem habeamus, in ea historia praesertim, cui aliquid manifesta ratione contrarium, aut repugnans ostendi non potest. Et quidem Hieronymus admittere videtur hanc sententiam, quoniam verisimilis illi videtur deductio Hebraeorum, qua probant Sem superuixisse Abrahamo. Nobis autem verisimilis planè, immo & certa videtur sententia, quae tradit Sem Abrahamo nepoti suo decimi gradus, aliquot annis superuixisse, quoniam ex principijs fide certis manifesta ratione deducitur. Quod vt planum fiat, seriem primùm simplicem generationum, quam retexit liber Paralipomenon, ob oculos ponamus necesse est. *Sem* (inquit) *Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Serug, Nachor, Thare, Abram, iste est Abraham*. Hos autem ordine generationis alios ex alijs deinceps prognatos ostendit historia Geneseos, mox afferenda. Vt autem eorundem Patrum annos simul colligamus, attentè perpendamus Moysis verba: intermissis tamen ijs, quae ad rem nostram facere non videntur, necessaria tantùm referemus: *Hae sunt* (inquit) *generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad biennio post diluuium: vixitque Sem postquam genuit Arphaxad quingentis annis*. Ex quibus verbis hoc liquidò constat, Sem vixisse sexcentos annos, duos, inquam, supra quingentos post diluuium: subditque Moyses:

S. Hieron. ad Euagr. & de quaest. Hebr.

CERTA est sententia, quae affirmat Sem Abrahamo superuixisse.

2. Paralip. 5. ℣. 24. & sequentibus.

PROBATur ea sententia.

Genes. 11. ℣. 10. & sequenti.

Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Vixit quoque Phaleg triginta annis & genuit Reu. Vixit autem Reu triginta duobus annis & genuit Sarug. Vixit verò Sarug triginta annis & genuit Nachor. Vixit autem Nachor viginti nouem annis & genuit Thare. Vixitque Thare septuaginta annis & genuit Abram.

℣. 12. ℣. 14. ℣. 16. ℣. 18. ℣. 20. ℣. 22. ℣. 24. ℣. 26.

VITAE SEMI ET ABRAHAMI VARIA COMPVTATIO.

	Iuxta Vulgatam.	Epiphanium.	Septuag. interp.
Sem.	100.	100.	100.
Arphaxad.	35.	135.	135.
			Cainan. 130.
Sale.	30.	Sala. 130.	130.
Heber.	34.	134.	134.
Phaleg.	30.	130.	130.
Reu.	32.	Ragan. 132.	132.
Sarug.	30.	Serugh. 130.	130.
Nachor.	29.	79.	179.
Thare.	70.	70.	70.

390. Annus vitae Sem, quo natus fuit Abram.
175. Anni vitae Abrami.
565. Annus vitae Sem, quo mortuus est Abram
600. Omnes anni vitae Sem.
35. Anni, quos superuixit Abrahamo Semus.

Quibus verbis cum statutum sit, quo quisque vitae suae anno genuerit filium suum, si in vnam summam colligantur omnes enumerati anni, certò constabit, quo anno vitae Sem, genitus fuerit Abrahamus. Eos igitur colligentes, adinuenimus Abrahamum natum trecentesimo nonagesimo anno vitae Sem. Mox de vita Abrahami sic scribit idem Moyses: *Fuerunt autem dies vitae Abrahae centum septuaginta quinque anni; & deficiens mortuus est in senectute bona*. Quos annos vitae Abrahami, si superaddideris praedictae summae trecentorum nonaginta annorum vitae Sem, quando natus est Abrahamus, conficies numerum quingentorum sexaginta quinque annorum, quos dices natum esse Sem, quando mortuus est Abrahamus; cumque huic numero desint triginta quinque anni, ad complendum numerum sexcentorum annorum vitae Sem, quos initio subduximus, certò constabit, Sem superuixisse Abrahamo abnepoti suo decimi gradus, triginta quinque annos. Hanc eandem conclusionem refert, & probat

Genes. 25. ℣. 7.

Leu. 25. ℣. 38.

TERRA Abrahae promissa terra Chanaan dicitur.

REIICITur sententia affirmans Eraclam vocari patrem Melchisedeci, Astaroth, verò eius matrem.

MELCHIsedecum fuisse Sem, quare non sit improbabile.

Hieron. ad Euagr.

bat Hieronymus, hoc excepto, quòd pro triginta quinque, quadraginta legimus, librariorum fortassè vitio. Ex qua etiam supputatione verisimilis valde sit Hebraeorum sententia, quae propterea placet Hieronymo, Isidoro, Bedae, Ruperto, Abbati, Abulensi, Caietano, Lipomano, Glossae, & Lyrano; displicet tamen Epiphanio, qui Samaritanos tamquam eius auctores reprehendit: eamque sententiam vt infirmet, tamquam à veritate alienam, quandam affert supputationem annorum, quae è regione prioris, margini appositа est, vt vnicò intuitu videre quiuis possit, quantis, ac quibus partibus ipse discrepet à vulgata nostra editione, à qua vel minimum recedere nobis tutò non licet. Et licet Epiphanius hanc suam annorum computationem ex Graeca Septuaginta interpretum lectione hausisse videatur; ab ea tamen non minimum discrepat; vt hinc liquidò appareat, vtrosque à recto vulgatae tramite deflexisse. Sed aliorum etiam codicum auctoritate, & calculo ad suam sententiam confirmandam vtitur Epiphanius, ijsque planè adduci, & effici putat, Sem, Abrahamo non superuixisse ad eam saltem aetatem, qua illi obuiam processit Melchisedeeus. Verùm cùm neque eos codices agnoscamus, neque si exstatent, eis vtpote nostrae vulgatae aduersantibus fidem aliquam haberemus; hoc nobis in praesentiarum asserendum videtur, nequaquam propter supputationis errorem tantorum patrum sententiam abijciendam esse, quae & firmis, vt ostendimus, fundamentis innititur, & satis commodè defendi potest, donec solidiore aliquo argumento conuellatur. Sed superest aliud non leue contra hanc sententiam argumentum, Sancti Ignatij Martyris auctoritas, qui Melchisedecum virginem fuisse testatur; cùm tamen Sem plures filios genuisse legatur. At mihi eodem modo interpretandus videtur Ignatius, qui Melchisedecum virginem sobole caruisse dicit, quo Paulum interpretati sumus, asserentem Melchisedecum patre, & matre, genealogia, initio ac fine dierum caruisse: ijs enim omnibus indicare voluit Paulus, aeternum Melchisedeci sacerdotium fuisse, nempe non à parentibus acceptum, neque soboli traditum. Huc enim spectat vtriusque testimonium & ratio, siue parentibus, siue liberis caruisse dicatur Melchisedecus. Quare, vt veritati, Pauliquè testimonio nequaquam aduersatur, asserere illum parentes habuisse; ita neque Ignatij dictis repugnabit, si eum dicamus liberos suscepisse, maximè, cùm ad sacerdotium Christi indicandum, haec omnia referantur: in quo tantum virginitati defertur, vt qui sacerdotij Christi participes sunt in Latina Ecclesia, perpetuam colant, ac voueant castitatem. Praeterea hanc fuisse Ignatij mentem, cùm Melchisedecum multarum gentium ac populorum parentem virginem appellarit, ex verbis Eusebij probare possumus, qui multis enumeratis è Patriarcharum numero, qui castitatem coluerint, subdit: Quid porrò de Melchisedec est dicendum? cuius omnino non filius, non genus, non successio refertur? quibus verbis hoc innuere uidetur Eusebius, haec de Melchisedeco non fuisse relata.

S. Ignatius epist. 6. ad Philadel.

Euseb. lib. 1. demonstr. Euang. c. 9.

S. Hieron.

Hae autem sententia congruè explicari Geneseos historiam, tradit Hieronymus his verbis: Nec est mirum, inquit, si Melchisedec victori Abram obuiam processerit, & in refectionem tam ipsius, quàm pugnatorum eius panes vinumque protulerit, & benedixerit ei, cùm abnepoti suo hoc verè debuerit, & decimas, praedasque victoriae acceperit ab eo. Haec Hieronymus. Quibus non incommodè vtriusque facti causam assignat; quamuis altissimum, teste Paulo, Christi mysterium vtroque facto subobscurè indicaretur. Eandem verò sententiam confirmat, id quod doctè annotat Lipomanus: vbi enim nos legimus: *Melchisedec Rex Salem*, in Hebraeo habetur ומלכי צדק מלך שלם vmalchi Tsedec melec Salem. vbi Melchisedec non tamquam vna, sed vt verè sunt, duae dictiones scribuntur. Quarum prior est מלכו malchi. מלך Melec verò Regem, dominum, ae moderatorem Reipublicae significat in psalmo: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*: eamque propter affixum illud (ita enim vocant Hebraei pronomen possessiuum) Regem meum, licet conuertere. Quae lectio propensionem quandam atque affectionem animi, & amorem, quo eum Regem populi prosequebantur, videtur exprimere; sicut ab Hispanis Mi Rei mi Principe, Rex meus, princeps meus, amoris ergo solet vsurpari. Altera autem vox צדק tsedec iustitiam, vel ius, apud Nehemiam significat: *Vobis autem non est pars & iustitia*, ius, actio, *& memoria in Ierusalem*. Siue etiam iustum indicat, qui innoceens sit, & in omnibus suis actionibus culpa vacet. Quae virtus quantum Regem, ac magistratum deceat, nemo non videt. Certè Isaias tales aduentus Christi tempore Reges ac magistratus futuros pollicetur illis verbis: *Ecce in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio praeerunt. Et erit vir*, hoc est, vnusquisque tunc erit, *sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, sicut riui aquarum in siti, & vmbra petrae prominentis in terra deserta*, & quae sequuntur. Quae omnia optimi principis imaginem nobis proponunt, qui non sua, sed Reipublicae commoda sectetur. Hasque virtutes omnes Melchisedeco tribuere videtur Iosephus, dum nomen hoc interpretandum tradit, Rex iustus; erat enim, inquit, reuera talis. Sed multo magis credendum est Paulo dicenti: *Primùm quidem, qui interpretatur Rex iustitiae*. Ex quibus omnibus constare videtur, nomen Melchisedeci non necessariò nomen proprium viri fuisse, à parentibus inditum, sed à populis ob virtutes iustitiamque tributum. Atque hoc ipsum magis confirmari potest ex eo, quòd nomen hoc, non seruat formam propriorum nominum, quibus ferè semper solent Hebraei, iod litteram initio praefigere. Quare mirum non est, si nomen proprium, atque illi à patre inditum Sem, fuerit à Moyse, cùm sacerdotij meminit (quod neque ad parentes, neque ad successionis seriem referretur) consultò praetermissum, vt teste Dauide ae Paulo aeternum Christi Domini sacerdotium significaret. Hoc verò praeclarissimum nomen ab hominibus impositum innuere videtur Ecclesiasticus, dicens: *Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt: & super omnem animam in origine Adam*. Et in hunc locum haec interpres sanè doctus Iansenius: Sicut Henoc inquit, & Ioseph coniunxit in gloriae singulari excellentia; ita nunc coniungit rectè Seth, & Sem: quia sicut Seth post Adam, est primus pater piae generationis, vsque ad diluuium, cùm

Lipoman. Gen. 14.

MELEC Hebraea vox significat Regem, dominum, ac moderatorem Reipublicae *Psal. 2. ℣. 6.*

SEDEC iustitiam significat ac ius. *Nehem. 2. ℣. 20.*

Isai. 32. ℣. 1. & 2.

IVSTITIA principis quae commoda Reipublicae afferat.

Ioseph. libr. 1. antiq. ca. 10.

Heb. 7. ℣. 2.

MELCHISedec non viri proprium nisi per accommodationem.

HEBRAEI proprijs nominibus plerumque, iod praefigere solent.

Psal. 110. ℣. 4.

Hebr. 7.

Eccles. 49. ℣. 19.

DE GLORIA Sem ab hominibus exhibita. *Iansenius.*

pater eius Cain pater esset impiorum : ita & à diluuio post Noë, Sem rursus factus est primus parens eius sanctae generationis, quae ad Patriarchas deducta est, vnde & Christus natus est : sicut Cham impiorum, post diluuium, primus pater fuit. Itaque hac de causa similem apud homines gloriam adepti sunt. atque haec doctè iuxtà ac verè Iansenius. Verùm in sequentibus ab eo non possumus non dissentire : putat enim proximè de Adamo sermonem fieri, quem in origine omnibus praefert hominibus. At cùm nostra vulgata continuationem orationis indicet, non nouam orationem; haec ad duos hosce Patriarchas referenda sunt, qui gloriam dicuntur ab hominibus accepisse *in origine* seu genealogia *Adam* : quippe qui (vt diximus) primi parentes fuerint generationis iustorum. Quare cum regno potiretur Sem, meritò compellari potuit Rex iustitiae vel iustorum parens. Quòd si seriem generationis Abrahami, quam propterea margini adiecimus, attentè consideres, tres Patres inuenies fidelium, quos iustos peculiari ratione licet compellare, Seth ante diluuium, initio videlicet creati mundi, Sem post diluuium, nempe initio instaurati mundi, & hi duo sine circuncisione; denique Abraham initio legis per circumcisionem; & quoto generationis gradu Sem distat à Seth, eodem distat ab Abrahamo Sem, in medio positus circumcisi, & incircumcisi, vt verum typum referat Christi, qui Ecclesiam suam ex Iudaeis & gentibus in vnam copulauit. Quòd si Hebraeorum nominum vim perscrutari velimus, hoc ipsum mysterium Hebraico nomine שם Sem innuitur : quod, nomen, seu nominatum, interpretari licet, si Eucherio credimus; accipiturque pro fama & gloria, vt in Genesi : *Isti sunt potentes à saeculo viri famosi;* Ex Hebraeo verti possunt, viri nominis, hoc est nominati, famosi, celebres. Quare celeberrimum, nominatissimumque fore Sem, vaticinatus est Noë, quando illi nomen impositit : nec huius nominis vaticinium celebriori aliquo euentu impleri potuit, quàm si praeclarum Christi exemplar fuisse fateamur; eius, inquam, exemplar, cuius celeberrimum nomen, *oleum*, id est, vnguentum pretiosissimum *effusum*, dicitur in Cantico canticorum, eiusque latè permeans odor vniuersum terrarum orbem ac caelos ipsos reddidit iucundiores. Sed & alterius vocis, ex qua Melchisedeci nomen compositum diximus, ac iustitiam significare, meminit sapiens; ac praeterea cuius rei figuram praeferat, subindicat his verbis : *Sed & ab initio cum perirent superbi gigantes*, inundantibus diluuij aquis vniuersam terram, *spes orbis terrarum* Noë, Sem, Cham, & Iaphet cum vxoribus, *ad ratem confugiens, remisit saeculo semen natiuitatis*, id est, quo posset genus hominum iterum propagari, & renasci; *quae*, inquam, ratis *manu tua erat gubernata. Benedictum est enim lignum per quod fit iustitia.* id est salus, incolumitas, atque vt ita dicam enatatio; quam iustitiam appellat (vt aliàs latius probaturus sum) ob Sedecum fortasse iustum, qui inde è naufragio euadens Rex, ductor ac magister iustitiae fuit. Ac multo magis ob Christum verum iustitiae ac pacis Regem & sacerdotem, qui diluuio iniquitatum, mortis, atque aeternae damnationis, pereuntibus superbis hominum filijs, fuit *spes orbis terrarum, & spiritus oris nostri;* Spes, inquam, & vita nostra Christus IE-

QVAM gloriam praeceteris hominibus adepti sint Seth & Sem in hominum genealogia.
Adam.
*Seth.
Henos.
Cainam.
Malaleel.
Iared.
Henoch.
Mathusale.
Lamech.
Noe.
*Sem.
Arphaxad.
Sale.
Heber.
Phaleg.
Reu.
Sarug.
Nachor.
Thare.
*Abraham.

Eucher. lib. 2. in Genesi. cap. 2.

INTERpretatio nominis Sem. Genes. 6. ℣. 4.

IESV Christi nomen quare dicatur oleum effusum. Cantic. 1. ℣. 3.

Sap. 14. ℣. 6.

SAPIENtiae testimonium ad Christum sub Melchisedeci figura relatum. Thren. 4. ℣. 20.

A SVS *ad ratem*, Crucis nimirum lignum *confugiens, remisit saeculo semen natiuitatis*, hoc est nouae regenerationis spem. Quapropter & nos assiduè crucifixum veneremur & crucem ipsam debito celebremus honore, *benedictum*, iterum atque iterum laudandum, & omni honore ac gloria dignum; *Est enim lignum per quod fit iustitia*, salus nimirum & incolumitas oritur; vel per quod instauratur huius noui Regis & sacerdotis regnum, quod quia iustorum regnum est, iustitia meritò dicitur. Quid plura? Isaias ipse victoris Abrahami meminit, Melchisedeci benedictione, & monitis communiti; & Ecclesiae ex gentibus electae, veri Melchisedeci Christi dextera confirmatae. *Quis suscitauit ab Oriente iustum*, id est nouum Abrahamum, de Vr Chaldaeorum eductum, quae ciuitas ad Orientem est Hierosolymae; *vocauit eum, vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius gentes. Dabit* pro dedit, vel iterum, atque iterum dare paratus est. Vel dabit, sicut dedit olim Abrahamo Deus *in conspectu eius gentes, & Reges obtinebit* absque dubio *Chodorlahomor Regem Elamitarum, & Thadal Regem gentium, & Amraphel Regem Senaar, & Arioch Regem Ponti : dabit quasi pulueren gladio eius, sicut stipulam vento raptam, arcui eius. Persequetur eos; transibit in pace.* Hebraicè Salem, incolumis & integer, nullo suorum defiderato, *Semita in pedibus eius non apparebit :* Vel vt alij reddunt, via quam pedes eius antè numquam fuerant ingressi. *Quis haec operatus est, & fecit? vocans generationes ab exordio?* id est, quando vocabat, initium Hebraicae generationis, Abrahamum. *Ego Dominus primus & nouissimus ego sum.* Ego qui semper idem ipse sum, ego qui haec admiranda tunc operatus sum, atque in nouissimo quoque in Ecclesia opere complebo ea, quae illis iamdiu praesignabantur. Haec ad Ecclesiae tempora referenda sunt, quae sequuntur, vsque ad illud : *Confortauit faber aerarius* Melchisedecus iustus, *percutiens malleo*, & quae sequuntur. Et ne gratis quispiam haec à nobis dicta existimet, lubet horum interpretationem Hieronymi verbis persequi. *Viderunt*, inquit Hieronymus, *insulae*, id est gentes in circuitu, & illius virtute perterritae sunt, *& extrema terrae* Sem videlicet filius Noë, qui tempore extremo terrarum, cum patre, & cum fratribus, de diluuio euaserat; & vsque ad tempus illud fuerat reseruatus; quem Melchisedec intelligi volunt, & venisse obuiam Abraham de praelio reuertenti, & accessisse, & benedixisse ei, & eum Dei benedictionibus corroborasse; ipsumque esse fabrum aerarium, qui Abraham conflauerit, & malleo suae artis ad meliora produxerit, & dixisse ei, *bonum est* vt timore Domini glutineris & iungaris ei : *& confortauit eum*, siue solidauit *in clauis* praeceptorum solidorum Domini, *vt non moueretur*, sed in timore illius permaneret. Atque haec Hieronymi interpretatio eò magis argumentum Pauli, de quo pluribus suprà, confirmat, quòd ab ipsis Hebraeis, cum quibus disputabat, desumpta est, atque eadem Hieronymi interpretatio maximè nititur veritati huius figurae, quam Isaias ipse indicare videtur, ad nouum Israël & Iacob sermonem conuertens; subdit enim : *Et tu Israël serue meus Iacob, quem elegi, semen Abraham* non carne sed spiritu, non circumcisione, sed fide; *in quo apprehendi te*, vel, vt Septuaginta

ISAIAE testimonium ad Christum relatum sub Abrahami victoris & Melchisedeci iusti figura. Isai. 41. ℣. 2.

℣. 7.

S. Hieron. super Isai. 41. ℣. 5.

Supra cap. praecedenti & initio huius.

reddunt

reddunt, quem assumpsi, *ab extremis terrae*. Et post multa Ecclesiae Catholicae data beneficia, prioribus illis praesignata, addit: *Et suscepit te dextera iusti mei*, non iam Melchisedeci, sed

Psal.110. ℣.4. צדיק Tsidci *iusti mei*, cui *iurauit Dominus, & non paenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec*. Ergo omnium, quae de Melchisedeco hactenus diximus, haec sit summa. Melchisedec is fuit, qui alio nomine vocitatus est Sem, primogenitus Noë, Rex Salem, Pater origine, ac natura Abrahami, & Leuiticorum omnium sacerdotum: quibus tamquam maior aetate, dignitate, ac munere benedixit. Fuit item sacerdos Dei altissimi: aeterni, hoc est neque accepti, neque vmquam defecturi sacerdotij dignitate praecellens. Denique eius sacerdotium IESVS Christus Dominus noster (eiusdem Melchisedeci filius, vtpote sibi aeterna promissione sacramento confirmata à patre donatum, & tempore aduentus sui in terras acceptum, sacratissima panis & vini oblatione, hoc est, corporis & sanguinis sui sub panis & vini speciebus consecratione) mirificè comprobauit. Verùm in lectorum gratiam libet ad hanc disputationem de Melchisedeco pulcherrimam Pauli Apostoli sententiam annectere, qua geminum filiorum Aaronis, & Christi (filiorum vtique Melchisedeci secundum carnem) sacerdotium nobis ob oculos ponit. Etenim cum haec duo sacerdotia inter se contulisset Paulus, atque infinitis partibus sacerdotium Christi Aaronico illi praestare pluribus ostendisset; hoc addidit tandem, quod longa disputatione confirmat, sacerdotium nempe Aaronicum, & veterem illam legem nihil ad perfectum perducere potuisse: *Iuxta quam munera offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*. Quare eam legem, calcaribus ac freno, quibus aguntur equi, iure persimilem dixerim, & sacerdotium illud equorum domitoribus: at Christi sacerdotium quanto praestantius? quod quasi manu homines in caelum deducit? *Sanguis Christi* (inquit Paulus) *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti*. Siquidem voluntariam exigit hominum seruitutem, quorum in malum prona voluntas semper reluctatur ac refugit suaue Christi iugum, ac leue onus subire. Ergo non vi, ac timore solùm Christus, sed collatis beneficijs, assiduis inspirationibus, frequentique ardentissimi amoris sui ostensione, vel ostentatione potius, voluntatem nostram ad se allicere conatur. Ideoque Christum referre videtur vir ille, qui *luctabatur cum Iacob*. Ac mihi quidem vetera memoria repetenti saepissime in mentem venit, haec omnia paene, quae attigimus mysteria, primis illis parentibus reuelata, ab eisdemque mysticis inuolucris obtecta, cùm suscepisset antiqua superstitio; in vanissimas ac pernicioſissimas fabulas, magno suo malo conuertisse; quin & diaboli fraude factum videtur, vt in idololatriam peruerterint ea ferè omnia prisci illi inanis superstitionis architecti, quibus fuerant ad veri Dei cultum, veraeque religionis potius semitam traducendi. Huiusmodi est celebris Castoris & Pollucis fabula, quorum Castor eques, Pollux luctator dicitur ab Horatio:

Horat. lib. 1. carm.

Dicam & Alciden, puerosque Ledae:
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: &c.

QVIS FVERIT Melchisedec.

DE DVPLICI sacerdotio Aaronis & Christi.

Hebr. 7. ℣.19.

Hebr. 9. ℣.9.

AARON equorum dici potest domitor, Christus hominum ductor, & quare.

Ibid. ℣.14.

Genes. 32. ℣.24.

SACRIS inuolucris obtecta mysteria in vanissimas fabulas conuertit antiquitas.

A Quorum fabulam, licet alijs atque alijs figmentis more suo poëtae conspersserint, tamen quòd doctissimorum virorum consensu planum est, hic afferre visum est, ne à proposito nimium digredi videamur. Castorem igitur asserunt mortalem de mortali patre genitum: Pollucem verò immortalem ex ipso Ioue natum. Eumque ipsum tanta erga fratrem Castorem caritate flagrasse, vt cum eo iam vita functo alternam vitam communicare perpetuò voluerit, mortis eius particeps effectus. Quod ipsum insinuauit Homerus, ἑτερημέρους heterimerus eos vocans, quasi alternantes dierum vices, vtpote cum ille hunc mortis, hic illum vitae participem effeciſſe videatur. Quod &

B Virgilius cecinit:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Virgil. 6. Aeneid.

Quapropter & σωτῆρες Sotires, hoc est seruatores dicti sunt & ab Artemidoro & ab Orpheo, cùm ait:

CASTORES Heterimeri & Sotires quare dicantur.

Artemidor. lib. 2. Oniroc. Orpheus ad Musaeum.

Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ Διὸς ἄφθιτα τέκνα
Chiae megalus Sotiras homu dios aphthita tecna,

hoc est, & magnos seruatores simul, Iouis immortalis filios. Quae omnia salutem nostram Leuitico sacerdotio praesignatam, & Christi Domini pretiosissima morte ab illis sacerdotibus inflicta, ac sempiterno sacerdotio partam, haud leuiter adumbrare, ac significare videntur. IESV Christi namque Domini nostri mors non nobis

C tantùm, sed & toti mundo profuit, quinimmo & ijs ipsis, qui eam impiè intulerunt, saluraris esse potuisset, vt multis illorum fuit. Cuius rei mirabile apud sanctum Augustinum exstat testimonium: Nam cùm Spiritu sancto repleti Apostoli linguis omnium gentium loquerentur, plures, inquit, ex ijs qui aderant, tanto miraculo stupefacti, compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis, tam impiè, atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. Hactenus Augustini sunt verba. Sed quae ad symbo-

S. August. tract. 92. in Ioan.

CASTORES quare Dioscuri dicantur.

D licam fabulae interpretationem spectant, persequamur. Et quamuis hi duo fratres Dioscuri à Graecis nuncupentur, hoc est, Iouis pueri vel filij: tamen quantum ex fabula conijcere, ac veritate historiae colligere licet, ab antiquissimis scriptoribus memoriae proditum accepimus, proximè ad Noë, illorum genus esse referendum. Scuniathon enim Phoenicum disertissimus (qui Philonis Biblij beneficio Graecè loquitur; eius namque historiam è Phoenicum sermone transtulit) apud Becanum testatur, Dioscuros Sedeci filios fuisse; cuius testimonium eò libentius amplector, quòd Phoenicem hunc sapientissimum Heroicis temporibus, ante Troiam dirutam floruisse pro comperto omnes habeant. Quo quidem testimonio nullum posset opari externi hominis ad nostram sententiam confirmandam aptius vel clarius. Sed de his satis. Iam verò ad vrbis fundationem considerandam progrediamur.

Scuniathon apud Becan. lib. 16. Hierogl.

E

QVIS

QVIS FVERIT FVNDATOR SALEM. Cap. XIIII.

DVO nobis, sese mutuò consequentia, examinanda sunt, nempe: vtrum Melchisedeeus Noë filius Hierosolymae Rex fuerit: Alterum, quòd inde consequi videtur, an ipse fuerit eiusdem vrbis primus conditor. Et licet primum satis iam suprà probatum videatur, dum nomen Salem, vrbi inferiori, tantummodo conueniisse propriè ostendimus; suscepti tamen operis ratio exigit, vt nouis argumentis non ex nomine tantùm, sed ex re ipsa, quàm clarissimè fieri poterit, hoc ipsum pro viribus demonstrare conemur. Et quidem si Iosepho tanta fides habenda esset, vt nihil praeterea Pythagoraeorum more inquirendum esset à nobis, vtrique difficultati disertissimis, apertissimisque verbis planè satisfeciisse videretur, dum ait: Ita quidem Hierosolyma capta est, &c. post annos, ex quo aedificata est, mille trecentos sexaginta, & menses octo, & dies sex. Primus autem conditor eius fuerat Chananaeorum dynasta, qui patria lingua, iustus appellatus est Rex: erat quippe talis: ideoque sacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primùm aedificato, Hierosolymam ciuitatem vocauit, cùm antè Solyma vocaretur. Haec ille. Quibus omnino concordat Egesippus, haec scribens: Vrbem Hierosolymam Chananaeorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex iustus, quam primò Solymam nuncupauit, postea templum addidit, vnde Hierosolyma dicta ciuitas est. Horum ergo auctoritati cùm consentiant omnia, quae praecedentibus capitibus allata à nobis sunt; non video cur in controuersiam reuocanda sit. Verùm non in controuersiam modò reuocare videntur ea Hieronymus, & Eucherius, sed omnino pernegare, & argumentis oppositam sententiam confirmare. At cùm ex aliorum sententia locutum se ibidem fateatur Hieronymus, quid senserit ex propria, videndum primùm, ac mox eius erunt argumentorum momenta pendenda. Hieronymi haec sunt verba: Porrò Salem Rex, Hierusalem dicitur, quae prius Salem appellabatur. Quae quidem Hieronymi verba difficultatem nonnullam lectoribus pariunt, ob ipsam (vt ita dixerim) inuariationem Hebraicorum nominum; quae si inflectantur Latino more, hunc sensum reddent: Porrò Solymae Rex, Hierosolymae dicitur Rex, quae prius Solyma appellabatur: & iterum idem Hieronymus Paulae, & Eustochij nomine, ad Marcellam scribens: Recurre (inquit) ad Genesim, & Melchisedec Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis. Et iterum. In tribus nominibus, Trinitatis demonstrat fidem, Iebus, Salem, & Hierusalem appellatur. Haec ille. Ex quibus perspicuum arbitror, Hieronymum in hac sententia constantem esse, Melchisedecum scilicet Regem fuisse Hierusalem. Idemque dicendum est de Eucherio, cuius haec sunt verba. Iebus ipsa est Salem Ierusalem, in qua regnauit Melchisedec. Atque idem ipsum manifestè testatur Augustinus: Quis inquit, erat Melchisedec? Rex Salem. Salem ciuitas fuit antea illa, quae postea, sicut docti prodiderunt, Hierusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarent Iudaei, ibi erat ille sacerdos Melchisedec. Haec Augustinus. Iam Isidorus. Iudaei (inquit) asserunt Sem filium Noë, quem dicunt Melchisedec, primùm post diluuium in Syria condidisse vrbem Salem, in qua regnum fuit eiusdem Melchisedec. Hactenus Isidorus. Atque hoc manifestis verbis testatur Chaldaica paraphrasis, quae Regem Ierusalem, vertit, vbi nos habemus, Regem Salem. Et quidem argumenta, quae ex aliorum sententia enumerat Hieronymus, illumque secutus Eucherius, nihil in oppositum conuincunt. Primum est, quo negat esse Hierusalem nomen ex Graeco, & Hebraico compositum; idem nos quoque negamus. Verùm firmis rationibus demonstrauimus, hoc nomen esse ex duplici Hebraica voce compositum; quòd eiusdem vrbis vtrumque nomen fuerit, Salem & Hierusalem, vt fusè suo loco probauimus. Fuisse autem aliud opidum, quod vsque ad Hieronymi tempora diceretur Salem, tamquam possibile quippiam non negamus; negamus tamen omnino eius opidi Regem fuisse Melchisedecum non Hierosolymae. Quod probant verba Geneseos; quae omnem de Rege Melchisedeco narrationem praecedunt; ea verò sic habent. *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius*, absque dubio Abrahami, *postquam reuersus est à caede Chodorlahomor & Regum, qui erant cum eo in valle Saue, quae est vallis Regis*. Quam lectionem Septuaginta interpretes sic reddunt in Complutensi codice: τῶ τῶ πεδίον βασιλέως Μελχισεδέχ tuto in pedion basileos Melchisedech: hic erat campus Regis Melchisedeci. Chaldaeus verò in valle plana, vertit, quae erat locus refrigerij Regis. Quae autem fuerit haec vallis, quae campus Regis diceretur, expressisse videtur Iosephus, dum hanc eandem historiam refert: Abraham verò (inquit) captiuis incolumibus reductis, parta pace, victor ad suos redijt: redeunti Rex Sodomitarum, vsque in locum, quem campum Regium vocant, gratulabundus occurrit: vbi à Solymae vrbis Rege Melchisedeco est exceptus, &c. Subditque; sed Solyma posterior aetas vocauit Hierosolyma. Verùm omnis dubitationis occasionem abstulit Regum historia, quae vallem Regis digito commonstrat, dum ait. *Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis*. Eandemque historiam refert Iosephus verbis paululum immutatis, ijs tamen, quae textui lucem aliquam afferre possent. Porrò Abesalomus, inquit, erexerat sibi in valle Regis columnam marmoream, cum inscriptione, duobus stadijs à Hierosolymis dissitam, quam voluit vocari manum Abesalomi. Haec Iosephus. Hanc verò columnam, seu titulum hodie quoque exstare, accepimus non solùm ex veterum scriptorum monumentis, verùm etiam viuentium grauissimorum virorum oculatis testimonijs: exstat autem in valle Hennon, in qua horti regij, quorum meminit idem Iosephus eo loco, vbi commemoratis Salomonis curruum, equorum, equitumque multitudine, pulcritudine, atque ornamento, haec subdit: Hi (equites inquam) armati & pharetris succincti regium currum stipabant, quo sublimis inuectus, & amictus veste candida, manè solebat

Supra c. 1.

IOSEPHI & Egesippi testimonio comprobatur Melchisedecum conditorem fuisse Hierosolymae. *Ioseph. 7. belli cap. 8.*

Egesip. lib. 5 cap. 9.

S. Hiero. ep. ad Euagr. Eucherius in Genes. li. 2. c. 17.

Hieron. q. Hebra. in Genes. HIERONYMI, & Eucherij sententia idem confirmatur.

Hieron. ad Marcellam ibidem.

Eucher. de nomin. Hebrai. c. 5. Augus. super psal. 33. concione 1.

Isidorus lib. 15. Originum cap. 1.

RESPONdetur argumentis.

Supra c. 1.

Gen. 14. ℣. 17.

PROBAtur ex Genesi Hierosolymae Regem fuisse Melchisedecum.

VALLIS aut campus Regis dicitur vallis Hennon. *Ioseph. lib. 1. antiq. c. 10.*

2. Reg. 18. ℣. 18.

MONVmentum Absalon, vbi fuerit. *Ioseph. 7. antiq. c. 9.*

HORTI regij qui.

Ioseph. 8. antiq. c. 2.

solebat vrbem egredi. Aberat ab Hierosolymis duorum stadiorum spatio praedium, nomine Hettan, hortis & inductis fontibus amoenum simul ac opulentum, in eum locum vectari delectabatur Salomon. Quibus omnibus in vnum collatis fit, vt planissimè affirmare possimus, Regem Sodomorum obuiam venisse Abrahamo in valle Hennon, quae Hierosolymae ab Oriente adiacet; quam vtpote Hierosolymitanorum Regum uiridarijs vel ab initio consitam, πεδίον pedion vocauerunt Septuaginta interpretes, hoc est, campum Regis Melchisedeci: eisdemque assentitur Chaldaeus; vallem planam refrigerij Regis eam vocans; moxque indicat cuius Regis fuerit, dum subdit, Melchisedecum Regem Hierusalem in ea valle occurrisse Abrahamo. Neque verò Hebraica, vel Latina lectio refragatur nostrae huic interpretationi; Hebraea enim sic habent: אל עמק שוה הוא עמק המלך el ghamec sauech hu gemec hamelec, ad vallem planam, quae est vallis Regis, עמק ghamec autem vallem significat, locum, inquam, profundum, sed latiorem, neque montibus ita praeruptis vallatum, שוה sauech autem aequum, seu aequabilem significat, aut planum. Quae ambae voces partem meridianam vallis Hennon, seu Regis significant, quae latior est, ac propterea viridarijs, & hortis magis apta: quaeque interfluente torrente Cedron, & aquis Siloë fecundatur. Cùm autem nihil horum simile affignari possit iuxta, vel circa Sichem opidum, quod tanta aquarum penuria laborabat, vt ad altum puteum, distantemque non parum à ciuitate, ipsi incolae aquas peterent; perspicuum est, non ad Sichem venisse Abrahamum, sed Hierosolymam. His adde Hieronymum, & Egesippum, illius sententiae sectatores, fateri, vallem hanc, de qua hic est sermo, fuisse Regis Melchisedeci: assignantes autem vallis confinia, in immensam longitudinem eam protendi testantur, ac circumdari dicunt ex omni parte montibus, sibi inuicem succedentibus, & cohaerentibus, qui incipientes à Libano, & vltra eum, vsque ad desertum Pharam perueniunt. Sunt in hac valle campestri vrbes nobiles Scythopolis, Tiberias, stagnum quoque Genezareth; sed & Hiericho, mare mortuum, & regiones in circuitu, per quas medius Iordanis fluit. Quam quidem terrae latitudinem, neque Patres hos, credo, neque illos, quorum sententiam sequuntur, putasse vmquam sub imperio Melchisedeci fuisse. Neque verò eius sententiae propugnatores satis textui fecisse videntur, in ea valle occurrisse testanti Regem Sodomorum Abrahamo: nam praeterquam quòd nihil certi assignarent, etiam Sodomorum ciuitas intra eam vallem includeretur, quod textui videtur aduersum. Neque verò multum vrget ratio illa, quòd de Paneade reuertenti Abrahamo non Hierusalem, sed Sichem in itinere fuerit. Nam vt ait Epiphanius, cùm non longe distent loca, parum refert, siue hinc, siue illinc exierit Melchisedecus. Quibus adderem mihi omnino persuasum esse, Abrahamum non casu, aut sine consilio, Melchisedecum conuenisse, sed consultò, vt & ab eo exceptus, particeps fieret mirabilis illius sacrificij, panis & vini, quod nostrum ineffabile, Eucharisticumque praefigurauit; & vt eidem summo Dei sacerdoti decimas offerret. Nam si naturali tantùm lumine ducti homines, Deo gratias referre solent pro accepto aliquo singulari beneficio, & maximè pro victoria de hostibus parta (anceps est enim, vt omnes norunt, exitus belli) & grati huius erga Deum animi exempla non pauca passim leguntur, tum apud profanos scriptores, tum etiam in antiquis marmoribus; in quibus videre est Imperatores omnes à sacrificio triumphum exordiri; an Abrahamus, iustus, fidelis, à Deo vocatus, & edoctus, non statim parta tam insigni ac inperata victoria, decreuerit per manus summi sacerdotis, & proaui sui Melchisedeci decimas omnium, quae acquisierat, Deo dare, & oblato Eucharistiae mystico sacrificio, vt moris erat Melchisedeco; gratias omnipotenti Deo agere, pro tam singulari in se collato beneficio? cùm vel maximè haec omnia fecisse legatur Melchisedecus, qui & panem & vinum obtulit, & decimas suscepit, & benedixit Abrahamum, & Deo gratias egit, dicens: *& benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manu tua sunt*. An Dominum Deum caeli, ac principum, in templo suo adoraturus non venerit Abrahamus, quod vnum Hierosolymis tunc temporis constructum fuisse à Melchisedeco tradit Iosephus? Numquid hoc non praestaret Abrahamus, cui maximè perspicuum fuit mysterium Christi; eodem testante, quia *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est*? Quo perspecto etiam perspicere poterat, quid illo incruento sacrificio significaretur? Quae cùm ita sint, quid obstaret huic Abrahami decreto, siue ad dexteram, siue ad sinistram declinandum foret, vt Hierosolymam peteret? praesertim cùm topographiam consideranti mihi, venientibus à Paneade, siue Dan, vsque in Hebron, Hierosolyma potius quàm Sichem in itinere occurrere videatur. Neque quidquam contra tantam multitudinem testium probare posse videntur ruinae palatij, quae cernuntur in Sichem; quoniam illud fuisse Melchisedeci nullum firmum testimonium ostendit. Hebraeorum verò post Christum testimonia, somnia potius videntur, & anilia deliramenta quàm facta. Quare illorum testimonio nullam fidem habendam censeo; nisi qua parte alio firmiori argumento fulciatur. Atque adeo iam satis probatum videtur, Sem filium Noë dictum esse Melchisedec, eundemque fuisse Regem Salem, quae est postea appellata Hierusalem. Ex quibus propè necessariò confici puto, veram fuisse sententiam Iosephi, testantis Melchisedecum fuisse primum conditorem Salem: quoniam quae ante diluuium exstructae fuerant vrbes, omnes diluuio perierunt: post diluuium verò, quis alius posset praecedere Semum, omnium totius orbis vrbium conditorum primum, & natu maximum? Verùm duplex in his scrupulus videtur residere: alter, quòd ab eodem Iosepho Chananaeorum dynasta vocatur Melchisedec. Chananaei autem dicti sunt, qui originem duxere à Chanaan filio Cam, fratre Sem. Alter ex simili principio deductus, quòd filijs Sem orientalis India, non Palaestina obtigit, vt colligi videtur ex verbis Geneseos, quae sic habent: *Et facta est habitatio eorum*, filiorum Iectan, abnepotis Sem (nisi malis aduersariorum etiam confirmare sententiam, referens id ad omnes filios Sem) *de Messa pergentibus vsque Sephar montem orientalem*. Quae loca Hieronymus putat fuisse in India orientali. Verùm licet hoc ita fuisse ingenuè concedere-

Iosephus. 7. belli. cap. 18.

Ioan. 8. ℣. 56.

mus; filios, inquam, Sem in longinquas fecessisse regio-

EX HEBRAICA LECTIONE probatur ad Vallem Hennon veniisse obuiam Abrahamo Melchisedecum.

IVXTA Sichem non horti neque viridaria fuit.

DE PANEADE reuertenti Abrahamo non minus Hierusalem quàm Sichem in itinere fuit. *Epiphan. haeres. 55.*

AMVLTIS rationibus probatur Abrahamum consulto Hierosolymam ad Melchisedecum venisse quando hic illi occurrit.

HEBRAEORUM testimonia post Christi mortem anilia sunt deliramenta.

IDEM Melchisedecus primus fuit conditor Hierosolymae.

CHANAnaei à Cham originem ducunt.

regiones; quid prohibet, quo minus eorum parens eam sibi praeeligeret habitationem, vbi diuini cultus ac templi, prophetico ductus spiritu, prima iaceret fundamenta; quibus super exstruenda praenosceret Salomonici, vmbraticique templi quasi moenia, ac tandem veri atque aeterni templi aedificationem, *supra fundamentum Apostolorum, & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV*, construendam ac perficiendam? An ne inuadere videretur vir quidem iustus alienae sortis funiculos? An Noë filio suo natu maximo ac primogenito, pioque in primis, & qui ab iniuria petulantis fratris patrem vindicasset, hanc denegaret gratiam indulgens ac benignus pater? An hoc idem mysterium, quod filio reuelatum fuisse conijcimus, absconditum putabitur patri, cui omnis filiorum euentus manifestus fuit, vt singulorum filiorum prophetica benedictione declaratum est? Minimè verò. Quòd si hoc patri Noë notum fuit, absque vlla alia ratione credibile mox apparebit, terram illam, quam diuino cultu celebrem fore praesciuerat, diuinisque Christi Domini pedibus esse terendam, filio suo natu maximo, diuini cultus studiosissimo, parentem libenti animo non concessisse modò, sed etiam obtulisse. Eamque Semum filium oblatam libenti animo suscepisse, & fide ductum, ac loci religione eam inhabitare voluisse; satius multò ducens eam incolere inter externos, (si externi dicendi sunt nepotes ex fratribus) & iuxta tabernaculum Domini vitam ducere, quàm longè ab eo iuxta proprios nepotes, & posteros: maximè cùm diuino spiritu edoctus esset, eam regionem posteris suis diuino beneficio esse tradendam. Propterea improbabile non est, quod tradit Epiphanius, nempe, iure concessam Palaestinam Semo filio natu maximo à Noë: iniuria verò occupatam à Chananaeis; quam postea meritò Deus restituit Hebraeis Semi posteris. Licet enim Moyses apertè doceat terram illam habitatam, & possessam fuisse à posteris Chanaan, terminosque eius accuratè ac distinctè describat; non tamen propterea negat, illam concessam filio natu maximo: neque definit iure hoc Chananaeis obtigisse. Quare non suspicandi solùm, verùm etiam credendi locum reliquit, vera esse quae ab Epiphanio, eruditissimo, pijssimoque viro, natione Hebraeo, de sua gente traduntur, potius quàm cuidam neotericorum leui quadam coniectura ducto, & ea, quae antiquitate, & auctoritate conualuerunt, neganti: cuique communi elogio responderi facile possit; nihil negatione probari. Multa enim etiam in accuratissimo Euangelicae historiae contextu, ab vno, vel pluribus Euangelistis praetermissa videntur, quae negare non licet, cùm ab vltimo euangelistarum enumerata sint. Maximè cùm & Semum Melchisedeci nomine commemoratum à Moyse fuisse, satis iam suprà probauerimus: & causas ostendat Paulus, propter quas non facta sit eius, vel parentum, vel genealogiae, vel principij, aut finis vitae commemoratio. Vellem tamen ab his doctissimis quidem viris pariter scrupulosissimis (liceat & quod sentio dicere) cognoscere, qui rationes omnium, quae memoriae prodita sunt ab antiquis scriptoribus, inquirunt, quomodo intelligant impleri verba illa, semel atque iterum repetita à Noë in benedictione Sem, & tertio in maledictione Chanaan: *Seruus seruorum erit fratribus suis?* Et iterum; *Benedictus Dominus Deus Sem; sit Cha-*

HIEROsolymae solum à Noë primogenito suo dono datum.

Epiphan. in Amborat. PALAEstina iure concessa Semo, iniuria à Chananaeis occupata meritò restitur Hebraeis Semi posteris.

Genes. 9. ℣. 25. 26. & 27.

A *naan seruus eius*. Et tertio: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem: sitque Chanaan seruus eius*, meo iudicio Semi: repetitio enim eiusdem, corroboratio est, & firmitas prophetiae, offensique, & infensi animi indicium: quo modo, inquam, haec aut quando vera erunt; si mox post diluuium, in remotissimas Indiae regiones secessit cum filijs Sem? quando exhibita est Semo haec seruitus? Nam quando filijs Israël ab Aegypto redeuntibus, concessum est Chananaeorum terras inuadere; iam non amplius seruitutis locus fuit; quoniam serui dicuntur, quasi seruati ab interitu belli: at Deus praecepit filijs Israël, vt apparet in Saule: *Demolire*

B *vniuersa eius, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem, & ouem; camelum, & asinum.* Et vniuersaliori praecepto in Deuteronomio: *Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi: Non parcet eis oculus tuus.* Et iterum: *Ipse*, inquam Deus, *consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te bestiae terrae. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.* Quòd si postquam Aegypto egressi sunt filij Sem, illis seruire non potuerunt Chananaei;

C supereset illud vnum, vt ipsi Semo seruierint Chananaei, dum eorum Rex, & princeps constitutus fuit. Quod significare voluisse videtur Iosephus, eum vocans dynastam: est enim Graecum, Δυνάστης dynastis, quasi dicas, potens, vel qui est cum potestate, hoc est princeps ac dominus: quod nomen Melchisedeco tribuitur, propterea quòd à filijs exigeret amorem, reuerentiam, obsequium, à Chananaeis seruitutem & subiectionem. Quare tantum abest Iosephus ab aduersariorum sententia, vt nostram potius confirmet. Quod seruitutis genus exprimere voluisse videntur Septuaginta interpretes: cùm vbi nos legimus: *seruus seruorum erit fratribus suis,*

D pro *seruorum* ipsi posuerunt οἰκέτης icetis, hoc est, domesticus, & totam nostram sententiam confirmarunt, scribentes, ἡ ἔσται χαναὰν παῖς οἰκέτης αὐτῶ chiae este chanaan paes ichietis autu, hoc est; & erit Chanaan seruus vernaculus eius: qua ratione videntur phrasim Hebraicam interpretati עבד עבדים ghebed ghabadim seruus seruorum, ac si dicant, è seruis natus, seruus, inquam, Semi. Licet enim non negemus, posteris quoque Semi seruisse Chananaeos; hoc tamen probare contendimus, eosdem ipsi Semo prius seruisse. Quare non satis aptè explicata, vel assignata videtur haec seruitus in Gabaonitis; cùm quotquot ex ipso Chanaan nati sunt, omnes serui facti sint: bene tamen seruitutis eiusmodi finis assignatus est in eis à Theodo-

E reto, qui nostram videtur constabilire sententiam, dum ait: At seruitus Chanaan in Gabaonitis finem accepit: quasi dicat: quae in ipso Chanaan filio Cham, coepit exhiberi seruitus ipsi Sem, semper in filijs eius perduraut, quousque deletis Gabaonitis finem accepit seruitus; cùm iam non amplius essent ex illa generatione, qui seruirent. Verùm non inefficax desumpsisse videtur Theodoretus argumentum ex benedictione Sem, ad nostram sententiam confirmandam. Primum ex illis verbis: *Benedictus Dominus Deus Sem*, quasi dicat: sit laudatus & superexaltatus Dominus Deus propter ingentia & singularia beneficia, quibus

CHANAnacos oportuit Semi fuisse seruos.

SERVVS dicitur quasi seruatus à nece belli. *1. Reg. 15. ℣. 3.*

Dent. 7. ℣. 16. ibi. ℣. 22. & 23.

SERVITVS Semo à Chananaeis quo modo sit exhibita. *Theodor. q. 58. in Gen.*

SEMVM tantùm dignum Hierosolymae conditorem credi posse comprobatur.

quibus Sem, & posteritatem eius cumulaturus est. Quae quidem bona non tam ad temporalia referenda putarunt sancti Patres, quàm ad spiritualia. Quod magis confirmat subsequens verborum interpretatio huiusmodi: solus *Dominus Deus Sem*, nempe quem tum ipse, tum posteritas eius colet, sit *benedictus*; ipse enim est verus Deus. qua in sententia fuit Theodoretus. Hic enim, inquit, pater Noë, Sem pietatem praedixit propter veri Dei cultum apud eius posteros permansurum. Et Diodorus: Cur tantummodo, inquit, in benedictione Sem dictum est; *benedictus Dominus Deus Sem*, cùm vterque aequè patrem suum honorarit? Nouerat, inquit, Spiritus sanctus, posteros Sem, semen fidele futuros; & Abraham & Patriarchas, deinde Dominum IESVM inde oriundum. Liquet igitur, Noë benedicendo vaticinatum fuisse. Et Rupertus. Sciendum, inquit, totum illud esse in spiritu prophetiae; nam quia de Sem nasciturus erat vnicus Dei cultor Hebraeorum populus, iccirco dixit, *benedictus Dominus Deus Sem*. Et Caietanus. In Sem itaque, inquit, benedicendus benedictione laudis prophetatur Deus, & subauditur verbum substantiuum futuri temporis [erit]. Et hoc adimpletum est; quoniam ex Sem descendit Abraham, ex quo diuinus cultus propagatus est in filijs Israël. Et tandem ex eodem semine natus est Christus, in quo benedicitur vndequaque Deus. Haec ille. Quae cùm ita sint, & nulli alij filiorum Noë applicari vlla ratione possint: quis inficiatur hunc fuisse Melchisedecum Regem, ac fundatorem Hierusalem: cùm ipse tot pietatis titulis honoretur; ipsa verò sit Hierosolyma pietatis mater? Quidni credatur conditum à Sem Hierosolymis templum, in quo Deus verus adoraretur in lege naturae; cùm post multa saecula eius filius Salomon aedificauerit templum, quo Deus verus coleretur ritibus, & legis caerimonijs; cùm tandem huius filius, Rex, & sacerdos Christus in aeternum, in sacratissimo illo Hierosolymitano Caluariae monte, cruentum sui corporis sacrificium obtulerit, quod incruentum obtulerat in postrema cena, secundum Melchisedeci ordinem in eiusdem Hierosolymae Sione monte? Quae sanè maxima prophetiae atque historiae consensio ad eundem, vtramque pertinere confirmat. Adde quòd Deum Sem, quem benedictum nunc dicit Noë, tamquam solum cultu, ac veneratione dignum; eundem coluisse Melchisedecum tradit Moyses illis verbis: *erat enim*, inquit, *sacerdos Dei altissimi*. Hebraicè אל עליון ghelion. Quod quidem Dei attributum, significat altissimum, summum, supremum, qui homines, angelos, creataque omnia superet, praecipuè si cum ijs comparetur, quae in excelsis locis à gentibus coluntur; eius enim maiestas, gloria, nomen, regnum, omnem superat humanum sensum. Neque enim solùm *super omnes gentes* excelsus est; verum etiam *magnus Dominus, & Rex magnus super omnes deos*, vt ait idem Psaltes. Eundemque Deum, eodem altissimi nomine semel atque iterum significatum, veneratione cultum ab Abrahamo fuisse testatur idem Melchisedecus, dum eidem benedicit Abrahamo. Et nostris hisce omnibus coniecturis fauere visus est Ambrosius, cùm nomen ipsum, seu potius nominis rationem interpretari volens, ait: Et Dominum & Deum dixit, & specialiter Deum filij sui, cui nomen Sem est, eò quod Deus iustorum est, hoc est montium, non vallium, qui gratiam habeant virtutis excelsae. Quasi dicat Ambrosius, *illius* quadam peculiari ratione dicitur Deus, qui meritò dici potuit Melchisedec, hoc est, Rex iustus, quique à Deo excelso gratiam excelsam consecutus est, qua Deum verum coleret in excelso monte Hierusalem. Quae omnia confirmare videntur verba benedictionis subsequentia. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem*; hoc est, Deus *dilatet Iaphet*, ipseque Deus *habitet in tabernaculis Sem*. Quam interpretandi rationem sequutus videtur Theodoretus, Chaldaeus paraphrastes, Lyranus, Burgensis, Tostatus; & haec erit horum verborum sententia; latissimam terrae habitationem det Dominus Iapheto in praemium obedientiae paternae; at Semo ipse se Deus largiatur, qui habitator sit in tabernaculo eius, in praemium pietatis, ac diuini cultus, quo suis fratribus antecellet. Quam etiam interpretandi rationem amplexatus videtur Hilarius, qui, In exordio, inquit, generis humani, interfuit humani generis diuisio, Noë scilicet, & filiorum, ex quibus secundum prophetiam Geneseos, Sem in possessionem Dei electus est. Haec ille. Quae iam tum re ipsa comprobata intelligimus; cùm vel ex primis illis temporibus posteri Chaami, & Iapheti idola coluerunt: Sem, verò Deum verum coluit erecto templo Hierosolymis; eiusque posteri, Israëlitae, Deum in templo Hierosolymitano venerati sunt; ac tandem Christus Dominus, qui ex Semo, teste Euangelista Luca, carnis originem traxit, Hierosolymis Ecclesiae suae Catholicae per vniuersum mundum diffusae, ac propagatae prima fundamenta posuit, solidauitque: cùm antea in Iudaea tantùm notus Deus esset, *& in Israël magnum nomen eius*. Quae omnia diuino cultui dedicata loca, vel vnus idemque locus persaepe Deo dicatus tabernacula Sem dicuntur; prout de eisdem intellexisse videtur paraphrasis Chaldaica. Etenim habitet, inquit, diuinitas eius in tabernaculis Sem. Chaldaica vox quietem propriè significat; eademque voce Hebraei, praesentiam diuinitatis, quae olim in sanctuario super arcam foederis declarabatur, nominari, ac significari volunt. Cuius etiam vocis mentio fit in psalmo illo celebri Dauidis, quo suum aedificandi templi desiderium maximè declarat; vbi inter alia inuitat Dominum, vt requiescat in templo: *Surge*, inquit, *Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae*. Eademque verba vsurpauit Salomon in dedicatione templi; cùm antea retulisset verba Domini, dicentis. *A die qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israël, vt aedificaretur in ea domus nomini meo*: &c. *sed elegi Ierusalem*, vt sit *nomen meum in ea*. Et post multa subdit; *Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuae*. Requiem autem hic vocat, habitationem certam, fixam, immobilem, permanentem; qualis Deo defuisse visa est in tabernaculo Mosaico, quod loco saepius motum, ac vagum quodammodo fuit, in Silo, Nob, Gabaon, in via, in deserto, & alijs locis. Sensus igitur tum horum prophetarum, tum ipsius Noë hic est, Deus qui in tabernaculo Mosaico, quasi viator degebat, habitet in tabernaculis Sem, nempe Hierosolymis, quae primum à Semo aedificata, Ecclesiam Christi repraesentat. In eandem quoque sententiam recidit alia horum verborum interpretatio, quae est Chrysostomi, Diodori, Eucherij, Isidori, Ruperti; nempe, dilatandum Iaphet, ipsumque habitaturum

Rupertus. *Caietanus.* *Gen. 14. ℣. 18.* DEVS ALTISSIMVS quare dicatur. *Psal. 112. ℣. 4.* *Psal. 94. ℣. 3.* *Ambrosius.* *Chaldaeus.* *Lyranus.* *Burgensis.* *Tostatus.* TABERNACVLA Sem, quae Deus inhabitasse dicitur Hierosolyma sunt. *Hilar. can. 8. in Matth.* *Chaldaeus* HABITATIO vel requies Dei quae dicatur. *Psal. 131. ℣. 8.* *2. Paral. 6. ℣. 5. 6. & 41.* *Chrysostom.* *Diodorus.* *Eucherius.* *Isidorus.* *Rupertus.* QVOMODO Iaphet habitauerit in tabernaculis Sem.

rum in tabernaculis Sem. Quod quomodo reuera expletum sit, tradit Chrysostomus. Opinor enim, inquit, quod benedicendo hos duos, duorum populorum vocationem significare voluerit, & per Sem quidem Iudaeos; ex illo enim & Abraham & Iudaeorum genus multiplicatum est: per Iaphet autem gentium vocationem. Vide autem quòd & benedictio hanc praenunciet. Dilatet enim, inquit, secundum aliam litteram) Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Hoc in gentibus adimpletum videmus. Dicendo enim dilatare, omnes gentes significauit: sed dicendo, habitet in tabernaculis Sem, quia gentes frui coeperunt ijs, quae Iudaeis parata. Haec Chrysostomus. Atque in eundem modum ferè omnes alij Patres suprà citati. Quae autem sint haec tabernacula Sem, in quae dilatati Iapheti multitudo recipienda erat, declarat Isaias; ipsam ciuitatem Hierusalem eleganti quadam apostrophe alloquens: *Dilata*, inquit, *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad laeuam penetrabis, & semen tuum gentes hereditabit, & ciuitates desertas inhabitabit*. Quae igitur sunt haec Semi tabernacula, quae dilatari praecipit Isaias, vtpote plenitudinem gentium, hoc est Iapheti filios receptura? nempe illa, quae mox tamquam ciuitatem alloquitur, quam super excelsis montibus fundatam innuit, & Salem dictam: atque in iustitia, hoc est à Rege iusto Melchisedeco fundatam. Quo ad hanc sententiam confirmandam argumento nullum posset adduci manifestius, nisi subobscurè rem innueret, quia de veritate rei, hoc est de Ecclesia Christi, non autem de terrestri Hierusalem loquitur. Verùm hoc nullo negotio, atque adeò apertissimè ostendi potest, declarare prophetam, quibus olim Hierosolimae partibus nomine à fundatore adumbrata sit Ecclesia Christi. *Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent*, quasi dicat; reliqui montes omnes discedent, & amouebuntur, vt ex Hebraeo vertit Foreirus: *misericordia autem mea non recedet à te, & foedus pacis meae*, quod pepigi cum primo tuo fundatore, quando propterea volui vt Salem, nempe pax nuncupareris, *non mouebitur*, vel non amouebitur, *dixit miserator tuus Dominus*; non amouebitur, sicut amotum videtur, quando omni diuitiarum, ac bonorum copia, splendore & integritate destituta fuisti, haud secus, quam tempestate conuulsa nauis. *Paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos*. Ecce iam sermonem ad ciuitatem conuertit, & meritò. Nam quemadmodum in magna atque illustri qualibet vrbe exstruenda vsu uenit, vt non simul, aut ab ipso initio nobilibus, atque amplis palatijs excolatur; sed eò primum vrbis fundatoribus accedentibus, palis in terra defixis, funibusque, ac clauis firmatis, pelles, quibus se à caeli iniurijs tueantur incolae, exrenduntur, & in tentorijs degitur, vel tabernaculis: mox iuxta ciuium, & incolarum captum exstruuntur humiles casulae, tandem praeclaris iactis molibus, exaedificatis aedibus, turribus, moenibus, ac propugnaculis, & ad vrbis speciem, & ad praesidium ciuium vndequaque surgentibus, angustus ille viculus in amplissimam vrbem excrescit: ita etiam in Ecclesia sua exstruenda, vrbe verè omnium maxima, ac nobilissima, hunc eundem mo-

Isai.54.ϒ.2. & sequent. VOCAtionem gentium significat benedictio Iapheti.

Ibi.ϒ.10. MIRA Ecclesiae Christi adumbratio, nomine, fundatore, ac partibus Hierosolymae. *Forei. super Isai.*

ϒ. 11.

VT CIVItas non subitò, sed paulatim amplissima euadit, ita Ecclesia Christi paulatim creuit.

A rem atque ordinem seruare voluit omnipotens Deus. Primi enim Ecclesiae quasi nascentis incolae veteres patres in lege naturae, quasi in tentorijs Deum colentes, vmbram veluti, atque speciem quandam procul Euangelij Christi perfecuti sunt: mox in lege scripta, quasi in casulis quibusdam sacrificiorum, & caerimoniarum, haud satis firmo, vel eleganti opere exstructis habitarunt patres: donec adueniente tandem Christo, Ecclesia Catholica ijsdem ferè, quibus terrarum orbis terminis concluſa, amplissimae ciuitatis formam praesetulit. Prima igitur Ecclesiae tentoria videre licet in Melchisedeco, qui primus exstructo Hierosolymis templo, Deo vero cultum
B panis & vini sacrificio exhibuit; quod verissimi & incruenti sacrificij, ac Christiani sacramenti Symbolum fuit; atque ideo Ecclesia Christi vocabatur olim tentorium, seu tabernaculum Sem, siue Melchisedec: at nunc caelestis ciuitas. Ae propterea subiungit apud Isaiam Dominus: *& fundabo te sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua*. Et paulo post: *& multitudinem pacis*, non tantùm sicut olim, quando Salem dici coepta es, propter temporalia bona, spemque futurorum spiritualium; sed in ipsa iam visione pacis, cùm teneas & possideas ea omnia, quae antea desideraueras atque sperabas; immo & his multò maiora, cùm pax haec exsuperet om-
C nem sensum. Vocaberis ergo Hierusalem visio pacis, quam dabit tibi Dominus, *& multitudinem pacis filijs tuis. Et in iustitia fundaberis*. Vt enim olim primus tuus fundator, quia iustus, quia iustitiam in te fundandam exsecutus est, ideo iustus, hoc est, צדק tsedec cognominatus est; ita, immo & multo magis nunc in noua Hierusalem, fundanda in iustitia, phrasi Hebraea, quae (in) pro (cum) vsurpat, cum *iustitia fundaberis*, hoc est, cum omni iustitia & aequitate, ac multo maiori & potiori iure nunc, quam tunc *vocaberis ciuitas iusti*; & nouo superaddito nomine, *vrbs fidelis*, iura exsequens iusti principis, illique fidem seruans, neque vmquam ab ea deficiens. Hoc autem nomen propterea promerebitur
D ciuitas, quia Regem illi omnium quotquot sunt, erunt, fuerunt, optimum ac praestantissimum promittit Deus. *Et restituam iudices tuos, & consiliarios tuos sicut antiquitus*. Iudicem, consiliarium intellige, phrasi Hebraeis frequenti, qua plurali vtuntur pro singulari, & iudicem ac consiliarium cùm nominat, Regem, aut principem designat; inuidiosa enim nomina deuitat sanctissimus vates, quò magis consoletur ciuitatem, munera exprimens benignissimi principis, nempe iudicem ac consiliarium agere ciuitatis, non dominum. Hanc autem eandem diuinae largitatis promissionem distertis verbis persequitur Psaltes,
E Christum Dominum alloquens: *Iurauit*, inquit, *Dominus & non paenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec. Dominus à dextris tuis confregit in die irae suae Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum*. Ecce eundem Christum Regem ac sacerdotem denuntiat, iuxta pristinum Melchisedeci ordinem, qui Dei patris ope iudicaturus dicitur nationes eo iudicio, quod ipse Dominus iam aduentasse testatus est. *Nunc enim*, inquit, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Ad eandem Hierosolymae fundationem respexisse videtur idem Isaias, cùm enumerata Spiritus sancti

ibid.ϒ.12. HIEROSOlymae, & Ecclesiae mirabilis consensus.

VISIO pacis.

IN IVSTItia fundata vrbs fidelis.

Isai.1.ϒ.26

NVMERVS multitudinis pro singulari.

CONSIliarius vocatur Rex, inuidiosa nomina deuitans. *Psal.109. ϒ.4. & seq.*

Io.12.ϒ.31

effusione

effusione subdit: *& erit opus iustitiae pax* והיה מעשה הצדקה כלום vehaia manghase hatsedacha Salom. מעש maghase autem significat factum, siue effectum alicuius rei permanentem. Quare meritò ad aliquam rem permanentem significandam ferè semper haec vox vsurpatur ab Hebraeis. Erit igitur loci sensus: iustitia vel iustus operabitur Salem, pacem: quasi dicat, iustus hic, qui potius iustitia, quàm iustus nuncupandus est, denuo fundabit, constructo, exaedificabitque urbem, quam pacem; siue Salem licebit nominare. *Et erit cultus iustitiae silentium, & securitas in perpetuum*; hoc est, & incolae huius ciuitatis hunc suum fundatorem & principem, quem iustitiam, vel iustum, Sedee cognominari diximus, colent in silentio & securitate perpetua. Quam interpretationem amplexati videntur Septuaginta, dum quae sequuntur verba, *& sedebit*, vel habitabit *populus meus in pulcritudine pacis*, teste Hieronymo reddiderunt, ἐν πόλει εἰρήνης en poli irinis, in ciuitate pacis. Praedicta omnia confirmari possunt testimonio libri Iosue, vbi Adonisedec, Rex Ierusalem dicitur; nomen est compositum ex eadem Hebraica voce צדק tsedec, ex qua nomen Melchisedec. Quod si Latinè reddamus, dominum iustitiae significat, seu si phrasim attendamus, dominum meum iustum; cùm non iustus Rex commemoretur fuisse, sed iniquus, vtpote qui & suorum omnium maximam stragem suis oculis intueri, vrbisque suae possessione priuari, & pedibus omnium principum Israëlitici exercitus conculcari, tandemque miserè interfici, ac patibulo suspendi meruerit; quae omnia eodem loco referuntur. Reliquum est igitur, vt dominus tantùm iustitiae diceretur, ab illo primo vrbis conditore Melchisedeco mutuatus eognomen. Quem morem seruasse videntur posterioribus saeculis Reges ac principes diuersarum nationum, qui eodem pacto ab eo, qui de sua Republica beneme-ritus esset, ipsi, ac posteri omnes cognomenta accipere praeclarum sibi, & gloriosum duxerunt. Hac ratione Pharaones Aegypti Reges dicti sunt; Xerxes Persiae Principes, Antiochi Graecorum Dynastae, ac tandem Caesares, Romanorum Imperatores; eorum sibi nomina adsciscentes, qui primi Regna, atque Imperia fundarunt, amplificaruntque; quibus ipsi deinde potiti sunt. Atque hoc testimonio comprobatur praeterea, eandem vrbem significari nomine Salem, & Ierusalem, cùm vtriusque Reges eodem cognominati sint nomine. Scio non defuisse inter doctissimos viros plerosque, qui vrbem ipsam dictam fuisse צדק tsedec, hoc est, iustitiam existimarunt; ex quo etiam factum voluerunt, vt Melchisedec Rex iustitiae, & Adonisedec dominus iustitiae dicerentur, quasi domini & Reges vrbis, quae צדק tsedec appellabatur. Quod confirmari posse videtur testimonio Pauli, Regem iustitiae similiter interpretantis, atque Regem pacis: cumque hoc sit nomen vrbis, & illud quoque vrbis nomen fuisse verisimile sit. Sed contrarium omnino praeallatis Isaiae, & aliorum testimonijs ostendi potest: vrbs enim ipsa nomine Salem frequenter appellatur in sacris litteris: at nomen hoc Sedec nusquam vrbi ipsi tribuitur, nisi quatenus sub ditione exstitisse dicitur & dominio iusti: cuius quidem denominationis rationem reddere videtur idem Isaias, degeneri ciuitati exprobrans: *Quomodo enim*, inquit, *facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidae*; quasi dicat: in te olim non iudices modò aequissimi, sed ipsa iustitia habitasse videbatur; quapropter glorioßissimum Sedee cognomen merebaris: nunc autem contrà, iniqui homicidae; & tu quae ciuitas *fidelis* iura exsequens dicebaris, nunc *facta* es *meretrix*. Verùm iam satis de fundatore dictum videtur.

Isai. 32. ℣. 17. IVSTVS aedificat pacem.

Hier. in Isa.

Iosue 10. ℣. 1. *& multis alijs.*

PRIMI VRbis conditoris cognomen mutuatus est Adonisedecus.

Alexan. ab Alex. l. Genial. c. 2.

VRBEM Hierusalem Sedec, hoc est, iustitiam dictam nonnulli putarunt. *Heb. 7.*

Isai. 1. ℣. 21

AD QVAM TRIBVM PERTINEAT IERVSALEM.

Tribus namque Dei iussu oportuit fuisse discretas. Cap. XV.

DIFFICILIS est quaestio, quam proponimus; & quae doctissimorum virorum distorsit ingenia. Verùm non huic tractationi tantùm necessaria est, sed multò magis Euangelicae historiae: quoniam ex huius difficultatis solutione, maxima ex parte soluitur illa quaestio, cui Cyrillus, & Augustinus, alijque grauissimi Patres respondere conantur; an tribus distinctae, & inconfusae semper manserint, & quoad possessiones, & quoad generationes. Ac patres quidem id constantissimè affirmarunt, vt inconcussum illud fidei nostrae fundamentum, nempe Christum Dominum de stirpe, & domo Dauid, sicut promissum fuerat, natum esse, ab haereticorum calumnijs vindicarent. Hanc patrum sententiam sectari & nos vt confitemur; ita & quaestionem ipsam pro susceptа breuitate dissoluere, & enodare conabimur. Et certè quòd ad instituti nostri rationem maximè attinet, illud est quaerendum in primis, tribui ne Iudae, an tribui Beniamin sit adscribenda ciuitas Ierusalem? Idemque omnino de Hierosolymitano templo ambigi posset, num intra Iudaicae tribus sortem, an verò in Beniaminiticae sorte exaedificatum fuerit. Res satnè obscura, & multis difficultatibus inuoluta. Etenim è sacris litteris argumenta desumi videntur in vtramque partem, ex aequo pugnantia. Nam Iudae tribuere videtur liber Iudicum his verbis: *Oppugnantes filij Iuda Ierusalem, coeperunt eam, & percussérunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.* Cui connectendum videtur, quòd per anticipationem, relatum est in libro Iosue: siquidem prius intelligendi sunt Iudaei obtinuisse Hierosolymam, ac postea habitasse cum eis Iebusaeos: *Iebusaeum*, inquit, *habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitque Iebusaeus cum filijs Iuda in Ierusalem vsque in praesentem diem;* לא יוכלו בני יהודה להורישם lo iachelu bene iehuda le horisam, non potuerunt filij Iuda hereditare: verbum enim ירש iaras, à quo vltima huius clausulae vox deducitur, hereditare significat, aut iure successionis, aut iure belli; quando, inquam, caesis, deletisque hostibus, eorum bona, & regna quasi hereditario iure possidentur. Prioris

Cyril. cont. Iulia. August. lib. 23. con. Faust. c. 3. 4. & 8.

VERITAtem fidei ab haereticorum calumnijs vindicat qui asserit, tribus oportuisse discretas manere.

HIEROSOlymam & tribui Beniamin & Iudae adscribendam ex aequo probare videntur sacrae scripturae loca. *Iudic. 1. ℣. 8*

Iosue 15. ℣. 63.

IERVSAlem ad tribum Iuda pertinere.

Hereditare dupliciter accipitur, vel iure successionis, vel iure belli.

significationis exemplum habetur in Genesi dicente Abram : *Mihi autem non dediſti ſemen*, heredem , aut filium : *& ecce vernaculus meus heres meus erit . Statimque ſermo Domini factus eſt ad eum , dicens : non erit hic heres tuus : ſed qui egrediétur de vtero tuo , ipſum habebis heredem* . Quibus omnibus locis idem verbum in eadem ſignificatione repetitur. Poſterioris in pſalmo, dicente propheta : *nec enim in gladio ſuo poſſéderunt* . ירשו iareſu , hereditate poſſederunt *terram , & brachium eorum non ſaluauit eos , ſed dextera tua* &c. Et in Genesi : *poſſidebit* , vel hereditabit , bellando obtinebit *ſemen tuum* , hoc eſt poſteri tui , *portas* munitiones, caſtella & vrbes *inimicorum ſuorum* . Et in pſalmo: *Iniuſti punientur; & ſemen impiorum peribit* ; quibus pereuntibus vnà videlicet cum liberis, heredibus , atque cum omni poſteritate ſua , *Iuſti hereditabunt terram, & inhabitabunt in ſaeculum ſaeculi ſuper eam* . Vim verò ac ſignificationem eſſe hanc huius verbi , aptè expreſſit Vulgatus verbo delendi ; quoniam à Deo iniunctum Hebraeis fuerat , vt deletis gentibus terras eorum poſſiderent . Ideo *non potuerunt* , inquit , *filij Iuda delere* Iebuſaeum , hoc eſt ; Iebuſaeo deleto , eius obtinere ciuitatem. Quem loci ſenſum confirmant ſequentia : *habitauitque* , inquit, *Iebuſaeus cum filijs Iuda in Ieruſalem , vſque in praeſentem diem.* Neque tantum toto tempore vitae Ioſuae , (qui, vt hoc obiter dicamus , ſuorum , ac libri Ioſue idem ipſemet ſcriptor eſt, Iſidoro , & R. Dauid Chimchi teſtibus) non hoc , inquam, tantùm tempore habitarunt Iebuſaei Ieroſolymis , ſed vſque ad tempora Dauidis , prout in ſequentibus latiùs patebit.

Pſalm. 43. ℣. 4.

Gen. 22. ℣. 17.

Pſalm. 36. ℣. 28. & 29

Ioſue 15. ℣. 63.

Iſidor. lib. 6. diſpoſition. c. 1. & 2.

R. Dauid. libr. ſimarum linguae ſanctae.

TRIBVI Beniamin adſcribendam vrbem. Iudic. 1. ℣. 21.

Contrà verò tribui Beniamin adſcribere videntur Hieroſolymam illa verba libri Iudicum: *Iebuſaeum autem* , inquit , *habitatorem Ieruſalem non deleuerunt* (idem eſt verbum , quod paulo antè interpretati ſumus) *filij Beniamin: habitauitque Iebuſaeus cum filijs Beniamin in Ieruſalem vſque in praeſentem diem* . Et multo manifeſtius illa libri Ioſue : *Haec eſt poſſeſſio* , inquit , *filiorum Beniamin &c. ſueruntque ciuitates eius Iericho &c. Eleph & Iebus , quae eſt Ieruſalem* . Idemque ipſum etiam poſt Babylonicam captiuitatem obſeruatum fuiſſe cognoſcimus Nehemiae verbis , quia *in Ieruſalem habitauerunt de filijs Iuda , & de filijs Beniamin* .

Ioſue 18. ℣. 20. & 21. & 28.

Nehem. 11. ℣. 4.

PERICVlosum eſt Hieroſolymam vtrique tribui indiſtinctae aſſignare.

Ab huius quaeſtionis difficultate ſe facilè ſuo iudicio expediunt nonnulli , qui tamen in aliam inde incidunt multo periculoſiorem , dum tradunt , vrbem hanc in medio duarum tribuum relictam, ad vtramque ex aequo pertinuiſſe. Verùm enimuero, ſi ſacras litteras attentiùs perluſtraſſent, non vtique tam caeco errore ſeduci potuiſſent : nam praeterquam quòd ſortes ac tribuum diuiſiones terram omnem diſtinguunt , ac ſeparant, nihilque indiuiſum relinquunt , vt mox luce clarius apparebit : lege etiam diuina cautum fuit , ne tribuum ſortes permiſcerentur . Sic enim locuti leguntur principes tribus Ioſeph ad Moyſen in libro Numerorum : *Tibi*, inquiunt, *domino noſtro praecepit Dominus , vt terram ſorte diuideres filijs Iſraël , & vt filiabus Salphaad fratris noſtri dares poſſeſſionem debitam patri : quas ſi alterius tribus homines vxores acceperint, ſequetur poſſeſſio ſua, & translata ad aliam tribum de noſtra hereditate minuetur . Atque ita fiet , vt cùm iubileus, id eſt , quinquageſimus annus remiſſionis aduenerit, confundatur ſortium diſtributio, & aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat* . Quo quaſi ſupplici libello multa accuratè perſtringunt , nempe diuina lege , qua iuſſus eſt Moyſes terram partiri in tribus , inhibitum quoque , ne eiuſmodi tribus , aut tribuum poſſeſſiones ab alienarentur , aut tranſirent ad extraneos ; Et hoc ipſum lege iubilei confirmant , quae licet pauperum indigentiae ac neceſſitati proſpiciens, permiſerit ad tempus poſſeſſiones diuendere ; tamen eadem terminum omnibus emptionibus & venditionibus praeſcripſit, nempe quinquageſimum annum ; ſic enim lex habet : *Sanctificabiſque* , inquit, *annum quinquageſimum , & vocabis remiſſionem:* vel vt alij reddunt , proclamabis libertatem, *cunctis habitatoribus terrae tuae ; ipſe eſt enim iubileus. Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnusquiſque rediet ad familiam priſtinam.* Vt eam ob cauſam huius anni ſollemnitas inſtituta fuiſſe videatur , quò & tribuum ſortes , & familiae ipſae eo anno recenſerentur, & ad priſtinum reducerentur ſtatum , primaeuamque acquirerent libertatem tum homines in ſeruos , tum poſſeſſiones alienis dominis venundatae . Neque enim temerè aut caſu, vel aliquo recenti hominum commento facta eſt eiuſmodi tribuum diſtributio, quae propterea aut deleri, aut confundi ſinenda ſit : ſed à Deo ipſo iam tunc ab exordio mundi excogitata eſt , & diſtincta; teſtante eodem legis & diuiſionis miniſtro Moyſe . *Quando*, inquit, *diuidebat altiſſimus gentes , quando ſeparabat filios Adam; conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël.* Eius verò diuiſionis rationem mox aſſignabimus , ſi reſponſum à Moyſe horum petitioni datum prius audiamus : *Reſpondit Moyſes*, vtique ad petitionem principum filiorum Ioſeph: *filijs Iſraël, & Domino praecipiente ait : rectè tribus filiorum Ioſeph locuta eſt . Et haec lex ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt : nubant quibus volunt , tantùm vt ſuae tribus hominibus: ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſraël de tribu in tribum . Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua : & cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient : vt hereditas permaneat in familijs , nec ſibi miſceantur tribus ; ſed ita maneant , vt à Domino ſeparatae ſunt* . Quibus verbis, licet , quod ad legem connubij attinet , in dubium vocetur à multis , an fuerit lata lex in vniuerſum omnibus , quae prohiberet vxores accipere , vel viros ex aliena tribu ; id tamen à nullo , quòd ſciam , in dubium hactenus vocatum fuit , rationem hanc legis tamquam firmiſſimam legem obſeruatam ſemper fuiſſe ; neque vnquam licuiſſe Iudaeis tribus permiſcere , quod ad poſſeſſiones ſpectat , quòd fieret omnino , ſi domus aliqua , praedium , aut ciuitas à duabus tribubus ex aequo poſſideretur : nulli enim propriè conueniret. At huius loci difficultates euoluere huius loci non eſt ; longiorem enim exigit diſputationem , quam quae huic capiti poſſit annecti ; iccirco ea in praeſentia praetermiſſa , ad vrbis tribum deſcribendam ſequenti capite progrediemur.

LEGE DIuina cautum fuit ne tribus permiſceretur. Num. 36. ℣. 2. & ſequ.

Leuit. 25. ℣. 10.

PAVPERum commodis conſulit lex , quae facultatem tribuit vendendi ad tempus poſſeſſiones.

AB EXORdio mundi tribuum ſortes earumque diuiſio à Deo excogitata fuit. Deut. 32. ℣. 8.

Num. 36. ℣. 5.

MONTEM SIONEM AD TRIBVM IVDA, ET Salem ad Beniamin pertinuisse. Medium templum ad quam tribum pertinuerit.

Cap. XVI.

CONSTITVTO iam tamquam firmissimo huius disputationis firmamento, Hierosolymam nulla ratione potuisse ad duas tribus ex aequo pertinere, examinandum superest, ad quam pertinuerit. Non enim defuerunt, qui praeallatis superiori capite argumentis coacti, diuisa in partes vrbe, vtrique tribui assignarent in vrbe partem. Verùm licet hi multo magis ad veritatem accedant, quàm illi; nihilominus in assignandis partibus magnopere desudarunt; neque tamen propterea vetos tribuum terminos assecuti sunt. Quidam enim monte Sionis totam vrbem concludi putant, quòd falsum esse suo loco probamus; atque adeo haec iniqua satis esset partitio. Iam verò cùm duplicem vrbem fuisse monstratum sit, superiorem atque inferiorem, facilis esset partitio, superiori parte, hoc est monte Sion, Iudae assignata, inferiori verò, hoc est Salem, Beniamin: Sed cùm mons Moria, medius inter vtramque vrbem sit eique superexstructum à Salomone templum maximè tribum illam, ad quam pertineret, nobilitate potens, vtraque tribu illud exposcente; non integrum, aut facilè cuiuis erit, cui Templum, cui mons Moria tribuendus sit, assignare. Tribus enim Beniamin iure templum sibi vindicare videtur. Quoniam sicut Iudae sceptrum, sic etiam Beniamin templum legasse videtur Iacob pater. *Beniamin*, enim inquit, *lupus rapax manè comedet praedam, & vespere diuidet spolia*. Quae verba teste Hieronymo ita Hebraei edisserunt. Altare, in quo immolabantur hostiae, & victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo significat, quod sacerdotes manè immolant hostias, & ad vesperam diuidunt ea, quae sibi à populo ex lege collata sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum diuisionem super sacerdotibus, qui seruientes altari viuunt de altari. Haec Hieronymus retulit. Fauet autem huic Hebraeorum interpretationi Chaldaeus paraphrastes, qui inquit: in terra eius quiescet praesentia diuinitatis, & in possessione eius aedificabitur sanctuarium: manè & vesperi offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum de reliquis, quae sanctificata sunt. Sic ille. Quam quidem huius loci paraphrasim desumpsisse videtur Chaldaeus ex Deuteronomio, vbi Moyses eundem Beniamin benedicens: *Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*. Quem locum sic verterunt Septuaginta interpretes. Et ad Beniamin dixit: Dilectus à Domino habitabit fidens. Et Deus obumbrat super eum omnibus diebus, & inter humeros eius requieuit. Chaldaeus verò paraphrastes locum suo more interpretatur his verbis. Ad Beniamin dixit, dilectus Domini habitabit confidenter: super eum erit, protegens eum omnibus diebus: & in terra eius habitabit maiestas Domini. Haec Chaldaeus. Hisce verò ex verbis quis non videat, maiestatem Domini & praesentiam diuinitatis habitare in terra Beniamin dixisse, propter arcam foederis, eique superimpositum propitiatorium, vbi quasi residens Deus edendis oraculis, reddendisque responsis praesentiam suam declarabat? Et hoc pacto hunc locum interpretatur Pererius.

Chaldaeus.

Pereri. lib. de benedic. Patriarch.

Non tamen putandus est Iudas ita destitutus auxilio, ac singulari Dei fauore, vt non ipse quoque ius suum ab inuasoribus, vel ab antiquissimo tempore asserere potuerit; ius, inquam, obtinendi in tribu sua templum, idque sacratissimis diuinae scripturae monumentis obsignatum. Nam in psalmo sic scribitur: *Et repulit tabernaculum Ioseph: & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit. Et aedificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in saecula.* Tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim pro eodem accipitur. Repetit enim, quod paulo antè dixerat: *Et repulit tabernaculum Silo tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus*, hoc est, inter homines. Silo enim vrbs fuit Ephraimitarum, qui erant à Ioseph prognati. Quorum vrbes omnes repulisse dicitur Deus, quia nulla earum illi placuit ad habitandum in ea. *Sed elegit tribum Iuda*, hoc est, *montem Sion, quem dilexit*: vel montem Sion, qui in sorte tribus Iudae situs erat, miro cordis affectu diligens elegit. In quo quidem monte *aedificauit sicut vnicornium*; Latina lectio Deum ipsum vnicorni comparare videtur; quod nimirum animal prae ceteris magnificas, & insignes sibi casas in praecelsis montibus excauare consueuit. Hieronymus hoc idem significare videtur, in similitudinem monocerotis conuertens. Graeca verò, domum ipsam vnicornis domui vel cornu comparare videntur, ὡς μονοκέρωτος hos monocerotos in secundo casu, sicut monocerotis, cornu subaudi: quod, vt vnicum est, & maximum, pulcherrimum pariter, excelsum ac fortissimum; sic & vnicum Deo templum in excelso montis exstructum, pulcherrimum fuit, excelsum, ingens, & firmissimum ac munitissimum, monocerotis cornu meritò conferendum. Quam interpretationem confirmat Chaldaeus; sicut cornu vnicornis interpretatus. At Rabbini litterarum רמים romim punctis parumper immutatis aliter legisse videntur, ac propterea scribunt: sicut excelsa, subaudi palatia, aedificauit sanctuarium suum; vel vt alij malunt, sicut excelsa caelorum: quoniam vt nos aliàs fusiùs disseremus, templum instar caelorum exstructum fuit. Quae omnia in idem omnino recidunt; ac probant templum in monte Sion aedificatum à Salomone fuisse. Quod sanè confirmari videtur illo Zachariae textu, quo de Hierusalem, & monte Sion, non quidem de veteri illa, sed de noua aedificata per Christum, sub nomine & figura illius, haec loquitur. *Et possidebit*, ונחל venachal, hereditabit: repetere non est opus, quae de hac voce aliàs diximus, *Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem*; ac si apertè dicat, Iudas

Chaldaeus.

Hiero. super psalm.

Zachar. 2. v. 12.

DVPLEX vrbs superior in tribu Iudae; inferior verò in tribu fuit Beniamin.

AD TRIBVM Beniamin pertinuisse templum argumenta probant.

Genes. 49. v. 27.

Hieron de tradit. Heb.

AB Hebraeis altare holocaustorum lupo rapaci confertur, sacerdotes, diuidentibus vesperi esas. *Chaldaeus.*

Deut. 33. v. 12.

AD TRIBVM Iudae pertinuisse idem templum probant argumenta quamplurima & firma. *Psal. 77. v. 67. 68. 69. & 60.*

DEVS VNICORNI conferetur.

TEMPLVM vnicorni, cuique cornu confertur. *Chaldaeus.*

erit pars, sors, hereditas. Hispanicè, el mayorazgo ò el vinculo, Italicè fidei commisso, Domini in saeculum super terram. Quod idem significare voluisse videtur Psaltes loco allato: *in terra*, inquit, *quam fundauit in saecula*; vel vt aliqui interpretantur, sicut terram in aeternum permanentem. Haec autem hereditas, seu possessio Dei non alia videtur aptior intelligi posse, quàm templum, quod firmum, stabile, in aeternum duraturum praedixit Salomon duabus illis aeneis columnis, *Iachin*, & *Booz*, vt suis locis videbimus, non propter lapides illos caducos, ac mortuos, sed propter viuos, qui superaedificamur, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV*. Hoc idem sensisse videtur Chaldaeus paraphrastes, qui illum psalmi locum sic interpretatur: Et fuit in Hierusalem domus sanctuarij eius, & habitaculum diuinitatis sanctae ipsius in Sion. Quem locum nos legimus: *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*. Quid plura? hoc idem disertis verbis testatum accepimus in libris Machabaeorum, in quibus templum, mons Sion, saepe appellatur. *Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationem desertam, & altare prosanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata, &c.* Neque verò nomine montis Sion intelligi hic potest tota ciuitas, sed peculiari ratione mons quidam certus in vrbe; quoniam eo tempore obtinebant gentes montem Salem, ac munitionem ab eis in illo exaedificatam, vt suprà vidimus. Consimili etiam ratione, iterum: *Et ascenderunt*, inquit, Iudas cum populo, *in montem Sion cum laetitia, & gaudio, & obtulerunt holocausta*. Et tertiò: *Ascendit*, inquit, *Nicanor montem Sion, & exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, & demonstrare ei holocautomata, quae offerebantur pro Rege. Et irridens spreuit eos &c. & iurauit &c. Succendam domum istam*. Quibus omnibus locis liquidò constare videtur, templum ad montem Sion pertinuisse, quem sine controuersia omnes Iudae adscribunt. Verùm templum in monte Moria exaedificatum fuisse tradit liber Paralipomenon. Et hic mons tertius vocatur à Iosepho; primum enim vocat Sion, secundum Acra; Contra hunc autem tertius, inquit, collis erat, natura humilior, quàm Acra, & alia lata valle ante diuisus (à monte Acra) Verùm postea, qua tempestate Assamonaei regnabant, & vallem aggeribus repleuerunt, vt templo coniungerent ciuitatem, & Acrae altitudinem caesam humiliorem fecerunt, vt ex ea quoque fanum supereminens cerneretur. Vallis autem, quae Tyropoeon appellatur, qua diximus superioris ciuitatis collem dirimi ab inferiori, &c. Haec ille. Quibus montem Moria aptissimè describit Iosephus à duobus alijs, Sione & Acra latis vallibus olim diuisum, in medioque eorum ex aequo situm. Quare si secundum vallem Tyropoeon protendatur funiculus tribuum, facili negotio intelligemus montem Moria, vnà cum monte Salem, ab Aquilone relictum, in sortem cadere tribus Beniamin. At verò si secundum vallem alteram, quam Assamonaei repleuerunt, fiat diuisio, mons Moria cum monte Sion ad Austrum dimissi, cadent in tribum Iudae; solus mons Salem aquilonaris cadet in sortem Beniamin. Hoc verò tamquam certissimum stA tuunt nonnulli, propterea quòd templum in area Ornam Iebusaei aedificatum fuisse testatur liber Paralipomenon, ciuitas autem Iebusaei in monte Sion aedificata est, vt suprà probatum est, & infrà latius patebit. Quare ipsosmet funiculos tribuum oportet inspicere, si litem hanc dirimere velimus. Quod equidem libenter & sine mora facerem, nisi prius probandum mihi foret, quòd numquam probatione indiguisse putarem, & luce meridiana clarius patere credidissem; nisi cuidam docto viro imposuissent Hebraei nescio qui; templum non in summitate montis Moria, sed viginti quattuor cubitis infra eius verticem aedificatum fuisse. Quae sententia, vt nihil grauius dicam, Ezechieli B omnino aduersatur, hoc scribenti: *Ista est lex domus in summitate montis, omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est*. Ad cuius domus situm respexisse videtur Isaias. *Erit*, inquiens, *in nouissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium*, hoc est, in vertice montis, exerentis verticem super vertices omnium montium: quod sequentia declarant: *& eleuabitur super colles*, & quae sequuntur. Aduersatur etiam Hieronymo, locum alterum Isaiae pertractanti, qui de ebrijs Ephraim loquitur, *qui erant*, inquit, *in vertice vallis pinguissimae*. Quem locum dum interpretatur C Hieronymus, Hebraicè, inquit, dicitur גיאשמנים gesimanim. Significat autem locum, vbi traditus Dominus est, super cuius vallis verticem, templum Domini situm est. Haec ille. Aduersatur Iosepho, qui disertis verbis eiusmodi Hebraeorum sententiae repugnat, & situm ac primam templi fundamenta describit his verbis: Tumulus erat petricosus, arduus, à vertice sensim versus orientale vrbis latus resupinus. Huius verticem primus Salomon Rex noster instinctu Dei muro circumdedit. Radices quoque eius alio muro cinxit, &c. Hoc opus postquam aequatum est vertici, cauitas, quae interierat murum inter & tumulum, expleta est, vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus, &c. Et iterum. Fanum, inquit, conditum erat, vt dixi, supra durissimum collem. Et initio quidem vix templo atque areae sufficiebat iacens in summo planicies. Haec Iosephus. Quibus non tantùm verticem montis Moria occupasse templum tradit, verùm etiam totum ipsum à radicibus montem, prout latius suis locis videbimus. Sed iam tandem ad tribuum sortes explicandas veniamus. Eae verò describuntur in libro Iosue; nos quidem illam tantummodo lineam inuestigabimus, quae tribum Iudae separat à tribu Beniamin, quae quidem linea septemtrionalis est tribui Iudae, meridionalis verò tribui Beniamin: quoniam tribus Iuda ad Meridiem vergit, Beniamin verò ad Septemtrionem. Et hanc lineam seu terminum duplici etiam termino, seu puncto, vt aiunt Mathematici, terminari oportet, altero ab Oriente in mari mortuo, quà Iordanis fluuius in illud influit; altero verò in mari magno seu mediterraneo, quod ad Occidentem fistitur. Et quidem dum terminos Iudae describit Iosue; à Iordane ad mare magnum tendit, hoc est, ab Oriente in Occidentem. Sic enim scribit: *Et ea quae respiciunt ad Aquilonem, à lingua maris*; quod paulo antè vocauerat falsissimum, nos mortuum, seu Asphaltitis appellamus; & *vsque ad eundem Iordanis*

TEMPLVM perpetuum quomodo fuerit.

Ephes. 2. ℣. 20.

Psal. 75. ℣. 2. & 3.

TEMPLVM diciturmons Sion.

1. Machab. 4. ℣. 37.

Supra cap. 7. lib. 1. de vrbe.

1. Machab. 5. ℣. 54.

1. Machab. 7. ℣. 33.

2. Paralip. 3. ℣. 1.

Ioseph. 6. belli cap. 6.

DVPLEX vrbis partitio.

2. Paralip. 3. ℣. 1. *Supra lib. 1. vrbis c. 10.* *infra lib. 2. cap. 1.*

TEMPLVM in summitate montis Moria extructum fuit.

Ezech. 43. ℣. 12.

Isai. 2. ℣. 12

Hiero. super Isai. 28. ℣. 1

Ioseph. 15. antiq. c. 14.

TERMInus tribus Iudae, & Beniamin.

Iosue 15. ℣. 5.

nis fluuium Septuaginta interpretes, & à summitate, inquiunt, maris, & à parte Iordanis descendunt. Quare sensus est, vt particula (vsque) non significet terminum ad quem (licet dialecticorum more loqui) sed terminum etiam à quo, nisi malis, à lingua vel termino maris, qui pertingit vsque ad eundem Iordanis fluuium, verba interpretari; reliquis verò alijs medijs locis intermissis, quoniam non ad nostrum faciunt institutum, illud persequamur, quod sequitur: *& erunt exitus eius ad fontem Rogel*; qui fons vt ex ipso contextu patet, & à nobis aliàs sufiùs pertractabitur, in valle Hennon situs est ad exitum vallis Tyropoeon, de qua paulo antè. *Ascenditque* funiculus *per conuallem filij Ennom ex latere Iebusaei*, qui Iebusaeus situs est *ad Meridiem*. Sic interpretandus est locus, vt concordet cum alio, in quo dum tribus Beniaminiticae meridianum terminum describit, eadem omnino verba iterat, Meridiem tantùm in Austrum conuertens. At impossibile est Iebusaeum inter has duas tribus constitutum, vtriquè esse ad Austrum: ergo illa particula indicatiua est situs Iebusaei: qui, si ipsam Hierosolymam respicias, est ad Austrum, vt latius suprà dictum est. idemque probant sequentia: Haec est, inquit, *Hierusalem*, quasi dicat; Iebusaeum intelligo habitatorem Hierusalem. Quare linea haec vel funiculus ad Aquilonem montis Sion, in quo habitauit Iebusaeus, protenditur, ira vt totum montem Sion tribui Iudae adscribat, montem vero Salem Beniaminiticae tribui. Quid ergo de medio monte Moria? De eo intelligenda sequentia crediderim: *& inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis Raphaim contra Aquilonem*. Quibus verbis coniungenda videntur eiusdem historici verba prolata, commemorando eundem terminum, qui meridianus est tribui Beniamin ex aduerso, ab Occidente in Orientem directus; ac propterea vsus est verbo descendendi, quia à superioribus ad inferiora progreditur. *Descenditque*, inquit, funiculus *in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom: & est contra septemtrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim; descenditque in Geennom (id est vallem Ennom) iuxta latus Iebusaei ad Austrum, & peruenit ad fontem Rogel* &c. Qua quidem eleganti periphrasi quasi digito demonstret montem Moria: commemorat enim duplicem vtramque famosam vallem, alteram ab Oriente vrbis sitam, Ennom dictam, cui ad Occidentem est mons Moria, & templum; orientali, hoe est, editiore ac nobiliore porta vallem hanc respiciens. quod proprium huius monris est. Namque mons Salem aliis interiacentibus Bezetae, & Antoniae collibus, non poterat vallem respi-

Ibid. ℣. 7. & 8.

Ioſue 18. ℣. 16.

A cere: mons verò Sion ad Meridiem conuersus, infima & anguſtiore ſui parte Geennam respicit. Altera autem vallis dicta Raphaim, hoc est, gigantum, ab occidentali parte montis Sion sita, in longum latumque prorenditur versus Meridiem. quare eius septentrionalis terminus directè tendit ad montem Moria. Linea igitur ipsa, quae vrbem totam ae medium eius montem bifariam diuisit, terminum aquilonarem retigit vallis Raphaim. Hanc eandem vrbis diuisionem apertè descripsit Nehemias, qui cùm in Hierusalem habitasse refletur de filijs Iuda, & de filijs Beniamin, ne fortè quisquam arbitraretur, eos nulla tribuum habita ratione permistos habi-

B tasse; cùm singularum tribuum villas, vrbes, atque opida, quae habitanda susceperant, percensuisset, adiunxit: *De filijs Iuda habitauerunt in Chariat Arbe* &c. *Et manserunt in Bersabee* termino meridiano tribus Iudae, *vsque ad vallem Ennom*, termino vtique orientali & Aquilonari eiusdem tribus, iuxta Bedae & Lyrani sententiam. *Filij autem Beniamin à Geba &c.* subaudi habitauerunt, fuitque eiusmodi habitationis meridianus terminus *in valle artificum*; quae à porta Gregis vsque ad portam vallis tendens, superiorem ciuitatem diuidit ab inferiore, eamque vocat Iosephus Tyropoeon, hoc est coagulatam, vberem, artificum vtique multitudinem in ea

C commorantem significans. His igitur ita constitutis, praedicta quidem Moriae montis diuisione illud conijciendum videtur, dimidium templi aquilonare tribui Beniamin; alteram partem meridianam tribui Iudae obtigisse, Deumque in medio oraculi sedentem super Cherubinorum alis, quasi humeris Iudae & Beniamin; quoniam ex quattuor Cherubinis areae, bini in sorte Iudae, bini verò in sorte Beniamin existebant. Idemque significare voluisse videtur Moyses praeallata benedictione, *& inter humeros*, inquit, *eius commorabitur* Deus. Nam vox כתפי chethephaiu, vt animalium humeros significat, sic etiam inanimatarum rerum oras vel terminos, vt videre licet in

D Exodo, *duas oras* כתפת chethephoth, habebunt in vtroque latere, & aliàs saepe. Quare cùm de tribu siue hereditate eius intelligatur sermo, aptè inter terminos eius, hoc est Beniamin & Iudae, habitaturum Dominum praedicitur. Vbi notandum est, quàm longè à veritate aberrent, qui putant Dei cultu, ac religione relicta, regnum astu ac mendacio stabiliri posse, cùm experientia doceamur, ex duodecim tribubus dispersioni & seruituti dimissis, has duas tantummodo, quae diuini cultus religionis, ac templi participes fuerunt, postliminio reuersas, integram Reipublicae faciem videre, paceque & securitate diu potiri promeruisse.

VALLIS Raphaim.

MEDIVS diuiditur mons Moria cum templo linea diuidente tribus *Nehemi.* 11 ℣. 4.

Ibi. ℣. 25.

Beda super Nehemi. c. 31. Nehem. 12

VALLIS artificum quae dicatur.

CONTRA politicos haereticos.

LIBRI PRIMI FINIS.

HIEROSOLYMAE VRBIS NON COMMENTARIOS

modo, verum etiam imaginem, ab initio polliciti sumus. Vt ergo fidem nostram liberemus, ecce nunc denique eam forma non modica, subtilitate eximia, diligentia quàm maxima, aere incisam, excusamque proponimus. In qua montes, Sion, Acra, Moria, Bezeta, cum collibus suis, quibus vrbs ipsa insidet; Goreb, Caluariae, Gion, Erogе, Acheldema, Oliuarum atque alij, quibus eadem ciuitas circumdatur, atque munitur, eminere ostenduntur, dum clarius etiam illustrantur. Valles vero Cadauerum, Tyropoeon, Iosaphat cum reliquis, quibus vrbis partes diuiduntur, quibusque ipsa vallatur, vmbris tantum dehiscere demonstrantur. Non enim alia ratione potuit tota ciuitas, eiusque dimensiones, & partes sub vnum aspectum proferri; nisi vestigium pingeretur potius, quam erecta ipsius ciuitatis imago. Muros vero antiquae Salem, atque arcis Iebus, necnon montis Sion, Bezetae atque Ezechiae cum suis turribus ac portis nonnihil ereximus, appositis nominibus, primisque murorum auctoribus, & singularum partium instauratoribus; quo facilius ea omnia à quocumque, vel nemine indicante, perciperentur. Templum etiam, ac Dauidis, Salomonis, vtriusque Herodis, Helenae, Monobazae Regias; Eliasibi, Fortium, Iedaiae, Azariae, Annae, Caiphae, Pilati domos; Antiochi, Antoniae, Ascensum firmissimi anguli, arces ac munitiones; Piscinam quoque, quae grandi opere constructa est, Probaticam Inferiorem, stagnum Amygdalon, & Struthion; cum nonnullis alijs celebrioribus extra vrbem locis, quae nota essent, verisimili fi-

gura

gura, reliqua pictoris arbitrio, proprijs tamen locis ac nominibus efformari, atque inscribi curauimus. Reliquas vrbis vias, domorum insulas, pagos ac vicos, quorum nomina duntaxat ac situs nota sunt, ita punctis adumbrauimus; vt ipsae percipi possent, reliquas vrbis partes obscurare, aut impedire non possent. Quae quidem omnia cum non modo iuxta commentarios hos nostros; sed multo etiam magis iuxta sacrarum litterarum, Iosephi, atque aliorum scriptorum veras, ac vetutissimas historias exacta sint, eo magis bonis pijsque viris probatum iri confidimus, quo imago haec illis magis fuerit cognita atque perspecta, praedictaeque historiae accuratius fuerint euolutae.

VERA
HIEROSOLYMAE
VETERIS
IMAGO

DE AMPLIFICATIONE ATQVE VRBIS RVINA PRIMAE PARTIS APPARATVS LIBER SECVNDVS.

DE CIVITATE DAVID. Caput I.

SVPERIORE libro de primis vrbis fundatoribus, deque ipsa disseruimus fundatione, & veluti exstruendae vrbis prima iecimus fundamenta; ac primum eius ortum & infantiam vidimus. Nunc ipse naturae ordo postulare videtur, vt eius tum structuram, tum incrementa attentiùs perlustremus. Spissum sanè opus atque arduum, quod laborem exigit non vulgarem; & in quo expediendo non vnius, sed multorum doctissimorum virorum desudare possit industria. Licet enim non sit diuturnitate temporum ita ab hominum memoria remotum vt prius; multique in eo explicando diligentiae suae neruos intenderint; tamen à paucis aliqua ex parte explicatum, à nemine planè adhuc expeditum est: & vt quod sentio, liberè dicam, eò maioribus difficultatum nodis inuolutum, quò diutius in oculis & manibus multorum fuit. Qui enim acriore iudicio pollebant docti viri, & in tam praeclaro argumento poterant cum laude versari; ij de eo parum, idque obiter, aut nihil omnino scripserunt: qui verò de eo egerunt pluribus, aut difficultate rei superati, aut desperatione operis territi; nonnullis ignorationis tenebris circumfusi sunt: plerique malitia corrupti, rem alioqui scitu dignissimam indigna tractatione proculcarunt potius, quàm pertractarunt: reique per se satis obscurae tenebras offuderunt potius quàm depulerunt; vt in tanta erratorum silua, atque opinionum tenebris rectum veritatis iter tenere difficillimum sit. Nos verò quoniam susceptí instituti ratione cogimur tam incultam diuersarum opinionum siluam ingredi, longiorem quàm par est, tractationem vitantes, rectum veritatis callem insistere conabimur, à confutatione aliorum abstinentes: facem tamen, Deo bene iuuante, rationum praeferemus, qua lucem, quoad eius fieri poterit, tantis tenebris afferamus.

Ac primum quidem vrbem hanc curiosiùs aliquanto perueſtiganti, illud explicatu dignum occurrit, quod in libris Regum, & Paralipomenon scribitur, nempe Saule exstincto, Dauidi tum primùm ab vniuerso Israële salutato Regi nihil fuisse antiquius, quàm vt in vrbe Hierusalem suae Tribus, & totius terrarum orbis celeberrima, sedem regni sui collocaret; eamque primariam totius ditionis suae vrbem constitueret. Sic enim scribitur: *Et abijt Rex & omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem ad Iebusaeum habitatorem terrae; dictumque est Dauid ab eis, non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos & claudos.* Vbi illud primo loco etiam atque etiam considerandum est, Iebusaeum vsque ad haec Dauidis tempora habitasse cum filijs Iuda & Beniamin in Hierusalem, non intra vrbis eiusdem moenia, sed in opido potius ab vrbe dissito, muris validissimis, firmissimisque turribus cincto. Idque vel ex eo maximè videre licet, quòd in libro Iudicum scriptum accepimus, Leuitam de Bethlecm Iudae profectum esse, vt iret in montem Ephraim. *Iamque erant*, inquit, *iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem; dixitque puer ad dominum suum: veni obsecro, declinemus ad vrbem Iebusaeorum, & maneamus in ea. Cui respondit dominus: non ingrediar opidum gentis alienae, quae non est de filijs Israël.* Verùm quò facilius intelligere possimus, quam vrbis partem oppugnauerit Dauid, illud prius inquirendum est, quam eiusdem vrbis partem obtinuerint filij Iudae, quam filij Beniamin; ex quo facilè constabit, & reliquam, quam vsque ad ea tempora incoluere Iebusaei, expugnatam fuisse à Dauide. Et certè primum illud extra controuersiam puto, nimirum, filios Beniamin, vrbem ac montem Salem, aquilonarem, inquam, vrbis partem obtinuisse, quae etiam vocabatur inferior: quoniam ea sine dubio intra sortem cecidit tribus Beniamin, vt suprà probauimus. Verùm qua ratione id obtinuerint filij Iuda, haud ita facilè ostendi potest; quamquam intellectu facillimum futurum sit attentius perlegenti, quod in libris Iosue, & Iudicum, atque allato Regum, alijsque non paucis habetur. Quorum omnium planissima erit cognitio, si vrbem Iebusaei in duas partes fecemus; in vrbem, inquam,

HIERO. Solyma primaria ditionis suae vrbs à Dauide constituitur.

2. Reg. 5. ℣. 6.

1. Paral. 11

Iud. 19. ℣. 11. & 12.

SION AD Tribum Iudae, Salem ad Beniamin pertinuit.

Sup. lib. 1. cap. 16.

QVAE- nam causae huic tractationi difficultatem attulerint.

NON confutare aliorum sententias, sed rationibus nostram stabilire curabimus.

& arcem; quae duo à se inuicem, & loco & dominio diuisa, in quamplurimis nostrae aetatis vrbibus vidimus. Quare de vrbe distentissimis verbis mentio fit in libro Iudicum, vbi haec scribuntur. *Oppugnantes filij Iuda Ierusalem, ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.* De arce verò intelligendus est locus Iosue, qui sic habet. *Iebusaeum habitatorem* arcis *Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere; habitauitque Iebusaeus cum filijs Iuda in* arce *Ierusalem, vsque in praesentem diem.* Quem locum ita intelligendum esse, vt à nobis explicatus est, probant testimonia libri Regum, & Paralipomenon, in quibus oppugnasse dicitur Dauid arcem Sion, habitasseque in arce, quam denominauit ciuitatem Dauid. Neque verò alterius expeditionis, aut oppugnationis fit mentio in sacris litteris, quàm arcis Sion. Quamquam id secus narrare videtur Iosephus; nempe à Dauide prius inferiorem Iebusaei ciuitatem facili negotio occupatam, arcem verò solam vehementer ei restitisse, ad quam per subiectam vallem militi aditus patuit. Verùm Iosephum ita interpretandum crediderim, vt cum sacro historico concordet, atque inferioris vrbis nomine arcis suburbia intellexisse putetur, quorum expugnationis non meminit sacer historicus; propterea quòd nullius negotij Dauidi victoria eiusmodi fuerit; ac proinde etiam minimè gloriosa: cùm tamen gloriosissimum, celeberrimumque facinus fuerit, arcem consilio atque animi virtute superare, quae ad perpetuam posteritatis memoriam, nouo deinde nomine ciuitatis Dauid insigniretur.

Iud. 1. ℣. 8. INFERIOrem vrbem oppugnauerunt, ceperunt atque incenderunt filij Iuda ante tempora Regum.

Iosue 15. ℣. 63. 2. *Reg.* 5. ℣. 7. & 9. 1. *Paral.* 5. ℣. 5. & 7.

Ioseph. antiq. 7. *cap.* 2

QVAE nullo negotio expugnantur opida, nullam aut minimam gloriam afferunt.

Sed quid sibi velit bellicum illud stratagema Iebusaeorum, qui caecos, & claudos in muris arcis posuisse narrantur, breuiter hic explicare libet. Antea tamen anile quoddam Rabbi Salomonis figmentum refellendum est & explodendum, quod Lyranus ex eius sententia refert his verbis: Caecos videlicet istos & claudos fuisse duas imagines, quarum vna repraesentabat Isaac, qui in fine aetatis fuit caecus, vt habetur in Genesi, & alia Iacob qui claudicabat ex lucta cum angelo, vt habetur in eadem Genesi. Dicit igitur Iebusaeos, qui erant in Ierusalem, genus retulisse ad Abimelec, cum quo inijt foedus, & iuramentum fecit Abraham, Genesi testante; & ideo videntes posteri eius filios Abrahae crescentes, timuerunt, ne quando vellent eos inuadere. Et ideo posuerunt praedictas duas imagines in parte superiore suae arcis, & in ore cuiuslibet imaginis erat scriptum iuramentum Abrahae; quasi dicerent: posteriores Abrahae non possunt hunc locum inuadere; & secundum hoc dicuntur odientes animam Dauid, vt hic habetur, in quantum putabant cum transgressorem iuramenti Abrahae; & per consequens odibilem Isaac, & Iacob, quorum erant imagines. Dicuntur etiam caeci & claudi in plurali, licet esset tantùm vna imago, repraesentans caecum, & alia claudum; eo modo loquendi, quo in sacra scriptura aliquando ponitur plurale pro singulari: quemadmodum dicitur in Exodo: *Isti sunt dij tui Israël*: & tamen erat ibi vnum idolum tantùm. Dauid autem licitè, & bene inuasit locum illum, quia iuramentum Abrahae non fuerat ad semper, eò quòd terra illa promissa fuerat Abrahae, & semini eius vsque ad tempus certum, quod nondum transierat, quando Iosue cepit terram; propter quod filij Iuda, quando ceperunt partem ciuitatis Ierusalem, non potuerunt tunc expellere Iebusaeum. Haec ille. Equidem his lectis satis mirari nequeo eorum amentiam, qui cùm se à recto veritatis tramite deflexisse perspexerint, obstinatis animis longiùs aberrare malunt, quàm ad rectam regredi viam. Et certè plurima figmenta effingat necesse est, qui figmento adhaerere studet; plurima falsa componat, qui quod falsum est, tueri contendit. Ac primùm quidem ab omni veritatis specie alienum est, Iebusaeos ab Abimeleco originem duxisse, quippe qui vt suprà ostendimus, à filijs Noë progeniti fuerunt: praeterea quia sacrae litterae numquam commemorant Abimelecum Hierosolymis regnasse, sed vt habetur in Genesi, in Geraris vrbe, ad terminum austrralem sita inter Cades & Sur, hoc est, inter duas, vt ait Hieronymus, solitudines, quarum prima Sur Aegypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit: altera verò Cades vsque ad Saracenorum eremum extenditur. Et quidem cùm è Geraris, & terra Bersabee, in qua percussum fuerat cum Abimeleco foedus, & in qua natus & educatus fuerat Isaac, profectum eum fuisse accipiamus in montem Moria, vt ibi Deo immolaretur à patre; quam viam itinere trium dierum confectam fuisse tradit sacer historicus; quis tandem credat in tam longinquam regionem regnaturos seniſſe filios seu posteros Abimelec? Huc accedit, quòd etiamsi posteri verè fuissent Abimeleci Iebusaei, & iureiurando ab Abrahamo eis facto tutari se vellent, satius quidem multò fuisset, figuram ipsius Abrahami iurantis posterorum oculis obijcere, quàm caeci Isaaci, & claudi Iacobi. Quàm sunt ipsi Hebraei caeci qui ista confingunt? quàm claudi in persequenda veritate, qui huiusmodi fabulis atque figmentis caeci, caecis ducatum praestant Hebraeis, quò in eandem errorum foueam secum ceteri turpissimè delabantur? Sed his omissis (non enim tanti aestimandi sunt, vt eorum naenijs confutandis tantopere nos detineamus) eò veniamus, quò nos veritas quasi manu deducit; & credamus, quòd ab alijs etiam Hebraeis, & à Iosepho potissimum disertis verbis traditur, quibus huius loci commentatorem potius, quàm eiusdem rei historicum egisse videtur. Sic enim scribit: Dauid cum omnibus his copijs Hierosolyma est profectus: Iebusaei verò, qui tum vrbem incolebant, Chananaeorum & ipsi generis, clausis ad eius aduentum portis, & in moenibus, quotquot erant caeci, vel claudi, aut alioqui mutuli, in contemptum Regis collocatis, dictitabant hos ad arcendum hostem sufficere, freti munitionum firmitate. Haec ille. Quibus omnino simile videtur esse, quod à sacro historico scribitur. *Proposuerat*, inquit, *Dauid in die illa praemium, qui percussisset Iebusaeum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset caecos & claudos, odientes animam Dauid.* Et iterum: *Dixit*que Dauid, *omnis qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiae, & factus est princeps.* Eademque refert Iosephus his verbis: Quo ludibrio ad iram concitatus, oppugnationem aggreditur, & cum strenuae militum opera vteretur, omnibus annitentibus, vt vnius vrbis expugnatione ceteris, si quae similiter pertinaces essent, metus incuteretur, vi inferiorem vrbis partem occupat. Resistente autem sola arce, decreuit propositis honoribus ac praemijs militem ad rem alacriter gerendam excitare; promisitque ei, qui per subiectam vallem in arcem euasisset, totius exercitus imperium

FIGMENTA figmentis addat necesse est, qui figmento adhaerere studet.

IEBVSAEI non ab Abimeleco, sed à filijs Noe originem ducunt. *Gen.* 20. ℣. 1 *Hieron. de locis Hcb.*

Gen. 22.

CAECOS & claudos quare posuerint in muris Iebusaei.

Nicol. de Lyra. super 2. *Reg.* 5.

Genes. 27. ℣. 1. *Genes.* 32. ℣. 31. *Genes.* 21. ℣. 27.

Exod. 32. ℣. 4.

Ioseph. 7. *antiq. c.* 2. DE OPPVgnatione vrbis & arcis Iebusaei.

2. *Reg.* 5. ℣. 7. & 8.

1. *Paral.* 11 ℣. 6.

Ioseph. ibid.

periam se commissurum: & cùm ò certatim omnes enitérentur, cupiditate summae praefecturae accensi, Saruiae filius Ioabus alios praeuenit, & consensa arce clamore sublato, à Rege promissum copiarum imperium poposcit. Haec Iosephus. Ex quibus efficitur, vt Dauid non paterni iuramenti religione deterritus (neque enim, si eo iam se teneri putasset, imagines auferendas curasset, priusquam vrbem ipsam obtineret) sed difficultate oppugnationis praemonitus, munitionem loci, murorum celsitudinem, firmitatem, ac reliqua praesidia perpendens, tanti praemij promissione militem ad summam difficultatem conscendendi muri excitauerit. Neque enim fieri posse putauit, vt fortissimorum militum copijs, de quorum constantia nulla ratione dubitabat, etiam nullo propulsante facilis esset assensus; caecorum enim aut debilium impetu propulsari suos vmquam non timuit: & tamen obsidione, atque impetu irruptionem in arcem difficillimè aut numquam fieri posse credebat; tanta erat loci munitio, murorum crassitudo, saxorum firmitas, ac tandem omnium praesidiorum vis insuperabilis. Verùm his omnibus praesidijs longè maior exstitit in Dauide animi constantia, & in eius militibus in rebus arduis fortitudo: siquidem in sacra historia sic scribitur: *Cepit autem Dauid arcem Sion, haec est ciuitas Dauid.* Et iterum. *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid.* Idemque omnino habetur in Paralipomenis. *Porro Dauid cepit arcem Sion, quae est ciuitas Dauid.* Et iterum. *Habitauit autem Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid.* Quibus quidem locis illud vnum apertissimè tradi videtur, arcem tantummodo Sion expugnatam, vt dixi, à Dauide, eamque solùm ciuitatem Dauid appellatam; non autem vrbem reliquam, quae totum Sionem montem amplectebatur, vt paulo infrà videbimus. Causa enim, ob quam arx illa dicta est ciuitas Danid, assignatur in Paralipomenis, quia *habitauit Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid.* Dauid autem in sola arce habitauit, vbi exstruxit sibi domum; non autem in inferiori ciuitate. Quòd si toti etiam vrbi inferiori id nominis impositum fuisset, alia posset fortasse potior denominationis causa assignari, nempe, quia, vt infrà videbimus, aedificauit eam Dauid. Cùm verò huius rei nulla sit mentio, sed tantùm habitationis, manifesta coniectura ducor, vt credam eam duntaxat partem vrbis, quam ipse incoluit, appellatam Regis nomine ciuitatem Dauid, non autem reliquam. Idemque probari potest ex alijs quàm plurimis sacrae scripturae locis, in quibus cùm ciuitatis Dauid fit mentio, de arce tantummodo Iebusaei sermo est. Verùm, ne in re manifesta diutius immoremur, vnicum tantùm, eumque apertissimum locum referam, qui sic habet. *Filiam verò Pharaonis transtulit* Rex Salomon *de ciuitate Dauid in domum, quam aedificauerat ei; Dixit enim Rex, non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Israël, eo quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Quo loco primùm obseruandum est, pro eodem sumi ciuitatem Dauid, & domum Dauid: deinde translatam vxorem Salomonis de ciuitate Dauid, vtique extra eam: quare domum Reginae concedamus oportet, extra ciuitatem Dauid aedificatam fuisse. At verò domus Reginae Salomonis Regiae coniuncta, erat intra moenia superioris vrbis, ad Orientem montis Sion, in ea parte, quae Meridiem

2. Regum. 5 ℣. 7. & 9. ARX SION capta à Dauide, dicta fuit ciuitas Dauid.

TOTVS mons Sion non dicebatur ciuitas Dauid, nisi per quandam extensionem.

2. Paral. 8. ℣. 11.

DOMVS Reginae in monte Sion exstructa continens domus Salomonis.

templi respiciebat, vt in descriptione patet, & suis locis luce clarius patebit. Non igitur ciuitas Dauid totum Sionem montem amplectitur; aliqui non esset translata de ciuitate Dauid, si quidem intra Sionem mansisset. Adde, quòd si totus mons Sion à ciuitate Dauid coërcetur, tota ciuitas sanctificata fuisset ab arcae praesentia; quare intra eam nullus locus esse potuisset, quò se reciperet profana mulier. Quod quidem confirmari potest Iosephi testimonio, sic scribentis. Eiectis deinde ex arce Iebusaeis, & instauratis Hierosolymis, Rex eam (arcem inquam,) vrbem Dauidis appellauit, ac per omne regni sui tempus domicilium inibi habuit. Haec ille. Quibus nulla ratione aduersari putandum est, quod suprà, dum loca nonnulla libri Machabaeorum interpretaremur, scripsimus; nempe vrbem Salem inferiorem dictam, Dauidis quoque compellatam fuisse. Ibi enim loquebamur de extensione nominis multis post saeculis facta: hic verò, quae nam primùm, & proprio nomine ciuitas Dauid diceretur.

Ioseph. 7. antiq. c. 3.

Supra lib. 1 de vrbe c. 7.

IN QVA REGIONE MONTIS SION SITA *fuerit Regia Dauid.*

Cap. II.

MIRVM est quot tenebras huic disputationi neoterici scriptores offuderint, cùm quae ipsi percipere nulla ratione potuerunt, alijs scripto tamquam certa proponere; immo & aere incisa oculis subijcere non dubitarunt. Quare & ipsi inter se, & à veritate, quod caput est, dissentiunt maximè. Etenim Petrus Lacksteyn in veteri sua Hierusalem montem Sion partitus est in tres alios colles, orientalem, occidnum, & septemtrionalem; ex ijs orientalem vocatum ait Mello, occidentalem Iebus, in quo & sepulcrum Dauid constituit. In septemtrionali verò colle, infignem Dauidis Regiam exstructam fuisse arbitratur. Eadem ferè nobis tradidit Benedictus Ariasmontanus in suo Nehemia, & topographia, qui cum praedicto Lacksteyn in omnibus concordat, hoc vno excepto, quòd montem Sion multò angustiorem, & productiorem fecit versus Borcam. Neque valde ab his dissident Gregorius Bruin, & Franciscus Hogenbergius, qui sic scribunt. Eminentior collis Sion dictus, in tres alios subdiuisus est. Primus is est, quem liber Regum Mello vocat, apud montem Gion, quo aedificatum fuerat antiquum castrum Siloe, quod occupabant Iebusaei, & captum fuit à Dauide; vbi idem quondam arcem collocauit, & sepulturae locum elegit. Versus Orientem verò huius praedicti collis alius adhuc erat, qui ciuitas inferior dicebatur, in quo palatium Dauid conditum fuit. Hunc locum habitauit idem, antequam Iebusaeorum castrum, quod in Mello erat, expugnasset. Ad Septemtrionem verò, situs

VARIAE scriptorum sententiae de situ & partibus montis Sion.

Petr. Lacksteyn in veter. Hierusalem.

Ariasmon. in Nehemia suo.

Gre. Bruin. & Francis. Hogenbergius lib. de ciuit. orbis.

collis palatium Herodis habuit; hi tres colles vno murorum ambitu cincti, dicuntur ciuitas Dauid. Haec illi. Quorum in verbis tot mea quidem sententia errata quot verba. Illa autem cumprimis videntur absurdissima, tum quòd montem Sion à Meridie in Septemtrionem duplò longitudine maiorem faciunt quàm latitudine, quam coarctant ab Occidente in Orientem: tum quòd vallem, quae Tyropoeon dicitur, qua mons Sion diuiditur ab inferiori Acra, à Meridie in Septemtrionem producunt: Quae omnia vel ipsius Iosephi testimonio falsa omnino esse constat, qui theatrali figura montem Sionem circa templum circumagi tradit, ad modum, inquam, semicirculi efformatum, cuiusmodi est figura theatri. At hi circuli conuexum in occasu ponunt, sinum verò in Oriente. Quae montis dispositio tam multiplices gignit errores, vt vix alicubi, vel cum sacra scriptura, vel cum Iosepho, aut alijs oculatis testibus consentiat. Quales sunt, vallem Gehennon, vel Iosaphat ad Meridiem templi locari, montemque Acra inferiorem, quem Bezeta vocat Iosephus, ad Orientem templi & Sionis constitui, alijque id generis plurimi, quos longum esset recensere; satisque nostra descriptione confutati sunt omnes, cùm oppositum demonstratum est. Reliquorum verò errorum, quos longum esset enumerare, ille palmarius: collem eminentiorem ceteris in monte Sion, vel ad Occidentem, vt sentit Bruin; vel ad Orientem, vt putauit Lacksteyn, dictum fuisse Mello. Quod vel semel tantùm verbis illis libri Regum inspectis, omninò falsum apparet, quae sic habent. *Et aedificauit* Dauid *per gyrum*, in monte vtique Sion murum ciuitatis superioris *à Mello & intrinsecus*. Quid, vel quà ratione dici potuit apertius, quo intelligeremus Mello esse terminum extrinsecum ipsius sulci, quem sequebatur munitio Dauidis? Quòd si limes murorum extrinsecus est monti Sion, Mello extra moenia mansit, nec esse potest collis montis Sion. Quis vero credat, Dauidem rei bellicae peritissimum, intra collem duxisse murum, rupem vero extra, & iuxta moenia reliquisse, vnde ab hostibus oppugnari facilè ciuitas posset: praesertim cùm clauso intra moenia, cum omnibus suis collibus toto monte Sion, profundae, lataeque valles vrbem quasi fossae vndique vallarent, ac communirent? Praeterea, quomodo arcam Domini extra vrbem collocasset Rex religiosissimus? aut quomodo eam extra vrbem collocatam credent huiusmodi scriptores; cum historia Regum referat, intrasse arcam intra ciuitatem Dauid? *Cumque intrasset*, inquit, *arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit Regem Dauid subsilientem &c. Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo.* &c. Idemque ipsum comprobari posset quamplurimis sacrae scripturae testimonijs de sepulcris Regum Iuda, quae in ciuitate Dauid dicuntur esse, non autem extra ipsius moenia. At quantumuis absona videantur ista; à ratione tamen magis alienum est, voce Mello, appellate monticulum, quae potius repletam vallem significat, vt infrà latiùs patebit. Sed & aliud inest ab omni historiae veritate alienum in his descriptionibus, nempe Regiam Dauidis collocari in medio colle montis Sion, atque arcem Iebusaei in colle altero occidentali. Quasi verò alibi habitauerit Dauid quàm in arce Iebusaei, quam ideo de eius nomine appellatam sacra scriptura testatur, quia in ea commoratus sit, vt latè superiori capite tractauimus. Sed multò magis à vero aberrat Gregorius Bruin, Regiam Dauidis constituens in colle orientali montis Sion: non enim aduertit inibi Salomonis, non Dauidis Regiam olim constructam è regione lateris meridiani templi, vt inferius latè patebit. Interim hoc vnum aduertisse debuit Gregorius hic, translatam videlicet fuisse filiam Pharaonis de ciuitate & Regia Dauid, in collem hunc orientalem montis Sion, quo exstructa fuerat cum Regia Salomonis domus quoque Reginae, vt suis locis manifestis argumentis confirmare promisimus. At quoniam totius praesentis disputationis cardo in ostendenda facie, atque dispositione montis Sion potissimum versatur; ideo praeter ea, quae suprà de praedicto monte retulimus, lubet Borchardi oculati, sollertisque testis adducere testimonium, quo totus mons ob oculos mentis constitui possit, vt corporeis oculis depictus in nostra descriptione obijcitur. Erat quidem, inquit hic grauissimus testis, antiquitus, sicut & hodie, mons Sion pro sui parte supereminens ciuitati, capax valde, vt videatur se solo posse fundare ciuitatem. Qui mons Sion sumens principium à porta aquarum, siue Siloe, contra Orientem, (vt suo loco ex sacra scriptura probamus) constituit semicirculum contra Austrum vsque ad Occidentem, vbi erecta fuerat turris Dauid; eratque per totum semicirculum rupes praerupta similiter arcus (meliùs & propriùs dixisset corda, aut sinus) huius semicirculi, qui appellatur Mello; ad cuius repletionem inter montem Sion, & ciuitatem inferiorem Reges Iuda plurimùm leguntur laborasse. Turris Dauid in quodam colle ipsius praeruptae rupis satis eminenti contra Occidentem constructa fuerat. Haec ille. Ex quibus liquidò constare arbitramur, arcem Sionis, Regiam Dauidis, seu turrem Dauidis appellare velis cùm Regia ad modum turris seu castelli exstructa fuerit, in editissimo occidentalique colle montis Sion sitam fuisse. Et quidem, si montis ipsius, qui hodie exstat, formam consideres, in eius occidentali parte eminentem in medio rupem conspicies, circulari forma, quasi artificis manu efformatam. Ita vt meritò scribat Adrichomius in haec verba. Arx Sion antiqua & munita, in vertice montis Sion condita, & instar coronae cum cingens, tutum erat praesidium pro decore, & defensione ciuitatis & templi; ac quasi tantae vrbis capitolium. Et subdit: in hac prius habitauerunt Iebusaei, quos Dauid vi eijciens, arcem occupauit & accipiens ab Hyram Rege Tyri, lapides, ligna, & artifices, aedificauit ex ea firmum sibi palatium, & domum cedrinam, ac solium Regium. Haec Adrichomius. Quod & sacrae scripturae testimonio confirmare haud difficile est; nam vbi primùm meminit expugnatae arcis in monte Sion, atque inhabitatae à Dauide, (quam etiam ob causam vocata fuit ciuitas Dauid) statim subiungit. *Misit quoque Hyram Rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes; & aedificauerunt domum Dauid.* Ex quibus omnibus allatis testimonijs, vel me tacente quiuis intelliget, verticem montis Sion in parte eius occidua, quae ad Septemtrionem vergit, praerupta

REFELLuntur aduersae sententiae.

FALSAM esse, ostenditur, sententiam, quae collem Sionis vocat Mello. *Gregor. Bruin. Petrus Lackst.* 2. *Reg.*5. ℣. 9.

2. *Reg.*6. ℣. 16. & 17

NON IN alio colle, quàm Iebusaei, sita fuit Regia Dauid.

Gregor. Bruin.

SITVS montis Sion idem est hodie, qui olim, *Borchardus par.* 1. *cap.* 7. §. 43.

REGIA Dauid in editissimo occidentali colle montis Sion sita erat.

Adrichom. Hierusalem nu. 3.

2. *Reg.* 5. ℣. 11.

rupta rupe in coronae modum exstare. In quo quidem montis apice, vtpote tutissimo, ac firmissimo loco, Iebusaei castrum exstruxerant, quod neque filij Iuda, neque filij Beniamin expugnare potuerunt: quapropter necessitate compulsi habitauerunt cum Iebusaeo in Hierusalem, vsque ad septimum annum Regni Dauidis in Hebron, primum verò Regni super vniuersum Israël. Quo quidem anno praedicta arce expugnata, in eius medio, eminentioríque loco, Hyrami Regis materia & opera Regiam suam, nobilissimam, inquam, atque munitissimam arcem exstruxit, quam olim arca foederis, Moysíque tabernaculum, atque ipse Dauid triginta tribus reliquis imperij, & vitae fuae annis incoluit. Huius porro aedificij causa, totus mons meritò Sion dicitur, hoc est specula, quemadmodum latè à nobis id suprà tractatum est: ac si collis hic vnà cum arce sua, cum monte Salem siue Acra, in quo inferior ciuitas sedet, conferatur, ad Meridiem situs est; quoniam & totus mons Sion meridianam vrbis regionem occupat, vt videre est in capite de situ vrbis.

RATIONE collis occidui totus mons Sion, sic dicitur, quasi specula. *Supra lib. 1. Cap. 6.*

Atque his, ni fallor, quae à nobis compendio tradita sunt, huius capitis scopo feciſse videmur satis. Ostendimus siquidem in editiori occidentali regione montis Sion sitam fuisse Regiam Dauid: verùm, quoniam interim retulimus quorundam opiniones, qui Regiam Herodis, & Salomonis cum praedicta Dauidis confundunt, licet de his proprijs locis fusiùs agendum sit; hic tamen operaepretium duxi, de illis quoque nonnihil dicere. Et quidem quòd ad Herodis senioris Regiam attinet, nulla ratione eius exstructio in eodem prorsus loco ponenda est, vbi Dauidis olim fuit Regia, vt plerique perperam existimarunt; non enim id postulat, sed reijcit omnino ac repudiat historia Iosephi, quae huius situm, aedificiorum praestantiam, murorum celsitudinem, ac totius arcis, singularumque eius partium splendorem, ac magnificentiam diserta oratione persequitur. Quòd autem in eodem loco non exstiterit Regia haec, in quo Dauidis Regia, manifestè probatur ex eo, quod paulo superius ostendimus, Dauidis Regiam in media latitudine montis Sionis exstructam fuisse; & Herodis aulam Iosephus tribus illis famosis muri vrbis superioris turribus Hippico, Phasaëlo & Mariamme coniunctam fuisse tradidit. Quare non in eodem praecipuo montis colle, in quo fuit Regia Dauid, fuit etiam Herodis Regia, sed in quodam colliculo, seu quadam rupe eminenti supravallem Tyropoeon, existente media inter arcem Iebusaei, & montem Salem; quae quidem rupes meridiana fuit monti Salem; aquilonaris verò monti, & arci Iebusaei; atque in ea exstructa fuisse Regia Herodis fusiùs à nobis ostendetur infrà: quod & in nostra descriptione cernere facilè etit. Porro Regia Salomonis in eiusdem montis orientali colle erecta fuit, qui quidem collis etiam ipse eminet valli Tyropoeon, quae à sacro Historico vorago dicitur ciuitatis Dauid. Quare meridianus est collis hic templo, aquilonaris reliquae latitudini montis Sion. Verùm notandum hic est, quod ad celsitudinem attinet huius iugi, cui Regia Salomonis insidet, longè inferius fuisse colle occiduo, in quo arx Iebusaei, & Regia Dauid conditae fuerunt. Nam praeterquam, quod rationi consonum videtur, Iebusaeos munitionis, & perpetuae durationis suae arcis studiosos, celsissimum sibi collem delegisse, ne à celsiori facilè oppugnari posset; id etiam expressè affirmat Iosephus. Collium verò, inquit, alter, quo superior ciuitas sedet, multo est excelsior, & in prolixitate directior, adeo, vt quoniam tutus erat, castellum à Dauid quondam Rege vocaretur. Haec Iosephus. Ex quibus manifestum est, Dauidis castellum excelsius fuisse ipso templo; fuit etiam celsius Regia Salomonis, eodem Iosepho teste; Castrum enim erat impositum opido, castro quidem templum; templo verò Antonia. At templum ipsa Salomonis Regia celsius fuit, quod ex quamplurimis sacrae scripturae locis facilè intelligimus; semper enim transitus de domo Regis ad domum Domini, dicitur ascensus, sicut è contra reditus à domo Domini in domum Regis dicitur descensus. *Itaque*, inquit, *cùm accepisset Ezechias litteras de manu nunciorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino* &c. Et iterum ad Ezechiam aegrotantem in domo sua, mittitur Isaias Dei nomine, dicens. *Ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini*. Sicut è contrà de Ioiada sacerdote, constituente in sede regni Ioam filium Ochoziae, scribitur. *Et fecerunt descendere Regem de domo Domini, & introire per medium portae superioris in domum Regis, & collocauerunt eum in solio Regali*, vtique Salomonis. Ex quibus omnibus testimonijs huiusmodi elicitur argumentum. Templum excelsius fuit Regia Salomonis, & templo eminet Regia Dauidis: ergo multo magis eminet Regia Dauidis Regiae Salomonis. Sed vnus adhuc relinquitur est scrupulus, qui sententiam hanc constare minimè sinit: is autem huiusmodi est. Scribitur in libro Regum, quod *filia Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam aedificauerat ei Salomon*. Ex quo videtur inferri, editori loco exstructam domum Reginae, continuam, vt diximus, domui Salomonis, quàm domum, seu ciuitatem Dauidis. At locus hic tantummodo probat domum Reginae, prout diximus, in edito monticulo Sionis positam fuisse, ad quam ex quacumque parte montis Sion venientibus ascendendum erat, quoniam lata nimis, atque profunda vallis collem hunc Salomonis orientalem separabat ab occidentali Dauidis colle. Quare ascensus hic Reginae, partem illam viae indicat, quae ad domum Reginae ex valle ducebat, non autem illam, quà è domo Dauidis protrahebatur. Neque simile quid accidit, vel à templo descendentibus ad Regiam Salomonis, vel hinc ascendentibus in templum; quoniam vallis interiacens ponte quodam exaequabatur, ita vt perpetuus ascensus esset à domo Regis in domum Domini, & hinc eò descensus. Iam verò reliqui collis montis Sion, qui huic monti domus Salomonis oppositus vergit ad Meridiem, mentio tandem facienda esset, cui domus planè Regia Eliasib Sacerdotis magni exstructa erat. Sed de his omnibus opportunis locis agendum est. Hic tantummodo lectorem excitasse sufficiat, vt descriptionem nostram euoluat, quam, quò saepiùs attenta consideratione perspexerit, eò faciliorem sibi ad omnia, quae à nobis de vrbe dicenda sunt, aditum patefaciet.

REGIA Herodis non fuit in eodem loco, quo Dauidis Regia.

REGIA Salomonis in orientali colle montis Sion exstructa fuit.

COLLIS orientalis Sionis, inferior est, colle eiusdem montis occiduo.

Ioseph. 6. bell. cap. 6. initio.

Ioseph. ibid. in fine.

TEMPLVM Regiae Salomonis imminebat.

4. Reg. 19. ℣. 14.

4. Reg. 20. ℣. 5.

2. Paralip 23. ℣. 20.

RESPONDETUR ad oppositum.

3. Reg. 9. ℣. 24.

DE COLLE aquilonari montis Sion, quo domus Eliasib sacerdotis magni exstructa erat.

DE TRIPLICI VRBIS MVRO.

Cap. III.

CAPTAM à Dauide arcem Iebusaei, nouoque nomine insignitam, excipere debuisset muri descriptio; quo non modò arcem ipsam in occidentali Sionis parte constructam, sed totius etiam Sionis ambitum cinxit ipsemet Dauid. Verùm, quoniam murus hic vnus est ex tribus illis, quibus circumdatam ciuitatem tradit Iosephus, ideo prius ostendendum puto quinam fuerint hi tres muri, quàm de aliquo illorum agatur sigillatim; vt mutuò inter se eorum partibus collatis, ijsque, in quibus conueniunt aut discrepant, inspectis, cuiuslibet illorum maior habeatur cognitio. Et quidem si in hac re Iosephus tantummodo legendus foret (non enim sacrae scripturae suppetunt testimonia, quibus haec singulorum murorum delineatio confirmari possit) si, inquam, Iosephus tantummodo audiendus esset, res planè nullo negotio conficeretur: ille enim apertis verbis rem totam nobis ob oculos ponit. Verùm ex neotericis plerique, cùm se interpretes ipsius Iosephi agere profiterentur; ita Iosephi sententiam aut deprauarunt, aut obscurarunt, vt nisi Solem ipsum, vt fertur adagio, veritatis gestemus in manibus, vix vlla interpretis luce eruere ae percipere possimus. Sed ipsum audiamus si placet Iosephum; ipse enim quouis alio melius sese ab horum tenebris, & offusa obscuritatis caligine vindicabit. Ciuitas autem, inquit, trino muro circumdata erat, nisi quà vallibus inuijs cingebatur: ex ea namque parte vnius muri habebat ambitum. Haec ille. In quibus illud primo loco aduertendum est, non ita accipiendos hos tres muros totam ciuitatem circumdare, vt primum in medio positum ambiat secundus, & hunc tertius; quod etiam ipse Iosephus negauit, dum tradidit vrbem, qua parte inuijs vallibus cingebatur, vnius tantummodo muri ambitu concluſam. Quam ob causam ipsammet montium dispositionem ob oculos sibi constituat necesse est is, qui vrbis moenia, atque totam dispositionem rectè comprehendere voluerit. Mons enim Sion priori muro ita cingebatur, vt si eo solo circumdata ciuitas fuisset, nullo prorsus alio muro vmquam indigere videretur; quod disertis verbis testatus est idem Iosephus. Trium uerò murorum, inquiens, vetustissimus quidem, propter valles, imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat. Ad hoc enim, quòd loco praestabat, etiam fortissimè structus erat, Dauidis, & Salomonis, aliorumque interea Regum largissimis impensis operi insumptis. Haec ille. Cumque ciuitas vltra montem Sion ad montes Acra, Moria, Bezeta, qui ad Aquilonem Sioni sunt, excreuerit, fit vt mons Sion ex lateribus merediano, orientali, & occidentali vnius tantummodo muri ambitu claudatur, praeruptis vndique vallibus extrinsecus munito. Ex aquilonari verò latere duplex alius murus cingebat montem Sion, non perinde quasi ex ea parte minus tutus esset mons Sion; sed vt ciuitas inferior super monte Acra, & Bezeta

NEOTERICI in examinandis Hierosolymae muris negotium nobis facessunt.

Ioseph. 6. bell. cap. 6.

TRES MVri Hierusalem non sese mutuò vndequaque ambiunt.

MVNITISsimus fuit antiquus murus.

A existens, eà quoque suis moenibus vallaretur. Quapropter etiam murus ille, qui montem Sion vndequaque circuit, vocatur à Iosepho primus & vetustissimus. Secundus verò dicitur breuis ille murus, qui montem Bezeta à Septemtrione tantummodo cingit; nam & hic nimirum mons Templo ipso, cui septemtrionali solus obstabat, eiusque moenibus, à Meridie vallabatur. Tertius tandem murus vocatur ille, qui hunc etiam murum Bezetae, & totum montem Acra, veteremque vrbem Salem vnico tractu ambit. Quibus ita positis, facilè percipietur, quàm longè à vero aberrauerit scriptor ille, qui locum hunc Iosephi enarrans, interpretandi Iosephi gratia haec scribit. Primus murus, id est extimus, quique tutissimus omnium & maximus erat, in occiduam templi porticum desinebat. Et primùm quidem murum extimum vocare, & maximum, repugnat omnino eidem Iosepho, singulorum murorum longitudinem, ae turres enumeranti his verbis. Eiusmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat; earum autem interualla cubitos ducentos. Medius verò murus in quattuordecim turres, & antiquus in sexaginta diuisi erant. Haec Iosephus. Quis ergo vmquam adducatur, vt credat, murum antiquum in sexaginta ducentorum cubitorum paria spatia diuisum, circumdare potuisse tertium, in nonaginta protensum eiusdem mensurae spatia? Numquid minor continebit maiorem? Ad haec accedat Iosephi historia, de expugnata à Tito vrbe; qui in haec verba scribit, prius Romanos obtinuisse tertium murum. Itaque muro, inquit, iam cedente magno arieri Romanorum, quem Iudaei Nicona vocabant, quod omnia vinceret, quamuis & antea defessi erant & pugna & vigilijs, cum longè ab opido pernoctarent; tamen etiam negligentia, vel quòd malè consulerent, murum sibi superuacaneum esse credentes, quibus alia duo munimenta superessent, lassatique plurimi, recessere. Cùm autem Romani, quà primum murum Nicon perruperat, ascendissent, ad secundum omnes Iudaei, relictis custodijs refugerunt. Portis autem Romani, qui transierunt, patefactis, exercitum recepere. Et hi quidem hoc modo potiti muro, quinto Nonas Maij, & partem eius maximam diruunt, & septemtrionalem ciuitatis regionem. Talia Iosephus. Cumque mox ordine vastatum secundum murum, Antoniam, & Templum longa narratione commemorasset, tandem subdit. Caesar autem fieri non posse perspiciens, vt sine aggeribus superiorem caperet ciuitatem, in praerupto vndique loco sitam, distribuit operibus militem vicesimo die mensis Augusti. Hanc autem superiorem ciuitatem vetustissimus murus cingebat. Hinc fit, vt dicebam, vt hunc murum, quem antiquissimum, ac propterea primum vocauit Iosephus, cùm murorum aedificatorum ordinem persequitur, eundem idem Iosephus cum subuersionis ordinem enarrat, tertium murum deinde vocet. Quare hic murus intimus dicendus, non extimus, & minor, non maximus, si totum ambitum tertij muri consideres. At quoniam aliàs iterum de singulorum murorum dimensione sigillatim tractandum est, eò huius rei disputatio, ac murorum inter se comparatio reijciatur. Nunc verò, quoniam singulos murorum ambitus proprijs terminis definitos enumerat Iosephus, in qua vrbis regione singuli eorum termini constituantur, videre operae pretium duxi; ijs enim perceptis, omnium murorum ambitus, & situs facili negotio percipietur.

DECEPTVS est, qui primum murum putauit extimum, & maximum fuisse.

Ioseph. 6. bell. cap. 8.

Ioseph. lib. 7 belli cap. 15

DE

DE TVRRIBVS PSEPHINA HIPPICOS, *Phasaëlon, & Mariammes.*

Cap. IIII.

TVRRIM, Psephinam Graecè dictam, Latinè licet obscuram reddere. ψεφινὸς psephinos enim obscurum significat. Qua voce, si de homine loquamur, ignobilem, & abiectum significare consueuimus, sicut virum nobilem è contra illustrem, excelsumque vocamus. At si de turribus, aut muris sermo sit, contrariam haec vox notionem sortitur, maximè apud Hebraeos; hi enim גבע ghophel, hoc est, obscurum vocare consueuerunt, quod prae nimia altitudine, vel profunditate visus aciem eludit, ac subterfugit, non secus, ac si tenebris occultaretur. Quare meritò Hieronymus hanc vocem Latinè reddidit, nebulosam; sed de hoc latius infrà. Nunc illud tantummodo notandum est, similitudine Graecae vocis atque Hebraicae deceptos fuisse sollertes alioqui viros, Borchardum, & Adrichomium, qui hanc esse turrim illam existimarunt, quam vulgata nostra nebulosam vocat; ea enim proxima templo est, vt videbimus suo loco. Ergo turrim Psephinam in exteriori muro sitam, eiusque situm, & celsitudinem enarrat Iosephus his verbis. Ipse quidem Titus, cum propè duobus stadijs abesset à muro, ad anguli eius partem contra turrim, quae appellatur Psephinos, castra ponit, ad quam muri ambitus ex Aquilone pertinens, flectitur ad Occidentem. Et iterum fusiùs. Cùm autem, inquit, totus admirabilis esset tertius murus, admirabilior Psephina turris ad Septemtrionem, Occidentemque surgebat in angulo, qua parte Titus castra posuerat. Ex ea namque per septuaginta cubitos edita, Sole orto Arabia prospici poterat, & vsque ad mare; itemque ad vltima finium Hebraeorum. Erat autem octangula. Haec Iosephus ac tam perspicuè, vt vix interpretatione indigeat, aut aliquid addi possit, quod ad instituti nostri rationem faciat. Quisquis enim in descriptione nostra aquilonarem, atque occidentalem vrbis murum obseruauerit; is in communi angulo turrim Psephinam inueniet, in cuius inferiore parte patuisse portam anguli suo loco demonstrabimus. Ex huius verò turris situ facilè dignoscetur reliquarum trium, de quibus agendum est nobis hoc capite, situs, & dispositio. Nam contra eam vt Iosephus superiora persecutus inquit, turris Hippicos, & iuxtà duae, quas Herodes Rex in antiquo muro aedificauerat. Est ergo contra turrim Psephinam turris Hippicos, in antiquo muro aedificata. Cumque turris Psephina in angulo sita duplicem vrbis murum tangat, occidentalem, & aquilonarem, vtriusque muri turres absque dubio contra turrim Psephinam existere dici possunt. Verùm cùm aquilonaris murus, qui Psephinam tangit, nulla sui parte ad antiquum murum pertineat, sed tantùm murus occidentalis, supereft, vt turris Hippicos in parte occidentali ponenda sit, quà inquam occidentalis vrbis inferioris murus à Psephina procurrens, antiquum murum contingit; quod aperto, atque expresso Iosephi testimonio infrà confirmabimus, cùm de tertio muro sigillatim agemus. Nunc satis sit Hippicos turri locum suum assignare.

HOMINEM ignobilem obscurum, dicimus, at turrem celsissimam obscuram vocant Hebraei.

Hieronym. Mich. 4. ℣. 8

Borchard. q. 1. cap. 7. §. 42. Adricho. Ierus. num. 175.

TVRRIS Psephina in angulo Aquilonis, & Occidentis muri exterioris sita fuit.

Ioseph. 6. belli c. 5.

Ioseph. ibid. cap. 6.

PSEPHINae turris altitudo maxima.

TVRRIS Hippicos in occidentali regione vrbis sita.

A Is autem est in eo angulo, qui ex muro ciuitatis Salem in murum antiquum montis Sion incidente, constituitur; ita vt immineat haec turris monti Caluariae, quamuis ab eo interiacente valle, quae ab Ieremia cadauerum dicta est, diuidatur. Huic autem turri in eodem muri, veteris tractu, qui protenditur à praedicta turri Hippicos ad Templum, coniunguntur duae aliae turres, non longo interuallo diuisae, Phasaëlon, & Mariammes. De quibus omnibus subdidit idem Iosephus. Quaeque magnitudine, siue pulcritudine, ac firmitate vniuersis, quae toto orbe essent, praestabant; nam praeter naturalem animi liberalitatem Rex pro amore ciuitatis, operùm excellentiam, proprijs affectibus indulgebat, personisque tribus carissimis, quarum nominibus turres appellauit, fratri, & amico, & coniugi memoriam dedicando; huic quidem, vt dixi, amoris causa peremptae, ijs autem bello amissis, cùm fortiter decertassent. Hippicos quidem turris amici vocabulo dicta, quattuor angulis erat, triginta cubitos in latitudine, itemque longitudine singulae habebant; sic enim legendum censui, non vt corrupti codices habent, & excelsae triginta cubitos erant, nusquam inanes. Supra soliditatem verò, saxisque adunatam compaginem, puteus viginti cubitis altus erat imbribus excipiendis. Super hanc autem duplici tecto domus viginti quinque cubitis alta, inque varia membra diuisa; & desuper eam minae quidem binis, propugnacula verò ternis cubitis ambiebant, vt omnis altitudo ad octoginta, sic habetur in B Graeco non octoginta quinque, vt Latini codices perperam legunt, cubitos numeraretur. Haec libuit ipsius Iosephi verbis adscribere, ne aliquorum videar imitari citandi modum, qui, quod ipsis libuit dicere aut fingere, alijs affingunt, & mox veteres auctores pro se citant, apud quos vix quidquam eius rei praeter nomen inuenias. Reliqua verò perstringam breuiter, quae ibidem Iosephus tradidit. Secunda verò turris, quam fratris nomine Phasaelon, Graecè φασάηλον, Phasailon, appellauerat, aequè lata fuerat ac longa cubitis quadragenis: per totidem autem cubitos farta. sic lege iuxta originem; mendosè enim additur pilae in modum facta, & solida eius altitudo surgebat, & super hanc decem cubitis edita porticus erat, instructa θωρακίοις, thoracijs, brachijs, forsan rectius vertisset, castellulis, vel turribus prominentibus, itemque propugnaculis septa. In media verò porticu supereminens alia turris stabat, in membra magnifica, & balneas diuisa, ne quid regalis ei vsus videretur deesse. In summo autem propugnaculis, minisque erat ornata, cùm omnis eius celsitudo prope ad nonaginta cubitos tolleretur: & specie quidem videbatur assimilis Phari turri, quae Alexandriam nauigantibus ignem procul ostendit, ambitu verò ampliore dilatabatur. Haec Iosephus. At Tito vrbem oppugnante, Phasaëlon turris tyrannicum domicilium fuit Simonis. Tertia verò turris Μαριάμμη Mariammi Mariammes vxoris nomine dicta, viginti cubitos longa, & lata, quinquaginta cubitos alta erat, & pulcritudine reliquas superabat, à quibus munitione, firmitateque superabatur. Quibus fusiùs recensitis Iosephus haec addit. Sed quamquam tres turres tantae magnitudinis erant, ex loco tamen, quo erant sitae, multò videbantur esse maiores; nam & ipse antiquus murus, in quo erant, excelso λόφῳ lopho colle erat conditus, & ipsius collis velut quidam vertex alius prope ad triginta cubitos eminebat, supra quem verticem, turres positae multum sublimitatis assumpserant. Mirabilis etiam fuit lapidum magnitudo: nec enim ex vulgaribus saxis, aut quae homines ferre possent; verùm secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque decem, ac per quinque altis erant aedificatae; quae ita inter se copulata erant, vt singulae turres singula saxa viderentur. Sic autem manibus artificum in faciem, angulosque

Ierem. 31. ℣. 40.

TRIVM turrium praestantia.

HIPPICOS turris amici vocabulo ab Herode dicta.

TVRRIS Phasaelon fratris nomine compellebatur.

TVRRIS Mariammes vxori cognominata.

SITVS ttium turrium collis celsissimus.

que formata vt nusquam iunctura compaginis appareret. Haec Ioſephus. His adde, quod de eiſdem à Romanis vi captis, tradidit idem auctor, eleganti quadam exaggeratione. Romani verò, inquit, qui tantùm in muris inferioribus laborauerant, eos, quos inſtrumentis non potuiſſent, nunc fortuna cepere. Omnibus enim machinis tres turres validiores erant, de quibus ſuprà memorauimus Et poſt multa de Tito ſubdit. Cùm autem alia ciuitatis deleret, muroſque ſubuerteret, eas turres fortunae ſuae monumentum reliquit: qua commilitante his potitus fuiſſet, quae capi non potuiſſent. Haec ille. Verùm non minus eae, quàm reliquae omnes ita funditùs deletae ſunt, vt nullum iam illarum veſtigium appareat. Vt mihi quidem illae ſeſe mutuò hortantium vaſtatorum voces adimpletae videantur, *qui dicunt*, qui inquam dicebant, *exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea*, & re ipſa id completum fuiſſe ipſamet pulcherrimae quondam vrbis, ac nobiliſſimae Hieroſolymae miſerrima facies ac ruina teſtatur, quae qualis, ac quanta fuerit, vt omittam cetera, hinc nobis innoteſcat, quòd tantae calamitatis ſola commemoratio acerbiſſimi doloris lacrymas ab ipſo, qui damnabat eam, iudice expreſſit. *Videns* enim Ieſus *ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens. Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.*

Ioſeph. 7. bell. c. 16.

Pſal. 136. ℣. 7.

Luc. 19. ℣. 41. & ſequ.

DE DVPLICIS HERODIS DVPLICI *Regia. Cap. V.*

HERODES ſenior aedificijs exſtructis magnificis ac plurimis, tam in vrbe quàm extra, ſui nominis memoriae maximè conſulere voluiſſe viſus eſt. Neque enim tres tantùm illas turres, quas ſuprà commemorauimus, exſtruxit Hieroſolymis; verùm etiam domo ſibi Regia in ſuperiori parte ciuitatis exſtructa, duas praeterea aedes in ea maximas atque pulcherrimas, quibus, vt Ioſephi verbis vtar, ne templum quidem vſquam conferri poſſet, aedificauit; eaſque amicorum vocabulis vnam Caeſaream, Agrippium alteram nominauit. Et iterum eiuſdem Regiae meminit idem Ioſephus his verbis. Rebus igitur in priſtinam felicitatem reſtitutis, Regiam in ſuperiori vrbis parte aedificauit, exſtructis aedibus ampliſſimis, exornatiſque auro, & marmoribus, & ſubſellijs, vt magnum virorum numerum poſſent capere; domibus etiam pro cuiuſque dignitate appellatione indita, vt vna diceretur Caeſaris, Agrippae altera. Haec ille. Quibus verbis Ioſephus Regiam ab Herode exaedificatam templo ab eodem inſtaurato praetuliſſe videtur, ac longè maiorem à Rege in domo ſua, quàm templo exſtruendo curam, ac diligentiam adhibitam commemoraſſe. Quò illorum ſententia refellatur, qui templum Herodianum Salomonico praeferre contendunt. Quis enim dicere audeat, Herodis Regiam templo Salomonis praeferendam? cùm eine templum quidem ab Herode conſtructum vllo pacto conferri, nedum praeferri poſſit. Sed de hoc argumento aliàs fuſiùs. Nunc enim de eiuſdem Regiae ſitu ac magnificentia agendum iterum nobis eſt, Ioſephi verbis. His autem tribus turribus, de quibus in ſuperiore capite nos egimus, in ſeptemtrionali parte poſitis, intus aula Regia coniungebatur, narratione omni praeſtantior. Nec enim magnificentia, vel ſtructura operis, aliqua ex parte ſuperari poterat; ſed tota quidem muro per triginta cubitos edito cincta erat; aequalis autem diſtantiae turribus ornatiſſimis ambiebatur, ornata virorum receptaculis, & cenaculis lectorum centum capacibus. Inenarrabilis autem fuit marmorum varietas in ea, collectis ibi plurimis, quae vbique rara videbantur, & faſtigia ſimul proceritate trabium, & ornamentorum claritudine mirabilia, membrorum etiam multitudo, & innumerae ſpecies aedificij, plenaque omnia ſupellectilis, cùm pleraque in ſingulis ex auro eſſent atque argento. Cumque porticus, viridaria, ſiluas, ambulationes, ciſternas, aenea ſigna, quibus aqua effundebatur; & alia, id genus quàm plurima deſcripſiſſet Ioſephus, ſubdit. Sed enim neque pro merito exponi Regia, qualis fuerit, poteſt: habetque memoria cruciatum, referens quantas res latrocinalis flamma conſumpſerit; nec enim haec à Romanis incenſa ſunt, ſed ab inſidiatoribus inteſtinis. Haec ille. Quibus poſt multa adiungit. Et ſuperioris ciuitatis aliud caſtellum Regia Herodis erat. Quae omnia ſi in vnum conferantur, hoc liquidò conſtabit, Regiam Herodis ſenioris in quodam colle montis Sion poſitam fuiſſe; is verò collis ad Aquilonem & Occidentem vergebat, prope antiqui Dauidici muri aquilonarem partem, in qua tres illae celeberrimae turres ab eodem Herode conſtructae fuerant. Et quamuis à Ioſepho caſtellum ſuperioris ciuitatis dicatur haec Regia, vtpote maximae parti totius ſuperioris ciuitatis imminens: tamen non propterea in eodem loco ſita fuiſſe credenda eſt, in quo Regia olim Dauidis ſita fuerat, (vt quidam falſò opinatus eſt) Nam Dauidis Regia, vt dixi, in media latitudine montis Sion, ad Occidentem, editiſſimo totius montis & vrbis colle ſurgebat: Herodis verò Regia in aquilonari parte, & muri turribus coniuncta. Vocatur autem haec à Ioſepho ſuperior Regia. Initium enim rebellionis contra Romanos enarrans, poſt Agrippae Regiam combuſtam, nonnullos affirmat Pontificum cum Regijs militibus in ſuperiorem Regiam confugiſſe, vbi cùm à ſeditioſorum multitudine oppugnarentur, derelinquentes inferiorem locum, qui ſtratopedon vocabatur, expugnatu ſcilicet facilem, in turres Regias confugerunt, quarum vna appellabatur Hippicos, alia Phaſaëlus, tertia Mariamme: στρατόπεδον verò ſtratopedon Thucydidi caſtrorum locus eſt; Budaeo etiam aula. Et haec de ſenioris Herodis aula dicta ſufficiant. De Agrippae verò inferiori aula ſic ſcribit idem Ioſephus. Eodem tempore, quo videlicet ſeducti à quodam mago vanis promiſſis, quaſi ope eius incolumes euaſuri eſſent à malis omnibus; miſſis à Feſto copijs, vna cum ſeductore perempti ſunt. Eodem, inquit, tempore, Agrippa Rex exſtruxit inſigni amplitudine domum prope porticum, in Regia Hieroſolymitana, quae Aſſamonaeorum fuerat, ſitam in edito loco, vnde amoeniſſimus proſpectus patebat contemplari vrbem volentibus: cuius voluptatis Rex cupidus, è cubiculo ſpectabat, quidquid circa templum fieret. Id vbi viderunt Hieroſolymitani proceres, tulerunt indigniſſimè: neque enim leges noſtrae concedunt ſpectari, quid agatur in templo, praeſertim ſacrificia. Quamobrem altum parietem

Sup. c. 4.

REGIAE Herodianae magnificentia. *Ioſeph. 1. bell. c. 16.*

Ioſeph. 15. antiq. c. 12.

TEMPLVM ab Herode conſtructum longè fuit inferius eiuſdem Regia, quanto magis Salomonico.

Ioſeph. 6. bell. c. 6.

LECTIS ſternebantur cenacula.

REGIAE Herodis ſenioris ſitus.

SVPERIOR, & inferior Regia.

Bud. ep. 1.

INFERIOR aula Agrippae.

Ioſeph. 20. antiq. c. 7. alias 15.

HEBRAEORUM leges quid fieret in templo, non permittunt ſpectari.

parietem excitauerunt supra exhedram, quae erat in interiori templo versa ad Solem occiduum: haec, forsan melius legeretur (hic) nempe paries denuo super exhedram exstructus non solùm Regij triclinij prospectum arcebat oppositа, (vel oppositus) verùm etiam occidentalis extra templum sitae porticus, hanc fuisse constat porticum gentium, vbi festis diebus Romani stationes habebant, ad templi custodiam. Huc vsque Iosephus. Quibus apertè testatur, Regiam hanc Agrippae exaedificatam fuisse iuxta occiduam templi porticum, cuius paries exhedrae occidentali superstructus, prospectum interioris templi prohibebat. At cùm ciuitas superior sita sit ad templi Meridiem tantummodo, necessariò intelligenda est fuisse Regia haec in ciuitate inferiori. Mitto rationem illam, quae ex paulo superiùs allatis Iosephi verbis deduci potest; nulla enim alia ratione Herodis senioris dici potuit Regia, superior, nisi quia in superiore ciuitate sita fuit; haec verò inferior, quia in inferiore. Nam si vtriusque Regiae celsitudinem mutuò compares, absque dubio, Herodis Regiam vel propter loci eminentiam, vel (quod magis crediderim) propter editiores muros, Agrippae Regia multis partibus altitudine superabat. Illa enim muris, triginta cubitis editis tantummodo cingebatur, vt paulò ante vidimus; at Agrippae Regia, nisi multò altiùs assurgeret, nulla ratione interioris templi prospectu frueretur; quoniam exterioris templi porticus ad triginta cubitos erigebantur, teste eodem Iosepho. Quare ipsamet Regij triclinij fenestra multò celsior intelligenda est triginta cubitis, vt ex ea posset interioris templi pauimentum prospici, quo sacrificia perficiebantur. Verùm exstat adhuc aliud manifestum Iosephi testimonium, probans in inferiore ciuitate sitam aulam hanc Agrippae. Nam cùm Titum inferiori vrbe ac templo potitum, à tyrannis, qui superiorem tenebant ciuitatem, ad colloquium vocatum, pro sua humanitate venisse testetur, eorumque superba ac contumeliosa responsione vehementer iratum Caesarem, militibus, vt diriperent ciuitatem atque inflammarent, permisisse retulisset, subdit. Illi autem ipso qui dem die nihil egerunt; postero autem die Archiuum, & Acram, & curiam, & qui vocatur Ophla, succendere: & progrediebatur ignis vsque ad Helenae Regiam, quae in media erat Acra. Haec ille. Ea autem omnia vrbis loca in inferiori vrbe sita fuisse manifestum est. Siquidem nondum quidquam de superiori vrbe obtinuerant Romani: immo neque post hoc incendium, sine magno labore & conflictu eius vllam partem capere potuerunt. Haec autem omnia vrbis loca, quae incensa commemorat, templo circumstabant triplici ex latere, nempe occiduo, aquilonari, & orientali, à Meridie sola vrbs superior obstabat templo, vt quaeque suis locis patebunt. Verùm in fine huius capitis lubet locum alterum Iosephi afferre, quo manifestè loquitur de Assamonaeorum Regia, eam Xysto proximam fuisse testatus, superiori vrbi aduersam, eique superestructam Agrippae Regiam. De eodem enim Agrippa: Constituens, inquit, Germanam suam Berenicem in Assamonaeorum domo, ea siquidem Xysto imminebat contra superiorem partem vrbis. Sed de Xysto capite sequenti latiùs agemus, quo & huius Regiae situs patebit, quae illi imminebat.

AGRIPpae Regia, quae Assamonaeorum fuerat, occidentalis, ac proxima Templo fuit in inferiore ciuitate.

AVLA VOcatur haec Agrippae Regia.

Ioseph. 7. bell. c. 13.

SITVS REgiae Assamonaeorum

Ioseph. 2. bell. c. 16.

DE XYSTO TVRRI, PORTICV *& ponte. Cap. VI.*

DE Xysto disputaturo mihi, quid hoc nomine significetur, perquirendum priùs est, ac mox quid res ipsa fuerit, quae nomine significatur, inuestigandum. Et primùm quidem Iosephus Graecè scribens, cùm nomina Graeca rebus imponit, in dubium maximum nos inducit, meritò ambigentes, an eiusmodi sint ab alijs indita nomina, quae communi vsu recepta quasi propria rebus fuerint; an verò ab eodem Iosepho denuo imposita, vtpote omnibus alijs rebus eiusdem generis communia. Quod cùm in alijs multis rebus lectoribus negotium facessit; tùm in Xysti maximè intelligentia. Xystorum enim vsum Graecis communem fuisse tradit Vitruuius; dum enim eorum palaestram describit, subdit. Haec autem porticus Ξυστὸς Xystos apud Graecos vocitatur, quòd athletae per hiberna tempora in tectis stadijs exercentur. Facienda autem Xysta sic videntur, vt sint inter duas porticus siluae, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino stationes. Proximè autem Xystum, & duplicem porticum designentur hypethrae ambulationes, quas Graeci περιδρομίδας, peridromidas, nostri Xysta appellant, in quas per hiemem, ex Xysto, sereno caelo athletae prodeuntes exercentur. Haec ille; quibus, Philandro teste, nonnihil discriminis assignare videtur inter vocem Xystus, & Xystum, siue inter Xystos, & Xysta, apud Latinos, inquam; nam apud Graecos idem omnino significant. Xystos enim Latini vocant porticus tectas, in quibus athletae hiberno tempore exercebantur: Xysta verò subdiales ambulationes, vbi sudo caelo suas exercebant palaestras: nisi malis, communi voce, tam tectas porticus, quàm subdiales ambulationes propterea Xystos, vel Xysta dici, quòd in eis exercentur athletae. Quod confirmari videtur Tertulliani testimonio, qui sine vllo discrimine Xystum alijs spectaculorum locis annumerat, dicens: Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania circi, cum impudentia theatri, cum atrocitate arenae, cum Xysti vanitate, quo vos offendimus, &c. loquebatur autem ad gentes Tertullianus. Quare Ξυστικοὶ Xystici vocantur illi, qui in Xysto exercentur, vt videre est apud Caelium. Atque idem Tertullianus Xystarchen vocat eum, qui Xysto praeest, eleganti ab eis ducta comparatione, dum ad martyrium feminas hortaretur. Bonum agonem, inquit, subituraе estis, in quo agonothetes Deus viuus est; Xystarches Spiritus sanctus, corona aeternitatis, brauium &c. Itaque Epistates vester IESVS Christus, qui vos spiritu vnxit &c. Quibus verbis sanctissimae, diuinaeque Trinitatis meminisse videtur Tertullianus, Deum viuum Patrem Agonothetem constituens hoc est, eum, qui agonem inducit propositis praemijs, Xystarchem, hoc est Xysti, seu palaestrae praefectum Spiritum sanctum. Christum verò Iesum Epistatem, hoc est athletarum magistrum, cuius muneris videatur fuisse athletas

DVBIVM an nomina Graeca, quae Iosephus vsurpat propria sint, vel communia.

Vitr. lib. 5. c. 11.

DE XYSTIS Graecorum.

XYSTA quomodo fieri soleant.

XYSTVS, & Xystum an differant.

Philand. in Vitruuio.

XYSTI SIgnificatio & varietas apud Latinos.

Tertull. Apolog. cap. 38.

Cael. lib. 11. c. 52.

Tertull. lib. ad Martyr.

AD AGOnem prouocantur Christiani propositis a patre praemijs, deducente filio, adiuuante Spiritu sancto.

athletas ceromate, hoc est oleo cerato perungere, cuius vice Spiritu sancto vngendos Christi athletas praedicit Tertullianus. Xystarchae etiam mentio fit in veteri sepulcro, inter semiruta vestigia in Quirinali monte, litteris, vetustatis situ, & senio obliteratis, epitaphio cuius meminere Platina apud Alexandrum, & Philander, his verbis insculpto.

L. THENODORVS XYSTICVS PARIDI THIMELICO BENEMERENTI FECIT.

Platina. Alexand. ab Alexandro lib. 3. gen. c. 9. Philand. vbi supra. Ioseph. 6. bell. c. 6.

Verùm quid Xysti nomine significet Iosephus, non integrum est statuere. Quandoque enim turrim ea voce compellare videtur. Ait enim; Hac autem parte incipiens à turri, cui nomen est Hippicos, ad eam, quae dicitur Xystus, pertinens &c. alijs verò locis, quasi de porticu, & ponte loquitur, vt mox ostendemus. Interim tamen hoc vnum affirmari posse videtur, amplam quidem, & tectam porticum, Graeco more Hierosolymis exstructam, quae Xystos vocabatur; neque enim alienum fuit ab Hebraeis, Graecorum moribus, sacrificijs, ludis, spectaculis, ritibusque foedari. Plenae sunt sacrae & profanae historiae huius sceleris commemoratione. Quoniam verò huic porticui coniuncta fuerat porticus, turris, porta, & pons, ideo ex Xysti vicinia eae omnes vrbis partes eiusdem Xysti nomine compellebantur: quasi diceres, Xysti pons, Xysti turris, &c. In qua autem regione, quoue vrbis loco exstructa fuerint haec, quae Xysta vocantur, licèt apertissimè à Iosepho commonstratum sit: si tamen scriptores, qui nostra aetate de hoc argumento tractarunt, euoluamus, ijs difficultatum nodis inuoluemur, quibus soluendis vix cuiusquam industria post diuturnum laborem satis sit. Sunt enim, qui prope castrum Antiochi, duplicem arcum fuisse, lithostrotos Graecè, Hebraicè verò Gabatha dictum putant, vnde praesides populum alloquebantur. Huic autem loco coniunctum arbitrantur amphitheatrum & Xystum, aedificia à gentibus constructa. Et in hanc sententiam abire videtur Petrus Lacksteyn eiusque sectatores. Adrichomius verò, pontem, & porticum putat fuisse Xystum, per quam à domo Pilati in Antoniam arcem, & in templum transitus erat; ex qua porticu cùm praesides Romani populum alloqui consueuissent, Pilatus Christum IESVM dirè flagellis caesum, spinis coronatum, purpureo indutum vestimento, videndum exhibuit, dicens, ECCE HOMO. Verùm huius disputationis non est hic locus; neque enim vacat inquirere, an ibidem Pilatus morti Christum adiudicaturus, pro tribunali sederit, vbi paulo ante eundem Christum populo ostenderat, dicens, ECCE HOMO. Tantum hic ostendamus falsò scribi, Xysti locum in angulo Templi aquilonari, & occidentali, in quo arx Antonia constituta est, versus vrbem inferiorem fuisse. Et enim Iosepho narrante nouimus Titum, postquam inferiorem vrbem, ac Templum obtinuisset, à Tyrannis, superiorem vrbem adhuc tenentibus, ad colloquia prouocatum. Ille autem pro humanitate naturali in parte occidua Templi inferioris constitit. Hic enim, inquit Iosephus, super Xystum erant portae, ac pons, qui ciuitatem superiorem Templo iungebat, isque tunc inter Tyrannos, ac Titum interueniebat. Haec ille. Quibus manifestè ostendit, Xystum in angulo meridiano, & occidentali Templi situm fuisse; quoniam tantùm à Meridie è regione Templi posita erat superior vrbs: nulla autem ratione ab Aquilone, vt saepius à nobis dictum est. Sed exstat de Xysto aliud Iosephi locuples testimonium; qui cùm de Agrippa Rege, commotam Hierosolymitanam plebem sedare cupiente, scriberet. Aduocata igitur, inquit, concione in Xystum, & in suggesto constituens germanam suam Berenicem in Assamonaeorum domo (ea siquidem Xysto imminebat contra superiorem partem vrbis; nam Xysto Templum erat ponte coniunctum) huiusmodi orationem habuit. Haec ille. Ex quibus Iosephi verbis, aliisque testimonijs allatis, haec videntur manifestè colligi; Templum vt dixi, meridiano, & occidentali sui angulo, superiori vrbi coniunctum fuisse; erectis enim in media valle Tyropoeon solidis atque altis pilis, ac suprà pilas exstructis fornicibus pons constituebatur, quo aequa ac facilis è Templo ad superiorem vrbem patebat via; pontis praeterea meridianum terminum, qui ad murum superioris ciuitatis pertingebat, turris magnificè exstructa excipiebat, & in medio turris porta ad vrbem ducens, quae porta Beniamin superior dicta est, de qua suo loco fusiùs. Ergo ab ima valle alijs atque alijs pilis ac fornicibus immensae magnitudinis erectis, ac ponti adiunctis, porticus latae ac ambulationes patebant inter ordinatam siluam, quibus athletae Graecorum more exercebantur, propterea eorum voce dicebantur Xystus; & hoc est, quod superiori loco dixerat Iosephus, super Xystum erant portae, ac pons, qui ciuitatem superiorem templo iungebat. Quibus adde, Regiam, quae olim Assamonaeorum fuerat, & circa tempora Iosephi, Agrippae Regis dicebatur, coniunctam fuisse, vel potius superexstructam muro occidentali Xysti, inter superiorem ciuitatem, & Templum. Et hoc est, quod posteriori loco dixit Iosephus de domo Assamonaeorum: ea siquidem Xysto imminebat, contra superiorem partem vrbis, quam, vt suprà probauimus, certum est, erectam fuisse ad Occidentem. Meminit quoque Xysti Iosephus (neque enim sacrae scripturae exstat testimonium aliquod de Xysto) meminit, inquam, Xysti in alio loco, qui malè in vtraque versione circumfertur. Habet autem sic: Et quamuis loco plus possent, de Zelotis est sermo Templum tenentibus, turres tamen quattuor maximas fabricauerant, vt ex alto videlicet missilia torquerent, vnam ad orientalem angulum, Graecè, τὸν μεσῆ τῆ τοῦ ἀνατολικοῦ, τὴ βόρειον γωνίαν ton men Kata tin anatoliKin Kae borion gonian, ad orientalem, & borealem angulum: alteram super Xystum; tertiam ad angulum alium, ex aduerso vrbis inferioris. Quarta verò turris supra verticem Pastophoriorum condita erat, vbi moris est, vnum è sacerdotibus adstantem post Meridiem, quòd septimus quisque dies inciperet, tuba significare. Harum ergo quattuor turrium, vt earum situs pleniùs percipiatur, hic erat ordo: prima supra probaticam piscinam sita erat: is enim erat orientalis, & borealis angulus. Secunda super Xystum, huic diagonaliter oppositа. Tertia iuxta Antoniam; is enim angulus respiciebat inferiorem ciuitatem. Quarta in reliquo angulo orientali, & meridiano, quod consonum videtur fuisse Dominico praecepto, in Numeris sic statuenti. *Si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubae, leuabunt tentoria, qui habitant ad Meridiem.* Quare mirandum non est, prisco ritu seruato

Ioseph 2. belli c. 16.

Supra cap. 1. & 2. huius libri.

Ioseph 5. bell. c. 9.

Num. 10. ℣. 5.

HEBRAEI Graecorum ritibus, & ludis foedati.

PORTICVS propriè, pons autem & turris, eiusdem nomine Xysta dicebantur.

PORTA Beniamin superior iuxta Xystum sita in superioris vrbis muro aquilonari.

Petrus Lacksteyn. Adrichom. Hieruſ. numero 120.

XYSTVS non est in angulo aquilonari, & occidentali, sed in opposito meridiano, & occidentali.

Ioseph 7. belli cap. 13.

sacer-

sacerdotes ad orientalem & meridionalem Templi angulum tubis clangere solitos fuisse, vt eo clangore festos dies populo vel indicerent, vel absolutos denunciarent. Sed pergamus ad reliqua.

DE OPHEL NATHINAEORVM habitatione. Cap. VII.

DE VOCIS Ophel interpretatione.

DE Ophel multa & varia suppetunt in sacris litteris testimonia: quapropter de vocis interpretatione multa plures tradunt doctores, praesertim Hebraei: eam enim vocem Hebraicam esse in confesso est apud omnes; neque valde obscurum est à עפל ghaphal, Hebraica radice deduci עפל ghophel, quae sine dubio locum significat obscurum, nebulosum. hinc eam significatione putant plerique affinem voci אפל aphal, sicuti sono ac litteris affinis est. א aleph enim litera & ע ghain in hoc tantùm differunt, quòd haec densissimum spiritum exigit: illa verò tenuem, & vtraque pari ratione gutturalis dicitur: אפל ophel verò significat caliginem, & tenebras, vt videre est apud Iob. *Noctem illam* אפל ophel caligo, *tenebrosus turbo possideat*. Et iterum, *terram miseriae, & tenebrarum* Hebraicè ארץ עפתה כמו אפל ereτs gaphata camo ophel, terram obscuram, sic vt caliginem posses ad verbum conuertere: eadem enim vox reperitur in psalmo. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra vt sagittent* כמו אפל camo ophel, sicut in caligine, *in obscuro, rectos corde*. Hine fit vt eidem affinis vox עפל ghophel tenebrosa, vel nebulosa conuertatur ab Hieronymo apud Micheam: *Et tu turris gregis nebulosa*. In Hebraeo verò habetur: Tu turris gregis עפל ghophel filiae Sion, cuius vocis interpretationem reddidisse videtur Hieronymus in vulgata nostra editione. Sed apertius multò, dum illud Isaiae interpretatur. *Tenebrae, & palpatio factae sunt super speluncas*: quod in Hebraico dicitur, inquit עפל ghophel & כהן bahan, quas Hebraei duas turres in Hierusalem fuisse arbitrantur excelsas atque firmissimas, quae his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur tenebrae, siue nubilum, quòd vsque ad nubes erigeret caput: altera probamentum & firmitas, siue vt Symmachus vertit, inquisitio, eò quòd in contemplando eius culmine oculi fallerentur. Haec Hieronymus. Quibus aptissimè vocis ophel significationem reddidit. Verùm vt in hac re omnes conueniunt, voce hac significari locum obscurum, & tenebrosum; ita assignando situ, in quo Hierosolymis fuerit, & ratione reddenda, propter quam is obscurus dicetur, non solùm inter se differunt, verùm sibi inuicem aduersantur doctores quàm plurimi. Plerique enim Rabbi Dauidis testimonio permoti, qui hanc vocem arcem est interpretatus, atque inter eos Forerius, opinantur esse locum inter montes arctum, quo contendere oportet transeuntes, quem locum Graeci πύλας, pylas, Latini fauces,

Iob. 3. ℣. 6.

Iob. 10. ℣. 22.

Psalm. 10. ℣. 2.

Mich. 4. ℣. 8

Isai. 22. ℣. 14. Hiero. ibi.

DE OPHEL variae sententiae. Rab. Dauid lib. radi. Forerius in Isai.

A Hispani puertos vocant. Eiusmodi autem loca propter eminentes desuper montes meritò obscura, seu nebulosa ab Hebraeis appellabantur. Quoniam autem huiusmodi loca hostium incursionibus infestari solerent; ideo etiam vsus obtinuit, vt super imminentes faucibus montes, turres, arces, & castella exstruerentur, quibus manentia militum praesidia hostes arcerent. Haec illi. Enimuerò ingeniosam potiùs, quàm vero similem interpretationem hanc esse, nobis persuasum iam pridem est. Quis enim tam longè petitam, tot ambagibus deductam sequetur vocis interpretationem? ab obscuritate ad fauces, à faucibus ad montes, à montibus ad turres: ac demum turres obscuras propterea dicat, quòd in obscuris faucibus exaedificari nonnumquam consueuerint? Mihi verò, quoniam hac voce Hebraei, tum excelsa turrium, tum ima vallium, obscura vocant, ratio D. Hieronymi semper maximè placuit, qua eadem vox tum summis, tum imis locis aptatur. Turris siquidem celsa obscura meritò dicitur, quoniam aciem oculorum fugiens, quasi inter obscuram nebularum caliginem se condit; profundissimae quoque valles, quae ab altissimis montibus vt plurimùm despiciuntur, obscurae videntur, deficiente visu prae nimia profunditate. Et ex hac loquendi ratione planè percipitur sententia illa Habacuc satis diù apud plurimos controuersa; ex cuius illustratione maximè nostrae vocis interpretatio & notio patebit. Is verò locus sic habet. *Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso; iustus autem in fide sua viuet*. Quoniam vbi nos legimus, *qui incredulus est*, in Hebraeo habetur, עפלה ghuppela, quae vox ab hoc verbo, quod nos examinamus, deducitur; quare meritò Latinè patente vocabulo conuerti potest, lucifuga, aut tenebrio, obscurus. Rabbini verò tenebriones ipsi ac tenebrarum amici, vt obscuritatem rei pariant, mirificè variant in eius interpretatione. Mosech enim Chimchi, arcem, & turrim, seu munitionem excelsam interpretari videtur. Ait enim. Anima impij, quae non est recta in semet ipsa, cui non est fiducia, nec fides in Deo excelso, עפלה ghuppela, posuit semet ipsam in arce; at iustus, qui fidit Domino, viuet, & non erit opus, vt ponat se in arce. Rabbi Dauid hoc pacto exponit. Is, cuius anima non est recta in semetipsa, & cui non est fides in Deo, exaltata est anima eius, & extulit se, & non pauebit, quod eueniat sibi malum. Sic fuit anima Nabuchodonosor &c. Apud quem עפלה ghuppela significare videtur animi elationem, atque superbiam; quemadmodum Rabbi quoque Abraham; eosque imitati Pagninus, & Vatablus interpretantur vocem. Alij contrà demissionem intellexisse videntur, inter quos principes sunt Septuaginta interpretes, qui sic vertunt. Si retraxerit se, non complacebit anima mea in eo: at iustus ex fide mea viuit. At Sanctus Paulus Apostolus difficilem huius orationis contextum emollire conatus, sic eorum verba composuit, aptissimum loci sensum reddens. *Iustus autem*, inquit, *meus ex fide viuit; quòd si subtraxerit se, non placebit animae meae*. Quibus omnibus in eam adducor sententiam, vt eredam, vocem עפלה ghuppela sicut & עפל ghophel significare obscurum, nebulosum, lumine priuatum, vel prae nimia profunditate, vel prae excelsa altitudine: quae quidem vox ad mores translata, significat eum, qui à iustitiae recto tramite se subtrahit, vel animi elatione superbiendo, vel

CVR IN montibus castella soleant collocari.

SVMMA, & ima pari ratione obscura vocantur.

Habacuc. 2 ℣. 4.

RABBINI tenebriones. Rab. Mosech Chim. Rab. Dauid in comment.

Pagninus in sua versione. Vatab.

Hebrae. 10. ℣. 38.

GHOPHEL ad mores translata, significat exercentes, vel superbia elatos, vel desperatione oppressos.

caeca

caeca desperatione deficiendo. Quoniam autem huius recti tramitis, vel mediae atque aequabilis viae, quae iccirco iustitia dicitur, sola fides dux est, quae & rectam ostendit tenendam mandatorum viam, & deuia peccatorum vitandam: ideo aptissimè vulgatus, obscurum, lumine carentem, & aberrantem, incredulumque hominem conuertit: & Paulus subtrahentem se à fide, cuius, inquam, *non erit recta anima eius in semet ipso*, hoc est, non rectam tenebit vitam: quapropter demerebitur diuinae dignationis gratiam, nec *placebit animae meae* dicit Dominus. *Iustus autem*, hoc est, qui rectam tenet vitae viam, qui diuinae voluntati (quae anima dicitur) placet, *viuit*: id est, omnes vitae & conuersationis suae actus dirigit *in fide*: hoc est, cum fide, iuxta fidei praescripta. Quae quidem fides & Dei dicitur, quia in Deum fertur, & Dei donum est; & hominis dicitur, quia ipse homo se subdit ad obediendum fidei; vel quia homo hic iuxta fidem suam viuit. Ad quod nos adhortatur Sanctissimus Apostolus Petrus: *Vos autem*, inquiens, *curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem*; hoc est, aliam ab ijs viuendi rationem seruate, qui ita viuunt, ac si contrarium omnino eius, quod credunt, crederent; qui quasi in aliena fide viuunt, ministrantes impietatem ac scelera.

FIDES, ET Dei dicitur, quia eius donum: & hominis, quia ipse se subdit ad obediendum fidei. 2. Petri. 1. ℣. 5.

His ergo sic positis, duarum munitionum, seu arcium putant nonnulli fieri mentionem in sacris litteris hoc nomine Ophel, quòd celebriores reliquis essent; quarum alteram constituunt in conterminis Israëlis & Syriae, alteram Hierosolymis. Ac de prima mentionem fieri dicunt in libris Regum. Nam vbi nos legimus: *Cumque venisset iam vesperi*, in Hebraeo habetur ויבא אל העפל vaiauo, el haghophel, quae verba ita conuertunt, cùm venisset in Ophel: confirmantque huiusmodi versionem Chaldaico textu: Nam & ascendit, inquit, ad locum absconditum; & Chimchi, qui annotat, significare locum excelsum, in quo sit exstructum aliquod aedificium. Quocirca quamquam aliorum sententias non valde miror, qui elationis studio, vel alijs absurdioribus animi affectionibus ducti noua semper figmenta excogitant, quibus aliquid auctoritatis nostrae vulgatae editioni semper detrahant; vnum tantummodo Forsterum mirari nequeo, virum Hebraicae linguae apprimè eruditum, illos sine vllo delectu sequutum fuisse. Quid enim opus est, ad translatam vocis acceptionem confugere, cùm primaria vocis acceptio contextui ita quadret, vt altera eidem aduersari videatur? Cùm enim eo loco libri Regum sermo sit de Giezi, deducente seruos Naaman Syri, qui exportabant argentum & vestes, numquid eum arcem exquisisse dicemus, vt munera exciperet de manu seruorum? numquid excelsum montem petijsse, quò id magis procul adstantibus pateret? Nonne potius & loci, & temporis obscura quaesisse fatebimur, quò, si posset, iniquum sacinus occultaret? Fateamur ergo, aprissimè vulgatum sapientissimeque vim vocis & veritatem textus expressisse, dum dicit: *cumque venisset iam vesperi*. Quò fit, vt, quamuis aliàs vox Ophel, arcem, seu turrim excelsam significare possit, hic nulla ratione possit. Altera verò turris siue arx, nomine, Ophel, significata, fuisse ab ijsdem creditur Hierosolymis intra arcem & templum constituta, quam Nathinaei, tamquam praesidium tenuerunt, ne Regia, vel hostium, vel grassatorum pateret incursibus: Et habent, inquiunt, hoc nomen, quòd in abdito & latentiore loco essent, & quodam recessu, quò contendendum erat. Et Septuaginta interpretum, & vulgatae editionis testimonio probant, ea voce obscuritatem seu caliginem significari. Ac tandem, quoniam à vulgata, & Septuaginta interpretibus vocem ipsam Hebraicam ὠφὲλ ophel relictam fuisse comperiunt, turris, vel arcis nomen, ipsum non quidem proprium alicuius loci, sed omnibus commune putarunt. Ex quo etiam opinantur, nomen illud, quod Iacobo Apostolo, fratri Domini exhibebatur ab omnibus, Eusebio teste, hàc ratione interpretandum esse. Dicebatur enim ὠβλιας, quasi עבליה ghophlia, arx Domini: quod quemadmodum Nathinaei olim arcem Regiam praesidiarij tenebant; sic Iacobus arcem Domini Hierosolymis teneret. Ipsi enim licebat tantummodo Sancta sanctorum penetrare. Verùm quamuis in re ipsa, quam inquirimus, non dissentiamus ab huiusmodi scriptoribus; in multis tamen ratione compellimur ab eisdem recedere. Quapropter locum quendam fuisse Hierosolymis templo, & Regiae Salomonis vicinum, in quo Nathinaei habitabant, ita expressè demonstratur in sacris litteris, vt negari non possit. Et quidem Nathinaeos habitasse in Ophel, semel atque iterum testatur Nehemias. Eum autem locum fuisse Hierosolymis expressè ex eisdem locis patet, & eo maximè, quo refertur, distributas postliminio reuersis ciuitates, quibus habitarent in terra Israël. Eius haec sunt verba. *Nathinaei, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinaeis, & Episcopus Leuitarum in Ierusalem* subaudi habitauerunt. Fuisse autem templo vicinum locum patet praeterea ex eo, quod refert idem Nehemias. *Post eum*, hoc est post Nathinaeos: *aedificauerunt Thecueni mensuram secundam, è regione à turre magna & eminenti, vsque ad murum templi*, vbi in Hebraeo habetur, vsque ad murum Ophel. Quae vtraque lectio nobis manifestè ostendit, murum instauratum simul pertinuisse & ad murum Templi, & ad murum Ophel. Qui Templi murus in angulo orientali, & meridiano ponendus est, ex adiacentium locorum descriptione: & ab eo Templi angulo initium sumebat Ophel, extendebaturque vsque ad cenaculum anguli, portae gregis proximi, vt patet ex eadem historia, quae *Melchias*, inquit, *filius aurificis* aedificauit *vsque ad domum Nathinaeorum*, quam paulò ante dixerat fuisse Ophel; moxque subdit, absolutum omnino fuisse murum ab aurificibus, & negotiatoribus ad portam gregis accedentibus, vnde muri instauratio coepta erat. Quae omnia latius infrà patebunt. Subscribitque huic sententiae Iosephus, diuisam enarrans ciuitatem inter Simonem & Ioannem seditiosos. Tenebat, inquit, Ioannes Templum, & circum Templum aliquatenus, itemque Ophlam, & vallem, quae Cedron appellatur. Haec ille. Quibus satis à nobis confirmata videntur ea omnia, in quibus cum praedictis scriptoribus conuenimus. At ab ijs maximopere dissentimus quòd putant Ophel, locum, inquam quem incolebant Nathinaei, fuisse arcem, cuius praesidiarij milites, domum Regiam custodiebant: vtrumque enim falsum esse, ostendunt omnes sacrae historiae, quae de Nathinaeis meminere, ac Nathinaeos templo addictos faciunt, non militiae. Quod manifestum omnino est ex verbis Iosue, cùm primùm deprehendit se deceptum

DVPLICIS Ophel opinio.

4. Reg. 5. ℣. 24.

R. D. Chimchi.

OPHEL arcem Hierosolymis fuisse, Nathinaeos verè eiusdem praesidiarios milites.

Euseb. hist. lib. 2. c. 23

LOCVS Ophel Nathinaeorum Templo, & Regiae Salomonis proximus fuit.

Nehem. 3. ℣. 26. & c. 11. ℣. 21.

Nehem. 3. ℣.

Nehem. 3. ℣. 31.

Ioseph. 6. bell. c. 7.

Infra lib. 3. huius.

OPHEL Hierosolymis non fuit arx, neque Nathinaei milites.

ptum à Gabaonitis. *Itaque*, inquit, *sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna caedens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Et hos Gabaonitas, quos proselytos vocabant, ita distribuit Dauid, vt varias artes exercerent, ad aedificationem templi necessarias. Et iterum. *Numeravit igitur*, inquit liber Paralipomenon, *Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israël, post dinumerationem, quam dinumeravit Dauid Pater eius; & inuenti sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus caederent, tria autem millia & sexcentos praepositos operum populi.* De eisdem quoque B scribit Esdras. Et de Nathinaeis, quos dederat Dauid & principes ad ministeria Leuitarum. Probat autem validis argumentis Hieronymus, eosdem fuisse Nathinaeos & Gabaonitas: Hieronymumque sequuntur Abulensis & Liranus. Quare nulli haec attentiùs perpendenti verisimile fiet, huiusmodi genus hominum in milites vmquam euasisse; quoniam milites magno apud Hebraeos honore censebantur, neque exteris, aut seruis militiae nomen dare concessum ab Hebraeis fuit, testante scriptura: quia *vniuersum populum, qui remanserat de Amorrhaeis, & Hethaeis*, &c. *fecit Salomon tributarios vsque in diem hanc. De filijs autem Israël non constituit* C *Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces.* His adde rationem aliam, ex ipso loco petitam. Etenim cùm paulò ante probatum à nobis sit, Ophel occupasse totum tractum orientalem templi, & vsque ad portam gregis; quis vmquam credet, arcem aliquam Hierosolymis templo exaequatam fuisse, cuius amplitudo, & vastitas ciuitati confertur ab Ezechiele; Iosephus insuper, qui Ophel saepe commemorat sub nomine ὠφλᾶ ophla, numquam arcem seu munitionem dixit, sed tantummodo locum, vt paulò infrà videbimus. Quin potiùs nonnulla de eo commemorat, quae arci nulla ratione conuenire possunt. Nam dum seditionis initium enarrat, de quodam Manahemo Tytanno haec scribit. Manahemum autem, & munitorum locorum destructio, & Pontificis Ananiae mors, in crudelitatem erexit: & neminem parem sibi in negotijs arbitrans, intolerabilis erat Tyrannus. Quem quidem post pauca commemorat in templo inuasum, eiusque stipatoribus in fugam conuersis, plurimis etiam occisis; ipsum Manahemum, inquit, cùm fugisset in locum, qui Ophlas vocatur, atque illic humiliter delitesceret, capientes extraxerunt in publicum, multisque tormentis excruciatum interfecerunt. Haec ille. Ex quibus liquidò constare videtur, locum Ophel, qui post munitorum vrbis locorum destructionem, humile Manahemo perfugium praestitit, nequaquam arcem fuisse. Nam si ea à militibus Manahemi amicis teneretur, ab eisdem defendi potuisset Manahemus. Quòd si hostes erant praesidiarij milites in ea degentes, numquam se illis occultandum commisisset Manahemus. Quare dicendum omnino videtur, Ophel locum fuisse, seu pagum humilem, & deseruientium Templo Nathinaeorum habitationem, ad orientale templi latus in radice montis Moria iuxta torrentem Cedron. Qui locus, Ophel, hoc est, obscurus dicebatur, quod illi templum immensae celsitudinis immineret; de cuius quidem fundamentis ita scribit Iosephus. Quod humillimum fuit, trecentis cubitis mu-

nierant: in quibusdam verò locis pluribus; non tamen omnis altitudo fundamentorum videri poterat. Atque iterum. Ibi spectaculum, inquit, erat, si vllum aliud sub Sole memorabile: nam cùm vallis in immensum dehisceret, ita vt caligarent despicientium oculi, desuper exstructa erat praealta porticus, cuius tecto conscenso, si quis vtramque altitudinem coniunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquam ad imum pertingeret. Haec ille. Quibus nos etiam fecisse iam satis videmur huic capiti de Ophel. Nam, qua ratione turris Gregis dicatur à Micheа, ophel, peculiarem exigit tractationem, quam Deo bene iuuante, cùm de porta Gregis agemus, auspicabimur; vt & magis opportunè, cùm disputationem de ipsis muris instituemus, qui instaurasse dicuntur, vel aedificasse murum Ophel, de Regibus alijs agemus.

Ioseph. antiq. 15. c. 14.

Mich. 4. ℣. 8.

DE MELLO, ET VORAGINE CIVITATIS

Dauid. Cap. VIII.

ICET plutibus sacrae scripturae locis huius vocis fiat mentio; multò tamen plures sunt doctorum de eius interpretatione sententiae; eaeque à se inuicem plurimùm dissidentes. Nam, quoniam ea vox Hebraica est מלוא millo, ideo Hebraei in ea interpretanda maximè desudarunt. Deduci enim eam arbitrantur à verbo מלא male, quod significat complere, replere, supplere, vt videre est in Exodo. *Et gloria Domini impleuit illud*, tabernaculum scilicet. Et in libris Regum. *Nebula impleuit domum Domini*. Hinc fit D nomen מלוא millo, quo putat Rabbi Dauid Chimchi significari locum in Hierusalem, coniunctum muro intrinsecus, neque aedificatum, sed latum, ac patentem congregando populo idoneum: huc enim de publicis rebus acturus populus confluebat. Haec verò sententia maximè cuidam probatur; quoniam ante Salomonem, qui primus dicitur aedificasse Mello, locum comitiorum, vel publicarum concionum hac voce appellatum legimus; eò quòd populi multitudine repleri consueuerat. Cuius rei testimonium adducit locum Iudicum, qui sic habet. *Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & vniuersae familiae vrbis Mello, abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech,* E *iuxta quercum, quae stabat in Sichem.* Et iterum. *Sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & opidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de opido Mello, & deuoret Abimelech.* Vbique verò in Hebraeo habetur, וכל בית מלוא vecal beth millo, & Graecè, καὶ πᾶς ὁ οἶκος μαγελλώ, che pas ho icos mealo, quam vtramque lectionem licet conuertere, & omnis domus Mello. Quem locum de principibus, ad quos negotia publica referebantur, intellexit Vatablus; quoniam hi congregari solebant in loco dicto, Beth Millo. Quare hic, domus, scribitur pro ijs, qui in eam conuenire solebant: quasi diceret vniuersa curia. Alij verò putant

VARIAE vocis, mello, interpretationes.

Exod. 40. ℣. 32.

3. Reg. 8. ℣. 10. & 11.

Dauid Chim. in lib. rad.

PRIMA sententia putat significare congregationis locum.

Iud. 9. ℣. 6.

Ibid. ℣. 20.

Vatab. n. 13.

H iuxta

ALII PVtant fuisse nomen opidi. NON EST viri nomen.

iuxta vulgatam nostram, fuisse nomen opidi propinqui Sichem. Longè tamen à vero aberrauit, qui putauit, esse viri proprium nomen; quod nulla ratione conuenire potest cum vulgata editione, quae vrbem Mello nominat, nisi virum hunc putet suum hoc vrbi nomen indidisse; quod cùm nulla, vel saltem leui coniectura probetur, ideo nullo negotio refellitur.

Et locus hic Iudicum haud incongruè posset intelligi de congregatione plena virorum, quam meritò Hieronymus vocaret vrbem, vel *opidum Mello*, haud secus quàm Carthaginem terrorem imperij vocauit Cicero; cùm tamen populum Carthaginiensem vellet intelligi; atque adeo vrbs, siue opidum Mello diceretur, quasi plena vrbis, vel opidi Sichem concio. Verumtamen locus ille Regum, qui de Salomone *tunc*, inquit *aedificauit Mello*, cum alijs similibus eam interpretationem non admittit, quam excogitauit Chimchius: in multis enim haec eius interpretatio ab historiae veritate deficit. Primùm, quia locum apertum, & non aedificatum putat esse, quasi plateam quandam. Sed ego à Chimchio mox quaererem, quid aedificauit in eo Salomon? an plateam? at ea nulla ratione dicetur aedificata. Quia si ratione conuentus dicitur hic locus Mello; eodem nomine censerentur complures alij, in quibus sacrae litterae plures conuentus celebratos fuisse testantur: vt videre est de Esdra. *Et legit*, inquit, *in eo*, libro nempe legis, *apertè in platea, quae erat ante portam aquarum, de manè vsque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum*, &c. Quam plateam orientalem vocat liber Paralipomenon, de Ezechia loquens. *Adduxitque*, inquit, *sacerdotes atque Leuitas, & congregauit eos in plateam orientalem.* Quibus adde, deceptum quoque fuisse Chimchium, asserentem locum Mello exstitisse intra murum: quoniam locus ille Regum de Dauide loquens: *Et aedificauit* murum *per gyrum à Mello, & intrinsecus*; non admittit ciusmodi interpretationem: quoniam si murus intrinsecus est loco Mello, necessariò fit vt Mello extrinsecus maneat, vt textus innuit, cùm aedificatum ait mutum à Mello, & intra; manente scilicet Mello extra mutum. Quare potiùs Chaldaeus Paraphrastes collimasse videtur in scopum eius loci, qui in libro Regum continetur, & sic habet: *Quia Salomon aedificauit Mello, & coaequauit voraginem ciuitatis Dauid Patris sui*; quae verba ita conuertit: aedificauit aggerem, & occlusit rupturam &c. Septuaginta verò interpretes longè aliter, sed in eandem planè sententiam, ἡ ὁ βασιλεὺς Σαλομὼν ᾠκοδόμησε τὴν ἄκραν: che o basileus Salomon ocodomise tin acran, quae Latini sic interpretantur: & Rex Salomon aedificauit arcem, & concluſit fepe Ciuitatem Dauid Patris sui. Quòd si vocem ipsam ἄκραν, acran, quam in arcem conuertunt interpretes, intactam reliquissent, negotium nobis minimè fecissent. Ex huiusmodi tamen interpretationibus planè intelliges, quid sit Mello, in qua parte ciuitatis exstiterit, & à quo primùm aedificatum sit.

QVID SIT Mello, vbi, & à quo primùm aedificatum sit. AEDIFIcare quomodo vsurpetur in sactis.

Et primò constat esse aedificium quoddam; quo vallis monti coniuncta, areae, in qua Templum exstructum fuit, aequata est, vel vt apertiùs loquar, esse praecelsum murum ad sustinendos aggeres, quibus ipsa vallis meridiana ciuitatis Dauid & concludebatur, & ciuitatem totam muniebat. Quod quidem facilè probatur ex verbo *aedificauit*, & ex nomine *Mello*, ex quibus

Cicero pro Muren.

3. Reg. 9. ℣. 24.

INTERpretatio Chimchij refellitur.

Esd. 2. c. 8. ℣. 3.

2. Paral. 29 ℣. 4.

2. Reg. 5. ℣. 9.

3. Reg. 11. ℣. 27.

A aedificare tantùm dicitur de aedificio, ordine, & proportione in partes distributo: Hebraicè בנה bana, quod quidem cum verbo בין bin, cui, quòd tam scriptura, quàm significatione simile est, meritò confertur. Nam sicut hoc ad intellectum refertur & rationem, qua ordine perquiritur, accurataque obseruatione perpenditur, qualis res aliqua secundum omnes suas circumstantias, & partes sit, vel esse oporteat: ita verbum בנה bana ad externam aedificationem refertur, significatque domum, vel aedificium aliquod in partes distributum, & ordinata quadam dispositione in sua cubicula, cenacula, ac varia membra diuisum, ita vt commodè habitari possit, &, siue in B hos, siue in alios vsus accommodari. Quale est illud Deuteronomij: *Quis est homo, qui aedificauit domum nouam, & non dedicauit eam?* siue vt alij conuertunt, non initiauit eam, hoc est, nondum coepit habitare eam. Et Iosue imprecatus est dicens: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit*, vel vt alij reddunt, qui surgens *aedificauerit ciuitatem Iericho*. Quare meritò transfertur hoc verbum ad significandam familiarum propagationem ex procreatione filiorum: quòd familia sit quasi quoddam aedificium varijs hominum generibus, quasi partibus constans. Quae verbi significatio non permittit, vt id intelligatur de platea aliqua. Neque verò dici potest de sola C voragine aggesta, & exaequata; licet enim id exigat vox Mello; verbum tamen בנה bana aliquod insuper requirit exstructum aedificium. Quod confirmari posse videtur ex eodem loco Regum allato, quo idem verbum de domo à Salomone aedificata filiae Pharaonis, & de Mello tunc temporis aedificato simul vsurpatur. Atque iterum. *Haec est*, inquit, *summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad aedificandam domum Domini, & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem*, &c. Quibus ita positis, à vero multum aberrasse conuincuntur omnes ij, qui collem meridianum & occidentalem montis Sion, Mello dictum putarunt. Nam etsi montem ipsum aggerasset Salomon; non tamen propterea D aedificasse diceretur montem, sicut toties dicitur aedificasse Mello. Aduersatur etiam haec denominatio montis meridiani Mello textui praeallato, in quo simul refertur & aedificatio Mello, & coaequatio voraginis ciuitatis Dauid. Cumque exteriores voragines ciuitatis munitioni ipsius vrbis maximè conducant, non multo minus quàm murorum fossae, nulla ratione verisimile apparet, exteriorem aliquam voraginem coaequatam fuisse à Salomone; maximè cùm plures essent intra vrbem voragines exaequandae: non ergo extra ciuitatem, sed intra eam aedificatum fuit Mello. At vnica tantùm est vorago intra E vrbem, quae ad ciuitatem Dauidis pertinet, cuius Iosephus quoque meminit, qua dirimi ciuitatem superiorem ab inferiori putat, eamque vocari Tyropoeon. In hac igitur voragine aedificatum fuisse Mello, manifesta ratione deducitur; quae quidem vorago ciuitati superiori ad Aquilonem exstitit, inferiori verò & templo ad Meridiem. Haec nostra sententia maximè confirmari potest interpretatione Septuaginta 5 qui pro Mello scribunt Acra: erat enim vorago haec aggesta, & exstructa à Salomone, Acrae, & Sioni communis: & ad superiorem ciuitatem, cui pro vallo erat, maximè pertinens; eaque tunc aedificata dicitur, cùm muro circumdedit Salomon ciuitatem

Deut. 20. ℣. 5.

Ios. 6. ℣. 26

AEDIFIcari dicitur familia propter filiorum propagationem.

3. Reg. 9. ℣. 15.

Petrus Lackstеyn. & sequaces. FALSO vocant nonnulli monticulum, Mello.

uitatem Dauidis. Sed age, examinemus tantisper attentiùs, quo loco voraginis hoc aedificium fuerit, quale ac quantum? Et quidem hoc primùm certò statuimus, fuisse aedificium Mello, eximium quoddam Salomonis magnificentiae, & altissimi animi monumentum, in quo exstruendo non solùm proptia, quae maxima erant, verùm etiam subditorum omnium suorum bona consumpsit. Quod manifestè pròbatur ex eo, quòd sacris monumentis consignatum accepimus in libris Regum. *Et haec est causa rebellionis aduersus eum, quia Salomon aedificauit Mello, & coaequauit voraginem ciuitatis Dauid Patris sui.* Cùm verò ipsius rebellionis historia retexitur, decem tribus defecisse commemorantur propter impositа populo à Salomone tributa, quae remittere, vt populus postulauerat, noluit Roboamus, Salomonis filius. Sic enim habet. *Venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Israël, & locuti sunt ad Roboam dicentes: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio Patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Pro imperio Hebraicè מעבדה meghabodath, quae vox seruitutem significat in Exodo, vbi habetur: *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duri luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur.* Quò fit, vt hac voce meritò intelligatur seruitus, qua Hebraei, proprio suorum corporum obsequio Regi ministrare cogebantur, aut saltem tributorum solutione: vtrumque enim ex aequo ea voce significari frequenter solet. Ad institutum igitur reuertentes, si duo illa, quae dissidere videntur, concordare velimus, nempe exaedificati Mello, & indictae seruitutis occasione, rebellionem accidisse: certè intelligemus, seruitutem populo impositam ad perficiendum aedificium Mello, fuisse causam rebellionis. Sicut enim ad aedificandum templum, *elegit Rex Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio* (qua nimirum cogebantur artifices Israëlitarum seruire; reliquum verò vulgus horum operas pecunia soluere, atque cibaria ministrare) *triginta millia virorum*; sic etiam fecisse intelligatur idem Salomon, vel eandem indictionem prosequutus, vel nouam imponens, vt Mello exstrueretur. Antiquum enim non paucis Regibus fuit, tributa, & exactiones, quacumque occasione populis imponere: numquam postea auferre, etiamsi ipsa imponendarum indictionum causa cessauerit. Durauit igitur indictio ad aedificandum Mello imposita, per omne Salomonici principatus tempus, & vsque ad imperium Roboami Filij, in cuius initio populi à praedicto Roboamo efflagitarunt ab eiusmodi seruitutis durissimo iugo liberari, nec impetratunt; ideoque ab eius omnimoda seruitute & obedientia decem tribus recesserunt, ac rebellarunt. Iniustè siquidem, atque acerbè populo respondit Roboamus, & renuit eius debitae petitioni satisfacere. Quare cùm indictio, seruitus, tributa, causa rebellionis dicantur fuisse; ita quoque ipsa aedificatio Mello, propter quam imposita fuerant tributa, eiusdem rebellionis dicetur causa.

Quae omnia mirum in modum exquirere nos cogunt quod, quale, aut quantum fuerit eiusmodi aedificium, quod Salomonis opes (quas fusiùs infrà ostendemus, fuisse omnium totius orbis Regum, ac principum maximas) subditorumque facultates innumerabiles; immo & maximam imperij partem exhauserit? Cui quidem difficultati non planè, meo iudicio, satisfacit docti cuiusdam scriptoris sententia, quae sic habet. Quantùm ex scripturae locis, deinde ex Lyra, & alijs cùm Hebraeis, tum Latinis scriptoribus colligere possum, fuit inter arcem Dauidis, quae collocata fuit in vertice montis Sion, & Moria collem, in quo fuit area Araunae Iebusaei, cuius in libro Samuelis mentio fit, & postea templum à Salomone est aedificatum; fossa quaedam, seu virago, quae montem Sion seiunxit à colle Moria, in qua, tempore Dauidis, hospites, amore religionis peregrè aduentantes, hospitia sua habebant inter arcem & ciuitatem. Verùm Salomon tandem exstructa non procul inde domo, pro vxore sua Pharaonis filia, & eius famulitio illam voraginem terra oppleuit, adaequauitque, atque plures aedes pro seruis & ancillis exaedificauit: vnde postea huic loco nomen hoc מילוא millo inditum est; quasi dicat, vallis terra oppleta. Haec ille. Ex quibus (vt eius sententiam paulò subtiliùs inspiciamus) nonnulla sunt certa, vtpote, ex sacra scriptura hausta ac prolata, nempe Mello situm fuisse inter montem Sion & Moria, fuisseque olim voraginem, qua vterque mons à se inuicem seiungebatur. Illud autem dubium est, ibi habitasse hospites, & peregrinos, de longinquo Hierosolymam religionis causa aduentantes. Quod, quoniam leui sanè videtur inniti coniecturae, leui etiam ratione negari potest, sicut & credi. Eorum autem coniectura huiusmodi videtur esse; quoniam ptope illum locum profanae vxori domum aedificauerit Salomon. Sed hoc quale est? At non minùs profanus videretur ipse Salomon, qui domum suam domui Reginae continentem paulò antè exstruxerat; quod latiùs fuo loco demonstrabitur. Illud verò omninò falsum videtur, quòd voraginem propterea asserit dictam Mello, quòd terra oppleta fuerit; namque eiusmodi aggestio terrae, nulla ratione dici posset aedificata, vt latiùs paulò superiùs probauimus. Ridiculum enim esset asserere, ab inibi aedificatis famulorum aedibus, aedificatam dici voraginem: licet enim id sermo non renuat, renuit tamen tatio praedictorum tributorum, & expensarum. Quapropter exquirendum videtur aliud celebrius, & nobilius aedificium, quod praedictis expensis aliqua ex parte respondeat. Ego verò nullum aliud aedificium reperio praeter illud, quod disertis verbis commemorat Iosephus, de templo loquens, & monte Moria. Tumulus erat, inquit, petricosus, arduus, à vertice sensim versus orientale vrbis latus resupinus. Huius verticem primus Salomon Rex noster instinctu Dei muro circumdedit. Radices quoque eius alio muro cinxit, cui versus Austrum subiecta est vallis profunda. Hic murus constat saxis grandibus, plumbo inter se vinctis, complectens interius spacium, & in profundum descendens, vt miranda sit magnitudo, & altitudo structurae, forma quadrangulari. Saxorum enim magnitudo à fronte est conspicua, interiora ferro vincta, iuncturas continent, contra omnium temporum iniurias firmissimas. Hoc opus postquam aequatum est vertici, cauitas, quae intererat murum inter & tumulum, expleta est, vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus. Postquam autem portas occidentalis porticus commemorauerat, subdit. Quartum autem latus meridianum, etiam ipsum habebat, τὰς πύλας, tas pylas, portas habet Graecus, licèt falsò Gelenius scribat; portam ab vtroque angulo aequè distantem, & triplicem porticum, Regiam, obscurum enim valde reddit

Forsterus in dictionario.

2. *Reg.* 24.

AN MELlo fuisset profanis habitatio.

AE DIFIcium Mello substructiones templi sunt.

Ioseph. antiq. 15. *c.* 14.

locum Graeca vox, basilicam longitudine ab orientali valle ad occidentalem pertinentem; nec enim vlterius poterat. Ioi spectaculum erat, si vllum aliud sub Sole, memorabile. Nam cùm vallis in immensum dehisceret, ita vt caligarent despicientium oculi, desuper exstructa erat praealta porticus, cuius tecto consenso, si quis vtramque altitudinem coniunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquam ad imum pertingeret. Talia Iosephus. Quibus verbis aptissimè aedificium vrbis Mello dictum, quale & quantum fuerit, suis quasi coloribus expressisse videtur, omnibusque sacrae Scripturae testimonijs fecisse satis, omnesque difficultates, ac dubitandi rationes ita exhausisse, vt nulla alia explicatione aut commentatione locus indigeat. Verùm, quoniam parum sibi constans hac in re videtur esse idem Iosephus, qui eiusdem aedificij alios Reges primos auctores alibi tradit: quaerendum hic esset, quonam horum locorum vera scriberet; nisi alter locus peculiarem de auctore ipsius Mello tractationem exigeret, quem ibi, quantum fieri poterit, accuratè inuestigabimus. Interim verò praeallatum testimonium Ioschphi, cum sacra Scriptura maximè conueniens, firmum ac fixum maneat: quo apertè asseritur, aggerem illum, eiusque murum, & porticum templi ad Meridiem, qua ciuitatem Dauidis respicit, à Salomone exaedificatam fuisse. Tempus autem eiusmodi aedificij his verbis assignat liber Regum. *Filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam aedificauerat ei Salomon, tunc aedificauit Mello.* Quibus verbis decepti nonnulli, arbitrati sunt, in Mello aedificatam Reginae domum fuisse; cùm tamen praesens textus tempus tantummodo vtriusque facti coniungat, non locum: quasi dicat, cùm absoluta fuit Reginae domus, tunc aedificatum, hoc est perfectum, seu absolutum fuit aedificium Mello: quoniam septem annis aedificauit Salomon domum Domini: tredecim verò subsequentibus domum suam. Haec autem in tres praecipuas partes diuisa erat, nimirum, in domum habitationis suae templo viciniorem: in domum saltus Libani: & in domum Reginae: de quibus singulis suis locis agemus. Eodemque tempore aedificauit Mello nempe substructionem & aggeres, quibus laxata templi area, atrium, aream, & porticus gentium superstruxit. His etiam consonat, quod de Ezechia, post ducentos septuaginta, & eo amplius annos ciuitatem muniente aduersus Sennacherib, legitur: *Instauravitque Mello in ciuitate Dauid*, quoniam maximum erat templo propugnaculum Mello: vrbi verò templum. In ciuitate verò Dauid instauratum fuisse testatur Mello: quoniam ipsi è regione Dauidicae ciuitatis erat Mello, vt clariùs sequenti capite patebit. Illud vltimo loco examinandum erat, quare *in domo Mello, in descensu Sella*, percussus dicatur Ioas: verùm longiorem haec res exigit disputationem; quae opportunè magis tractabitur, cùm de Regia Salomonis agetur.

Ioseph. 6. bell. cap. 6.

AVCTOR Mello quis fuerit.

3. *Reg. 9. ℣. 24.*

SALOmon septem annis domum Domini aedificauit.

2. *Par. 32. ℣. 5.*

PROPVgnaculum maximum erat templo Mello; vrbi autem templum.

4. *Reg. 12. ℣. 20.*

DE SVPERIORIS VRBIS MVRO, BETISO, *& carcere sancti Petri.*

Cap. VIIII.

SVPERIORIS vrbis murum à Dauide constructum fuisse, testantur sacrae litterae, eiusque muti ambitum definire videntur, dum post narrationem captae à Dauide arcis Iebusaei Regum historia subdit: *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid, & aedificauit per gyrum à Mello, & intrinsecus.* Quae quidem verba illud primùm indicare videntur: arcem Iebusaei, quam suprà ostendimus captam, & denominatam à Dauide, muro vndequaque cinctam fuisse: ita vt ipsa in medio vrbis manens, toti superadditae supereminens, eidem atque vniuersae vrbi esset quasi pro arce siue munimento. Quae omnia illo verbo probantur, *aedificauit per gyrum* ipsius, inquam, arcis, quam inhabitabat: & vt apertò sermone ostendat textus, non breue aliquod spacium circa arcem, sed totum montem Sion à Dauide fuisse muro circumdatum, subdit: *à Mello, & intrinsecus.* At cùm suprà à nobis iam satis ostensum sit, meridianam substructionem templi, vocari Mello (vorago enim montem Sionem à monte Moria diuidens, exstructis aggeribus aedificata & completa sic dicta fuit) manifestum fit voraginem praedictam, terminum fuisse huius Dauidici muri, extrinsecum tamen, quando murus exstructus intrinsecus, id est, ex interiore parte, è regione oppositus fuit ipsi Mello; quod aequè perspicuè, atque apertè ostendit ipsa Latina ac Hebraica lectio, quae sic habet: מן המילוא min hamillo, particula enim, seu praepositio מן min motum à loco significare solet, excludendo terminum, vt docent Hebraicae linguae periti. Quod idem significat subsequens particula, *& intrinsecus*, licèt etiam ea voce hoc item innuatur, non murum tantùm extrinsecum vrbis aedificatum à Dauide, verum etiam ciuitatem ipsam, quae muro illo recens exstructo cingebatur. Eadem verò, quae hoc loco commemorantur, repetuntur quidem in libro Paralipomenon, quibusdam praeterea circumstantijs adiunctis, quae non parum lucis huic historiae afferunt. Textus verba sunt haec. *Habitauit autem Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid; aedificauitque vrbem in circuitu à Mello vsque ad gyrum. Ioab autem reliqua vrbis exstruxit.* Quorum verborum haec esse potest interpretatio: Dauidem aedificasse murum, qui initium sumens à Mello, circuibat vndequaque totum montem Sion, & arcem in medio sitam; vrbem praeterea ipsam in vias, compita, & vicos distribuisse; publicis denique eam priuatisque quibusdam domibus, ac aedificijs iam exstructis, munijsse, atque exornasse. Ioabo autem militiae principi reliquae vrbis aedificandae curam demandasse. Illud autem *à Mello, & intrinsecus* sic habetur Hebraicè. מן המילוא ועד הסביב min hamillo veghad hassabib, quod sic interpretari licet, quasi significetur;

MVRVS superioris vrbis, à Dauide constructus.

2. *Reg. 5. ℣. 9.*

PRAEPOsitio, min, motum à loco significare solet.

MVRVS & ciuitas intra eum, exstructa fuit à Dauide.

1. *Par. 11. ℣. 7.*

vrbem

vrbem exstructam à Mello, & circumquaque. At Septuaginta interpretum Graeca lectio, lucem etiam non modicam huic nostrae disputationi afferre potest; quare eam referre non dubitaui: ea autem sic habet in Complutensi codice. καὶ ἐκάθισε Δαβὶδ ἐν τῇ φρουρᾷ, διὸ ἐκάλεσεν αὐτὴν πόλιν Δαβίδ, καὶ ᾠκοδόμησε Δαβὶδ τὴν πόλιν κυκλόθεν ἀπὸ τῆς ἄκρας, καὶ ἕως τοῦ κύκλου, cae ecathise Dauid en ti periochi, dia tuto ecalesen autin polin Dauid, cae ocodomise Dauid tin polin cyclothen apo tis acras, cae heos tu cyclu, & quae sequuntur. In quibus verbis illud animaduertendum omnino videtur, Septuaginta, cùm Dauidem arcem incoluisse dicunt, vti hac voce φρουρᾷ, periochi, quae arcem significat, seu munitionem muris circumdatam; deducitur enim à verbo φρουρέω, periocheo, quod circumdare significat, seu circumuehi; vt videre est apud Aristotelem, qui terram, inquit, φρουροῦσι ζώοις, periochistae zoois, hoc est, animalium pedibus teri, quae in ea passim circumferuntur. Quapropter hanc vocem vsurparunt Septuaginta; cùm obsidionem, qua vrbs circumdatur, explicare voluerunt; sic enim scripsere: καὶ ἦλθεν ἡ πόλις ἐν φρουρᾷ, che ilthen hi polis en periochi, & venit ciuitas in obsidionem; vulgatus autem, *& circumdata est*, inquit, *vrbs munitionibus*. Cùm verò terminum aedificati muri assignant Septuaginta, pro voce Mello, quae habetur in Hebraeo, quamque retinuit vulgatus, in praedicto codice scripserunt ἄκρας, acras, vt loco suprà allato etiam verterunt Acra pro Mello: Et quamuis haec verba in Sixtiano codice Septuaginta interpretum desiderentur cum alijs, in eodem tamen notatur, in aliquibus codicibus haberi μαλὼ, maalo, in alijs verò ἄκρα, acra. Ego verò vtramque lectionem, tamquam textui consonam, minimè reijciendam putarem ab eo, qui situm, & loca eadem Hierosolymitana, quae referuntur, attentè perpenderit. Nam si nomen Acra, non vt aliàs solet, tamquam commune cuilibet arci vel cliuo montis accipiatur; sed vt proprium illius montis septemtrionalis, qui inferiorem continet ciuitatem olim Salem dictam, aptum sensum reddet. Is enim mons media valle Tyropoeon seiungitur à monte Sion, cuius vallis aquilonare latus oppletum est Mello. Quare idem prorsus murus est, qui ambit montem Sion, oppositus substructioni templi, quae dicta est Mello; & qui vlterius inde protensus ad Occidentem procedit è regione montis Acra; ideoque haud secus verum est, quod à Septuaginta interpretibus dicitur: aedificauit Dauid ciuitatem in circuitu ab Acra vsque ad gyrum; quàm quod à vulgato, *à Mello vsque ad gyrum*.

Iam verò, quoniam manifesta ratione ostensum esse videtur, quid de muro superioris vrbis, deque eius primo aedificatore Dauide in vniuersum sacrae historiae proferant; superest vt aliquid etiam ex profanis historijs afferamus. Et in primis ille à nobis euellendus est scrupulus, qui effuso cursu ad veritatis cognitionem properanti negotium facessere potest: nempe cur Iosephus tradat, non tantùm Dauidem, verùm etiam Salomonem, atque alios praeterea Reges, ad hoc opus perficiendum impensas praebuisse? quibus fit, vt non absolutus videatur hic murus à Dauide. Sed facilis est responsio; murum quidem, qui vrbem cingeret, firmissimo opere à Dauide exstructum fuisse; verùm cùm muniendis, aut augendis moenibus, praesertim vrbis supra colles, ac valles aedificatae, vix vllus videatur assignari posse certus terminus aut finis, quin super recens exstructo muro aliquid superaddi, aut etiam alia aut alia ratione tutior, ac firmior excogitari possit muniendi operis ratio; non mirandum est; si murum, quem munitissimum exstruxerat, atque ad finem perduxerat Dauid, noua aliqua prudenter excogitata ratione magis firmum aut munitum efficerent, subsequentes Reges nullis parcentes sumptibus aut expensis. Et hoc sibi voluisse videtur Iosephus cum haec scribit.

Ioseph. 6. bell. cap. 6. MVRVS Dauidis figillatim describitur.

Trium verò murorum vetustissimus quidem, propter valles imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat. Ad hoc autem, quòd loco praestabat, etiam firmissimè structus erat, Dauid & Salomonis, aliorumque interea Regum largissimis impensis operi insumptis. Et mox ad singulos muri terminos figillatim percensendos accedens: Hac autem parte, inquit, incipiens à turri, cui nomen est Hippico, & ad eam, quae dicitur Xystus, pertinens; deinde curiae coniunctus in occiduam templi porticum desinebat: parte autem altera ad Occidentem ex eo loco ductus, per eum, qui vocabatur Betiso, descendens in Essenorum portam: deinde supra fontem Siloam in Meridiem flexus: atque inde rursus in Orientem versus, qua stagnum Salomonis est, & vsque ad locum pertinens, quem Ophlan vocant, cum orientali porticu templi coniungitur. Haec Iosephus. Quae, si bene percipiantur, & ipsius muri ambitus nobis ob oculos ponere, & quamplurimas easque insignes vrbis partes suis locis statuere videbuntur. Et primùm quidem in memoriam reuocemus oportet, quae suprà retulimus de turri Hippicos; quam ad angulum occidentalem & aquilonarem montis Sion, prope vallem cadauerum, quae Caluariae monti adiacet, sitam ostendimus. Ab hac enim turri partium muri enumerationem aggreditur Iosephus. Quid verò illa phrasi significet, hac autem parte, ipse subsequenti mox explicat; parte autem, inquit, altera ad Occidentem; ergo hac parte intelliget partem, quae progreditur ad Orientem: ac si apertius murum diceret: qui à turri Hippicos ad Orientem progreditur. Neque his aduersatur; immo potius fauet maximè Graecus Iosephi codex; ἀρχόμενον δὲ κατὰ βορέαν ἀπὸ τοῦ ἱππικοῦ, archomenon de cata boream apo tu hippicu; incipiens, inquit, ad Boream à turri, quae vocatur Hippicos: nam addita borealis tractus commemoratio tantummodo indicat, quaenam sit muri pars, quae describitur; nempe borealis montis Sion; in quo tractu locandam esse turrim Hippicos, nullus ambigere, quod credam, potest.

Sup. lib. 2. Vrb. cap. 4.

TVRRIS Hippicos borealis est monti Sion.

Iam verò, si haec & subsequentia ferè omnia perpendantur, cuiuis in procliui erit aduertere, ea omnino, atque ex aduerso, vt ainnt, cum Adrichomij descriptione pugnare. Huius enim descriptio turrim Hippicos in boreali muro statuit, non superioris vrbis, sed secundae ciuitatis: inter quam & superiorem, statuit ipse totam inferiorem ciuitatem, & templum. Quo etiam fit, vt murus ille, qui turri Hippicos coniungitur, nulla ex parte, vel cum orientali, vel cum occidentali templi porticu coniungi queat: quod in ipsa eius descriptione apertius est, quàm vt in hac nostra ratiocinatione aperiendum sit: sicut ex aduerso descriptionem nostram intuenti omnino erit manifestum, borealem murum montis Sion à turri Hippicos incipientem, ad turrim siue pontem Xystum pertinere; deinde curiae coniungi; ac tandem in occiduam templi porticum desinere.

ADRIchomij descriptio, non est conueniens Iosepho.

Parte autem altera, inquit, ad Occidentem: ex eo loco murum duci manifestius multò habetur in Graeco; καὶ πάλιν ἀπὸ μέρους δύσιν ἀπὸ τοῦ μνημ-

IOSEPHI locus restitutus.

ἀεχρόμυον πύργω. cata thatera de pros dysin apo tu autu men archomenon pyrgu. Parte autem altera ad Occidentem, ab eadem ipsa turri incipiens, per eum, qui vocatur Betiso, διὰ δὲ τῆ βηθσω, dia de tou bithso.

FALLITVR Adrichomius Betiso statuens domui Pilati proximum. *Adrichom. nu.32.*

De loco hoc, qui vocatur Betiso, aliqua certa statuere possumus, alia non ita. Et primùm certum est, non esse ponendum locum hunc domui Pilati proximum, ad orientalem & meridianum angulum turris Hippicos, quo loco carcerem publicum statuit Adrichomius, quem putat à Iosepho vocari Betiso: quoniam ad Occidentem protractus murus, à turri Hippicos, ad locum Betiso perueniebat. Hinc etiam certum fit, ad Occidentem hunc locum ponendum esse monti Caluariae proximum, vt ex situ turris Hippicos facilè perspicitur. Verùm non ita certum est, quis ciusmodi locus fuerit, aut quare Betiso dictus. Cùm tamen de situ constet, & murus transire per eum dicatur, facilè vocem Hebraicam compones בית שף beth soph, vel בית סור beth sur, vel בית יצא beth iatsa. Harum vocum quaeuis componitur à voce בית beth, quae domum significat: sed latius multò patet hoc nomen, quàm vox, domus, quocumque alio idiomate proferatur. Itaque rectiùs verteres, repositorium. Reliquam dictionis partem, quae non integram aliquam Hebraicam radicem, vnde oriatur continet, inuestigare difficiliùs est; ac vix certam inuenire possumus eius notionem: Posset enim deduci à radice אשף asaph, quae in multitudinis numero frequenter vsurpatur in sacris litteris, significatque stercora. Semel atque iterum meminit Nehemias portae האשפות haasphot, quam meritò vulgatus vertit in portam stercoris, vel sterquilinij. Et huic proximam, immo hanc ipsam portam esse putamus, quam Iosephus mox vocat, Essenorum portam. Ex quibus licet coniicere, Iosephum vocare Betiso locum, siue vallem cadauerum, in quam per Essenorum portam educebantur superioris vrbis stercora. Posset etiam à radice סור sur deduci vox, quae discedere significat aut eijcere; quo nomine nuncupatur porta templi, praecipiente Ioiada sacerdotibus: *tertia autem pars sit ad portam Sur*; quam sic dictam arbitrantur nonnulli, quòd per eam eijcerentur, vel discedere è templo immundi cogerentur. Verùm cùm immundis nullus pateret ad templum aditus; immo verò illis esset omnino prohibitum in templum ingredi, frustra assignaretur in templo porta, per quam eijcerentur. Libentiùs igitur assentiar illis, qui arbitrantur eiectionis hanc portam dictam, quoniam per illam egererentur sordes, & immolatorum animalium intestina; quam ad Occidentem fuisse suo loco probabimus. Vocis verò ea notio cum superiori conuenit quoad loci ostensionem. Ac tandem si à radice יצא iatsa, deducatur, quae vox exire seu egredi significat; vnde vox צאה tsoa, vel צאת tsia, deducitur, quae excrementa, sordes, seu stercora significat apud Ezechielem, Isaiam, & Prouerbia; aptissimè בית יצא Betiso, interpretabimur locum, seu repositorium stercorum. Cogitanti autem mihi sedulò, quanam ratione tandem aut coniectura ductus, locum, qui à Iosepho Betiso vocatur, publicum carcerem opinarus sit Adrichomius; ex quo tum reliqui Apostoli, tum Petrus Apostolorum princeps ab angelo eductus est, nulla planè occurrit hucusque, qua eius tueri possem sententiam; maximè cùm, quae modò Hierosolymis videtur ac colitur Petri custodia, cum porta ferrea eum potiùs in locum vergat, cui nos Betiso nomen imponimus, nempe

BETISO Hebraea vox quid significet.

Nehemias. 2.ℵ. 13. & cap. 3. ℵ. 13. & cap. 12.ℵ. 31.

PORTA Essenorum eadem quae stercoris.

4. Reg. 11. ℵ.6.

PORTA Sur eadem, quae eiectionis.

Ezech.4.ℵ. 12. Isai.28.ℵ.8 Prouer.30. ℵ. 12.

A prope locum Caluariae, & vallem Cadauerum. Sed si vim vocis Betiso, quam paulò antè perpendimus, attentiùs consideres, non immeritò carcerem dices vocari Betiso; huiusque notionis exemplum manifestissimum inuenies apud Ecclesiastem, eleganti quadam verborum sententiarumque compositione & antithesi insigne. *Melior est*, inquit, *puer pauper & sapiens Rege sene & stulto, qui nescit praeuidere in posterum, quòd de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad Regnum*: Hebraicè טוב ילד מסכן וחכם ממלך זקן וכסיל אשר לא ידע להזהר עוד chi me beth hasurim iatsa limelech. Quae verba duplicem, quam suprà attulimus, vocem vsurpant, consimili significatione, dissimili ac paene contrario

Eccl. 4. ℵ 14. & 1

QVANtum sit opibus, ac Regnis praeferenda sapientia.

B effectu: eae autem sunt סור sur, & יצא iatsa, quam vtramque exire, siue eijci significare diximus: vsurpaturque siue in bonum, siue in malum. Sensus enim loci est, praeferendum omnino eum, quem quamuis aetas ac rerum omnium inopia despectum reddit, extollit tamen sapientia; praeferendum, inquam, ei, quem Regnum, diuitiarum copia, atque iactantia maturae aetati coniuncta venerabilem reddit: si tamen eum insciti a, ac futurarum rerum ignoratio despiciendum, ac contemptui habendum ostendit. Siquidem ignorat hominem plerumque coniectum in vincula, & ab oculis omnium eiectum, in omnium denique miseriarum summam, quasi ad stercora redactum, ad

Sup. hoc cap

C summam felicitatem, atque Regnum ipsum peruenire posse; vt de Iosepho Aegypti redemptore memoriae commendatum accepimus sempiternae. Septuaginta verò interpretes, de domo carceris, posuere, phrasim Hebraicam seruantes. Non igitur immeritò Betiso publicum carcerem appellare poterimus, in quem, tamquam in locum stercorum, malefactores, qui vrbium dicuntur sordes, de medio ciuium conijciebantur. Quapropter sicut mons Caluariae, vbi vltimo supplicio plectebantur sceleste homines, portae stercoris, & valli proximus erat; ita pari ratione eorundem malefactorum custodia & domus eidem portae, valli, & monti vicina fuisse intelligenda est. Et

SORDIBVS sontium, non minus quàm stercorum expurgari solet ciuitas.

D ad id ego asserendum alia etiam non leui duci videor coniectura; nempe ex phrasi illa, saepius à Matthaeo repetita, qua *tenebras exteriores* vocat infernalis poenae indeficiens supplicium.

Matth.8.ℵ. 12.

TENEBRAS exteriores, quas vocet Euangelista.

Quare autem infernus, tenebrae exteriores, vocetur, si rem, quae significatur, attendas, facilè apud Patres, & alios Euangelij interpretes, alias atque alias rationes inuenies. Quòd si certam aliquam eius locutionis rationem ab ijsdem quaeras, quare tenebrae exteriores ad inferni supplicia significanda translatae sint; praecipuè si rationem Euangelistae contextui planè congruentem exposcas; neque facili negotio eam inuenies, neque sine magno labore conquires. Tanta enim visa est

E doctissimo nostrae aetatis viro huius rei, quam inquirimus, difficultas, vt in explicatione parabolae illius Matthaei, qua ingressum Regem commemorat, vt videret discumbentes, & vidisse *ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, crimineque conuictum iussisse ministris, *ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*; in horum inquam, verborum explicatione, tam multos difficultatum nodos, qui solui eius iudicio non possunt, inuenire sibi visus est, vt haec scribere sit coactus: *Ligatis manibus, & pedibus*, &c. in quibus Dominus declinat ab exemplo parabolae ad rem per parabolam significatam; quemadmodum Do-

Iansen. Concor. c. 115, Matt. 22. ℵ.11.

mi-

minum nonnumquam facere in fine parabolarum annotatum est suprà. Nam per tenebras exteriores ad litteram Dominus significat semper tenebras infernales: vnde hoc non conuenit exemplo parabolae. Haec ille. Et quidem licet transitum à parabola ad veritatem negare in aliquibus locis non possimus, ibi praesertim vbi verba parabolae conuenire non possunt, & aptissimè rei per eam significatae conueniunt: passim tamen, & sine vrgenti ratione, eiusmodi transitum admittere rationi consentaneum non videtur. Id autem dixerim maximè: quoniam sicut parabola, vtpote à rebus experientia cognitis desumpta, res alioqui obscura, & quae difficiliùs percipieretur, aut memoria retineretur, illustratur atque declaratur: sic qualibet eius parabolae percepta circumstantia, ex ijs potissimum, quae ad historiae complementum conducere videntur, ad rei veritatem intimè cognoscendam peruenitur; quare & ad eius cognitionem absolutam perfectamque adipiscendam conducit maximè, circumstantias eas penitus notas esse; cuiusmodi absque dubio haec esse videtur, de qua agimus. Etenim cùm hominis illius impudentiam, immo verò facinus illud audax Christus explicaret, quòd in veste communi, & pulla ausus sit in conuiuij locum ingredi, & inter conuiuas albatos omnes atratus accumbere; quod facinus, vtpote quod conuiuis malum ominari videretur, grauissimè à Vatinio expostulat his verbis Cicero. Atque etiam, inquit, id à te scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrhij familiaris mei cum toga pulla accumberes? Quis vmquam, subdit, cenauit atratus, cum ipse epuli Dominus Q. Arrhius albatus esset? Cùm hoc, inquam, tam graue facinus explicaret Christus, poenam etiam eamque grauissimam, quae scelus exciperet, adiunctam oportuit. Quis enim hominum in tam graui delicto deprehensum impunitum à Rege abire permissum credat? aut quo modo Christus eius facinoris poenam non enarraret, quae inexplicabile inferni supplicium ob oculos constitueret? Ergo vt ad parabolae sensum percipiendum plurimum facit hunc locum nosse; ita & à Christo locum, Iudaeis omnibus aequè notum ac formidandum in parabola propositum fuisse verisimile fit. Atque adeo & Euangelistae mentem, & ipsius inferni poenas meliùs assequemur, si ea omnia primum simplici ipsi, quae proponitur, parabolae conuenire ostenderimus, ac mox veritati, quae sub parabolae velo, & quasi inuolucris obtecta delitescit. Et quidem primùm tenebrarum nomine carcerem compellari solitum, frequens sacrae scripturae vsus facilè demonstrat; vt videre est in psalmo, *sedentes*, vel habitantes, vtrumque enim significat Hebraea vox ישבי isbe *sedentes in tenebris, & in vmbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro*. Quae omnia eorum sunt, qui in carcere detinentur; quo modo intellexisse videtur psalmum Chaldaeus, haec scribens: De Sedechia, & principibus Israël prophetauit, & dixit: Sedechias, & principes Israël fuerunt captiui in Babylonia, & fuerunt in tenebris, & in vmbra mortis, & fuerunt in carceribus in afflictione, & vinculis ferreis. Praeterea apud Isaiam, *vt diceres ijs, qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris, reuelamini*. Repetitio eiusdem facti est, quo de carcere educuntur vincti, & de tenebris eius ad libertatem & lucem. Neque verò carcer tantum-

TRANSITUM à parabola ad veritatem negare non possumus aliquando; sed sine delectu id facere non decet.

SINE NVptiali veste in conuiuium intrare quale scelus. *Cic. in Vatin.*

TENEbrae carcerem saepe significant.

Psal. 106. ¥. 10.

Chaldaeus.

Isa. 49. ¥. 9.

A modo vocatur tenebrae; verum tanta est tenebrarum & carceris similitudo, vt tenebras ipsas carcerem quendam vocet Sapientia. De Aegyptiorum enim coërcita arrogantia haec habet. *Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctae: vinculis tenebrarum, & longae noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetuae prouidentiae iacuerunt.*

SIMILImae carceri tenebrae. *Sap. 17. ¥. 2.*

Sed quare eae vocentur, exteriores, in poena serui explicare, hoc opus hic labor est. Ingeniosissimè vt cetera Maldonatus de Regno sub cenae similitudine loquentem Dominum intelligit, quae noctu celebrari, & taedarum multitudine illustrari consueuit; ab eaque seruum, & à cenaculi splendore, claritate, ac laetitia ejectum Regis iussu, & in obscurissimas omnisque moeroris, ac luctus plenas tenebras, quae foris sunt, detrusum. *Mittite eum in tenebras exteriores*, quasi dicat; extra, in tenebras. Quae quidem interpretatio sensum parabolae reddit. Cùm enim futuri saeculi venturas saluandorum ac damnatorum contrarias sortes enarret, aptissimè illi intra Regium cenaculum opiparè edentes, & bibentes in lumine, hoc est, bonorum omnium copia perfruentes describuntur: & extra cenaculum praedictum tenebrae, fletus, ac stridor dentium vbique reperitur; non est enim facilè adinuenire tunc medium inter beatorum gloriam, ac perpetuam damnatorum poenam, quoad adultos, de quibus est sermo. Sed aliquid praeterea in hac explicatione desideratur; illud enim additum oportuit, quod quaerendum est maximè hoc loco: cuinam supplicio praedictae inferorum poenae respondeant; siquidem praedictae inferni poenae, supplicio aliquo corporali, & proportione quadam delicto respondenti significari debuerunt: Neque verò eiusmodi supplicium videtur conueniens, tantùm eijci à conuiuio, cuius se ipse indignum effecit, veste nuptiali dum caruit. Neque illud aptè in quemuis locum extra conuiuium quadrat, quod subiungit Dominus; *ibi erit fletus, & stridor dentium*. Non enim vbique extra conuiuium illud parabolae, intelligi possunt eiusmodi mala grassari. Quare huius sententiae vestigijs insistentes, *tenebras exteriores* vocari putamus carcerem illum, siue vt scripturae more loquamur, laqueum, aut puteum tenebrosum, & omni horrore angustiaque refertum, de quo huc vsque egimus, extra ciuitatis pomeria prope Calvariae locum, & cadauerum vallem, ac stercorum portam situm; in quem carcerem extremo, ac summo digni supplicio conijciebantur. Et huic nostrae sententiae adstipulari videtur Origines, dum parabolae sensum inquirit, dicens. Legimus etiam aliquem ante nos exponentem de tenebris abyssi, quae est extra mundum; vt quasi indigni toto mundo, in abyssum illam foras eijciantur, in qua sunt tenebrae, nemine eas illuminante. Haec ille. Quibus etiam consonat, quod suprà attulimus de nomine emissorum extra ciuitatem in carcerem. Denique ipsas huius taetri carceris densissimas tenebras maximi supplicij loco habitas probat Psaltes, qui eadem ferè damna, quae hic commemorantur à Christo, commemorasse videtur sibi accidisse, dicens: *formido mortis*, terrores mortiferi, ecce *fletus, cecidit super me. Timor, & tremor*, siue horror, & tremor, ecce *stridor dentium, venerunt super me*; & horum, atque reliquorum omnium malorum quasi symbolum; immo verò quasi complementum & causa, *conte-*

Maldon. Matt. 8.

TENEbrae exteriores, dictus infernus similitudine taetri carceris extra vrbem in loco immundo siti. *Orig. Matt. 25.*

Sup. hoc cap.

Psal. 54. ¥. 5. & 6.

SVPPLICII maximi loco carcer, & tenebrae habebantur.

xerunt

xerunt me tenebrae. Et quidem probabile est, posstremis temporibus morem secutos Romanorum Hebraeos, summi supplicij genus excogitasse, quale refertur à Liuio. Vt in carcere, inquit, inter fures nocturnos vir clarissimus Scipio includatur, & in robore & tenebris exspiret. Erat autem robur, vt tradit Festus, locus in carcere, quo praecipitabatur quoddam malefactorum genus, quod antea arcis robustis includebatur. Talis, vt haec obiter dicamus, apud Messenios, Plutarcho teste ac Liuio, carcer fuit thesaurus nomine, locus sub terra quadrato saxo tam immanis & saeuus, vt neque ventum, neque auram acciperet. Et huic haud dissimilis fuisse credenda est Romana noxiorum custodia, quam barathrum vocabant Plutarcho teste, & Alexandro. His igitur, vt ego existimo, simillima fuit illa Hierosolymitana, quae vocabatur Betiso, in quam coniectum putamus ab Herode Apostolorum Principem PETRVM, vtpote dignum extremo supplicio habitum. Cuius quidem carceris densissimas, & perpetuas tenebras significare videtur Lucas, dum, *Ecce angelus*, inquit, *Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo* carceris, quasi nouum, & inauditum quidpiam.

Liu. decad. 4. lib. 8.

Sex. Pomp. Festus de verborum sign.

Plutarc. in Philopoemene. Liu. dec. 4. lib. 9. Plutar. in Mario. Alex. ab Alexandro lib. 3. gen. c. 3.

CARCER S. Petri ater, & horribilis. Act. 12. ℣. 7. & ℣. 10.

Quod autem tenebrae illae dici possent exteriores, hoc est, extra ciuitatem sitae, ostendit idem historiae contextus; *transeuntes*, inquit, *primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quae ducit ad ciuitatem*, & quae sequuntur. Ex quibus planè constat, extra ciuitatem fuisse carcerem, eiusque primam, secundamque custodiam, quibus transactis, ad portam ferream, quae ducebat ad ciuitatem, ventum est. Scio sollertem ac pium nostrae aetatis scriptorem errare putasse eos, qui praeallata ratione ducti, Herodianum carcerem extra Hierosolymitanam ciuitatem fuisse opinantur; eique rationi se feciſse satis arbitratur, si inter duos muros ciuitatis carcerem exstitisse dicat, & in muro interiori portam ferream apertam fuisse. At quemadmodum rectè sentit hic auctor, cùm carcerem hunc extra antiquum, & intimum superioris ciuitatis murum constituit; immo verò vt ita sentiat ipsius contextus verbis planè cogitur: ita pari ratione & nos in recta sententia sumus, qui extra omnes ciuitatis, qui tunc erant, muros illum constituimus, licet modò inter vrbis Aeliae pomeria includatur. Neque in alteram sententiam nisi validiori aliqua ratione coacti pertrahemur; hac enim audita vltrò in eorum, aut quamcumque aliam meliorem sententiam manibus, vt aiunt, ac pedibus discedemus.

EXTRA ciuitatem carcer.

NON OMnes Hierosolymae careeres extra ciuitatem siti, sed hic tantum damnatorum. Nehem. 3. ℣. 25. Ierem. 32. ℣. 2. Ierem. 20. ℣. 2.

Neque verò allatis rationibus probare contendimus, omnes Hierosolymae custodias, & careeres extra vrbem sitos, cùm Nehemias carcerem commemoret, Regiae Salomonis proximum; cuius & Ieremias meminit; & alterius, qui *erat in porta Beniamin superiori in domo Domini*: sed hoc tantummodo asserimus; fuisse quidem Hierosolymis, vt in quibuscumque alijs grandioribus vrbibus, plures custodias, pluresque carceres leuiorum scelerum reis detinendis aptissimos; illum verò horridum, taeterrimum, & grauissima capitis poena multandis destinatum, extra pomeria ciuitatis situm fuisse, ne sceleratorum afflatu, quod fortè cauendum populo maximè ducebant Hebraei, foedaretur ciuitas. In eum carcerem coniecti fontes, tenebris, frigore, nuditate, fame, siti, ac omnium malorum maximo, perpetuo mortis timore torquebantur.

CARCER taeterrimus cur extra ciuitatem positus fuerit.

A Et in hunc coniectum PETRVM morti destinatum asserimus, & ex eo similitudinem ad inferni maximos: atque aeternos cruciatus significandos duxisse apud Matthaeum Christum Dominum existimamus. Audacem enim illum hominem sine nuptiali veste in conuiuio deprehensum, in tenebras exteriores Regis imperio conijci iussum narrat; vbi *fletus, & stridor dentium* impudentis hominis audaciam castigaret, reliquorum verò huius exemplo temeritatem in posterum coërceret. Quem sensum sequutus videtur Epiphanius, Persarum Regem his verbis alloquens. Esto iustus apud Deum vniuersorum, ne fortè iudiceris in condemnatione, & custodiaris in tenebris exB terioribus; & tunc meorum verborum recorderis. Haec ille.

Epiph. relatus à Metaphraste in vita ipsius.

Iam verò ad inceptam de muro narrationem absoluendam redeamus: per eum, inquit Iosephus, hoc est, iuxta eum locum, qui vocatur Betiso, descendens in Essenorum portam. Hanc esse portam à Nehemia stercoris dictam, suo loco fusiùs probabimus. Verùm interim ex situ, & eius, quae proximè consequitur, portae fontis commemoratione hoc ipsum manifestè ostenditur, murum scilicet descendere à Betiso in portam hanc, quae imae valli cadauerum proxima erat. Deinde supra fontem Siloam in Meridiem flexus; fontem vocat aquaeductum, aquas fontis Silöe introducentem in vrbem iuxta portam, quae fontis dicitur. Flectitur autem in porta fontis ad Meridiem murus, qui ad eam vsque in Occidentem tendere videbatur, vt in nostra vrbis imagine videre est. atque inde rursus in Orientem versus, qua stagnum Salomonis est: cùm murus hic ex meridiana parte, quam nunc describit Iosephus, circularem potius, quàm rectam figuram praeseferret, simul visus est à porta fontis ad Meridiem atque ad Orientem flecti, licet maxima muri pars in Orientem vergeret, totumque ambiret meridianum vrbis latus. Aſt vbi primùm ad orientale vrbis latus perueniebat, ad stagnum quoque Salomonis attinebat. Hoc ego stagnum vel natatoria Silöe fuisse, vel aliquod aliud in hortis Regijs in media valle Hennon exstructum existimo. Et vsque ad locum pertinens, id est, mox ad eum locum peruenit, quem Ophlan vocant. haec est Nathinaeorum habitatio, quam sacer textus vocat Ophel. Huiusque loci totum orientale latus ambiebat, vsque dum ad portam gregis perueniret, iuxta quam in Occidentem deflexus, vbi iam aquilonare Ophlae latus munijsset, cum orientali porticu templi coniungebatur: Quae, qui attentè perlegerit, ac nostrae descriptionis figuram inspexerit, vix aliquid, quod ad murum sub aspectum ponendum faciat, desiderabit; aut à quoquam manifestiùs describi potuisse iudicabit. Nos verò hinc ad mensuram E muri examinandam progrediamur.

PORTA Essenorum quae sit

FONTEM Siloe vocat Iosephus, quem alij aquaeductum appellant.

STAGNVM Salomonis idem quod natatoria Siloe.

MEN-

MENSVRA EIVSDEM MVRI TERTII.

Cap. X.

MVRI tertij dimensionem ita describit Iosephus, vt, quoniam subtili, & accurata supputatione conferendae inter sese, atque exaequandae eius mensurae sunt, occasionem aliquam praebuerit sollertibus quibusdam viris alucinandi in re alioqui manifestissima. Eius autem verba, quae ad rem nostram facere videntur, huiusmodi sunt. Murum autem supereminebant turres viginti quidem cubitis in latitudinem, viginti verò in altitudinem, quadratis angulis structae, Graecè τετράγωνοῖς tetragonite, quam vocem in quadratas posses conuertere, vel quattuor angulorum: & post turrium, earumque partium descriptionem subdit. Eiusmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat, earum autem interualla, ἀνὰ, ana addit Graecus, singula posses vertere, cubitos ducentenos. Medius verò murus in quattuordecim turres, & antiquus in sexaginta diuisi erant. Omne autem ciuitatis in gyro spacium triginta tribus stadijs finiebatur. Hactenus ille. Cum quibus quomodo stare possit, quod à sollerti viro scriptis mandatum legimus, planè fateor me nullo pacto percipere potuisse. Primus murus, inquit hic auctor, id est extimus, qui vetustissimus omnium, & maximus erat, in occiduam templi porticum desinebat. Qui enim fieri potest, vt hic sit maximus & extimus murus, qui vetustissimus dicitur à Iosepho, cùm is diuisus tradatur in sexaginta turres, tertius verò in nonaginta? nisi fortè minor maximum capiat: Sed mirandum non est, si in ijs, quae praeter instituti sui rationem admiscere solent scriptores, plerumque decipiantur; vsu enim fit, vt ea non ita subtiliter intueantur vt cetera, neque exactè vt par est, ad veritatis trutinam reuocent; ijs tamen praecauendum esset, ne in perspicua luce dilabi, atque in rebus ex se satis apertis errare videantur. Correxit haec Borchardus, qui scribit ciuitatem sanctam amplecti per gyrum dempto monte Sion, stadia triginta tria iuxta Iosephum: computato autem monte Sion, murus exterior, inquit, qui tertius erat secundum Iosephum, habuit nonaginta turres &c. Sed quae humanae imbecillitatis conditio est, ipse quoque Borchardus duplici ratione in his deceptus est. Primùm, quoniam vrbem inferiorem, suo ambitu, dempto monte Sion, putat ex Iosephi testimonio triginta tria stadia complecti; cùm tamen montem tantummodo Sionem, quem ipse excluſit, eo stadiorum numero concludere conatus fuerit Iosephus, vt mox ostendemus. Secundò à vero quoque in multis aberrat, dum probare contendit, totius ciuitatis ambitum quadraginta stadijs definitum esse, quod falsum omnino esse proprio capite ostendemus.

Iam verò ad instituti narrationem propius accedentes, certo certius videtur esse, murum illum, quo superior ciuitas vallata erat, antiquum vocari à Iosepho; tum quia eum Dauidis, & Salomonis impensis exstructum commemorat; tum propter alia multa à nobis superiori capite allata; quae si conferas, absque dubio conijcies, nulli alteri muro conuenire posse, quidquid dicant neoterici, in antiquae vrbis moenijs peruestigandis, meo iudicio, non satis diligenter versati. Quoniam autem è stadiorum, cubitorum, ac pedum mutua collatione vera singulorum mensura elicienda, & comprobanda est; primùm statuamus oportet, quid ea significent, atque inter se collata, quomodo se mutuò contineant, aut contineantur; sed haec quoniam longiorem desiderant tractationem, & nos de ijs fusiùs acturi sumus, ad secundam huius Apparatus partem lectorem remittimus, vbi exactiorem eorundem tractationem inueniet. Interim vnum duntaxat in lectoris gratiam Plinij locum referemus, qui sic habet. Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque. Ex his Plinij verbis liquidò videtur constare, passum mensuram esse quinque pedum: quinquies enim centum viginti quinque passus efficiunt pedes sexcentos viginti quinque. Quibus si addas Vitruuij testimonium, pedem asserentis altitudinis corporis esse sextam partem, cubitum quartam, facilè subduces, cubitum pedem cum dimidio continere; quater enim cubitus & semis sumptus exaequatur sex pedibus. Iam verò, si à numero sexcentorum viginti quinque pedum, qui metiuntur stadium, tertiam ciusdem numeri partem auferas, sic enim è pedibus fient cubiti, subduces stadium quadringentorum sexdecim cubitorum. Verùm quoniam exactam minutiarum, quas vocant, computationem; immo verò minimarum numeri alicuius maximi, partium enumerationem abijcere solent historici, non tantum profani, verùm etiam sacri; ideo Iosephus quadringentos integros cubitos pro vnius stadij mensura vsurpare frequenter solet; vt ex mox addendis exemplis, & alijs quamplurimis in hoc Apparatu videre licebit. Vltimo loco notandum est, has omnes variarum mensurarum mutuas comparationes, & proportiones de eiusdem gentis, & aetatis mensuris intelligendas esse; quoniam vt suis locis infrà patebit, variae fuerunt pedum, cubitorum, & consequenter stadiorum mensurae, ac longitudines. His ergo in vniuersum sic statutis, difficile non erit peruestigare, quem murum triginta tribus stadijs metiatur Iosephus.

Omitto hic quidem duplici ratione probari posse, de ciuitate superiore, eiusque vetustissimo muro loqui Iosephum; altera, quia cùm trium murorum turres aequis spacijs à se dissitas commemorasset, vltimo loco vetustissimi meminit, cui subnectit stadiorum mensuram: altera ratio est, quia idem Iosephus dum occidentalis templi portas enumerat, duae, inquit, ferebant in suburbia, postrema in vrbem. Quo loco nulli, ciuitatis dispositionem ac templi consideranti, dubium esse potest, superiorem, vocasse vrbem, inferiorem verò suburbia compellasse. Quare cùm hoc loco vrbis gyrum metiatur, eiusque mensura nulla ratione conueniat vrbi, & suburbiorum gyro, manifestum esse videtur, vrbem sine suburbijs commensuratam triginta tribus stadijs, non verò suburbia sine vrbe, vt falsò opinatur Borchardus. His, inquam, rationibus omissis, quibus satis superque probata videri posset sententia nostra, alteram afferam, quae illam ob oculos ponere, ac veluti demonstrare videtur, ipsammet scilicet cubitorum Arithmeticam supputationem. Si primùm ducentos cubitos accipias, quos à se inuicem dissitae sunt turres, eisque viginti cubitos addas latitudinis vnius

Plin. lib. 2. cap. 22. nat. histor.

COMPARATIO stadij, passus, cubiti, ac pedis.
Stadium passus 125. pedes 625. cubit. 416. ½
Passus pedes 5.
Cubitus pedem semis.
Vitr. lib. 3. archi. c. 1.

VARIAE fuerunt pedum, cubitorum, & stadiorum longitudines.

Ioseph. 15. antiq. c. vlt.

SVPERIOR ciuitas à Iosepho vrbs vocatur, inferior suburbium.

TRIGINTA tribus stadijs finiebatur antiquus superioris vrbis murus.

vnius turris, (singulis enim spacijs singulae respondent turres in ambitu ciuitatis) hos inquam ducentos viginti cubitos si sexagies accipias (tot enim turribus diuisus est murus) adinuenies totius muri ambitum tredecim millibus ducentis cubitis compleri; quem numerum si ad quadringentos vnius stadij cubitos, proindeque ad stadia reuocaueris, adinuenies murum triginta triumstadiorum, vt à Iosepho traditur. Quod si iterum quadringentos vnius stadij cubitos per triginta trium stadiorum numerum multiplices, iterum adinuenies ambitum vrbis tredecim millibus ducentis cubitis compleri; quem numerum si per ducentos viginti vnius spacij cubitos diuiseris, adinuenies in sexaginta spacia murum diuisum esse. Vel si eundem numerum cubitorum per sexaginta spaciorum numerum diuiseris, singula adinuenies spacia ducentorum viginti cubitorum: quae multiplex & varia supputatio in idem recidens, absque dubio affirmare nos cogit, Iosephum hoc loco superioris tantùm vrbis antiquum murum mensum fuisse, illumque triginta tribus stadijs definiuisse. Quoniam verò mille passuum (milliare vocatur Romanis, Hispanis milla, Italis miglio) centum viginti quinque passus octaua pars sunt, quae stadium dicitur, fit vt totus muri in gyro circuitus quattuor milliarijs, ac vno stadio claudatur, tantaque erat montis Sion in medio eius circumferentia: non enim murus ad imas montis radices descendebat, quin vertici potius, munitioni magis deseruiens, appropinquabat. Ex allata quoque supputatione sibi inuicem consentiente tam in stadiorum, quàm cubitorum numero manifestum fit, aequales fuisse turrium, ac interiacentium spaciorum quantitates, iuxta Iosephi sententiam. Quis enim crederet, inaequalium partium quantitates ita in toto muro exaequari, vt quantum vni deesset à iusta mensura, tantum alteri adijceretur, vt ex aequo sexaginta inaequalium partium quantitates totidem aequalium quantitatibus responderent, quod difficillimum factu esset; aequales verò constituere muri partes facillimum fuisset.

220 / 60 / 13200 / 400 | 33

400 / 33 / 1200 / 1100 / 13200 | 60 / 239 / 13200 | 220 / 60

AEQVALES fuisse latitudine turres, longitudine spacia aequalia, probat concors supputatio.

Sed vereor, ne cuiquam videar in re manifesta probanda diutius, quàm par esset, immorari. At is sciat, non defuisse, qui setiberent, spacia superioris muri inaequalia, & pro locorum opportunitate laxiora vel angustiora fuisse; turresque ipsas quasdam viginti cubitos, & multo amplius latas, alias ab eadem viginti cubitorum latitudine defecisse; idque ex residuis murorum vestigijs se deprehendisse. Verùm ego Iosepho potius oculato testi fidem habendam censeo; horum verò scriptorum mihi suspecta est, quibus vix montis situm prospicere fuit integrum, deletis iam prioris vrbis vestigijs, erutis ipsis murorum, ac turrium fundamentis; vt primum à Tito, mox ab Aelio Adriano factum accepimus. At tacente Iosepho res ipsa loquitur. Scimus enim murum Dauidis prudentia constructum, quod quemlibet in nostram sententiam facilè adducere poterit. Dauid enim quod neminem fugit, musices peritissimus fuit, & eandem ob causam harmoniae, & proportionis studiosissimus, quia inter ipsos Hebraeos, quos mortalium omnium longè quam Aegyptios, aut Graecos, vt dixerunt aliqui, sapientissimos fuisse constat; inter ipsos inquam Hebraeos princeps fuit sapientia ac multorum vsu, praecipuè musices peritia, vt propterea tanta ei laus tribuatur in Ecclesiastico. *In peritia sua*, inquit, (neque enim iam legere licet in pueritia, cum in Sixtiano emendato vulgatae codice legatur, *in peritia sua*) *requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum*. Quae laus postea eidem Dauidi peculiari ratione ibidem tribuitur. *Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos*. Cumque idem omnino oblectamenti genus praestet partium commensuratio & proportio, quòd sonorus numerus, ad aurium oblectationem summa proportione reuocatus; numquid credendum est virum tam sollicitum in adinueniendis modis musicis, modos Geometricos contempsisse, & sine vlla proportione, ac symmetria muros vrbis Regiae intercidisse? His adde non minus architecturae, ac proportionis Geometricae studiosum fuisse Dauidem, quàm musices. In libro enim Paralipomenon legitur data à Dauide Salomoni descriptionem templi, singulisque eius partibus commemoratis subditur; *nec non & omnium, quae cogitauerat, atriorum & exedrarum* &c.

Eccles. ỳ.5.

Ecclesiast. 47.ỳ.11 DAVID musicae peritissimus

1. Par. 28. ỳ. 11. deinceps. ARCHITecturae studiosus Dauid.

At Templum dices diuina inspiratione & summo iudicio architectatum fuisse Dauidem; in vrbe verò exstruenda has architectorum regulas ac mensuras non seruasse. Hoc verò perridiculum est; quasi verò Templum tantùm, non vrbem, eiusque moenia, ac partes summo iudicio, ac Deo inspirante architectatus fuisset Dauid. Ergo si dissonum videretur eximium architectum, vel industrium principem sine proportione, mensura, aut iusto numero ciuitatis nouae moenia erigere, licet ea vel Alexandria esset, vel Babylon; quanto minus credendum est id commissum fuisse à diuino Psalte, omnis proportionis gnaro, Deo ipso praeceptore: in ea praesertim vrbe fundanda, quam diuino afflatus Spiritu nouerat forè Regni sui caput, fidei domicilium, pietatis exemplar, Ecclesiae simulacrum, atque imaginem caelorum, quos fecit Dominus *in intellectu*, hoc est, mira sapientia, inexplicabili artificio, magno ingenio, incredibili proportione, & harmonia?

Psal. 135. ỳ.5.

Paria igitur erant interualla turrium, quibus muniebatur superior vrbs; neque nouis topographis credendum est, à quibus constat in obseruandis montium, vallium, & vrbis regionibus, quas caeli plagas spectent, grauissimè peccatum fuisse. Hi ergo, qui in locandis collibus, dirigendo templo, ducendis muris, aperiendis portis longè à vero aberrarunt, non sunt credendi, quamquam profitentur certò se notasse vestigia turrium, vel murorum; cùm eorum, vt dixi, ne vestigia quidem supersint neque vmbrae. Neque verò propterea statuere contendimus, murum Sion exactissimè ductum fuisse ad lineam, & angulos eius ad eam normam, qualem commentus est Adrichomius; huius enim delineatio muris parallelis sine vlla mensura, aut numero locorum, ad lineam, & regulam ductis, effictam potius vrbem mentitur, quàm veram aliquam ostendit. Quis enim in montibus vrbem ita ad amussim rectis per totam longitudinem muris exstructam credat, vt ea, quam nobis intrudere conatur hic auctor, veteris Hierosolymae imaginem praeseferat? Certè Hierosolymam scimus, quòd pluribus montibus superstructa esset, gibbosam dictam fuisse; eiusque sinus, colles, valles longiores lineas ad regulam duci non permisisse: at breuiores tantùm architectorum ingenium ac sollertiam rectas ducere potuisse; immo etiam duxisse profiteor.

NEQVE ad lineam latera, nequead normam anguli murSionis exstructi fuere.

Quare

Quare sicut totius muri tractum incredibile est rectum fuisse; aduersaturque omnino ijs, quae à nobis suprà allata sunt de forma montis Sion: ita persuasum mihi omnino est, singula spacia inter turres, ac turrium facies aequales omnino & rectas fuisse: nam propter eorum breuitatem, summamque Dauidis industriam, cuicumque cliuo, valli, recessui, aut angulo accommodari munitio potuit.

Neque verò nobis aduersatur, immo verò nostra mirum in modum confirmat Tacitus, de Hierosolyma sic scribens. Sed vrbem arduam situ, opera, molesque firmauerant, quibus vel plana satis munirentur. Nam duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, vt latera oppugnantium ad ictus patescerent. Haec ille. Quorum quidem murorum exemplum plures veterum imitati sunt in construendis vrbium moenibus. Ambitum enim muri, inquit Vegetius, directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset dispositus, sed sinuosis amfractibus clausere vrbes: propterea, quia si quis ad murum tali ordinatione constructum vel scalas, vel machinas voluerit admouere, non solùm à fronte, sed etiam à lateribus, & prope à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur. Hactenus Vegetius. Quae omnia munitionum praecepta apertissimè seruabuntur, si in turribus ipsis flectatur, vel sinuetur murus, rectis manentibus singulis spacijs. Simile quidpiam in digitis manus videre est; quibus sinuatis ac flexis, singuli tamen articuli recti manent. Sed de primo muro atque vrbe superiore iam satis.

...Cornel. ...ac. lib. 21.
...MBITVS ...ierosoly... ...ae dire... ...us totus ...an sunt: sin... ...alae tamen ...rres, ac ...gula spa... ...a recta ...erunt.
...egetius.

DE ARCE BARI, QVAE AB HERODE dicta est Antonia. Cap. XI.

QVONIAM saepius à Iosepho turris Antoniae mentio fit, praesertim in descriptione nouae ciuitatis, eiusque secundi muri: de hac turri, vel arce antequam gradum facerem ad reliqua, nonnihil prius pertractandum duxi. Eius situm hic auctor manifestissimè declarat his verbis. Ceterum Antonia in angulo quidem duarum porticuum sita erat prioris templi, quae ad Occidentem, Septemtrionemque, spectarent. His verbis porticus extimas atrij gentium Iosephus expressit, quod vel ex earundem porticuum dimensione, quae ab eodem Iosepho ibidem commemorantur, intelligi facilè potest. Ait enim, omnis gyrus earum, porticuum inquam, sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Quae mensura ex aequo respondet sexcentis cubitis longitudinis vniuscuiusque porticus atrij gentium. Huc accedit, quòd idem Iosephus mox meminit columnarum, legem castimoniae alienigenis, etiam litteris praemonentium; ea autem erant, in locum sanctum alienigenas transire non debere: sanctum enim, inquit, vocabatur alterum fanum. Ergo de profano atrio tum egerat, quod quamuis sanctum esset, vtpote templi; vel collatione aliorum profanum vocabatur, vel, quòd etiam profanis pateret gentibus. Haec iccirco accuratiùs examinaui, ne quis Antoniam intra septa templi exaedificatam putet, etiamsi legat ex eius suprema turri omnia templi interiora conspici potuisse, & alia huiusmodi; satis enim est, si intelligatur angulo templi occidentali, & septemtrionali coniuncta: aliàs enim stare non posset, vt obtenta à Romanis Antonia, Iudaei templum, eiusque porticum exteriorem tuerentur, quam postea admotis machinis obtinuere Romani, vt à Iosepho refertur.

...sephus 6. ...ell. cap. 6. ...ORTI... ...bus atrij ...ntium ...ncta erat ...ntonia.

Huius autem turris primum conditorem & vsum idem Iosephus enarrat his verbis. Hircanus pontifex eius nominis primus exstructa prope templum (Βαρὶ Bari) turri, degebat in ea maiorem temporis partem. Et quoniam hanc stolam, loquutus paulo superius fuerat de pontificia, habebat in sua custodia, qua nemo praeter illum vtebatur, recepturus priuatum habitum, eo loci illam deponebat. Idem mos fuit etiam successoribus ipsorum posteris. Herodes autem Regnum adeptus, turrim hanc opportuno loco sitam, magno sumptu exaedificatam, denominauit ab amico Antonio, & stolam ita, vt ibi reperta est, detinuit, ratus eo magis obnoxium se habiturum populum. Idem fecit Archelaus filius eius & successor, cuius Regno in prouinciam mutato, Romani simul & pontificiae stolae possessionem nacti sunt, in cella ad hoc ipsum structa repositae; & obsignatae sigillo pontificum atque custodum sacri aerarij, Praefecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Quod ferè idem repetit iterum, duo tantummodo annotatione digna subiungens. Alterum, turrim hanc aedificatam ab Assamonaeis, qui gentis sacerdotium simul, & principatum tenuerunt. Ex eorum autem stirpe Hircanum fuisse praeallato loco commemorauerat. Alterum eandem turrim Barim, ab eisdem denominatam. Idipsum testatur Egesippus his verbis. Decumbebat Aristobulus in castro, cui nomen primò Baris, postea Antonia fuit, videlicet ab Antonio Triumuiro donatione, appellatione cum vrbis dignitate. Turris verò situm, & dispositionem atque magnificentiam, qua ab Herode fuerat instaurata, munita, & ornata, describit Iosephus iterum his verbis. In saxo autem fuerat exstructa, quinquaginta cubitis alto, & vndique praerupto, quod opus Herodis Regis fuit, vbi maximè ingenij sui magnificentiam demonstrauit. Primùm enim à radicibus saxum ipsum lenibus crustis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facile dilaberentur, qui vel ascendere vel descendere tentauissent. Deinde ante turris aedificium murus erat cubitorum trium; In hoc erat turris huius aedificium templo simillimum, quòd templi area superaggeratis vallibus pensilis muro quodam, seu peribolo ad sex cubitos alto non minus decori quàm vsui, muniebatur. Intra hunc omne spacium Antoniae in quadraginta cubitos erigebatur. Intus autem Regiae latitudinem ac descriptionem habebat diuisam in omnem vsum habitationum, & speciem, id est atria & balneas, & aulas castris aptissimas, vt quantùm ad vsum necessarium pertinet, ciuitas videretur: magnificentia verò palatium, instar verò turris toto habitu formata. quattuor alijs per angulos turribus cingebatur, quarum ceterae quinquaginta cubitis erant altae. Quae verò ad meridiem, orientalemque angulum sita erat, septuaginta cubitis eminebat, vt ex ea totum templum videri posset. Qua verò porticibus (τὸ ἱερὸν to hieron templi additur in Graeco) iunge-

Ioseph. 8. antiq. c. 6. ANTONIAE primus conditor quis fuerit, & ad quos vsus condita.
Ioseph. 18. antiq. c. 6.
Ioseph. 15. antiq. c. 14.
Egesip. lib. 1. de excid. vrbis Hieros. cap. 6.
Ioseph. 6. belli c. 6. DESCRIptio turris Antoniae.

iungebatur, vtrimque, vel in vtramque porticum, descensus habebat, vnde custodes comeabant; semper namque in ea Romani milites residebant, & cum armis appositi custodes, ne quid populus festis diebus noui committeret, obseruabant: Castrum enim erat impositum opido, castro quidem templum, templo verò Antonia. Exstat quoque Egesippi simile testimonium de Antonia: is enim de exornato ab Herode templo locutus subdit. Nec minor tuendi quàm ornandi intentio: siquidem castrum Aquiloni subiacens communiuit, quod appellauit Antoniam propter Antonij gratiam, nulli inferius superiorum palatiorum. Haec ille. Quibus nihil addi posse videtur ad turris huius exactam cognitionem; nisi fortè illud addendum videatur, quod varijs pacis, belli, & seditionis temporibus rerum euentus ibidem accidisse pluribus locis enarrat idem Iosephus, quos apud eundem quiuis nullo negotio reperiet. Nobis aliquid duntaxat quaerendum est de antiquo turris nomine: nam Barin à primis conditoribus dictam accepimus. Eam vocem Graecam fuisse scribit Iosephus. Eius tamen interpretationem inueniemus apud Hieronymum, qui dum interpretatur illa verba Oseae: *Et Iudas multiplicauit vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit aedes illius*, sic scribit. Vrbes munitas non auxilio Dei, sed artificij mendacio, igne sui spiritus succensurum esse se dicit Dominus, & deuoraturum βάρεις baris eius, id est, magnas, & in modum turrium aedificatas domos, & fundamenta malè posita subuersurum. Talia Hieronymus. Atque haec quidem vocis notio aptissimè turri huic, vel arci conueniet, si quae suprà attulimus, perpendantur. Verùm ea vox Hebraea, quòd à multis habetur, mihi magis probatur. Qui enim Machabaei natione & lingua Hebraei, vocem imposuisse peregrinam suae arci credendi sunt? Accedit quod S. Hieronymus docet; vocem hanc esse Palaestinae propriam: & domos ex omni parte concluſas, & in modum publicorum moenium, ac turrium aedificatas, vsque ad sua tempora βάρεις baris appellari consueuisse. Atque iterum eandem vocem per errorem explicari testatur, quasi Graeca fuisset.

DE TVRris Antoniae antiquo nomine Bari.

VOCIS Bari notio.

S. Hieron.

S. Hieron. ad Principiam. Et super psal. 44.

DE BARI Hebraicae vocis significatione.

Quapropter vox satis aptè deduci posset à radice ברא bara, quae creare significat; indeque nomen ברא bari, significans, pinguem, crassum, obesum, quasi bene creatum, quòd Hispanè dicimus, bien mantenido, nitidum, conspicuum, & pulcrum. hae enim corporis habitudines pinguedinem in animalibus consequuntur. Quare palatij huius pulcritudinem, nitorem, ac firmitatem significare videtur Arabica, & antiqua vox Bari. Summi namque Pontificis ac principis Hircani potestatem, magnificentiam, gloriam; illius inquam viri dignitatem, penes quem erat summum ius tam Ecclesiasticum, quàm Regium & saeculare, turris illa situ, preciosa materia, egregia forma, ac firmissima munitione repraesentabat. At quanta fuerit postremis Iudaici Regni temporibus huius turris, quamque eximia pulcritudo, hinc prudens lector colligat, quòd ad priorem illam magnificentiam accessit Herodis ambitiosa iactantia, qua Antonij Romani Principis beneuolentiam, & gratiam promereri sperabat. Idem fortè nomen ab Egesippo alia ratione scriptum, alia quoque ratione declaratum est. Nam & ipse locus, inquit, in quo castrum postea Antonij vocabulo conditum inter duas iacens porticus, septemtrionalis, hoc est Brios nuncupabatur. Haec ille. Quam vocem quasi contractam Graecam βόρειος, borios, hoc est borealis, vel septemtrionalis accepisse videtur Egesippus, nisi mendum est scriptoris Graeci vel Latini, aut interpretis vitium. Huic quoque turri aliud fuisse nomen testatur idem Egesippus, qui postquam dolo vxoris Aristobuli, eiusdemque ignari, atque imprudentis Aristobuli Regis, ac fratris iussu Antigonum peremptum in Antonia turri commemorauit: Is locus, inquit, Stratonis turris appellatur, quo deceptum vocabulo Iudam, qui erat Essenus genere, opinio est frequens; quem siue probitate vitae suae, siue mystica obseruatione, saepe quae futura erant, annunciasse historia vetus prodidit. Haec ille. Exstat quoque apud Aristaeam huius arcis, eiusque militum luculentissimum testimonium, quo & diligentissima sollicitudine arcem seruari testatur his verbis. Hinc ad contemplandam arcem conscendimus, quae altissimo loco, frequentibus turribus, (quae & ipsae magnis lapidibus constructae sunt) iuxta templum communitur; & quantum coniectura colligere possumus, veluti ipsius templi propugnaculum: ne si quando seditio, aut tumultus, hostiumve impetus ingruat, quispiam viam ad templi claustra penetrandi inuenire possit; cùm & adiacentibus speculis, arcisque turribus; tum dispositis vbique machinis, atque praerupti ipsius loci, vbi muri assurgunt, difficultate arceantur. Seruatur autem arx ipsa dispositis intus robustissimorum iuuenum fidissimis excubijs, qui bene de se meritae patriae plurimùm debeant. His arcem egrediendi nulla potestas datur, praeterquam cùm festus dies affulserit; idque non nisi ex parte quadam, ac per vices conceditur. introimittendi quemquam nemini est facultas. Nam summa diligentia perspicuitateque arcis Praefectus, si quando aut rediens quis, aut nouus admittatur, ita cuncta explorat, vt falli prorsus nequeat: quemadmodum nobis contigit, qui inermes, ac multa rogando soli duo vix tandem ad inspicienda sacra recepti sumus. Dicebant enim, & sacramento idem firmabant, omnes, qui quingenti ad huius custodiam semper aderant, sacro iureiurando adactos, ne supra quinque eodem tempore recipiant; quoniam omnis templi custodia salusque in arce consistat; qua victa nullum superesset templi propugnaculum. Hucusque Aristeas; nos verò ad vlteriora progrediamur.

Egesip. lib. de excid. vrb. Hieros. c. 6.

Aristae. lib. de 70. interpr.

Egesip. lib. 5. de excid. cap. 12.

DE BE-

DE BEZETA, NOVA VRBE,

quo loco, & qua occasione coepta fuerit aedificari.

Cap. XII.

OMNIA quae hactenus à nobis pertractata sunt, aptè huius libri argumento conueniunt, qui de amplificatione vrbis inscribitur. Nam cùm arcem tantummodo Iebus in monte Sion aedificatam, & vrbem Salem in monte Acra exstructam iam olim ab antiquis temporibus vnà exstitisse, probatum sit superiore libro; huius libri partes esse videbantur ostendere, quomodo & à quibus Regibus aucta, & amplificata fuerit ciuitas. Quapropter primo Iudae & totius Israëlis Rege Saule praetermisso (is enim inferiorem tantummodo vrbem Salem obtinuit; neque eam auxisse, aut quidquam in ea aedificasse legitur) ad Dauidem secundum Regem veniendum est. Hunc ostendimus statim, atque Rex inunctus est totius Israëlis, nihil magis in votis habuisse, quàm Regni sedem ac Regiam intra tribus suae terminos redigere; ne fortè dum Beniaminitica tribus Regiam vrbem, ac Hierosolymam sedem possideret, ipsius Regni principatum, ac iura sibi aliquando retinere, aut vsurpare conaretur. Ac propterea arcem Iebus oppugnauit; ibidemque Regiam suam exstruxit, & plures tribus suae ibidem secum ad habitandum inuitans, totum montem Sion in varias distribuit domorum insulas, vias, & vicos, & vrbem priori multo latiorem intra tribum suam aedificandam curauit; quam firmissimo muro, ac celsis turribus cinxit, exornauit, atque muniuit. De his aptè Egesippus[1]. Ea, inquit, ciuitas à principio suos incolas habuit de gente Chananaeorum. Dauid primus vir Hebraeus Chananaeos expulit, constituit suos, qui in ea domum sibi Regiam fecit. Voluit & templum Deo condere, sed prohibitus oraculo, Salomonem haeredem reliquit, qui templum, quod ipse voluerat, aedificaret. Haec ille.

Quibus si addas, quod satis à nobis probatum est suprà, templum aedificatum fuisse in monte Moria, extra vtramque ciuitatem inter montem Sion, & Acram ad Orientem sito, & lata quadam valle atque profunda ab vtroque monte diuiso, reliquum fiet, aedificatores templi, (quos suo loco probabimus ad ducentorum vsque millium hominum numerum excreuisse) loca templo vicina elegisse, in quibus aedificatis, vt cuique commodum videbatur, sibi casis aut domibus, opportunè, & absque longi itineris labore ac difficultate, & absque ciuium reliquorum molestia templo aedificando incumberent. Cumque accessus ad templum triplici ex parte impeditus omnino esset (nam ex parte orientali substructis aggeribus area templi, trecentos, & eo amplius cubitos super Ophel Nathinaeorum habitationem erigebatur: ex parte meridiana seiungebatur à monte Sion profunda illa valle, dicta à Iosepho Tyropoeon, quae à sacris historicis vorago ciuitatis Dauid vocatur: ex parte verò occidentali, à monte Acra ciuitatis Salem, lata & profunda valle mons templi diuisus erat, quam vallem Iosephus ipse testatur postea ab Assamonaeis aggeribus oppletam, vt templo ciuitas coniungeretur) reliquum erat, vt a parte tantummodo aquilonari templi aedificatores domicilia sibi exstruere possent, atque ex ea tantùm parte exuberans frequentia ciuium extra moenia ciuitas, excresceret ac dilataretur.

MVRVS Bezetae. *Ioseph. 6. bell. c. 9.*

Hanc nostram coniecturam suo suffragio videtur confirmare Iosephus, cùm de muro secundo, hoc est, huius secundae ciuitatis, quam modo inquirimus, haec scribit. Capit autem hac parte murum Titus die quincto, postquam primum ceperat; fugatisque inde Iudaeis, intro cum lectis mille transijt, quos circa se habebat, armatis; vbi noua ciuitas, quòd lanae venditores erant, fabrique aerarij, vestiumque mercatus, & ad murum angustae viae transuersae tendebant. Haec ille, atque iterum ac tertiò repetit angustias viarum, ac sinuosos calles, quibus muniti habitatores, vrbe potitos expulerunt Romanos. Quo fit verisimile, vrbem ab artificibus templi aedificatam, ab eiusmodi artificibus inhabitatam vsque ad ea tempora fuisse; quoniam iuxta eorundem indigentiam exstructae erant ibidem domus; viae autem & compita, abiectis illis ac pusillis opificum animis respondebant. Vix enim ad magna erigi possunt horum hominum humiles animi & abiecti, quantumuis facultas suppetat & potestas. Huius praeterea ciuitatis meminit Iosephus, vbi tribus celebrioribus vrbis collibus Sione, Acra & Moria commemoratis, subdit. *Ioseph. 6. bell. cap. 6.* Quin & quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezeta, situs quidem ex aduerso Antoniae; fossis autem altissimis separatus, quae de industria ductae sunt, ne Antoniae fundamentis colli cohaerentibus, & accessui facilis fit; & minus edita, vnde etiam fossae altitudo plurimum turribus celsitudinis adijciebat. Nominata est autem pars addita ciuitati voce indigena Bezeta, quod Latino sermone dicitur noua ciuitas. Et ad finem eiusdem capitis. Bezeta autem collis, inquit, ita vt dixi ab Antonia separabatur, qui cùm omnium esset altissimus, etiam parti nouae ciuitatis coniungebatur, temploque septemtrionali solus obstabat. Quibus verbis illud planè significatur, collem Bezeta totum septemtrionalem templi tractum occupasse.

ALIA EST noua ciuitas praeter Bezetam dicta Caenopolis.

At quo pacto, inquies, Iosephus coniunctum collem hunc affirmat parti nouae ciuitatis, si & ipse collis, vt suprà attigimus, noua ciuitas dicatur? Respondeo hunc nodum facilè dissolui, si intelligamus aliam huic nouae ciuitati posteriorem superadditam ciuitatem, quam Graeca lingua Caenopolim idem auctor vocat, vt infrà tractabimus. Verùm illud difficultatem inuoluere videtur inextricabilem, quo pacto hunc collem Bezeta omnium celsissimum Iosephus vocauerit, quod nisi in Graeco etiam codice pari ratione legeretur, facilè negarem a Iosepho dictum; quoniam multo celsiorem fuisse putamus Sionem, tum rationum fortissimarum momentis innixi, tum ipsius Iosephi testimonio suprà allato. *Sup. lib. 1. c. 6. ex Ioseph. 6. bell. cap. 6.* Sed hic quoque nodus solui facilè potest, si dicatur, Sionem, & Acram, ac Moria, quippe montium, in quibus insedebat vrbs Hierosolyma, a reli-

[1] *Egesip. lib. 5. de excid. vrb. c. 9.*

Sup. lib. 1. cap. 8.

TEMPLVM tribus haec-bus inac-tessum.

à reliquis Iosephum distinxisse ; collium nomine editiora quidem loca , sed montibus humiliora significasse , quorum omnium celsissimus fuerit Bezeta , si cum collibus Antoniae, inferioris Caenopolis , domus Salomonis , & similibus, hae ipsa montium voce & appellatione insignitis, conferatur . Ergo nouae huius ciuitatis origo, & habitationis exordium huiusmodi fuit .

At absoluto iam templo , quid opus fuerit ea noua vrbe ac Bezetae habitatione quaeret aliquis , cùm vix vllus tot artificium operis , absoluto vt dicimus templo , locus superesse videatur ? Respondeo & si tot artificibus opus tum non fuerit , quot in templi exaedificatione opus fuisse certò nouimus ; non minus tamen necessaria fuit eiusmodi Bezetae habitatio post absolutum templum, ad eiusdem templi ministeria commodius obeunda , quàm dum templi fabricae instabant artifices , vt suprà manifestissimis argumentis comprobatum est . Cuius rei argumentum quoque non inualidum petes ex vrbis singulis partibus, quas in superiori eiusdem ciuitatis figura à nobis notatas reperies . Nam in muro orientali huius nouae vrbis aperta erat porta illa celebris , dicta Gregis , cuius nominis omnes ferè Patres , & scriptores eandem assignare videntur rationem , quia per eam greges immolandi de valle Hennone venientes in templum infetebantur . Quapropter etiam forum eidem portae vicinum , & vsque ad angulum templi pertinens , Probaticum dicebatur , hoc est pecuarium , & piscina in eodem foro sita dicebatur Probatica .

DE MVRO SECVNDO VRBIS BEZETAE, & Porta Genath, quae & Gregis dicebatur.

Cap. XIII.

CIVITATIS Bezetae muros distertis verbis describit Iosephus . Secundus autem murus , inquit , à porta quidem habebat initium , quam Genath appellabant . Haec autem fuerat muri prioris ; septemtrionalem verò tantummodo tractum ambiens , vsque ad Antoniam ascendebat . Quibus verbis cùm ipsius muri proprius situs exprimatur , nempe templo à Septemptrione tantummodo obiectus ; isque valde consonet allatis suprà testimonijs , quibus vrbis Bezetae situs ostendebatur templo septemptrionali oppositus ; manifestum fit , quaenam vrbis porta Genath diceretur , id quod ex ipsius etiam vocis notione manifestius fiet . Et quidem primùm, qui ipsam vrbem quasi ob oculos positam in descriptione nostra contemplatus fuerit , facilè agnoscet , portam hanc templo , atque ipsi Bezetae vicinam fuisse , atque in orientali latere muri apertam , vt ex verbis Iosephi probari facilè potest . Neque enim vlla alia ratione murus Bezetae obiectus septemtrionali templi lateri , ad Antoniam ab hac porta ascendere potuisset , nisi porta templo proxima , orientali & aquilonari eiusdem templi angulo responderet : nàm si proxima , non esset, cut aquilonari potius templi lateri , quàm toti illi spacio , quo à templo distaret , illa obiecta diceretur ? Quid plura ? Si Bezetae finitima non esset haec porta , nulla ratione initium praestare posset muro eius vrbis . Quod ex ipsa portae descriptione exemplisque in positione adductis quisque intelliget . Quapropter cùm nulli ex portis vrbis haec omnia conuenire possint , praeterquam portae Gregis , eam certò statuere cogimur , dictam quoque Iosepho portam Genath .

Ioseph. 6. bell. c.6.

Quare autem ea sic dicta fuerit , non erit difficile perscrutari , si prius , quid ea vox significet , inuestigemus . Graecè sic scribitur , Γενὰθ Gennath , quam vocem ex Hebraicis potius quàm Graecis fontibus duci , vel ipse voeis sonus , ac litterarum series ostendit : quam enim huic similem , aut affinem in Graecorum lexicis reperias ? Sed hoc verum esse ea quoque testantur , quae mox ad nostram sententiam confirmandam afferemus . ea enim Hebraicè scribi posset גנת ginath , quae hortum significat , vt mox exemplis demonstrabimus . Et primùm illa in Graeco litterae ν ni geminatio confirmare videtur sententiam Rabbi Dauidis , arbitrantis huiusmodi vocem deduci à radice גנן ganan , quae protegere significat , circumcludere, vel circummunire septo , vel scuto : quare vox genath hortum significabit circumquaque munitum ae vallatum . Cuius deductionis argumentum est , inquit , punctulum illud , quod daghes vocant Hebraei , inscriptum litterae נ nun , tam in numero multitudinis huius vocis , quàm cùm ea pronominibus iungitur atque affigitur . Huius enim puncti prolatio & vis , nulla alia ratione , quàm geminata littera aliarum gentium characteribus exprimitur . Huius quidem vocis notionem exprimere voluisse videtur sponsus in Canticis illis verbis . *Hortus conclusus* , inquit, *soror mea sponsa , hortus conclusus*, hoc est, hortus vallo aut muro septus , & circummunitus , & alijs omnibus illibatus , tamquam domino earus , ne cuipiam in eum ingredi , aut fructus praeterquam domino decerpere liceret . Verùm in propria ferè forma reperitur haec vox iterum in Canticis . *Descendi* , inquit sponsus, *in hortum* גנת ginaht, *nucum, vt viderem poma conuallium* . Quem locum Hebraei ferè omnes conuallis reddunt , quos imitatus est Pagninus . Septuaginta verò, in hortum nucis descendi , inquiunt , videre genimina torrentis . Symmachus ad considerandos fructus conuallis : alius verò interpres Graecus, ad videndum scripsit fructum torrentium . Vatablus Graecos sequutus , vt spectarem, inquit, virentes plantas ad torrentem .

QVID SIgnificet vox Genath.

DAGHES Hebraeorum punctum cum duplici littera in peregrino idiomate proferri debet.

Cant. 4. ℣.15.

Cant. 6. ℣.10.

HORTVS Regis in valle Hennon.

Symmach. Interpret. Graec. in notat. Sixt. Latini Septuag. Vatab.

Quae omnes huius verbi versiones ita cum vulgata nostra lectione conspirant , vt locum huius horti manifestè ostendant, nempe vallem Hennon, in quam vtpote humili loco sitam à Regia Salomonis descendendum omnino erat . Irrigabat autem vallem hanc & Regium hortum torrens Cedron . Quare meritò descendit, vt videret pomifera ligna horti , quae iuxta torrentis fluenta , vberiores & pulcriores fructus afferebant .

Vel

Vel si malis iuxta vulgatam interpretari, descendi videre fructus, vel poma lignorum, quae iuxta diductos per deciuia conuallis plures riuulos plantata sunt. Quo enim plurium horti sui fructuum copiam commendet, non conuallis, sed *conuallium* dixit, per quas decurrunt aquarum riuuli, propterea quae etiam citatus Graecus interpres, torrentium dixit, non torrentis, cùm vnus tantummodo Cedron torrens legatur, aut hodierna die conspiciatur propter Hierosolymam fluere. Ergo meritò porta Gregis, quae ad dictum hortum ducebat, porta horti dicetur. Verum est tamen, non ob hunc hortum tantùm vocari potuisse portam horti, vel hortorum, sed etiam propter plures hortos vallis Iosaphat, quorum vsque in hodiernum diem memoria manet, & illius potissimum sacratissimi horti, cui *Gethsemani* nomen erat, in quo nocte illa passionis suae CHRISTVS Dominus *factus in agonia, prolixius orabat*. Ex cuius nominis etymologia deducere contendit Benedictus Ariasmontanus plures ibidem hortos fuisse, consimili murorum, portarum, & interiacentium viarum forma, atque tota exteriori facie paene confusos, sola numerorum serie distinctos; quare & à praefixis numeris denominabantur, primus, quinctus, septimus, vel octauus, idque significari putat voce Gethsemani. Eius verba referre libet, vt res magis perspicuè videatur. Tempore, inquit, Christi Hierosolymorum suburbana elegantissimis hortis ornata erant, vt paradisus voluptatis à Iosepho auctore Hebraico appellata illa fuerint. Hortorum autem nomina ex notarum numero erant imposita, aliàs ipsa murorum & portarum facies prima similis erat, quae elegantis operis esse solet ratio. Tridenti huiusmodi hortorum vias vidimus. Gethsemani idem Latinis, quod hortus octauus, vel pinguis significat. Haec ille.

Verùm licet, quidquid ordinis, quidquid pulcritudinis, quidquid vrbanitatis excogitari possit, id omne illi Hierosolymorum vrbi tribuendum ipse quoque profitear, propter Salomonis in ea excolenda & illustranda sapientiam, atque incredibilem paene sollicitudinem, atque omnia ordine, numeroque constare potuisse non abnuam; tamen cùm villae, non horto tribuatur hoc nomen ab Euangelistis, hodieque absit à villa hortus, haec vocis interpretatio quomodo in villam quadret, planè non video, nisi fortè nomen mutuata sit villa ab horto, quòd haec illi esset loco proxima, ille hac cultu & pulcritudine multo celebrior. Hoc vnum tamen notatum volo, non hac interpretatione indigere nos, vt probemus plures fuisse in valle Hennon hortos: nam id pluribus sacrae Scripturae testimonijs ostendi ae probari nullo negotio potest. Vnicum verò Ieremiae tantummodo afferemus, cum sancti Hieronymi interpretatione. Est autem huiusmodi. *Et aedificauerunt excelsa Topheth, quae est in valle filij Ennom.* Et subdit: *Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur amplius Topheth, & vallis filij Ennom, sed vallis interfectionis, &c.* Vbi Hieronymus, illum locum significat, inquit, qui Siloë fontibus irrigatur, & est amoenus, atque nemorosus, hodieque hortorum praebet delicias. Confirmari praeterea possunt, quae dicimus, ipsa nominis Topheth interpretatione, quam fusiùs suo loco tractaturi sumus. Interim tamen Hebraeorum omnium consensu vox ea tympanum significat, sicque dictam putant vallem hanc scriptorum quamplures, propter tympana in ea personari consueta, dum coram parentibus viui infantes Idolo Moloc comburerentur, vt eo strepitu ac fragore tympanorum, iugiter parentum auribus obstrepente, neque filiorum illi voces exaudirent, neque eorum gemitibus tangerentur. Verùm si ea tantùm de causa à tympanis denominaretur vallis, non aptè videretur conuenire elegans illa, ac totius artificij plena anthitesis, quam paulò antè retulimus, *non dicetur amplius Topheth, sed vallis occisionis*. Nam si nomen ipsum Topheth immanem illam innocentum puerorum carnificinam significat, quam vix alia quàm diabolica impietas, & in humanum genus acerbissimum odium excogitare, aut sustinere potuisset, quid huic voci opponitur? An vox occisionis? quasi verò alia occisionis ratio posset excogitari hac ipsa vel immanior vel crudelior. Quare dicendum arbitramur, non tantùm propter eiusmodi tympana dictam vallem Topheth, siue tympani; verùm etiam propter festiua tympana, quae in hortis, amoenisque eius vallis lucis, ac locis choreas ducentes, vel idolis, vel sibi ipsis indulgentes hilariter tangere consueuerant Hierosolymitani ciues; quorum laetitiae ac voluptati debitas comminatus poenas Isaias, *cessauit*, inquit, *gaudium tympanorum, quieuit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae*. Ergo his omnibus collatis argumentis facilè comprobari videtur, portam Gregis, quae in vallem Hennon descendit, vocari quoque à Iosepho Genath, hoc est horti, vel hortorum.

Isai. 24. ℣. 8.

Verùm non hoc tantummodo, sed & ferè omnia alia, quae de Bezeta vrbe, eiusque portis dicta sunt, comprobari videntur insigni illa, ac celebri historia, euersionis Hierosolymae, quam liber Regum atque Ieremias referunt, sed luculentius Ieremias prosequitur, plura enarrans. *Vndecimo*, inquit, *anno Sedeciae, mense quarto, quinctà mensis aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes Regis Babylonis; & sederunt in porta media*. Quibus quidem verbis eam captae vrbis historiam referre videtur Ieremias eisdem ferè signis, quibus non multò antea futuram eandem praedixerat Sophonias. *Et erit in die illa*, absque dubio, quam vocauerat idem hostiae Domini, quaque visitaturum se mox Ierusalem in lucernis *dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium*; irruentibus, inquam, per eam Chaldaeis, vt à nobis id firmissimis argumentis ostendetur; idemque ipsum testatur Ieremias, dicens, *aperta est ciuitas*, porta inquam piscium extimi muri deuastata: *& vlulatus à secunda*. Haec est porta secundi muri Bezetae, portae piscium in directum obiecta, cuius meminit quoque Ieremias dicens, *& sederunt in porta media*; hoc est muri medij, inter tertium & primum. *Cumque vidissèt eos Sedecias Rex Iuda, & omnes viri bellatores*, quasi desperantes, reliquas se vrbis munitiones tueri posse, duobus firmissimis muris ab hostibus iam obtentis, *fugerunt, & egressi sunt nocte de ciuitate per viam horti Regis, & per portam, quae erat inter duos muros*. Et iterum.

MVRVS Bezetae medius vocatur. *4. Reg. 25. Ier. 39. ℣. 2. 3. & seq.*

Sophon. 1. ℣. 10.

PORTA piscium Bezetae proxima, per quam irruperunt vrbem Chaldaei.

Ierem. 39. ℣. 4.

PORTA enath, hoc ſt horti, uare ſic dita.

uc. 22. ℣. 43.

ORTVS ethſemani, uare ſic dius.

riaſmont. Math. 26. ℣. 36.

ETHSEani ſignitio.

LVRES ortos fuiſſe valle Ioaphat proant ſacrae ripturae iſtimonia. r. 7. ℣. 32.

Hieron.

QVAE catur vall: Topheth.

Iere. 52. ℣. 7. rum: *& diruptа eſt ciuitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntque de ciuitate nocte per viam portae, quae eſt inter duos muros, & ducit ad hortum Regis.* Et totidem ferè verbis liber Regum. *Et interrupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portae, quae eſt inter duplicem murum ad hortum Regis.* Quorum omnium teſtimoniorum verbis commentarium adieciſſe videtur Ioſephus loco allato, dum portam Genath fuiſſe inquit muri prioris, & principium muri ſecundi, quos duos muros, vel duplicem murum commemorant ſacri textus, eamque Genath appellari. In libris autem Regum, & proximè allato Ieremiae loco Hebraicè ſic habetur. דרך שער בין החמתים אשר על גן המלך derec ſaghar ben hachomothaiim aſer ghal gan hemelech: viam portae inter duos, vel duplicem murum, quae ad hortum Regis; eadem eſt vox, quae refertur à Ioſepho.

4. Reg. 25. ℣. 4.

DE ORIGINE, ET NOTIONE VOCIS BEZE-tae, & de Probatica piſcina, nec non de foro, & porta Gregis.

Cap. XIIII.

QVAE de noua vrbe, eiuſque muro, ac partibus dicta ſunt, omnia tunc maximè confirmata manebunt, cùm huius ciuitatis nomen attentiùs inſpexerimus. Vocatur enim à Ioſepho allatis teſtimonijs Βεζέθα bezetha, quam vocem indigenam vocat, hoc eſt, Hebraeam; de Hieroſolyma enim loquebatur, quam ipſe, quippe Hebraeus genere ac lingua, cum alijs Hebraeis indigenis incolebat. Iterum tamen idem Ioſephus vocat eandem ciuitatem βηθεζαὶ bethezan. Neque verò librariorum incuria mendum irrepſit, quae ipſorum quoque interpretum Latinorum, qui conſtanter vbique legunt Bezeta, coniectura fuit; id vero difficilè contingere potuiſſet, binas illas litteras, è ſuis locis ac ſedibus commutare. Verùm ijs omnibus coniecturis certius eſt Egeſippi teſtimonium, qui eadem ferè Ioſephi verba referens, Bethesdam legit. Quaſi verò eadem omnino ſit vox haec cùm illa, quam refert Ioannes Euangeliſta, cuius Graecus textus ſic habet. ἔστι δὲ ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ βηθεσδὰ eſti de en tis hieroſolymis epi ti probatici colymbythra i epilogomeni hebraiſti bitheſda. Latini verò non pauci codices Graecos imitati, ſic legunt. *Eſt autem Ieroſolymis* ſuper Probaticam, vel apud Probaticam, vel in *Probatica piſcina*, eos enim omnes ſenſus admittit Graeca praepoſitio ἐπὶ epi iuncta datiuo caſui τῇ προβατικῇ ti probatici. Quaſi verò illud innuere contendant praeallatae lectiones, nomen Probatica, non tam piſcinae fuiſſe, quàm plateae vel loci, quo piſcina illa ſita erat. Quae lectiones quamuis ſubtiliter in ſpeciem afferantur; multo tamen plures & abſque dubio vetuſtiores, ac nobiliores codices vocem Probatica in recto legunt, quaſi ſit ipſius piſcinae nomen: quam lectionem doctè ſanè Toletus ex Cyrillo, Chryſoſtomo, Theophylactoque Graecis, & ex Hieronymo vtriuſque linguae peririſſimo viro confirmat. Verùm ſuper haec omnia confirmatur lectione vulgata emendatiſſimi codicis Sixtiani, qui ſic habet. *Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina.* Et quamuis rei ſenſus vnus atque idem ferè ex vtraque lectione elicitur, ſiue forum denominetur à piſcina, ſiue haec ab illo: illud tamen omnino reprehendendum videretur, ſi quis ira vellet Graecae inſiſtere lectioni, vt negaret piſcinam Probaticam denominatam, tum propter vulgatae auctoritatem, tum etiam propter Patrum, ac doctorum communem hac in re conſenſum. Eam autem vocem Graecam eſſe probat ipſemet Euangeliſta Graecè ſcribens, & Hebraicum ſubiungens nomen. Graecae autem vocis originem atque notionem ſine vlla controuerſia tradunt ſcriptores; deducitur namque προβατικὴ probatici à voce πρόβατον probaton, quae ouem ſignificat, quam conuertere licebit in ouinam, vel pecuariam. Quare autem ſic diceretur, quoniam à pleriſque viris doctis in controuerſiam adducitur, alibi pertractandum praetermittimus. Illud tantum hic obiter dictum volumus, Probaticam omnium conſenſu piſcinam dictam hanc, immo & forum, & praeterea portam ipſam, quae foro, & piſcinae, ac mox templo viam aperiebat, quod ouibus, ac reliquis animalibus ad templi miniſteria neceſſarijs haec tria in vrbe potiſſimum deſeruirent: porta inducendis, forum detinendis ac diſtrahendis, & piſcina lauandis ouibus, ac pecoribus. Quae tria loca, & ſibi inuicem cohaerentia, ac paene coniuncta, & in ciuitate noua, quae vocabatur Bezeta, ad ſeptemtrionalem partem templi ſita fuiſſe, nullus, qui aut deſcriptionem noſtram perſpexerit, aut loca illa huius partis, quibus ſigillatim de vnaquaque rerum eiuſmodi agitur, perlegerit, dubitare poterit vllo modo.

Sed ad Hebraicum piſcinae nomen veniamus, ipſumque ſi placet Euangelij locum perpendamus. Ad nullum aliud nomen referri poteſt relatiuum illud, *quae*, praeterquam ad nomen piſcinae; nullumque alium ſenſum admittere poteſt praeter eum quem diximus, vt cuilibet perſpicuum eſt. *quae cognominatur Hebraicè Bethſaida*, inquit Euangeliſta. Hanc autem vulgatae lectionem amplexatus videtur Cyrillus, Chryſoſtomus, Euthymius, Hieronymus; eamque rerinendam arbitramur: quamuis Ianſenius cum neotericis Graecam lectionem tueatur. Toletus variam arbitratur voces has duas ſortiri apud Hebraeos ſignificationem, ſicut & varias origines. Betheſdam enim componi putat ab Hebraea voce בית beth, quae domum ſignificat, ac conſequenter cuiuſcumque rei receptaculum, & אשר eſed, quae effuſionem denotat; quaſi diceret domum effuſionis, vel propter effluentes in eam pluuiales aquas, vel propter effuſas è templo, eoque deductas per canales.

Tolet. Ioan. 5. not. 2. Cyrill. lib. 2. cap. 122. Chryſ. 38. Theophyl. Ioan. 5. Hieron. de locis Hebr. Ioan. 5. ℣. 2.

PROBATICA piſcina cur ſic dicatur.

BETHESDA quid ſignificet.

Cyrill. & Chryſoſt. citati. Ianſenius concord. c. 36. Euth. Hier. Tol. in Ioan.

Ioſeph. 2. Bel. c. 24. Graec. xiφ. λϐ'.

LEGENdum Bethezа.

Egeſip. lib. 2. de excid. c. 15.

Ioan. 5. ℣. 2

DE PRObatica piſcina.

BETHSAIda quare dicta.

vocem verò Bethsaidam non quidem eodem modo, aut eisdem characteribus scribi putat; neque idem propterea significare, sed longè diuersum. Nam vel iuxta aliquorum sententiam deducitur à Chaldaica voce חשדה chesda, quae misericordiam significat, quasi diceret, ביתהחשדה Bethchesda domus misericordiae, propter assiduam in sanandis aegrotis Domini misericordiam. Vel iuxta Euthymij sententiam, qui domum piscationis, conuertit hanc vocem; eamque deduxisse videtur à voce ציד tsaiid, quae piscationem significat, ex qua componi putat vocem Bethsaida, quae SS. Petri & Andreae patriam denominabat; eamque domum piscationis, vel piscatorum licet interpretari. Tandem in eam sententiam venit Toletus, vt putaret eandem omninovocem esse Bethesda, atque Bethsaida deductam à voce אסד esed, quae effusionem significat; aliter tamen aut aliter proferri. Nam cùm alieno idiomate propria alicuius linguae nomina efferuntur, litteras saepe demi, alias assumi, aut mutari contingit, vt idiomate alieno accommodentur. Et quidem haec vir ille doctissimus satis acutè: quis enim inficietur voces alieno idiomate proferri, aut scribi difficillimum esse, ex Hebraeo maximè, quòd litteras prolatione, ac potestate ab omnibus alijs aliorum idiomatum litteris diuersissimas vsurpat? Quis quoque vmquam Latinè scripsit, prout scribere potuit Hebraicus litteras, א ו ש ש ם צ ע ח cùm tamen eae frequentissimè Hebraeis verbis insint? Ex quo fit, vt cùm Latino sermone, aut Graeco scribuntur haec verba, aliae addantur litterae, aliae verò auferantur, quibus quisque putat eiusmodi litterarum sonum melius exprimi posse. Quòd, ne testimonijs egere videamur, vel ex eo constare maximè poterit, quod suprà à nobis de voce Golgotha disputatum est: cuius tot diuersas lectiones, & varias circa easdem opiniones, ex hac tantummodo vocis in alienam linguam translatione originem duxisse nullus diffitetur. Idem ipsum praeterea (vt vnicum adhuc tantummodo proferam huius rei exemplum, idque celeberrimum) patet ex alio Euangeliorum loco; si attentè verba illa IESV Christi Domini nostri in cruce pendentis perpendantur, quae à Matthaeo, & Marco referuntur: ELI ELI LAMASABACTANI. Haec autem verba ex psalmo vigesimo primo desumpta esse testatur Hieronymus: & Theodoretus, patibulo, inquit, suffixus in hanc vocem prorupit, ipsa Hebraica voce vsus, *Heli Heli lamazabathani*. Et Chrysostomus: dicit enim, inquit; *Eli Eli lamma sabachthani*, vt vsque ad extremum spiritum honorari ab eo patrem, & non esse illi aduersarium discerent. Quapropter & propheticam vocem emisit, veterem approbando scripturam, & Hebraicè dixit, vt probè eiusdem ipsum esse cum Patre voluntatis perciperent. Haec Chrysostomus. Verba autem psalmi Hebraicè sic habentur, אלי אלי למה עזבתני eli eli lamah ghazabthani, quo modo corrigendos vulgatae textus putat Liranus, sed falsò; nam in Graeco codice Regio tam apud Matthaeum, quàm Marcum legitur: λαμμᾶ σαβαχθανὶ lamma sabachthani; quae quidem vocis prolatio Hebraicam potius videtur sequi proferendi rationem quàm Chaldaicam, quae sic habet, למה שבקתני lammah sebachthani. Qua-

BETHSAIda SS. Petri, & Andreae patria, domus piscationis, vel piscatorum interpretatur.

DIFFICILE est alienae linguae verba proferre, difficiliùs scribere, difficillimum si sint Hebraica verba.

Sup. lib. 1. verb. cap. 9.

Matth. 27. ℣. 46. Marci 15. ℣. 34.

Hier. super psal. 21.

Theod. ibid.

Chrysost. homil. 89. in Matth.

VOX Christi in cruce pendentis, Eli Eli ex psalmo desumpta.

Marianus Victorius notat in Hierony. commen. in Matth. 27.

propter non desuere quamplures eum Lirano, qui & hanc vocem esse Chaldaicam; & alias praeterea, quas eiusmodi adducunt ex Euangelijs, ex eadem lingua deductas fuisse arbitrarentur. Verùm vt patrum, immo & Euangelistarum testimonijs attestantibus, illi similia verba Hebraica esse, respondeant, nouam quandam Hebraicam linguam confinxerunt post reditum è Babylone, Babyloniorum propriam, nempe Chaldaicam, vel Syrochaldaicam. Sed demus hoc istis facillimum factu fuisse, vt natiuum gentis idioma peregrinae gentis quamplurimis verbis, ac vocibus propter septuaginta annorum mutuam consuetudinem permisceretur. At quis tandem dicere sanus audebit, tam breui tempore gentem aliquam proprij idiomatis oblitam fuisse, & alieno tantummodo locutam? Nullus planè.

AN LINgua Hebraica caruerit tempore Babylonica in Chaldaicam conuersa sit.

Sed enim quoniam de hac quaestione certi aliquid hoc loco statuere nostri instituti non est, illud omnino propter tantorum patrum allata testimonia fateamur necesse est, verba illa psalmi eodem prorsus tenore verborum, quo scripta erant in legis voluminibus, quouè assiduè, dum diuina peragerentur sacrificia, toti populo decantabantur in templo, eidem populo adstanti à IESV Christo Domino nostro, dum suum perageret sacrificium, pronunciata fuisse. Nimirum vt hac quoque verborum prolatione significaretur, id tum in cruce sacrificium Deo offerri, quo reliquorum omnium veritas & meritum continebatur, & cuius gratia sacrificia illa, ritus, caerimoniae, cantica, ac psalmi instituta fuere, ac sollemni ritu saepius aeterno Patri proponi iussa sunt. Quare varium tantummodo proferendi modum, siue potius aliena lingua scribendi vocem hanc diuersam à seipsis effinxisse crediderim, maximè cùm eo tempore scriberetur, quo nondum inuenta fuerat à Masoretis punctorum, quae pro vocalibus essent, distinctio: praeterea eandem vocem esse *ghazabthami*, atque *sabachthani* hoc vel illo modo prolatam, non mutatis characteribus; quamuis postmodum diuerso modo scripserint Hebraei atque Chaldaei, suam quique exprimere volentes prolationem.

PROBATIcae, & Bethesdae mirabili consilio simul commemorata nomina.

Iam verò vt ad instituti nostri rationem reuertamur, cuius gratia paululum quasi à via defleximus, non mediocrem nobis intulit difficultatem ipsemet Euangelistae contextus, quo & Graecum nomen προβατικὴ probatici Hebraico coniunxit βηθσαϊδὰ bethesda: quod non temerè, nec sine mirabili consilio factum crediderim; idem enim vtraque voce mysterium, eadem re significata ostensum, rationabili coniectura ductus, innui existimo; quod ego inuestigare dum cupio, idem mihi praedictae portae Gregis Hebraicum nomen in mentem venit, quod huiusmodi est: שער הצאן sagar hatson, porta Gregis, vel pecoris. Quod si בית הצאן beth hatson componas, aut sine punctis litteram א aleph in Latinam, a, conuertas, resoluasque difficilem Latinis Hebraicae litteram צ tsade prolationem in ts, vel ds, aut in Graecum ζ zitha, quod in ds, resoluitur; facilè inuenies vocem Bethhasdam, vel Bethesdam, siue Graecam, βεθέζα bethezan, aut βεζεθὰν bezethan: simulque intelliges has omnes non diuersas esse voces, sed eiusdem varias iuxta aliena idiomata pronunciationes; neque ab his dissimilem esse vocem illam Bethsaida. Etenim cùm litte-

ra ε epsilon haud dissimilis prolatione sit diphthongo, ex α, alpha & ι iota compositae, facilè potuit vtpote peregrina vox consimili littera א aleph compositа per diphthongum hoc modo scribi, βεθζαιδὰ bethsaeda, quam alius diuisa diphthongo Bethsaida proferret. His porro omnibus coniecturis eo adducor, vt credam portam, forum, piscinam; immo verò & totam nouam illam ciuitatem à pecoribus denominatam; quoniam vt dixi, pecorum potissimum vsibus, quae immolabantur in templo, deseruiebat tota ferè ciuitas illa, quae Egesippo perantiquo historico teste, Bethesda olim denominata fuit. Sed vnus adhuc euellendus est scrupulus, qui ratiocinationis nostrae cursum impedire posse videtur. Is autem huiusmodi est, quòd Iosephus proprij idiomatis peritissimus vocem Bezetam, vel Bethezan in καινὴ πόλις caeni polis, hoc est nouam ciuitatem conuertendam tradidit. Et quidem quod ad ciuitatis nomen attinet, nulla in ea voce reperitur particula, quae ciuitatem significare possit, praeter illam בית beth, quae ad plura significanda transfertur. Quare & quamplurimis ciuitatum nominibus praeponitur ea vox, vt Beth auen, & Beth phogor, Beth fames; & alia paene innumera inuenies eiusmodi ciuitatum nomina. Altera verò vocis pars deduci Iosepho videtur à radice יסד iasad, quam si feminino more termines, יסדה iasdah leges, componesque ex vtraque vocem בית יסדה beth esda, vel quiescente, vt aiunt peiod Bethzeda, & affini sono Bezeta. Vox verò יסד iasad fundare significat: fundamentum autem initium est cuiuscumque aedificij, ideoque fundare nonnumquam vsurparur pro eo, quod est incipere; vt videre est in libro Regum, vbi quod semel dicitur, *in anno quarto aedificari coepit domus Domino*: Iterum explicatur dum scribitur, *anno quarto fundata est domus Domini*. Quare cùm vox Bethesda in domum fundationis conuerti possit vel domum fundatam denuo, sensum expressisse videtur Iosephus, dum nouam ciuitatem eam compellauit. Et quidem si pari ratione piscinae illius quae Bethesda dicebatur, nomen interpreteris, fundamenti piscinam meritò eam vocabis; nam iuxta historiam fundamentis templi adiacebat: vel fundatam piscinam dices, quòd non minori apparatu, quàm sumptu à Salomone pro vsu templi fundata fuerit. Quod si mysterium exquiras, quamplurimi ex patribus, ac doctoribus Ecclesiasticis testantur, ea piscina, ac sanitate, quae in ea reddebatur infirmis, Baptismi sacramentum, atque eius mirabilem virtutem expressam fuisse, quod Christianae vitae fundamentum meritò appelles. Sed de hac re iterum.

PORTA, forum, piscina, & tota noua ciuitas à pecoribus denominabatur, Gregis, Probatica, & Bethesda. *Egesip. sup. cit.*

BETH Hebraica vox plurium ciuitatum nominibus praeponitur *Num.* 32. ℣. 36. *Iosue* 19. ℣. 6. *Iosue* 15. ℣. 17.

3. *Reg.* 6. ℣. 1. & 37.

BETHESDA domus fundamenti quare dicatur.

PISCINA à Salomone aedificata. Baptismi sacramentum indicat.

DE BEZETAE VRBIS, EIVSQVE MVRI *auctore & dimensione.*

Cap. XV.

IAM tandem, quod ad Bezetae tractationem attinet, illud tantummodo de ea adhuc quaerendum videtur, quisnam fuerit huius vrbis auctor, aut primus fundator; eamque quis munierit, ac muris cinxerit. Non defuere, qui arbitrarentur ab Agrippa Rege fundatam atque munitam ciuitatem hanc, quibusdam confisi Iosephi testimonijs, perperam ex Graeco conuersis, haud secus quàm adductis. De quibus quoniam mox agendum est sigillatim, dum inferiorem Caenopolim, ac murum vrbis tertium inuestigamus, nunc eisdem supersedendum duximus. Illud interim affirmamus, quod tunc maximè patebit, neque rationem aliquam dubitandi in hac re dedisse Iosephum, quinimmo eius testimoniis constabit, antiquiorem fuisse vrbem, ac murum Bezetae ipsomet Agrippa. Quare cùm Iosephi vel aliorum scriptorum nullum omnino supersit manifestum de hac re testimonium, quid ex sacra Scriptura, ac rationibus excogitatis adduci possit, ostendemus. Et quidem hoc certum est in sacris historiis, vrbem Hierosolymam muro quodam circummunitam à Salomone fuisse. ibi enim sic scribitur: *Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri. Haec est summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad aedificandam domum Domini, & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem*, &c. Cùm ergo murus vrbis superioris, ante quadraginta, aut paulò amplius annos à Dauide Patre suo aedificatus fuisset, vt suprà probauimus; non videtur verisimile, eundem murum aedificatum à Salomone fuisse. Pari quoque ratione coniici potest, murum ciuitatis Salem instauratum fuisse ab eodem Dauide. Quid enim exercitatissimo militi profuisset, circummunire celsissimum, ac natura munitissimum montem Sionem, si eiusdem ciuitatis maximam partem, quae, vtpote inferior, magis hostium incursionibus patebat (vt patuisse eam deinde probauit euentus) eam inquam, omni quidem munitione destitutam relinqueret? Quapropter non tantùm arbitramur antiquum inferioris vrbis murum instauratum fuisse à Dauide; immo verò munitissimum effectum, atque vbi opus erat, nouis muris aedificatis, muro vrbis superioris, quam denuo aedificabat atque cingebat ipse Dauid, vndequaque coniunctum fuisse; ita vt vna eademque ciuitas ex vtraque constans, eodem quoque muro cingeretur; ne is aut aliqua ex parte interruptum, aut minus firmum aditum aliquando hostibus aperiret. Quod vel ex eo maximè constabit, quod supra ex Iosepho retulimus; nempe portam Genath fuisse muri prioris: priorem autem murum, seu vetustissimum vocat ibi & alibi saepe Iosephus, murum à Dauide constructum

HIEROSOLYMAM muro quodam circumdedit Salomon. 3. *Reg.* 9. ℣. 14. *et* 15.

MVRVS Sionis, & Salem à Dauide coniuncti nouis superadditis muris.

PRIOR murus idem est, qui Dauidis.

structum. Quare intelligendum est totum Ophel, de quo suprà, muro quoque à Dauide vallatum fuisse. Ac cùm postea Salomon, extra vtriusque vrbis moenia, in area, inquam, Ornam Iebusaei, in loco à Deo mirabilibus prodigijs, ac signis electo, atque ipsi demonstrato, templum aedificasset, illud quoque firmissimis muris ac turribus muniuit, ne infinitis diuitiarum copijs locupletatum, hostibus, quos auri fulgore allicere posset, vlla ratione pateret; praesertim cùm templi ministerijs ac vsui aquilonare tantùm eius latus commodiorem viam accedentibus aperiret. Siquidem ob editissima templi fundamenta orientale latus nulla ratione adiri poterat; meridianum verò latus binis tantum modo portis, angustioribusque vijs, quippe supra fornices, ac pilas immensae profunditatis exstructis adiri poterat; quos saepissimè impediri contigisset, infinita vitulorum, taurorum, ac aliorum animalium multitudine, quae in templum ad sacrificia ducebantur. Pars autem occidua paene infinitam hominum ac mulierum multitudinem tam ex superiori, quàm ex inferiori vrbe venientium quattuor tantummodo portis excipiebat. Quare neque animalibus, neque ipsis ministris templi expeditum iter reliquisset; praeterquam quòd reliqua latera longè aberant à valle Iosaphat, ex qua animalia in templum deferebantur. Quae omnia reliquarum partium templi incommoda, soliusque aquilonaris partis vsus, ac praeterea ipsamet templi dispositio, porta quoque, forum, atque piscina Gregis, seu Probatica, ad Aquilonem sita, de quibus paulò superiùs agebamus, facilè demonstrant, aquilonarem vrbis partem, ac potissimum Bezetam templo maximè necessaria fuisse. Cui ergo verisimile fiet, prudentissimum, ac ditissimum Salomonem eam partem templi, eiusque portas, animalibus inferendis diu noctuque patentes, hostium incursionibus accessum propterea percommodum, quòd non admodum accliuis atque arduus foret, sine vlla anteriore custodia, aut muro reliquisse? Huc accedit, id quod suprà non mediocri coniectura ducti probauimus, quòd vrbs ea ex parte, tum artificum templi, tum etiam eiusdem templi ministrorum opera mirum in modum excreuit. Haec verò coniectura tum ex ibi allatis, tum vel maximè ex hoc Iosephi testimonio comprobari potest: tradit enim, in media Bezeta forum materiarum, vel trabium vsque ad Cestij tempora, quibus conflagrauit, perduransse.

Quo mihi fit verisimile, in eo foro deponi solita ligna, quae de monte Libano Salomoni ad aedificandum templum afferebantur: & cuiuis etiam rationi id valde consentaneum videbitur, situm templi considerantì. Templi enim fundamenta vndequaque valde exstabant, ita vt ex nulla alia parte quàm aquilonari, commodiùs ligna inuehi possent; quorum paene infinita multitudo ac longitudo maxima, templi exstructioni atque vsibus necessaria commodissimum locum, cliuum nempe molliter arduum cogebat inquirere, arduum atque difficilem omnino vitare. Nos igitur omnibus rationum momentis diu perpensis, haud temerè audemus asserere, murum Bezetae à Salomone fuisse constructum, qui à porta Gregis siue Genath, quae fuerat muri prioris, hoc est, Dauidici, à parte orientali initium sumens procurrebat; atque à parte occidua muro antiquae vrbis Salem coniunctus, totum aquilonare latus templi, atque Ophel vndequaque muniebat. Postquam verò tertio muro vrbs ex ea parte iterum vallata fuit; Hircanus Assamonaeus, eius nominis primus Pontifex, arcem termino occidentali huius muri coniunctam exstruxit, Barim dictam, & deinceps Antoniam. Ergo manente toto aquilonari tractu muri huius templo obiecto, murus antiquae vrbis Salem ab Antonia in Occidentem tendens, pro commodiori vrbis vsu interruptus fuit; atque ita hic murus Bezetae templo aquilonaris, quasi quoddam munimentum fuit, quo ipse templi murus ex ea parte munitione maximè indigens, tutior esset. Minus tutam ex ea parte vrbem fuisse expresè testatur idem Iosephus haec scribens: Pompeius verò à septemtrionali templi latere, quod maximè erat oppugnationi obnoxium, admouit milites. Erant autem hac quoque parte turres altae, & fossa manufacta praeter profundam vallem, quae templum cingebat. Nam etiam versus vrbem abrupta erant omnia. Haec ille. Verùm non haec tantùm, sed & reliqua omnia à nobis allata certa atque explorata, ac veritati maximè consentanea fuisse facilè intelliget, qui & historiam captae vrbis à Tito legerit apud Iosephum & Egesippum, & haec omnia in nostra descriptione attentiùs perpenderit.

Sed iam tandem antiquiorem Agrippae temporibus ac vetustiorem murum hunc fuisse praeter ea, quae dicta sunt, facilè ostendunt ea ferè omnia argumenta, quibus infrà ostendemus tertium quoque murum ante Agrippae tempora exstructum fuisse; cùm tamen planè constet secundum murum multò ante tertium exaedificatum fuisse; sed pergamus ad reliqua. Vltimo loco huius muri quantitas à Iosepho commemorata examinanda erat; quare si eidem credimus, tanta fuit, vt in quattuordecim turres aequalis mensurae cum superioribus, ac paris inter se distantiae murus diuideretur. Quo fit, vt cùm singulae turres vicenum cubitorum sint, ducentisque à se dissitae, quattuordecimque turres murum in quindecim spacia diuidant; si ducentos viginti cubitos per quindecim multiplices, murum inuenies ter mille trecentis cubitis longum. Quem numerum si per quadringentos vnius stadij cubitos diuidas, inuenies murum Bezetae longum fuisse stadia octo, & insuper stadij ferè quartam partem; quoniam ab eo centenario numero, qui ex diuisione supereſt, auferendi sunt viginti cubiti vnius turris, quae in eo numero computata est nec debuit; turres enim quattuordecim sunt, spacia quindecim. Itaque huius muri quantitas nonnihil excedit milliaris longitudinem; loquor tamen de milliari eius aetatis.

HIRCANUS primus huius nominis Pontifex arcem Barim excitauit.

Ioseph. lib. 14. antiq. c. 8.

MVRVM Bezetae antiquiorem Agrippa fuisse.

Ioseph. 6. belli c. 6.

MVRI Bezetae dimensio.

220
15
1100
220
3300

3300 | 8 1/4
400

DE INFERIORI CAENOPOLI QVINCTA

Vrbis parte. Cap. XVI.

QVARE à nobis dicatur Caenopolis quincta vrbis pars.

NVMERVM montium Hierosolymae, eorumque ordinem persecuti hucusque fuimus. Diuersis enim ac successiuis temporibus ostendimus, quattuor vrbis partes à diuersis Regibus constructas fuisse atque munitas: Salem olim in monte Acra à Melchisedecho, quam inferiorem ciuitatem vocauimus; superiorem in monte Sione à Dauide; deinde in monte Moria à Salomone templum à fundamentis erectum fuisse, quod integram ac munitissimam ciuitatem imitari videbatur; vrbem insuper Bezetam, eiusque murum ab eodem Salomone constructum. Quò factum fuit, vt cùm trium collium meminisset Iosephus, quartum collem Bezeta appellatum, vnà cum alijs incoli testaretur. Quapropter cùm adhuc alia vrbis pars nobis explicanda superesset, quae Caenopolis vocabatur; eam quinctam, distinctionis gratia, compellare voluimus. Huius autem Caenopolis situm disertis verbis describit Iosephus: non quidem vt eum Latinè conuertit (vel si verum dicere licet, peruertit) interpres, sed ex ipso Graeco fonte, si eruatur germana ae vera verborum eius interpretatio. Nam cùm tertij muri, de quo mox agemus, confinia vel terminos designasset, subdit. Hoc muro eam partem ciuitatis, quam ipse addiderat Agrippa cinxerat. In Graeco verò nihil tale de addita ab Agrippa ciuitate: sic enim scribitur: τότο τῇ περιπεδέσῃ πόλει περιέθηκεν Ἀγρίππας, tuto ti prosatisthisi poli periethicen Agrippas: quae ad verbum sic reddes; hunc (nempe murum) additae vrbi circumdedit Agrippas; & subdit, cùm esset omnis ante nuda. Exuberans enim multitudine paulatim extra moenia τὴν περίβολον ton peribolon extra murum serpebat. Cuius autem muri mentio in praesentia fiat à Iosepho, ex antecedentibus & consequentibus facilè liquet; mox enim ille de septemtrionalibus templi partibus loquitur; cumque eodem Iosephi testimonio iam allato, & alijs argumentis constet, non alio, quàm muro Bezetae septemtrionalem templi regionem primùm cingi, ac deinde tertio, quem ab Agrippa additum exuberanti extra moenia vrbi commemorauerat; manifestum omnino fit, eum de muro Bezetae nunc loqui, extra quem ciuitas multitudine exuberans serpebat.

Iosephus. 6. bell. cap. 6.

LATINAE Iosephi versionis error deprehensus.

Iosephus. 6. bell. c. 6.

His adde quod suprà à nobis saepe assumptum, hic probandum est, partem scilicet aut latus templi septemtrionale, muro tantùm Bezetae vallatum aut circumdatum fuisse; nec intra muri eius ac templi spacia aliquem alium murum exstitisse. Antiquus namque Dauidis murus templo ipso interruptus fuit, vt manifestis verbis testatus est Iosephus. Absoluta enim vrbis commemoratione, cùm primùm ad templi tractationem aggreditur, & cùm loci, quo templum exstruendum erat, angustias commemorasset, subdit. Perrupto autem septemtrionali quoque muro, absque dubio

LATVS aquilonare templi nullo alio muro cingitur intra murum Bezetae.

Iosephus ibid.

A Dauidis; nullus enim ea parte antiquior, tantum assumpsere spacium quantum postea totius fani ambitus incluserat. Quibus consonant, quae ab eodem Iosepho commemorata sunt de antiquo muro Sionis; eum enim meridianum montem circumdedisse commemorat, atque ex altera parte in occiduam templi porticum desijsse, ex altera verò cum orientali porticu templi coniungi. Quò fit vt necessaria ratione sequatur, partem septemtrionalem templi extra murum Dauidis, aut saltem cum eo coniunctam, nulla verò ratione eo circumdatam fuisse.

Illud quoque manifesta ratione probari videtur, quod suprà ostendere conabamur, eodem Bezetae muro templum munitum à B Salomone fuisse. Quis enim credet murum vrbis, qui tunc vnicus tantùm erat, templi aedificatione perruptum fuisse, neque alium exstructum, qui aquilonare templi latus tueretur? Sed pergamus ad reliqua, quae & in Latino, & in Graeco codice non leue lectoribus negotium facessunt; sunt enim ac praecipuè in Latina versione corruptissima; quiduis potius quàm scriptoris sententiam referentia. Ea sunt: Exuberans enim multitudine paulatim extra moenia serpebat, templique septemtrionali regione colli proxima ciuitati adiuncta non paulum processerat. Graecè, καὶ τὰ ἱερᾶ τὰ περιέρκτα πρὸς τὴν λόφῳ συμβαλίζοντες ἐπ' ὀλίγον προῆλθεν. cae tu hieru ta prosarctia pros to lopho symbolizontes ep ouc oligon proilthon. quae sic Latinè vertere licet: & templi septemtrionalia prope collem coniungentes, non parum processerant. Collis autem meminit, de quo mox subdit: Quin hanc aduersatiuam particulam non rectè addidit Latinus interpres, nam in Graeco potius addenda videtur ὥστε hoste, ita vt καὶ τέταρτον περικικλωσαι λόφον cae tetarton perioicithinae lophon, ita vt & quartus circumhabitaretur collis, cui nomen est Bezeta. Sensus igitur Iosephi perspicuus est, si non vt habent Latina, legamus, quin & quartus collis incolebatur, sed vt habent manifestè Graeca, circumhabitabatur; quoniam iamdiu ab ipsis D Salomonis temporibus tanta incolarum frequentia quartus hic collis refertus erat, vt domibus viarum spacia occupantibus, vix angustae viae apertae essent, per quas ciuibus aditus pateret, hostibus quasi intercluderetur. Nam vt Iosephus auctor est, Romani secundo muro potiti, ab opidanis non absque plurimorum militum pernicie, & interitu repulsi sunt. Nec enim, inquit ille, multis simul fugiendi copia per angustias muri patebat: omnesque paene qui transierant, perempti fuissent, nisi Titus eis opem tulisset. Dispositis enim per summa viarum sagittarijs, &c. tamdiu eos prohibuit irruere, donec omnes milites recessere. Haec Iosephus. Quae omnia facilè ostendunt, praeallato Iosephi testimonio ser- E monem fieri de septemtrionali regione templi, ac ipsius Bezetae, circum & extra moenia habitatae. Atque his praeterea eisdem locis ipsius Caenopolis situs apertè significatur.

MVRO Bezetae aquilonare templi, & vrbis latus; Salomone munitum fuit.

IOSEPHI locus restitutus & interpretatus.

Iosephus 6. bell. c. 10.

Sed de ipsius vrbis nomine, & eius origine post pauca subdit idem Iosephus. Nominata est autem pars addita ciuitati voce indigena Bezeta, quod Latino sermone dicitur noua ciuitas. Et quidem cùm paulò antè collem ipsum Antoniae obiectum ab Oriente, templo verò ab Aquilone, Bezeta quoque nominari dixisset; manifestum fit, hoc nomen & ipsius ciuitatis fuisse, quae secundo muro cingebatur; & eius deinde suburbijs inditum. Haec verò Bezetae suburbia postquam tertio

CAENOPOLIS interpretatio.

muro

muro in vnam cum Bezeta vrbem coaluere, eodem quoque nomine denominata sunt; ita vt quasi vna noua ciuitas diceretur, ex colle septemtrionali templi, & è circum exstructis domibus, atque alijs aedificijs conflata, quae tota simul Bezeta dicebatur. At verò mox distinctionis gratia Hebraicum nomen, & antiquum Bezeta antiquiori nouae ciuitati relictum, recentiori nouae Graecum nomen inditum fuit Caenopolis, idem omnino significans: καινὸς caenos enim nouum significat ac recens, quod vetustati opponitur & senio. πόλις polis verò ciuitatis nomen est: quare Caenopolis nouam ciuitatem significabit, haud secus quàm Bezeta. Huius rei manifestum, meo iudicio, argumentum ducitur ex eo, quod vtriusque ciuitatis simul meminit idem Iosephus. Dum enim oppugnatam à Cestio commemorat ciuitatem; populus quidem, inquit, à seditiosis custodiebatur: ipsi autem Romanorum disciplina territi, exterioribus cessere partibus ciuitatis, & in partem interiorem templi refugerunt. Cestius verò transgressus παρεμβολὴν parelthon, introgressus, vel ingressus, Bezetam, quae sic vocatur, & Caenopolim, & forum, quod appellatur materiarum, ξυλῶν docon trabium, aut materiae potius dicendum erat; plurali enim materia ligna significans caret, incendit: deinde cùm ad superiorem ciuitatem venisset, &c.

VIBVS cis Caenopolis à Bezeta distinguatur. Ioseph. 2. bell. c. 24.

Neque hoc tantùm loco Caenopolim à Bezeta distinguit Iosephus, sed etiam altero, quo murum describit à Tito constructum circa superiorem ciuitatem tota inferiore iam capta. Coeptum enim, inquit, à castris Assyriorum, vbi ipse tendebat ad inferiorem Caenopolim murum duxit; hinc per Cedronem, &c. His verò verbis duo videtur significare Iosephus. Primum, fuisse quidem aliam superiorem Caenopolim, nempe eam, quae Hebraica voce dicebatur Bezeta: idem enim, vt ostendimus, haec vox Hebraeis, ac illa Graecis significat. Secundo, inferiorem Caenopolim vicinam fuisse totrenti Cedron, atque iuxta eam olim Assyrios, tunc Titum castrametatum fuisse. Vbi animaduertendum illud videtur pro maiori Caenopolis cognitione, oportere lectorem primùm attentè perpendere, quae de muro vrbis superioris à Dauide constructo, & de muro inferiotis Salem, ac tandem de muro Bezetae diximus. Nam si praedicti muri, eorumque fines in descriptione considerentur, mox apparebit recessus quidam in angulo aquilonari & orientali, qui inferiore Caenopoli repletus fuit. Hanc verò vbi primùm circumdedit tertius murus, tum tota Hierosolyma in quadrum redacta est. Sed de hoc infrà latius agendum à nobis; si tamen prius de Caenepolis muro, necnon toto tertio, quatenus huic eidem coniungitur, & totam vrbem circumdat; ac tandem de eius auctore, proximo ac sequentibus capitibus dixerimus.

Ioseph. 6. bell. c. 13.

VRBIS INFERIORIS MVRVS TERTIVS.

Cap. XVII.

METATIS iam ordine singulis murorum partibus, quibus vrbs ante inferioris Caenopolis fundationem circumdata, atque munita fuerat, quilibet facilè conijcere nobis etiam tacentibus poterit, quaenam muri pars exstruenda supetesset. Pars enim illa duntaxat, quae nouae ciuitati addita est, munitione carebit; ideoque muri tantundem aedificandum erat, quantum à porta Gregis siue Genath vsque ad murum antiquae Salem ascendit, efficitque quasi normam, seu angulum quendam, cuius alterum latus Orientem, alterum verò Septemtrionem spectat. & hic fuit tertius & vltimus vrbis murus. Tertius quidem, quia quicumque ex superiore vrbe ad Aquilonem vellet descendere, & extra ciuitatem egredi, eum oportebat prius mutum transgredi, qui vndequaque superiorem vrbem cingebat: deinde secundum murum Bezetae, ac tandem hunc exteriorem inferioris vrbis murum. Vltimum verò murum vocare hunc libuit, quoniam reliqui omnes, quo à nobis tractati sunt ordine, eodem postea vario processu temporum exstructi fuerunt. Hic verò vltimo tandem loco exaedificatus est, ita vt à Iosepho vsque ad Herodis tempora muris nudam perduraſſe inferiorem Caenopolim memoriae proditum sit; quod nos infrà examinabimus; simulque in huius muri aquilonari latere apertam fuisse portam piscium, firmis rationibus ostendemus.

TERTIVS murus quis propriè dicatur, & quare sic dictus.

Interim notandum est, Iosephum, cùm tertij muri meminit, non tantùm huius additae partis meminisse, sed totius muri ambientis inferiorem ciuitatem, quatenus à vetustiori muro, eiusque angulo occidentali, & aquilonari incipiens, in eiusdem muri angulum orientalem, & aquilonarem desinit, vt ex eiusdem verbis mox patebit. Neque eodem modo semper loquitur Iosephus, non enim semper cùm tertij muri meminit, eiusdem muri ambitum intelligit. Nam cùm mutum tertium in nonaginta tutres diuisum testatur, totum murum extimum, ambientem vndequaque ciuitatem intelligi voluit, hoc est, totum murum inferioris vrbis, ac murum praeterea veterem, qui circuit montem Sionem à latere occiduo, meridiano, atque orientali; vt quamlibet harum notationum firmis rationibus suis locis confirmabimus. Verùm ad Iosephum reuertamur, qui tertium murum his verbis describit. Tertio muro turris Hippicos principium dabat, vnde ad Boreae tractum pertinens, deinde ad Pſephinam turrim veniens contra monumentum Helenae, quae Adiabenorum Regina fuerat, Izatae Regis mater, & per speluncas Regias in longum ductus, à turri quidem in angulo posita flectebatur contra Fullonis, quod dicitur, monumentum. Cùm vetere autem ambitu iunctus in Cedron vallem, quae sic dicitur, desinebat. Hactenus ille, si fas est dicere haec Iosephi esse, quae longè diuersam sententiam continent ab ea, quam Iosephus Graecè scripsit.

TERTIVS murus dicitur à Iosepho, qui totam vndequaque inferiorem vrbem circumdat.

TERTII muri descriptio.

scripsit. Et quidem, quò haec Iosephi verba mendis expurgata legentibus pateant, situm singularum turrium, & partium vrbis, quas ipse Iosephus enumerat, oportet ob oculos ponere.

Sup. c. 4. Turrim quidem Hippicos iam satis suprà ostendimus à Iosepho locari in angulo occidentali, & aquilonari montis Sion, fuisseque in vetustiori Dauidis muro ab Herode Agrippa exaedificatam, vel vt propriè loquamur, instauratam, maioremque effectam; cuius situm si rectè inspicias, Caluariae monti à Meridie proximum reperies. Huic ergo turri tertius murus annectitur, quod discrtè Iosephus, tertio muro, inquit, turris Hippicos principium dabat: sequentia verò peruersa, non conuersa videntur è Graecis, quae sic habent: τῷ δὲ τρίτῳ δὲ τῷ ἀρχὴ ὁ ἱππικὸς πύργος, ὅθεν μέχρι τῆ βορείᾳ κλίματος κατατείνων ὅδε τὸν ψήφινον πύργον. to trito de in archi ho hippicos pyrgos, hothen mechri tu boriu climatos catatinon epi ton psiphinon pyrgon. Quae verba sic licet Latinè reddere. Tertio verò (muro) principium dabat Hippicos turris, vnde vsque ad Boreae clima tendens ad Psephinam turrim. Ex qua quidem versione longè diuersus sensus eruitur; namque ex ea, quam suprà retulimus, colligi videtur, murum à turri Hippico ad Boreae tractum pertinuisse, ac inde ad turrim Psephinam; quasi verò turris Psephina post borealem tractum stetisset; aut saltem prius potuerit murus ad septemtrionalem tractum pertinere, quàm ad Psephinam turrim; quod vtrumque falsum est, & ipsius Iosephi verbis aduersum; non hoc loco tantùm, verùm etiam vbi semel testatur Psephinam turrim ad Septemtrionem,

Ioseph. 6. belli c. 6. & 5. Occidentemque surgere in angulo; atque iterum, Titus, inquit, cùm propè duobus stadijs abesset à muro: ad anguli eius partem contra turrim, quae appellatur Psephinos, castra ponit, ad quam muri ambitus ex Aquilone pertinens flectitur ad Occidentem. Haec ille. Quapropter allatis Iosephi testimonijs facilè ostenditur, sic intelligendum, Iosephum testari, murum à turri Hippicos ad Boreae tractum, hoc est, versus Boream tetendisse ad Psephinam turrim.

BINAE Hierosolymae descriptiones reijciuntur.

Quae quidem omnia argumenta omnino conuincunt, de medio remouendam eam descriptionem Hierosolymae, quam suprà retulimus, &

Sup. lib. 1. de vrbe c. 5. firmissimis argumentis probauimus non esse retinendam. Cùm enim in ea omnia perturbata cernantur, montibus, vallibus, ac alijs partibus confusis, muros quoque confundi necesse est. Quod vel ex hoc facilè apparebit: siquidem ea descriptio turrim Hippicos, & turrim Psephinam in eiusdem superioris vrbis muro antiquo constituit, & in eodem eiusdem muri septemtrionali latere. Quomodo ergo fieri poterit, vt

Ioseph. 20. antiq. c. 2. tertium nouae vrbis murum describens Iosephus, eum affirmet ab Hippico ad Psephinam turrim venire; ac tandem cum veteri ambitu coniungi? At huic dubitationi, dicit quispiam, eius auctores responderint; ergo alijs tunc quoque aduersus eam descriptionem rationibus vrgeremus. Nam de Adrichomij descriptione non est cur plura dicamus: tot enim hic effingit ciuitates, quot ciuitatis partibus indita fuere à multis nomina. Vnum tamen ab eo exigere non grauabor; qui fieri poterit, vt tertius in sua descriptione murus à Psephina turri veniens, veterem murum contingat, interiacentibus binis ciuitatis partibus, quas secundam & inferiorem ciuitates appellat? aut qua ratione murus Bezetae Antoniam contingere poterit? Quae cùm neque sint, neque esse possint in ea descriptione, aliam proferat oportet, & in hac ipse se deceptum fateatur.

Interim tamen his praetermissis si mentem Iosephi, immo rem ipsam, vt fuit, quodque alijs praeterea validissimis argumentis confirmabimus, assequi cupimus, tria inferioris vrbis latera, quae hic à Iosepho describuntur, ob oculos ponamus necesse est: occidentale nimirum, boreale, & orientale, eaque quattuor terminis clausa. Latus enim occidentale finitur à Meridie turri Hippicos, ab Aquilone turri Psephina. Latus aquilonare ab Occidente terminatur turri Psephina, ab Oriente turri altera in angulo posita, quam suo loco ostendemus dictam fuisse Hananeel. Latus denique orientale ab Aquilone clauditur turri Hananeel, à Meridie voragine, quae in vallem Cedron exibat: sed de his ad calcem. Ac de occidentali quidem latere atque eius terminis cùm pleraque suprà dixerimus, hic ea nequaquam repetenda duximus: itaque hic nihil addemus.

In secundi tractus descriptione meminit Iosephus monumenti Helenae Adiabenorum Reginae, quae Izati Regis mater, non θυγάτηρ thygatir filia fuit, vt nunc perperam, ac corruptè legitur in Graeco textu; quem locum ex altero eiusdem Iosephi correxisse videtur Latinus interpres, scribens, mater. Hoc monumentum in nostra descriptione turri Psephinae directè oppositum statuimus, vt ab vtroque latere, & occidentali, & aquilonari videri facilè posset, Iosephi testimonio fulti, asserentis, ἔστιτα κατὰ κίονι αντικρὺ τῶν ἑλένης μνημείων epita cathicon anticry ton Helenis mnimion, deinde pertinens contra Helenae monumenta. quae plura vocat propter tres ibi erectas pyramides, vt suo loco ostendemus: praeterea Sancti Hieronymi auctoritate permoti, qui de hoc eodem monumento haec litteris mandauit: Paula è portu Ioppae, qui inter Occidentem & Septemtrionem sistitur Hierosolymae, ad lacuam mausoleo Helenae derelicto, quae Adiabenorum Regina, in fame populum frumento iuuerat; ingressa est Hierosolymam. Absque dubio per portam occidentalem, quam ipse Hieronymus alias testatur Ioppen ducere. Est & alius locus huic tractui aquilonari oppositus in eius medio, qui Graecè vocatur σπηλαίων βασιλικῶν spilaeon basilicon; significat autem ea Graeca vox speluncam, exesam inquam petram, quam aptè Latinus interpres conuertit; & per speluncas Regias: fuerunt autem eae monumenta Regum, de quibus infrà suo loco. Superest tandem, orientalem vrbis inferioris, atque eius muri tractum explicemus.

Et quidem, quod ad eius aquilonarem terminum spectat, manifesta res est, turri illa finiri, quam Latinus Iosephi interpres in angulo positam dixit, Graecus codex γωνιαίῳ πύργῳ gonicaeo pyrgo angulari turri, scribit. quae vox duplicem admittere posse videtur sensum: alterum, vt angularis dicatur ea turris, vtpote in angulo sita: quem sensum sequutus est interpres Latinus: alterum verò, fortasse magis genuinum, vt angularis dicatur, quoniam in plures angulos efformata fuisset. Quasi verò haec turris, quae ab Oriente in eodem muri latere obiecta erat Psephinae turri, similis eidem Psephinae multitudine angulorum à Iosepho fuisse

MONV. mentum Helenae Adiabenae vbi fuerit.

Ioseph. 20. antiq. c. 2.

Hier. epist. 27. ad Eustoch. tom. 1.

MONV. menta Regum Israël.

TVRRIS Hananeel forsan plurium angulorum fuit.

fuisse dicatur. Quae vtraque interpretatio vehementer omnes ferè decepit Hierosolymae chorographos, ad hanc turrim portam anguli statuentes, quam suo loco demonstrabimus ad turrim Pspephinam statuendam. Hanc autem turrim, Hananeel, vocari à scriptoribus sacris, paulò antè suo loco me probaturum promisi.

Et quidem priusquam huius muri tractus meridionalem terminum assignemus, examinanda veniunt Iosephi verba sequentia. ἐκάμπτετο μὲν γωνιακῷ πύργῳ κατὰ τὸ τῆς κναφέως προσαγορευόμενον μνῆμα. ecampto men gonicaeo pyrgo cata to tu cnapheos prosagoreuomenon mnima. Flectebatur quidem in angulari turri ad fullonis, quod appellatur monumentum. Quae verba, quod ad monumentum fullonis attinet, duplici modo exponi possunt; aut enim significant murum in angulari turri deflexum, ad monumentum fullonis tetendisse, aut monumentum ex aduerso turris illius angularis stetisse. Priorem sensum inferiùs examinabimus, & sequemur: alterum sensum sequutus videtur Latinus interpres, particulam illam Graecam κατὰ cata accusandi casui iunctam, in contra, vertens, quod nullus Graecorum admitteret. Atque eundem sensum amplexatus videtur Adrichomius, monumentum Fullonis non longè situm affirmans à porta anguli; sic enim vocat eam turrim, quam Iosephus angularem appellauerat, alia sacrae Scripturae loca non aduertens, de quibus suo loco. Ergo quod ad fullonis monumentum spectat, cùm incredibile videatur, Iosephum eiusmodi monumenti meminisse, nisi vel propter aedificii magnitudinem, vel propter sepulti hominis dignitatem, vel propter loci celeberrimam recordationem locus celeberrimus fuisset, ac omnibus valde notus; quis enim existimet aut eius rationem habuisse, aut celebrem locum illum Iosephum existimasse, cuius in historia mentionem faceret, in quo tantùm sepultus esset fullonicae artis vilissimus artifex? Nonne ipsamet ratio exigere videtur, vt aliquod aliud exquiratur celebre monumentum, quod fullonis diceretur; cuiusque meritò credatur meminisse Iosephus? quo inuento planus ac facilis mox erit loci sensus.

Et quidem Epiphanius (si Epiphanij est liber de vita Prophetarum) sic scribit de Isaia. Tumulatus est, inquit, sub quercu Rogel; & post multa subdit. Exstat autem monumentum Isaiae finitimum sepulturae principum, post sepulcra sacerdotum versus Notum, partemque meridionalem; existit autem Orientem versus Sion. Haec ille. Quibus verbis duo manifestè testatur Epiphanius, quod ad huius sepulcri attinet situm, nempe sepulcris Regum stetisse ad Meridiem, Sioni monti ad Orientem. quod sanè vtrumque verum est, vt in nostra descriptione apparet. Nam cùm & paulò antè proposuerimus Iosephum Regalium sepulcrorum meminisse, speluncas Regias ea vocans, & sitas inuens ad Aquilonem vrbis; si sepulcrum Isaiae statuatur ad Orientem Sionis, necessarium quoque est, vt ad Meridiem stet sepulcris, siue speluncis Regum. Quae omnia plurimùm congruunt cum ijs, quae suprà de fonte Rogel commemorauimus, attestante historia Iosue, fontem hoc nomine insignitum, in valle Hennon scaturire; de cuius fontis situ aliàs plura. Verùm quòd huic nostrae sententiae plurimùm faueat ipsum nomen Rogel, & ipsa nominis Rogel vis & significatio, quibus fons ille, & quercus ei vicina cum monumento denominantur, hoc indicat, quod istud nomen ab Hebraeis significare fullonem, traditur; sicque dictum putant à רגל regel, pedem significante, quòd fullo pedibus conculcans pannos lauet. Quò fit vt Targhum locum illum Regum, quo Adonias ad fontem רגל rogel conuiuium instruxisse refertur, interpretetur, קצרא chitsra, hoc est, fontem fullonis. Atque adeo monumentum fullonis intelligemus monumentum Isaiae, non quòd Isaias fullonicam exercuerit artem, vel quod hoc nomen prophetae tribuatur; sed quia à Fullone locus ille nomen accepit; quippe qui fonti erat proximus, fullonis dicto. Quod & innuere videtur Iosephus, dicens, monumentum, quod fullonis dicebatur, quasi diceret רגל rogel Graecè κναφέως cnapheos Latinè fullonis. Neque verò temerè, aut sine rationabili causa ad fontem hunc sepultum Isaiam accepimus, sed meritò, & ea ratione, qua eiusdem fontis nomen monumento inditum; nempe, quia referente Epiphanio, eiusdem Prophetae meritis & intercessione fons ille denuo, & non sine magno miraculo scaturiuit, manente vsque ad sua tempora eiusdem celeberrima commemoratione, de qua suo loco. His igitur sic statutis liquidò constat, à Iosepho monumentum fullonis pro termino meridiano orientalis muri ciuitatis inferioris statui, & loci sensum esse, murum quidem flecti ab aquilonari ad orientalem regionem versus monumentum Isaiae, quod dicitur Rogel, hoc est, fullonis. Neque mirum cuiquam videri debet, Iosephum proprium nomen Rogel in Graecam vocem κναφέως Cnapheos, hoc est, fullonis transtulisse, cùm aliàs simile quidpiam feciisse videamus. Nam cùm refert, quomodo Iudaei cauebant à lapidibus iactis contra eos Romanorum machinis. Speculatores, inquit, in turribus praesidentes, praedicebant, quando impelleretur machina, saxumque ferretur, patria lingua clamantes, filius venit; lapidem interpretatur filium, non quod eadem vox vtrumque significet, sed quod בן ben filius, atque אבן eben lapis ferè consimili proferantur voce: quanto igitur magis in praesenti vocem ipsam Rogel in Graecam, quae idem significet, credi potest vertisse?

Alia quoque duo loca, quibus terminatur hic murus, ostendit ibidem, nempe veterem murum, quem ad portam Gregis, siue Genath statuimus, vbi tres muri, antiquus, medius, atque hic tertius insimul conueniunt. Vltimus verò huius muri terminus assignatur, quod in Cedron vallem, quae sic dicitur, desinebat. Et quidem si vt Latina verba sonant, accipiantur, valde commune signum illud censendum est, quod non termino solùm conuenit, verùm toti tractui orientali muri; qui tractus totus secundum hanc vallem extenditur. At in Graeco vox habetur φάραγξ pharanga, quae vox licet nonnumquam communi notione accipiatur pro valle aut conualle; multò tamen magis propriè accipitur pro voragine, quam Cicero vocat terrae fauces: & Seneca: Ingens vorago faucibus vastis patet. Quare haec vox ab interprete Aristophanis τὸ τῆς γῆς βάραθρον to tis gis barathron, terrae barathrum dicitur; nos sic accipimus, quasi terrae abruptum praecipitium, quale ad finem tertij muri depinximus in nostra descriptione.

Neque hac tantùm ductus coniectura hoc assero; verùm etiam fidissimi, & accuratissimi oculati

FONS Rogel quare sic dictus.

Epiph. vbi sup.

Ioseph. 6. de bell. cap. 7.

VALLIS Cedron, quae dicatur.

Cic. de Nat. Senec. in Herc. Aristoph. in Equit.

MONVmentum fullonis vbi tum.

Adrichom. Hierusal. n. 94.

Epiph. lib. de vita Prophet. MONVmentum Isaiae quare dictum fuerit fullonis.

lib. 1. cap. 17. cap. 15. 7.

lati testis, Domini Danesij Politiani peculiari de hac re testimonio, quem libenter nomino, quoniam huius nostri studij desiderio quàm maximè tenetur; vt qui in eodem omnem suam operam ac diligentiam multorum annorum sollicitudine posuerit. Verùm vt ad Iosephum reuertamur; ipse quoque alibi & tertij muri, & plurium vrbis partium meminit, cùm in varias seditionis partes distractam commemorat ciuitatem, sub Simone & Ioanne Pontifice. Tenebat autem, inquit, Simon quidem superiorem ciuitatem, murumque maiorem vsque ad Cedronem. Hic est murus tertius, quem suprà commemorauimus, eumque τὸ μέγα τεῖχος to megа tichos, magnum murum vocat, quoniam maximam vrbis partem circuit, secundumque murum & prioris magnam partem concludit. Quare Iosephus subdit, & antiquioris, quantum à Siloa, occidentali fonte, flectitur ad Orientem, & vsque ad Monobazi aulam descendit. Hanc nos constituimus prope Regiam Salomonis, duplici huius textus coniectura ducti. Prima, quoniam murus, qui ab Occidente deflexus erat, ad Orientem in eam incidit; neque aliquid vltrà obtinere potuit, quoniam Ioannes huius Simonis inimicus tenebat Ophlam. Altera, quoniam eo vsque descendit murus, à porta equorum iterum ascensurus, vt sequenti libro patebit. Addit autem Iosephus, & vsque ad Monobazi aulam descendit, &c. Tenebat etiam montem Acrae, Graecè κρατεῖ τοῦ ὄρους, καὶ τοῦ ἄκρου, cae tin pigin, cae tin acran, & fontem absque dubio Siloam (non enim Graeca vox stagnum, aut diductam aquam significare solet, sed primam fontis originem) & Acram, quae inferior est ciuitas, vsque ad Helenae Regiam, quae Monobazi fuerat mater. Ioannes autem templum, & circum templum ἐπ' ὀλίγον ep ouc oligon ad non parum, aliquatenus, itemque Ophlam & vallem, quae Cedron appellatur. Eadem prorsus verba habentur in Graeco, quae loco suprà allato à nobis relata sunt; atque in eo ad eandem voràginem finem accepisse murum tertium testatur Iosephus. sequitur: & alijs, quae interiacebant, incensis bello, quod inter se gerebant, spacium aperuere. Haec ille. Quibus & plures vrbis partes, & plura moenia commemorata sunt, à se inuicem loco dissita, & intestino ac ciuili bello quàm aptissima. Iam verò nos ad inuestigandum huius muri auctorem pergamus.

Ioseph 6. bel.c.7.

MONOBAZI aula iuxta palatium Salomonis constituitur.

TERTIVM MVRVM ANTIQVIOREM AGRIPPA *fuisse, Iosephi, ac sacrae Scripturae testimonijs probatur.*

Cap. XVIII.

Ioseph. 6. bel. c. 6.

TERTII muri assignatis finibus, ad eius primum constructorem demonstrandum accedit Iosephus. Quocirca duo tradere videtur Latinus codex; alterum, quod Iosepho falsò imponit: alterum, quo ipsum sibi aduersari facit Iosephum. Quare vtrumque aequè falsum, atque à veritate alienum iudicamus; quorum primum iam suprà discussum à nobis est. Hoc enim muro, inquit, eam partem ciuitatis, quam ipse addiderat Agrippa cinxerat; quod aliter haberi in Graeco ostendimus; interpretandumque, hunc (scilicet) murum aedificatae vrbi circumdedit Agrippas.

Ex qua, vt dixi, interpretatione manifestum fit, non vrbem nouam addidisse Agrippam, sed additae vrbi murum tantummodo circumdedisse. Cuius muri prohibitam à Caesare magnificentiam idem historicus testatur his verbis. Nominata est autem pars addita ciuitati (de inferiori loquitur Caenopoli: antiquior enim erat superioris Bezetae, seu Caenopolis aedificatio & munitio, vt suprà ostensum à nobis est) voce indigena Bezeta, quod Latino sermone dicitur noua ciuitas. Eius autem partes incolis protegi desiderantibus, longè aliter in Graeco, licet fortè etiam non fine vitio, δεομένων οὖν τοῦ ταύτη σκέπης, nisi fortè legendum τῆς pro τοῦ, vel δεομένων οὖν ταύτης τῆς σκέπης. deomenon oun tautis tis scepis, cùm indigerent igitur ab hac parte munitione, vel hac munitione cùm egerent, pater huius Regis eodem nomine Agrippa, murum quidem ita vt praediximus, inchoarat. Veritus autem Claudium Caesarem, ne magnificentiam constructionis ad nouarum rerum ac discordiae suspicionem traheret, fundamentis tantummodo iactis ab opere destitit. Nec enim expugnabilis esset ciuitas, si perfecisset muros vt coeperat. Saxa enim viginti cubitis longa, & decem lata contexebantur, quae neque ferro facilè suffodi possent, neque machinis dimoueri, hisque murus dilatabatur. Profecto autem altitudinis quoque plus habuisset, si eius magnificentia, qui aedificium aggressus erat, minimè fuisset inhibita. Rursus autem idem murus etiam Iudaeorum studio fabricatus ad viginti cubitos creuit, &c. Quae Iosephi verba eiusdem verbis interpretanda sunt, quae alibi praedixisse testatur: refert autem ea, quae in libris de antiquitate de hoc Agrippa his verbis commemorauerat. Conuersus autem ad Hierosolymorum curam, muros nouae, quae vocatur vrbis (ἣ νεὼ νεόυσα πόλιν cae nin neuonta polin) muniebat sumptu publico, latioresque & altiores, quàm antè fuerant, reddebat, & fecisset aduersus omnem humanam vim inexpugnabiles, ni Marcus Syriae praeses Claudio Caesari significasset eam rem per litteras. Qui suspicatus molituros aliquid noui diligenter scripsit Agrippae, vt à munienda vrbe desisteret, atque ille mox paruit. Haec Iosephus. Quae historia veritati maximè consentanea videtur. Murum enim inferioris nouae ciuitatis iam olim aedificatum firmiorem, atque latiorem efficere curantem Agrippam inhibitum fuisse a Caesare, magis fit verisimile: quàm quod denuo exstruere, & a fundamentis primùm erigere ciuitatem coeperit tunc Agrippa. Aliàs enim, qui fieri posset, vt cùm noui muri exaedificationem inhibuisset Agrippae Caesar, eandem aut Iudaei contra Caesaris rescriptum aggressi fuissent, vel obtentae facultatis non meminisset Iosephus, cùm immediatè subdat, murum, quem impeditus Agrippa absoluere vt coeperat, non potuerat, Iudaeos & coepisse, & ad perfectum vsque duxisse?

Quare mens ipsa Iosephi, ac constans historia illud exigere videtur, vt asseramus, murum tertium ab antiquis Regibus exstructum, munitione indiguisse, vtpote ruinosum, atque hostium incursionibus magis expositum; quod opus nimio apparatu atque magnificentia cùm coeptum esset ab Herode Agrippa, iactis tantummodo alicuius partis fundamentis (neque enim credi potest, totam vrbem semel muro destitutam) ab opere Caesaris monitu destitit. Iudaei verò ab omni

Ioseph. lib. 19. antiq. c. 7.

ab omni suspicione nouitatis, ac propterea ab omni magnificentia abstinentes, murum, sicut priùs exstructus fuerat, erexerunt. Quod ex eiusdem Iosephi sequentibus verbis apertius erit; quibus huius muri fabricam, altitudinem, turres, earumque interualla ad omnium totius vrbis murorum consimiles partes, ac mensuras praefiniendas, quasi certam mensuram assumit; cùm tamen non reliqui vetustiores muri ad huius noui formam accommodari potuerint, sed hic contrà ad illorum normam.

His quidem argumentis confirmata satis videbatur nostra sententia; vetùm, quoniam multorum animis Iosephi error ita fixus manet, vt vix ab eo dimoueri posse videantur. & cùm hoc maximè fundamento inniti videatur magna pars eorum, quae sequenti libro de instauratione vrbis dicenda sunt; age, idipsum, quod verum manifestumque rationibus allatis iam satis est, nouis quoque rationibus confitmemus.

Et primùm quidem in memoriam reuocanda legenti sunt, quae suprà pluribus attulimus, cùm vrbem Salem, hoc est, inferiorem ciuitatem, atque Sion superiorem, ab antiquo conditas probauimus, quas à multis olim incolis habitatas, nequaquam credibile est moenibus caruisse; fuisseque omnibus bellorum incursionibus, atque hostium depraedationibus expositas, quamuis, vt attigi, etiam vsque ad Dauidem loco sepositae fuerint. Verùm postquam laxata est ciuitas superior per totum Sionis cliuum, ac muro circumdata; mediusque mons Moria, exstructo deinde templo, à Salomone vtbi adiunctus, ac propter templum etiam Bezetae quartus mons domibus, atque alijs aedificijs refertus fuit, muroque ab eodem Salomone aedificato circumdatus, tunc etiam templum, ac noua ciuitas munita fuere. Ac mihi quidem hanc vtriusque vrbis coniunctionem propheticè commemorasse videtur Psaltes illis verbis: *Ierusalem*, inquit, *quae aedificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Hebraicè שחברה לה יחדו sechubberah lah iahddau, quae coniuncta, associata, vel copulata est sibi simul, vel coagmentata est in vnum. quod quidem ad ipsam vrbem referendum videtur, quae primùm duplex vtbs, à duplici familia, vel tribu possidebatur: Sionem enim occupabant Iudaei, Salem Beniaminitae incolebant, ac aedificato inter eas templo, atque Bezetae muro connexo vtriusque vrbis muro, Salem, & Sion in vnam ciuitatem coaluetunt; atque ex duplici familia vna effecta est, quae celebrioti nomine, Iuda, vocitata est; vti videre est apud Ieremiam, & alibi saepe. Harum autem duarum tribuum exemplo prouocatae reliquae familiae Iacob., municipatum & ipsae expetiere tam sanctae, tam celebris, tamque Deo gratae ciuitatis: *Illuc enim ascenderunt*, inquit, *tribus tribus Domini testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.* vel vt habet Chaldaeus; tribus tribus Dei testificantis Israël, quòd diuinitas eius habitauit inter eos, cùm accesserunt ad confitendum nomen Domini. Quò factum est, vt crescente incolarum multitudine, exuberans extra moenia ciuitas non paululum processerit, vt ait Iosephus: quare & alia noua ciuitas circumhabitaretur priori, eaque suo quoque muro cincta. Atque hanc nobilissimam ciuitatem ex pluribus compositam describens, mirificis encomijs commendat Psaltes. *Fundatur*, inquit, *exultatione vniuersae terrae mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Ex Hebraeo sic ad verbum reddunt nonnulli. Pulcherrimo frutice laetificans omnem terram, monte Sion lateribus aquilonis, ciuitate Regis magni. Pullulanti pulcherrimo frutici comparat Sionem montem, ac reliquos illi ab Aquilone adiacentes, quibus fundata est ciuitas; quod soluta allegoria expressit vulgatus, scribens, *fundatur*; & Graecus pro *exultatione*, laetificans omnem terram; id enim significat eius nomen Hierusalem, visio pacis, exultationis, ac laetitiae. Eam autem suis circumscribit terminis *mons Sion*, & *latera Aquilonis* sunt *ciuitas Regis magni*. Asyndeton enim figura est, vt notat Genebrardus, non appositio. Mons enim Sion totus meridianus est, non aquilonaris, vt ex ijs, quae à nobis suprà allata sunt, liquidò cernetur, & ex Nicephori historia. Quapropter quae sint ista Aquilonis latera, inquirendum est.

ALIA RATIO, qua probatur plures montes Hierosolymae habitatos. *Geneb. ibid. Sup. lib. 1. vrb cap. 5. Niceph. lib. 8. hist. c. 30.*

Quòd si montem Acra, & ciuitatem Salem, quae ad Aquilonem est, intelligere tantùm velis, latus est, nou latera: quare eandem Salem, Bezetam, & Caenopolim si animaduertas, tria Aquilonis latera inuenies, quae si monti australi Sioni coniunxeris, ciuitatem magni Regis iam vnam ex multis compleueris. Quod quidem ipsum comprobare videtur Isaias. *Descendet*, inquit, *Dominus exercituum, vt praelietur super montem Sion, & super collem eius.* Hierosolymam duplicis collis commemoratione describit, quam tam superiorem, quàm inferiorem ciuitatem vocat Iosephus. Atque iterum super duos colles conditam vrbem testatur contrarijs frontibus semet inspicientibus.

Isai. 31. ℣. 4.

Quin & Cornelius Tacitus Hierosolymae munitionem describens ait: nam duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui &c. Et quidem duo erant, vt diximus, praecipui montes, Sion & Acra; verùm in plures colles diuisi, potissimùm verò inferior ciuitas; cuius colles vallibus profundioribus, ac magis separatis iugibus discernebantur. Quod significare voluisse videntut Septuaginta interpretes, qui sic vertunt: Descendet Dominus Sabaoth, vt praelietur super montem Sion, super colles eius, quasi dicerent, & super latera Aquilonis. Quibus si accedat S. Thomae Aquinatis interpretatio, facilè intelligemus, antiquiorem fuisse murum tertium ipso Agrippa; vtpote quem Eliasib sacerdos magnus cum socijs instauratuerat, cùm primùm postliminio reuersus est. *Descendet Dominus, vt praelietur*, inquit, tamquam defensor contra illos, qui impediebant aedificationem templi post reditum è captiuitate. Cùm igitur tam aedificatores templi, quàm murorum vrbis à Sanaballat & socijs vehementer impeditos fuisse sacris historijs constet; liquidò quoque constabit, non minus Dei praeliantis auxilio indiguisse aedificatores vrbis, super collibus Salem, Bezeta, & Caenopoli, quàm super colle Sione; quibus parem quoque protectionem, & consimile auxilium pollicetur placatus Deus sui ipsius, qui plurium ac terribilium exercituum dux est ac Dominus, praesentia. Quod egregiè opere completum esse indicabit subsequens liber, quo manifestum omninò erit, murum ipsum tertium, ac extremum

Corn. Tacit. lib. 21.

DVO colles Hierosolymae probantur.

S. Tho. super Isai. 31.

ciuitatis, cum portis turribus, ac omnibus alijs insignioribus ciusdem locis instauratum fuisse hortatu atque auxilio Nehemiae. Verùm & ante captiuitatem aedificatum fuisse tertium murum verbis Sophoniae apertissimum est. *Et erit*, inquit, *in die illa dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda.* Vbi Hieronymus de irruptione Assyriorum vaticinari Sophoniam putat, quos ingressos innuit per portam piscium; secundam verò portam secundi muri in eadem regione sitam fuisse idem arbitratur. Haec porrò Hieronymi sententia maximè confirmari videtur ipsamet irruptionis historia, quam refert Ieremias. *Vndecimo*, inquit, *anno Sedeciae mense quarto quinctâ mensis aperta est ciuitas*, capta videlicet porta Piscium, quae in tertio, hoc est, exteriori muro sita erat: ratio enim ipsa demonstrat, exteriora prius ab hostibus petita fuisse, atque occupata: & hoc probatione non eget, cùm certum omnino videatur. *Et ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, & sederunt in porta media*, quae est eadem cum secunda secundi muri vel medij porta. Medius autem murus extremos duos necessariò exigit. Nam quod doctus quidam vir Iosephum (vt putat) sequutus, huic argumento respondisse videtur, nempe mediam dictam, quod inter duas prioris muri partes sita esset, figmentum est, vt aliquis effugio esset locus: nam pari quoque ratione quaeuis alia diceretur media porta, & haec nulla ratione dici potuisset secunda. Neque verò obtenta priori piscium, secundae meminisse oporteret; cùm enim vnicam muri portam obtinent hostes, totam quoque ciuitatem possident, nisi alij muri, vel aliae obstent munitiones. Sed mirandum est quàm scriptor hic minime sibi constet; admittit enim portam hanc secundam dici, quia iuxta Hieronymi sententiam secundi muri porta fuerit; & non aduertit, aliam anterioris muri piscium dictam prius captam fuisse, quarum neutra iuxta ipsius sententiam prioris muri esse potuit, quia ab Aquilone ingressos vrbem Chaldaeos constat tam ex sacris, quàm ex profanis historijs: ex ea verò tantummodo parte muniebant vrbem tres muri, nempe Acrae, atque Caenopolis murus, ac secundus Bezetae, & tertius Sionis; vt ex pluribus suprà allatis, omnino manifestum, descriptionem nostram intuenti, fiet.

Verùm iam tandem vnico tantùm eodemque validissimo Iosephi testimonio hos omnes Iosephi sectatores conuincere satis est. Namque ipsemet refert Hecataeum, qui temporibus Ptolemaei Lagi multis ante Agrippam saeculis vixit, scribentem de Hierosolyma, patere in circuitu quinquaginta maximè stadia. qui stadiorum numerus exactè respondere, atque idem omnino fuisse cùm eiusdem Iosephi mensura, statim à nobis probabitur: diuidit enim tertium murum in nonaginta turres viginti cubitorum ducentos à se inuicem dissitas; idemque omnino Ezechielis testimonio muri ambitus ostendetur. Quò fit vt nihil credendum sit murorum, longitudini additum ab Agrippa. Id quod & Egesippi iuculentum testimonium indicare ac probare videtur. Cùm igitur, inquit, munita esset vndique ciuitas plurimorum Regum operibus, & maximè Herodis, qui castrum, cui nomen Antoniae, ad summi operis magnificentiam communiuit, & ampliſſimo ornauit decore, circunibat Caesar &c. Haec Egesippus. Quibus munitam vrbem ab Agrippa testatur, non quidem nouo muro exstructo, vt isti somniant, sed Antonia turri. Verùm superuacaneum omnino cuipiam videbitur, nos in hac falsa opinione confutanda diutius immorari, cùm sacrae Scripturae testimonijs mox probandum nobis sit, quinam fuerint muri tertij auctores. Ergo vt vnico verbo hanc disputationem absoluam, sentiendum est cùm Iosepho suprà relato, Agrippam muri tertij instauratorem, non verò cùm his Iosephi interpretibus, auctorem eius fuisse.

Sophon. 1. ℣. 10. *Hiero. ibid.* ANTE Captiuitatem aedificatum tertium murum ex Sophoniae verbis probatur.

Iere. 39. ℣. 2.

Ibid. ℣. 3.

RESPONDETUR obiectioni.

VLTIMA ratio ex duplici mensura vrbis desumpta.

Ioseph. lib. 1. cont. Apionem.

Fgesip. lib. 5. de excid. cap. 10.

QVI FVERINT AEDIFICATORES,

quique instauratores muri tertij, ante vniuersalem vrbis euersionem per Nabuchodonosor factam.

Cap. XIX.

NVLLO potest firmiori argumento confirmari instituta à nobis superiori capite disputatio, quàm si ipsum primum tertij muri aedificatorem Agrippa vetustiorem protulerimus, idque firmiori auctoritate innixi, quouis Iosephi testimonio. Et quidem de hoc muro tertio, quem falsò putant neoterici ab Agrippa aedificatum, loquutum fuisse sacrum historicum, ambigendum non est. Is enim enumerans Ezechiae Regis praeclara facinora, vbi Sennacheribum Assyriorum ducem Iudaeam inuasisse commemorauit, haec subdit. *Quod cùm vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ierusalem, inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem; & hoc omnium decernente sententia, congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum, qui fluebat in medio terrae, dicentes: ne veniant Reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. Aedificauit quoque, agens industriè, omnem murum, qui fuerat dissipatus, & exstruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum, instaurauitque Mello in ciuitate Dauid.* Quibus verbis tria potissimùm prouidè exsequutum Ezechiam commemorat. Primùm quidem obturasse eorum omnium fontium capita, qui hostibus aquarum subsidium praestare poterant; & inter fontes ipsum quoque torrentem Cedron exsiccasse, vt suo loco patebit. Secundùm, ad subsidium ciuitatis fontes intra ciuitatem multiplicasse, ac pronidisse, vt in omnibus vrbis partibus piscinae, ac putei essent; tum, ne earum partium incolae aquarum penuria laborarent: tum etiam, ne incolae per vrbem vagari quocumque obsidionis tempore cogerentur: id enim perturbationes, ac rumores inter milites noctu excubias in compitis, alijsque locis agentes excitare solet, praesertim in ea vrbe, quae quòd pluribus cincta esset

AVCTOR muri tertij fuit Ezechias. *2. Paral. 32. ℣. 2. & seq.*

QVAE damna pariat vallatis ab hostibus vrbibus, vel aquarum penuria, vel earum in vnum tantùm locum deductio.

cta esset muris, pluribus etiam militum excubias agentium praesidijs indigebat; ideoque milites multis in locis perpetuò vigilasse haud dubium est. Quare & puteum, & lacum inter duos muros exstructum fuisse ab Ezechia mox ostendemus. Tandem hoc postremo loco curauit Ezechias, vt firmissima essent vrbis moenia; ideoque muro denuo excitato primum ac secundum egregio opere instaurauit, firmauitque, ne antiquis moenibus ac turribus non satis munita esset ciuitas. Sed haec omnia, vt toties inculcauimus, ita facilè vera esse cognoscet is, qui descriptionem nostram attentiùs inspexerit, ac singulas eius partes, quae hic enumerantur, suis distinctas locis animo & cogitatione comprehenderit. Ipsa verò murorum exstructorum series sic se habet.

Et quidem primum murum, totam vrbem vndequaque ambientem, eum inquam murum, qui relictus fuerat à Salomone, quique totum meridianum, orientalem, & occidentalem antiqui muri tractum claudebat, instaurauit Ezechias. Instaurauit etiam occidentalem, & aquilonarem muri tertij partem, quae vrbem Salem, & Acra complectebatur: necnon totum murum secundum vrbis Bezetae. Quae omnia instaurata fuisse patet ex illis eiusdem textus verbis. *Aedificauit quoque, agens industriè, omnem murum, qui fuerat dissipatus, & exstruxit turres desuper.* Hebraicè ויתחזק vaijthchazach, à verbo חזק chazach, quod confortare significat. Quam vocem non satis explicatam putant Hebraei Latino verbo, confortandi; illa enim Hebraica voce firma apprehensio significatur, vel cùm comprehensione firma retentio; vt cùm quis vel corpus, vel corporis neruos constringit, ac etiam spiritus retentione confirmat, vt firmior & compactior esse possit. Quare quam vocem in confortatum, vel roboratum conuertunt neoterici, possentque conuertere confortans, vel roborans sese; aptissimè vulgatus vim vocis exprimens conuertit, *agens industriè*: id enim est quodammodo vires animi & corporis colligere, confortare, atque roborare. *aedificauit,* ויבן vaijben, à verbo בנה banah, quod non tantùm primam aedificationem alicuius rei significat, verùm etiam instaurationem, vel reaedificationem: vt videre est apud Iosue: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & aedificauerit ciuitatem Iericho*, quam scilicet ipse deuastauerat: *omnem murum, qui fuerat dissipatus*, Septuaginta, omnem murum dirutum, & turres vertunt. Ex Hebraeo, omnem murum dirutum, vel omnes muros diruptos transferunt nonnulli, & meritò: is enim videtur eruendus loci sensus, nempe aedificatum vel instauratum fuisse ab Ezechia, omnem murum, quoniam interruptus fuerat, senio inquam, vel incuria aedificantium, vel custodientium muros. Quapropter nulli dubium esse potest, de omni illo muro sermonem fieri, qui iam olim aedificatus fuerat. Cumque satis iam à nobis probatum sit, quae muri partes vsque ad Ezechiae tempora exstructae fuerint, perspicuum quoque erit eas omnes ab Ezechia instauratas fuisse, nempe murum Sion, Salem, & Bezetae. Illud autem; *& exstruxit turres desuper*, obscurè satis Vatablus; & excitauit inquit (munitiones) super turres: magis iuxta Hebraicam phrasim Pagninus, & ascendere fecit super turres, hoc est, exstruxit quoque, vel instauravit turres,

A quae supereminebant ipsis muris. Quod ita factum fuisse iam satis probatum à nobis est ex Iosephi testimonio, qui turres supra altitudinem murorum dimensus est excelsas. in quo sensu aptè interpretaberis verba vulgatae.

Iam verò de tertio muro denuo exstructo narrationem instituit facer historicus, subdens; *& forinsecus alterum murum* aedificauit idem Ezechias. Hunc esse tertium Caenopolis murum, perspicuum est vrbis formam intuentibus; quoniam muro tantummodo Bezetae obiectus est hic tertius murus. Quapropter de eo tantummodo intelligi possunt praedicta verba, quae Hebraicè sic habent. ולחוצה החומה אחרת velachutsah ha chomach achereth; ea verò sic licet conuertere, & ab extra vel ab exterioti parte murum alium, vel murum posteriorem, חוץ chuts enim extra, foras, significat; cui addita in fine littera ה he, motum denotat, praepositа verò ל lamed, articulus solet esse datiui, hoc est, & à parte extetiori ipsi muro instaurato, fecit inquam murum אחרת achereth, quae vox femininam inducit vocis terminationem אחר achar, quae post, postea, posteriorem partem significat, & alteram, aliam, siue alienam; vt videre est in Genesi. *Fiat*, inquit, *Dan coluber in via, ceraſtes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro*, & cecidit equitans super illum אחור achor retrorsum. Quare sensus loci erit, aedificatum nouum murum extra secundum in parte posteriore vel postrema vrbis: quae si attentè perpendas, murosque consideres, de nullo alio muro intelligi posse cognosces, quàm de muro Caenopolis. Nam si muro Bezetae, quasi non fuisset aedificatus antea, applicare textum velis, nulla ratione id fieri posse aduertes; quoniam murus Bezetae septemtrionali templo solus obstabat, Iosepho teste. quare non ab extra est alicui muro. Neque antiquo muro conuenire id vlla ratione poterit: tum quia voce hac, non antiquus murus, sed ille murus describitur, de quo sermo est, qui tum primùm aedificabatur; tum quia est ille interior omnibus alijs muris, hic verò extra omnes ab eodem Rege instauratos constructus. Ac tandem non potest de tertio muro textus hic accipi, cùm eundem ab Aquilone quoque instauratum ab Ezechia fuisse idem facer historicus testetur, dum subdit: *Instauravitque Mello in ciuitate Dauid*. ויחזק vaijchazech idem verbum est; quod paulò supetiùs interpretati sumus, quod confortare, roborare, seu firmare significat. Mello autem, satis iam suprà ostensum à nobis est, vbi fuerit, hoc est, ad voraginem illam, seu vallem, quae Tyropoeon dicitur à Iosepho, diuiditque superiorem ab inferiori ciuitate. Hanc nos voraginem suprà aggeratam diximus à parte meridiana templi, ad laxandam eiusdem templi aream, & à parte aquilonari vrbis superioris aedificatam quoque, seu aggeratam fuisse eandem voraginem ad aedificandam domum Salomonis, vrbemque superiorem muniendam. Atque eandem munitionem postmodum roboratam, siue instauratam ab Ezechia fuisse accepimus. Neque id mirandum; nam idipsum vrbis superioris aquilonare latus multis post saeculis roboratum, seu instauratum fuit ab Herode Agrippa, tum scilicet, cùm Regiam suam magnificentissimè ibi exstruxit, & in muro tres illas celeberrimas turres aedificauit, Hippicos, Phasaelon, & Mariammes.

MVRVS tertius à sacro historico commemoratus.

Gen. 49. ℣. 17.

TEXTVS hi non videntur de alio, quàm de tertio muro intelligi posse.

Sup. cap. 8. huius.

Iam verò quoniam reliqua perſpicua ſunt, ac proprijs locis ſuſiùs explicata; illud vnum, quod huius capitis proprium eſt, nempe tertium murum exſtructum ab Ezechia fuiſſe, alijs quoque teſtimonijs confirmemus; non quòd noua confirmatione hoc egeat, ſed quò veritas pluribus teſtimonijs confirmata clariùs eluceſcat. Equidem, primùm haec ferè eadem commemorantur in Eccleſiaſtico, vbi inter praeclaras virorum gloria digniſſimorum laudes haec verba in Ezechiae habentur elogio. *Ezechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem, & aedificauit ad aquam puteum*, Graecè ſic. Ἐζεκίας ὠχύρωσε τὴν πόλιν αὐτοῦ, καὶ εἰσήγαγεν εἰς μέσον αὐτὴν τὸν γών. Ezecias ochyroſe tin polin autu, cae iſigagen is meſon auton ton gog: quae ſic verrit Sixtianus codex Latinae editionis Septuaginta interpretum: Ezechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medio ipſorum Gog; notatque in alijs codicibus legi αὐτὸν τὸν γὼγ auton ton gog, ipſum Gog, in alijs αὐτῆς τὸ ὕδωρ autis to hydor, ipſius aquam, aut αὐτῶν τὸ ὕδωρ auton to hydor ipſorum aquam: ſubditque ſuſpicari licere pro γὼγ gog ſcribendum γεὼν gion; quoniam ſic denominati fontis aquas introduxiſſe in vrbem ſcribitur in libro Paralipomenon. Sed vt ſententia commodius eliciatur, ſingula verba perpendenda ſunt.

PROBATVR tertium murum tertium ab Ezechia reaedificatum. *Eccleſ.* 48. ℣.19.

2. *Par.* 32. ℣.30.

Verbum ὠχύρωσε ochyroſe muniuit, deductum videtur ab ἐχυρὸς echyros, quod deriuat Etymologicus ab ἴχω echo habeo, quaſi ὁ αὐτέχων ho autechon antehabeo: quare ſignificare videtur primaeua ſui inſtitutione munitionem, quae primò obijcitur. Atque hinc, per ὀχυρὸν τεῖχος ochyron tichos interpretantur eam vocem lexica, quaſi ſit murus magnus & ſublimis. quae interpretatio aptiſſimè quadrat praeallato ex eadem hiſtoria libri Paralipomenon loco, vbi extrinſeco muro circumdatam vidimus ciuitatem, *ciuitatem* inquam, quam *ſuam*, hoc eſt, Ezechiae, vocat Eccleſiaſticus αὐτοῦ autu, quaſi ἑαυτοῦ heautu ſui ipſius; non quidem, ſicut & aliorum Regum Iuda dicta eſt Hieroſolyma ciuitas, vtpote ſuae ditionis, ac imperij metropolis & caput: ſed quemadmodum Iebuſaei ciuitas, poſtquam munita fuit à Dauide, ab eodem denominata eſt ciuitas Dauid. Pari etiam ratione Caenopolis, quae quondam extra moenia erat, munita ab eodem, hoc eſt, nouo muro cincta, Ezechiae ciuitas denominari coepta eſt: & hoc innuit praeſens textus; *muniuit* enim, inquit, *ciuitatem ſuam*, neque muro tantum, turribus, ac firmis aedificijs; verùm etiam aquarum praeſidijs, quae maxima eſſe ſolent inter belli diſcrimina; quorumque defectu perire neceſſe eſt infinitam hominum, ac iumentorum multitudinem. Etenim cùm primùm comperit Rex Iſraël defeciſſe aquam: dixit, *Heu, Heu, Heu, congregauit nos Dominus tres Reges, vt traderet in manus Moab*. Hac igitur ratione vrbem ab hoſtibus liberari poſſe putauit Ezechias, ſi ablatam ijs aquarum copiam in vrbem ſuam induceret: & hoc eſt, quod ſubditur; *& induxit in medium ipſius aquam*. Quae etiam omnia diſertis verbis recenſentur ab Iſaia: *Et congregaſtis*, inquit, *aquas piſcinae inferioris, & domos Ieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos ad muniendum murum, & lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinae veteris, & non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecit eam, & operatorem eius de longè non vidiſtis, & vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad ſletum*, & quae ſequuntur. Cuius loci ſenſum ex ipſa diu agitata controuerſia eruere ſe poſſe putat Leo: Hieronymum enim citat, duas referentem ſententias: Hebraei cuiuſdam alteram, de Sennacherib totum illud Iſaiae caput interpretantem: Euſebij Caeſarienſis alterum, idem ipſum caput longè diuerſa ratione interpretantis.

CAENOPOLIS dicitur ciuitas Ezechiae.

AQVArum copia tamquam maximo praeſidio ſe tuentur in vrbibus ciues, defectu pereunt. 4. *Reg.* 3. ℣.10.

Iſai. 22. ℣. 9. *& ſeq.*

Et quoniam has duas ſententias ſibi inuicem aduerſari putat, mediumque tenuiſſe Hieronymum inter eas callem, vtpote qui neutram refellat, ad ſuam ſententiam confirmandam Euſebio Hieronymum adiungit, atque omnium Patrum conſenſum implorat & appellat, quorum auctoritate ſe tueatur à Iudiazantium phalangibus, quas ſibi omnes imminere putat, illic trepidans timore, vbi non erat timor. Patrum enim ſententiae ita firmiter inhaerendum illi videtur, vt quicquid noui afferatur, illico profligandum ſit: quorum ſententiam eſſe putat hoc loco, vt de nulla alia Hieroſolymorum vaſtatione, quàm de vltima à Tito peracta intelligi poſſit locuta haec prophetia; idque propter ſubſequentia verba. *Et reuelata eſt*, inquit, *in auribus meis*, phraſi Hebraica *in auribus*, pro *auribus meis vox Domini exercituum, ſi dimittetur*. Iurantis eſt, vt illud pſalmi: *Quibus iurauí in ira mea ſi introibunt in requiem meam*. Humano more ſubintelligendum videtur, quod Dauid dixit ad Amaſa. *Haec mihi faciat Deus, & haec addat, ſi non magiſter militum fueris*, &c. *Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini*, quaſi dicat in perpetuum, *dicit Dominus omnipotens*. Etenim cùm omnibus alijs populi Hebraici ſceleribus placatus Deus indulgentiam illis tandem vſque ad aduentum Chriſti praeſtiterit; attamen vnum hoc omnium maximum, grauiſſimumque flagitium, quod occiderint ſcilicet Chriſtum Dominum, numquam Deum Iudaeis, in ſua peruicacia permanentibus, condonaturum vates oſtendit; neque remiſſionem, aut miſericordiam ab eo ijs vmquam adhibitam, vel adhibendam fore, neque in hoc ſaeculo, neque in futuro, niſi prius inueteratis ritibus ac caerimonijs morientes, renaſcantur denuo, *ex aqua & Spiritu ſancto*.

Quòd ſi iniquitas pro iniquitatis poena accipiatur, vt in Leuitico, *niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam*, id eſt, poenam iniquitati ſuae debitam; profectò huius vltimi, ac maximi Hebraeorum peccati non dimittetur poena, donec moriantur, hoc eſt, numquam. Neque verò habitatoribus tantummodo vrbis haec perpetui ſupplicij comminatio facta videtur, verùm etiam ipſi vrbi, cuius antiquas omnes vaſtationes ſubſequuta ſemper eſt inſtauratio; hanc verò vltimam perpetua conſequuta eſt vaſtitas, *& finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio*. De hac vltima igitur vrbis vaſtitate ſine dubio locutus fuiſſe Propheta credendus eſt.

Verùm non propterea negamus, multa interim referri ab eodem Propheta, quae vltimae vaſtitati nulla ratione accommodari poſſunt. Nam licet totum euoluat Ioſephum hic auctor, numquam, ni fallor, inueniet, aquas piſcinae inferioris atque ſuperioris in vrbem inductas, aut lacum inter duos muros exſtructum temporibus

vltimae

LOC
cuius im
pretatio
controue
ſiam voc
tur.

Leo de C
ſtro in co
huius cap

Euſeb. Ca

Hieron.

Pſal. 94.
℣.11.
SI DIMI
tetur, ſi i
troibunt,
modus iu
randi apu
Hebraeos.
2. *Reg.* 1
℣.13.

QVOMO
do Hebraei
neque di
miſſum fit
neque di
mittendum
peccatum
mortis Chri
ſti.
Ioan. 3. ℣.5

INIQVI
tas pro poe
na iniquita
tis.
Leuit. 5.
℣.1.

vltimae vastitatis, cùm ea maximè omnia à temporibus Ezechiae peracta fuerint. Quare non est, quod huic vltimae vastitati intelligendae repugnet illa altera vastitatis à Sennacheribo comminatae commemoratio: immo verò nisi vtraque ob oculos ponatur, vix loci contextum persequi erit cuiquam integrum, qui sic habet. Recenset vates primùm futuras Titi aetate vrbis calamitates, quas miris exornat coloribus, qualis ille eximius, *Recedite à me amarè flebo, nolite incumbere vt consoletis me super vastitate filiae populi mei*, & quae sequuntur: deinde rem comparatione auget, dum subdit: *& congregastis aquas*, quasi dicat, numquid ad naturae, industriae, virium praesidia confugietis, sicut olim sapientissimus Ezechias: *quando congregastis*? &c. Septuaginta in Sixtiano codice; & quia auertit aquam, legunt (vt eundem referant sensum, quasi subintelligi velint, Ezechias) ab antiquo natatorio in ciuitatem. Eundemque sensum referunt haec eum vulgata lectione, quae sic habet. *Congregastis aquas piscinae inferioris*, hoc est, in piscina inferiori maximam aquarum copiam congregastis, in eam deducentes aquas piscinae superioris. Et haec eadem superiora interpretatus repetit in inferioribus, subdens: *& lacum fecit inter duos muros ad aquam piscinae veteris*. Duas itaque piscinas commemorat; alteram superiorem, quam & veterem vocat; alteram inferiorem inter duos muros denuo aedificatam, ambas eiusdem fontis aquas continentes.

Et quidem hanc veterem piscinam esse illam crediderim, cuius meminit Nehemias, *piscinam* eam vocans, *quae grandi opere constructa est*: & iterum piscinam Regis. Nam vbi nos legimus, *aquaeductum Regis*, Hebraicè ברכת beracath, piscinam Regis; aquaeductu enim, maximo sumptu, ac infiniris paene operis confecto, aqua in piscinam illam deducta fuit, quae ad Meridiem Sionis montis, & arcis in eo exstructae sita erat, vt sequenti libro patebit. Hanc autem piscinam à Salomone olim constructam conijcere licet, vt magna aquarum copia in ea collecta per occultos canales in hortos Regios vallis Iosaphat deduceretur. Hic ego stagnum, quod Salomonis dictum est à Iosepho, fuisse conijcio ex eo, quod ab eodem Salomone scriptum acceperimus. *Et exstruxi*, inquit, *mihi piscinas aquarum, vt irrigarem siluam lignorum germinantium*; sic Hebraica phrasi vocantur pomiferi horti. Auctoris huius piscinae superioris meminit etiam Isaias, subdens: *& non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem eius de longè non aspexistis*: quasi dicat, exsiccastis, vel exsiccauit Ezechias, vel magis propriè illo praecipiente exsiccastis superiorem piscinam, Regiorum hortorum pulcritudinem, fructus, ac dignitatem penitus abolentes: immo verò eius memoriae ac nomini non parcentes, qui summo debuit à vobis honore coli, ac maxima veneratione celebrari. Hoc verò factum ira refert Isaias, vt quasi reprehendere & accusare videatur, non quòd accusatione dignum putaret, sed rantummodo, vt illa rei amplificatione pijssimi Regis Ezechiae in summis periculis singularem, ac maximam prouidentiam exaggeraret. *Et lacum fecistis inter duos muros*. Hunc lacum paulò superiùs vocauerat piscinam inferiorem: quoniam in

L O C I
aiae inter-
ectatio.

ai. 22.
.4.

bi. ℣. 11.
VAE PI-
cinae in
ierusalem,
etus, quae
t superior,
zque altera
nferior in-
er duos mu-
os denuo
xstructa.

.Esd. 3.
℣. 16.

bid. cap. 2.
℣. 13.

S A L O-
non supe-
iorem pisci-
am exstru-
it.
oseph. 6.
ell. c. 6.
ccl. 2. ℣. 6.

PISCINA inferior. *S. Hieron. super Isai.*

A infima vrbis parte, nempe Caenopoli, constructa fuit. Quod inrellexisse videtur S. Hieronymus, cùm inrer duos muros explicat, inter murum veterem & nouum. Nouum autem eum intelligere oportet, qui nouissimè tunc constructus ab Ezechia fuerat. Iam verò haec omnia confirmari videntur praeallatis Paralipomenon verbis: *Muniuit enim Ezechias* videlicet, *ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam*; vel vt ibi retulimus ex nonnullis Septuaginta interpretum codicibus, in medio ipsorum, nempe murorum introduxit aquam. Et hunc putamus esse lacum, cuius meminit Iosephus, illum vocans lacum Amygdalon, eumque constituens ab Aquilone templo & Antoniae. Et vnus quidem, inquit Iosephus, agger, qui erat ad Antoniam, & à quincta legione fuerat exstructus contra medium stagnum, quod struthium vocatur: alter verò à duodecima viginti cubitis distans. Decima verò legio, quae suprà memoratis praestat, in septemtrionali parte opus erexerat, vbi stagnum est, quod appellatur amygdalon. Hanc autem vocem Hebraeam, Graeco more inflexam, deduci posse arbitramur à radice גדל gadal, quae magnum esse vel fieri significat, quantitate, qualitate, tempore, durarione; grandescere posses vno verbo conuertere. Vnde deducitur vox מגדל migdal, quae pro magno aedificio vsurpari consueuit, & turrem seu arcem frequenter significat; cui cùm additur demonstrariua littera ה he, fit המגדל hamigdal, vt videre est in Genesi. *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem* ואת המגדל veeth hamigdal, *& turrim, quam aedificabant filij Adam*. Quare cùm nomen hoc lacui tribuitur, magnum fuisse lacum ostendit, & aquarum copia, & structurae operibus. Quod & innuit Isaiae locus, quem interpretamur: *Et congregastis*, inquit, *aquas piscinae inferioris*, vel in piscina inferiori. Haec verò piscina tum maximè celebris erat, vtpote murorum celsitudine, ac firmitate ita munita, vt turris nomen meritò sibi assumeret.

Ioseph. 6. bell. c. 12. & al.

QVARE dicatur stagnum amygdalon.

Gen. 11. ℣. 5.

Praeterea, haec omnia, quae de Ezechia à D nobis dicta sunt, paucis perstrinxisse videtur liber Regum: *Reliqua*, inquit, *sermonum Ezechiae, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam & aquaeductum, & introduxerit aquas in ciuitatem*, absque dubio suam, quae dicta fuit Graeca voce a Iosepho Caenopolis, *nonne haec scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda*? His igitur, quae ad rei commemoratae veritatem percipiendam conducere poterant, liquidò perspectis & confirmatis, superest vt verum loci Isaiae sensum contexere conemur: aliàs enim, quae dicta sunt, omnia facilè corruent, si contextus perpetua serie ostensa non stabiliantur. Sensus igitur loci est, E quem paulò antè insinuaui. Deus vt ineuitabilem vrbis eladem, & populi oscitantiam, quam elegantissimis verbis describerat, mirificè exaggeraret, commemorat Ezechiae Regis sollertiam, industriam, ac sollicitudinem, quando à Sennacheribo Assyrio inuasus est: quae licet tunc maxima fuisse ostendantur; non tamen eorum praesidio, sed diuino implorato auxilio Ezechiam liberarum dicit, quando angelo, caelesti inquam, potentissima virtute Regi, diuino iussu suppetias ferenre, ab imminente periculo ereptus mirabiliter fuit: Et vos ijs, inquit Isaias, omnibus praesidijs, consilijs, & auxilijs destituti euadere eladem,

4. Reg. 20. ℣. 20.

Ioseph. 6. bell. c. 12. & al.

CONTEXTUS perpetua serie singularum partium interpretationes stabiliuntur.

DEI PRAEsidio potius quàm quolibet humano liberantur populi.

F PIISSIum est in ummis ecuculis omes superare fficultates.

quam vobis comminatus est idem Dominus, praesumetis? stultè quidem praesumitis, imo verò nec cogitatis, siquidem, *Vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum*, &c. *Et ecce gaudium, & laetitia, occidere vitulos*, &c. quibus, nihil omnino futurorum praeuidentes, stultè indulgetis, subaudi, haec faciat mihi Deus, & haec addat, *si dimittetur iniquitas haec vobis, donec*, hoc est, quinimmo *moriamini*, vel moriemini. Iam verò ad reliquos huius tertij muri instauratores enumerandos accedamus oportet.

OZIAS, siue Azarias tertij muri instaurator. 2. Par. 26. ℣. 9.

Ac primùm Ozias, qui & Azarias dicitur, filius Amasiae, cùm fecisset rectum in oculis Domini, adiutus à Deo, multa sanè praeclarè gessit, animumque ad muniendam vrbem applicauit. Quare de eo scribitur: *aedificauitque Ozias turres in Ierusalem, super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas*, Hebraicè verò sic: ויבן עזיהו מגדלים בירושלם על שער הפנה ועל שער הגיא ועל המיקצוע ויחזק Vaiaben Guziiachu migdalim birusalaim ghal saghar happinaa veghal saghar haggai veghal hammictsoagh vaichazechem: quae quidem ad verbum sic licet conuertere; & aedificauit Ozias turres in Hierusalem super (vel ad, aut prope) portam anguli, & super portam vallis, & super angulum, & roborauit eas. Septuaginta verò interpretes phrasim Hebraicam innuere voluisse visi sunt, dum vocem המיקצוע hammictsoagh, angulum, in Graecam γωνιῶν ton gonion super angulos conuerterunt, quasi dicant, reliquos vrbis angulos pro turribus accipiendo, vt aliàs saepe solet. Quem loci sensum magis apertè sequutus est vulgatus: *& reliquas*, scribens, *in eodem muri latere*.

Quod autem fuerit hoc muri latus, liquidò perspicere licet intuenti descriptionem nostram, & ea, quae infrà de situ portarum scribentur: quibus ostendetur porta anguli in aquilonari, & occidentali vrbis inferioris angulo sita fuisse, porta verò vallis in altero eiusdem vrbis angulo occidentali & meridionali. Ex quo haud dubiè colligi potest, latus occidentale vrbis inferioris totum instauratum ab Ozia; neque illud tantummodo latus, verùm etiam aquilonare, nisi Septuaginta interpretum lectio abijcienda sit, quam vero simile valde reddit eiusdem aquilonaris lateris indigentia, in quo erat porta Ephraim ab angulari, quam diximus, porta, quadringentos distans muri cubitos; quod muri spacium deuicto Amasia, eiusdem Oziae patre & Regni praedecessore, arrogans Ioas Rex Israël paulò antè demolitus fuerat. Hinc facilis est coniectura, vniuersum murum Salem siue Acrae instauratum fuisse ab Ozia; qui quidem magnam continet tertij muri partem.

LATVS occidentale muri inferioris à porta anguli procurrens ad portam Vallis, ab Ozia instauratum.

2. Paral. 25 ℣. 23.

MANASSES Rex murum aedificat Hierosolymis.

At eandem ipsam muri partem; quam aedificauerat Ezechias, instaurauit, & communiuit Manasses, eiusdem Ezechiae filius, Regni non pietatis heres; priusquam seruitutis aerumnis premeretur. Tum enim Regno restitutus est, quando seipsum pietati, ac diuino cultui restituit. Huius porrò instaurationis meminit sacer textus, cùm, *Post haec*, inquit, *aedificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Gihon in conualle, ab introitu portae piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer*. Qui locus (ne quid intactum in lectoris gratiam relinquamus) & difficilis est, & si cùm Hebraico textu & Graeco conferatur, insuperabilem

2. Par. 33. ℣. 14.

DIFFICILIS locus de muro Manasis.

A videtur continere difficultatem. Verùm Deo dante speramus ea omnia, quae obscuritate lectorem initio deterrent, postquam explicata sigillatim fuerint clara ac planè perspicua futura; vt vel ipsa difficultas rei obscurae sit, vt speramus, lucem allatura. Hebraicè ואחרי־כן כנה חוטה חיצונה לעיר דויד מערבה לגיחון בנחל ולבוא בשער הדגים וסבב לעפל ויגביהה מאד veacharecen bana choma chitsona legir Dauid magharaba legichon bannachal velauo vesaghar haddagim vesabab laghophel vaiagbiheha meod: quae ad verbum sic licet conuertere. Et post hoc aedificauit murum exteriorem ad ciuitatem, vel ciuitati Dauid ad Occidentem, ad Gihon, in conualle, & à veniendo in porta piscium, & circum ad Ophel, & exaltauit eum valde. Graecè verò sic; B καὶ μετὰ ταῦτα ᾠκοδόμησε τεῖχος ἔξω τῆς πόλεως Δαβὶδ, ἀπὸ λιβὸς κῶ νότου, ὁ τοῦ χειμῶῤῥω, καὶ κῶ τῶ εἴσοδον τῶ ὕδατος τῆς πύλης τῆς ἰχθυικῆς ἐκπορευομένων τὴν πύλιν τῶ κυκλόθεν, καὶ εἰς ὄπελ, καὶ ὕψωσε σφόδρα. cae meta tauta ocodomise tichos exo tis poleos Dauid apo libos cata noton cn to chimarro cae cata tin isodon tin dia tis pylis tis ichthyicis ecporeuomenon tin pylin tin cyclothen, cae is Opel, cae hypsose sphodra. Et post haec aedificauit murum extra ciuitatem Dauid, ab Africo ad Notum, in torrente, & ad introitum, qui per portam piscium egredientibus portam in circuitu, & in Ophel, & exaltauit valde. Et quidem nonnulla ita clarè patent, in omnibus versionibus, & codicum multitudine, vt disputatione non indigeant. C

Illud enim primùm certum apud omnes videtur, de muro inferioris ciuitatis sermonem hic fieri; quoniam satis testatum habemus, ciuitatem superiorem, vtpote à Dauide aedificatam, Dauidis ciuitatem dici. Quare cùm extra eam aedificatum murum à Rege Manasse accipiamus, in ciuitate inferiori aedificatum intelligamus oportet. Praeterea cùm porta piscium, cuius meminit praesens textus, in muro exteriori, hoc est, tertio ab Ezechia exstructo aperta fuisse probandum sit, idque manifestè testetur tam Sophoniae locus, quàm alij simul allati, cùm de Bezeta scribemus; manifestum etiam fit, de tertio muro, non verò de secundo Bezetae sermonem fieri. Et id quidem vel ex eo maximè conijcere licet, quod ex aduerso portae piscium alia, quae secunda dicitur, vel media, aperta fuerit in muro Bezetae: quapropter non potuit in muro Bezetae constitui porta piscium. Cùm igitur à porta piscium vsque ad Ophel aedificatus fuerit hic murus, nulla ratione potest confundi cum secundo muro Bezetae. Supereſt ergò tantummodo examinandum, quae pars, aut partes tertij muri intelligendae sint aedificatae, vel instauratae à Manasse. D

DE MVRO inferiori sermo est.

PRIMA ratio.

SECVNDA ratio.

Sup. lib. 2. prb. c. 13.

TERTIA ratio.

Et quidem tota huius loci difficultas inde videtur pendere, quòd duae Hebraicae litterae, nempe מ mem, & ל lamed dictionibus מערבה magharaba, & לגיחון legichon superadditae, multiplicem possunt admittere sensum. Primùm enim littera מ mem significare Hebraeis solet idem, quod Latinis praepositiones à, vel ab, Graecis verò ἀπὸ apo: quare voci ערב gharab, quae vesperam significare solet, vel occidentem Solem, adiuncta, significabit ab Occidente, nempe partem inferioris vrbis, quae respicit Occidentem. quod aptissimè vulgatus sensum reddens, *ad Occidentem* vertit. Septuaginta verò ἀπὸ λιβὸς apo libos à Libyco, vel Africo conuertunt, idem significantes, licet non sine magna doctissimorum virorum admiratione. Vitruuio namque teste Africus ventus inter Austrum & Fauonium ab Occidente hiberno spirat; E

מ mem Hebraicum quid significet.

AFRICVS ventus vnde perflet.

Vitr. lib. 1. cap. 6.

spirat. At verò Occidens, quotiescumque absolutè ponitur, aequinoctialem, hoc est, medium significat, non autem hibernum, vel aestiuum extremos occidentes; ideoque deflexisse videntur ab Hebraica lectione Septuaginta. Verùm non ita de ijs sentiendum est vllo pacto; siquidem idem, quod Hebraea & Latina, tradidere. Nam cùm in Aegypto constituti Septuaginta interpretes scripserint, Aegypto verò Africa occidentalis omninò sit, quae tamen Romanis ac Graecis ad hibernum Occidentem inter Fauonium & Meridiem constituitur, eo vsi sunt venti nomine, qui ipsis ad Occidentem esset, Austro nimirum, aut Libyco. Altera quoque littera ל lamed suam non paruam ingerit difficultatem: nonnumquam enim articulus datiui casus solet esse: verùm aliàs significat idem, quod super, apud, vel iuxta; vt videre est in Numerorum libro. *Metabuntur autem*, inquit, *castra fily Israël, vnusquisque per turmas & cuneos, atque* לצבאתם letsibotham, prope, vel iuxtà *exercitum suum*. Atque in Genesi: *Zabulon in litore maris habitabit* לחוף lechoph iuxta, vel prope litus maris, in quo sensu accipienda videtur hoc loco, quasi dicat, à parte occidentali aedificasse Manassen iuxta Gihon. quem sensum amplexati fuisse videntur Septuaginta interpretes: sic enim habent in Sixtiano codice, κῶ νότου cata notou, ad vel prope, vel iuxta Notum, vel australem plagam. Qui enim Gihonem montem in nostra descriptione perspexerit, facilè agnoscet eum situm esse ad Occidentem quidem ciuitatis Dauid, ad Meridiem verò montis Salem, in quo ciuitas inferior exstructa erat; cumque de huius ciuitatis muro loqui textum hunc, quem interpretamur, paulò antè ostenderimus, facilè vtraque conciliatur lectio, & quae ad, vel prope Gionem aedificatum testatur murum, & quae iuxta Meridiem, hoc est, iuxta montem eidem muro meridianum. Vel potius, quoniam eiusdem inferioris muri occidentalis pars tantùm exstructa est, & haec ipsa non tota, sed meridiana tantùm; eam pressius significare volens sacer textus, subdit, *in conualle*, Hebraicè בנחל bannachal: quae vox torrentem nonnumquam significare solet. Quapropter Septuaginta interpretes verterunt, ἐν τῷ χάραγμῶρῶ en to chimarro, hoc est in torrente. Verùm ipsa Hebraica vox propriùs alueum, siue vallem, per quam aqua decurrere solet hiberno tempore, significare consueuit; quod cuilibet, originem & vim vocis perpendenti, cognoscere in promptu est. Quare aptissimè vulgatus *in conualle* transtulit, quae haud sanè alia potest intelligi, quàm vallis cadauerum: nulla enim alia est vrbis inferioris occidentalis conuallis praeter eam, quae superiorem ciuitatem dirimit ab inferiore, & sursum ab Oriente ascendens, vt primùm ad caluariae montem peruenit, in duas seiungitur partes, quarum sinistra Sioni vicina vallis cadauerum appellata est, dextra verò ad montem Acrae deflectens, eidem monti, & inferiori vrbi Salem pro vallo est, atque in faucibus earum voraginum ex aduerso montis caluariae exstructus erat hic murus, quem tot affignatis eiusdem terminis aedificatum commemorat sacer historicus à Rege Manasse, quique vtpote in ima valle depressus, maximè indiguisse munitione credendus est.

Reliquum autem huius muri, quod tum occidentale, tum etiam aquilonare vrbis Salem latus ambit, vtpote in celso monte, ac natura munito situm, ac propterea à temporis, & hostium iniu-

A rijs magis tutum, praetermissum fuit; & ad inferioris Caenopolis murum ventum est, *ab introitu portae piscium*. quo loco & in Hebraeo, & Graeco textu, &, coniunctio praetermittitur, ità vt sensus sit, aedificasse in conualle, & *ab introitu portae piscium*, vbi introitum portae oportet obseruare; siquidem phrasim Hebraeis familiarem, atque vsu maximè communem redolet: vox enim ולבוא velabo, sic potest conuerti, à veniendo, vel ab introitu. significatque extremum rei terminum, qui primùm venienti occurrit, vt videre est in libris Regum. *Ipse*, inquit, Ieroboam filius Ioas, *restituit terminos Israël ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis*; quae verba alibi quoque refe- 4. *Reg.* 4. ℣. 25.

B runtur. Hunc autem locum, & similes aptè interpretatur Ribera, non esse ita intelligendos contendens, vt significent, ex quo ingrediaris vrbem Emath, sed introitum Emath vocari docet extremitatem illam aquilonarem terrae sanctae; quoniam Emath non ad promissionis terram pertinebat, sed potius ad Syriam Damasci, vt ex his verbis Ieremiae liquidò apparet. *Ad Damascum*: inquit, *confusa est Emath, & Arphad, &c.* Sensus etgo loci est, coepisse Manassen aedificare à meridiano termino occidentalis partis muri inferioris, & praetermissa vrbe Salem aedificasse quoque murum Caenopolis, per circuitum a porta piscium vsque ad Ophel.

Amos 6. ℣. 15. *Ribera ibid. n.* 45. *Ierem.* 49. ℣. 23.

C Ex quo manifestum fieri censeo, murum Caenopolis coniunctum fuisse muro Salem prope portam piscium, vel portam piscium aperram fuisse in muro Caenopolis, ad eum terminum eiusdem Caenopolis, quo muro antiquo vrbis Salem coniungitur nouus ab Ezechia primùm aedificatus, & postea a Manasse instauratus. Quod ipsum ostendi, ac probari etiam potest ex eo, quod proxima fuerit portae piscium porta vetus, vt ex Nehemia latè infra patebit, & in ipsa nostra descriptione monstratur. Sed iam reliqua textus explicemus: *per circuitum vsque ad Ophel*. Quae omnia duplici verbo expressit Hebraeus וסבב לעפל vesabab lagophel: & circum

D Ophel, vel ad Ophel, duplicemque sensum admittere posse videntur Hebraea, vel circumdedisse ipsum quoque Ophel, ita vt littera ל lamed sit nota datiui casus, vt aliàs solet, idem significans quod, ad, vel vsque ad; & tunc sensus erit, aedificatum murum Caenopolis vsque ad eius extrinsecum terminum, qui erat in Ophel Nathinaeorum vico. Quem sensum vtpote vulgatae nostrae consentaneum magis probandum puto: cuius explicandi gratia subintelligendum videtur, ciuitatis, vel Caenopolis, vel quid simile, cùm *per circuitum* scribitur.

Infra lib. 3. *cap.* 9.

Neque verò temerè opinamur murum Ophel is non aedificatum fuisse à Manasse, cùm non multò antè instauratus is fuisset à Ioatham proauo ipsius Manassis. De illo enim scribitur in libris Paralipomenon. *Ipse* Ioatham *aedificauit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit*. Hebraicè בנה לרב bana larob, aedificauit ad multa vel ad magna; quae vnica vox multiplicare, augescere significat, numero, magnitudine, forma, & quacumque alia praeclara vel quantitate, vel qualitate. Quare cùm & amplificatus, & munitus dicatur à proauo hic murus, non indiguisse videtur noua instauratione. Et hunc eundem sensum Septuaginta amplexàti sunt, intellectu tamen difficiliorem, quoniam phrasim Hebraicam sequuti sunt, atque illud *per circui-*

2. *Par.* 27. ℣. 3.

tum

AB INTROITU portae phrasis Hebraica explicatur.

PORTA piscium in muro Caenopolis aperta.

LITTERA lamed nota solet esse datiui casus.

AEDIFICARE multa quid significet.

tum vertentes, addiderunt, egredientibus portam per circuitum. Quasi sit sensus, aedificauit, donec veniret ad portam piscium, & inde progrediendo per circuitum. hoc verò additur, vt significetur non recta tetendisse murum, sed deflexisse in turri Hananeel ab aquilonari latere in orientale, & versus Austrum directè progrediendo, descendisse vsque ad Ophel. *Et exaltauit illum vehementer*. Hic erat scopus Regis, cuius mens his verbis manifestari videtur; hoc animo semper voluebat, vt vrbem quam maximè communiret, & ad quosuis hostium impetus propulsandos firmissimam, atque aptissimam redderet; quamobrem exaltauit murum, qui in ima valle, vel in ima vrbis parte exstructus iam pridem fuerat, atque ita exaltauit, vt murus, propugnaculorum, & turrium altitudine, murum & turres in celsioribus montium cliuis exstructas exaequare videretur. Atque adeo inter alia, quae commemorat Tacitus vrbis munimenta, vel si malis etiam ornamenta, hoc vnum maiori dignum putauit admiratione: quapropter hic eius testimonium referre non dubitaui. Romanos varijs studijs incitatos inducit sub Tito, ad maturandam Hierosolymae oppugnationem, & subdit. Ipsi Tito Roma, & opes, voluptatesque ante oculos, ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur; sed vrbem arduam situ opera molesque firmauerant, queis vel plana satis munirentur. Nam duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, vt latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta, & turres, vbi mons iuuisset, in sexaginta pedes, inter decuxa in centenos vicenosque attollebantur mira specie, ac procul intuentibus pares. Haec ille. Quibus & nos modum huic capiti imponemus, & ad eiusdem tertij muri, vel potius totius ciuitatis dimensionem designandam properabimus.

Tac. lib. 21. annal. MVRVS, & turres Hierosolymorum, & quae in collibus, & quae in vallibus, pari celsitudine cernebantur.

CRASSITVDO, ALTITVDO, ET FORMA *murorum ac turrium.*

Cap. XX.

POSTQVAM murorum vrbis maximas dimensiones absoluimus, quae ad ipsius vrbis amplitudinem cognoscendam necessaria videbantur; iam nunc de ipsius muri crassitudine, altitudine, forma, quae munitionem, & pulcritudinem vrbi non modicam praestant, agendum duxi. Et primùm, quod ad crassitudinem pertinet, disertis verbis tradit Iosephus de muro tertio agens, quem Agrippa munire coeperat, eoque à Romanis inhibito, murus populari studio ac sollicitudine absolutus fuit. Saxa enim, inquit, viginti cubitis longa, & decem lata contexebantur, quae neque ferro facilè suffodi possent, neque machinis dimoueri; hisque decem cubitis ipse murus dilatabatur. Haec ille. Quae si immutata cuiquam videbuntur à Latinorum codicum, qui circumferuntur, lectione; is ad Graecos fontes recurrat, atque inueniet non sensum tantummodo, verùm etiam verba verbis à nobis fideliter reddi; quibus apertissimè testatur murum decem cubitos latum fuisse. Verùm cùm murum ac turres, vsque ad viginti cubitos altitudinis fartas, solidasque fuisse testetur, ac desuper cenacula in turribus, ac singulorum latos ascensus exstitisse; ad singulas turres intrinsecùs singulas construximus scalas, quae hinc & inde ascendentibus & descendentibus militibus vndequaque vsui sint; exstantes quidem eas extra muri solidam crassitudinem fecimus, quales in antiquissimarum vrbium moenibus constructas non rarò vidimus; eas quoque latas conijcimus saltem cubitos propter rationem, quam assignat Vitruuius, huiusmodi legem murorum aedificatoribus praescribens. Crassitudinem autem, inquit, muri ita faciendam censeo, vti armati homines suprà obuiam venientes, alius alium sine impeditione praeterire possint. Cumque longitudo cubiti sacri, quo haec omnia commensurata sunt, tanta sit, vt aditum armato etiam militi praestare facilè possit, sit vt scalae latitudo bene assignata videatur duorum cubitorum; eiusque formam facilè intelliges ex figura muri, quam ad calcem huius capitis adiecimus.

SCALA in muris q ratione ef finxerimus

Vitru. lib. cap. 5.

His omnibus sic statutis, murum magna ex parte latum intelliges cubitos duodecim; quem duodenarium crassitudinis numerum respexisse videtur Ioannes, dum caelestem Hierosolymam describit terrestri simillimam, & angelum aurea cubitorum arundine dimetientem *ciuitatem, & portas eius, & murum*; cumque totius vrbis longitudinem, latitudinem, & altitudinem dimensus fuisset, ac consequenter muri ipsius longitudinem & latitudinem (muro enim circumdata ciuitas tam alta, & longa, aut lata meritò dicetur, quanta fuerit singulorum muri laterum longitudo, & altitudo) de crassitudine eiusdem muri subdit; *& mensus est murum eius centum quadraginta quattuor cubitorum*, qui numerus ex duodenario in seipsum ducto, efficitur: quem numerum longitudini, ac latitudini ipsius vrbis tribuit, quam duodecim millibus stadijs metitur. Nam cùm sequenti capite satis à nobis probatum sit Ezechielis, Hecataei, atque Iosephi testimonijs, vrbis ambitum quinquaginta stadia continere; si in quattuor aequas partes murus diuidatur, efformata in quadro ciuitate, absque dubio singulis eius lateribus stadia duodecim ac semis obuenient. Omissa ergo fractione, duodenarium numerum, quem in portis, angulis, stadijs, & cubitis, vtpote quid mirabile ac magnum significantem, retinens per millenarium multiplicauit: at in muri crassitudine duodenarium in seipsum duxit. Qua quidem vtraque multiplicatione maiorem multò, ac solidiorem fore nouam, ac caelestem vrbem, terrestri ac veteri indicaret: assumptisque veteris vrbis numeris tamquam linearibus, eos in superficiales redegit in noua; vt excessu, quo superat Ecclesia Christi veterem Hierosolymam, elegantissima analogia, atque exaggeratione exprimeretur, noua esse quasi proportionis expers; qualis est superficici ac lineae comparatio.

MVRI crassitudo magna ex parte duodenum cubitorum. *Apoc. 21. ℣. 15.*

QVOMO do dimensio caelestis Hierosolymae terrestri respondeat.

12
12
24
12
144

INFINITIS paene partibus, ac sine proportione Ecclesia Christi veterem superat Hierosolymam.

Iam verò, quod ad murorum ac turrium altitudinem attinet, sic de eis Iosephus. Rursus autem murus etiam Iudaeorum studio fabricatus, ad viginti cubitos creuit, & minas quidem binis cubitis, propugnacula verò trinis habebat. καὶ δὶ πήχεις μὲν τὰς ἐπάλ-

Iosephus 6. bell. c. 6.

Iosephus 6. bell. cap. 6. MVRO-rum crassitudo.

ξεις

ξὺς τειπήχεις δὲ πὺς πεομαχῶνας ἄρχον. cae dipichis men tas epalxis, tripichis de tous promachonas ichen. & duorum quidem cubitorum minas, trium verò cubitorum propugnacula habebat. Est autem ἔπαλξις epalxis pinna, muri summum significans, vt facilè ostenditur ex Thucydide. Deturbauit enim quidam è Plataeensibus apprehensam ἀπὸ τῆς ἐπάλξεων apo ton epalxeon, è pinnis tegulam: epalxin verò aptè in minam conuertunt scriptores, cuius meminit Virgilius:

——pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina caelo.

Προμαχῶνες promachones verò propugnacula vertere licet, προμαχέω promacheo enim significat propugnare, in prima acie pugnare; vnde propugnacula meritò dicuntur, quae sustinent à muro exstantes minas, dupliciqué vsui belli tempore deseruiunt; nam cùm hostium aliquis admotis scalis murum conscendere tentauerit, si haec muri celsitudinem superent, scalae etiam militibus onustae facilè deijciuntur à custodientibus murum. Si verò subtus illa propugnacula admoueantur scalae, fieri non potest vt exstantes mutulos transcendant; iccirco etiam inter mutulos spacia quaedam aperta relinqui desuper solent, per quae demissis saxis arceantur hostes, ne muro appropinquare, aut cuniculis alijsque machinis turres suffodere tentent. Prognacula verò ternis cubitis, & minas binis altas fuisse manifestum fit ex sequentibus. Totaque altitudo, inquit, ad viginti quinque cubitos erigebatur. Et hanc fuisse totius muri altitudinem ipsa partium vrbis proportio facilè probat, & turrium altitudo, de qua mox agemus.

Sed tamen prius notandum hic sese offert illud, quod ad totius vrbis, eiusque partium magnitudinem cognoscendam maximè conducere videtur, nempe Iosephum in his omnibus dimensionibus semper cubiti sacri meminisse; quod nos pluribus argumentis latiùs suo loco probabimus; nunc verò manifestè satis comprobari videtur, quod minarum altitudinem duorum cubitorum fuisse testatur. Et quidem cùm eae ad militum, murum protegentium tutelam fiant, necessum est eas altitudinem staturae humanae vel excedere, vel ab ea saltem non deficere. At cùm cubitus vulgaris quarta pars sit staturae humanae, bini cubiti dimidiam militum altitudinem non trascenderent; quo fieret vt minae duorum cubitorum partem hominis superiorem, quae maximè defensione, protectione, ac munimento indiget, nulla ratione protegerent: quare cubitum, cuius meminit Iosephus, tantum decet credere, quanta est dimidia huius minae statura, quantus quoque est cubitus sacer, vt suo loco demonstrabitur.

Quod verò ad turrium dimensiones attinet, eas sic enumerat Iosephus. Murum autem, inquit, supereminebant turres, viginti quidem cubitis in latitudinem, viginti verò in altitudinem quadratis angulis structae, & sicut ipse murus, plenae ac solidae. Praeterea structura, ac pulcritudo saxorum nihil erat templo inferior. Post altitudinem verò turris solidam, viginti cubitis elatam, cellae πολυτελεῖς polytelis sumptuosae, & desuper cenacula erant, aquarumque pluuialium receptacula plurima, & lati singulorum ascensus. Hactenus Iosephus. In quibus illud notandum videtur, quod super altitudinem turrium solidam viginti cubitorum, duplici tecto suspensa fuisse tradit magnifica conclauia, ac desuper cenacula, quae nos ad alios viginti cubitos euexim us, non leui ducti coniectura symmetriae, ac venustatis turrium, quam subsequens indicat figura.

Neque ea tantùm, sed etiam Cornelij Taciti manifesto testimonio. Is enim murum Hierosolymae describens, Et turres, inquit, vbi mons iuuisset, in sexaginta pedes, inter deuexa in centenos vicenosque attollebantur mira specie, ac procul intuentibus pares. Haec ille. Quibus manifestum est, Romanum historicum Romanorum more numerasse turrium celsitudinem, quorum frequens vsus pedibus commensurare est. At cubitus pedem vnum cum dimidio continet. Fit ergo, vt sexaginta pedes cubitis quadraginta omnium ferè turrium exaequentur. At turris Hippicos, quae iuxta vallem cadauerum fita fuerat, vsque ad octuaginta cubitos (non octuaginta quinque, vt mendosi codices Latini legunt) erigebatur; id enim ex Graecis, & ipsa Iosephi computatione probatur: siquidem alta erat cubitos triginta solidos, viginti puteus desuper exstructus: mox duplici tecto excelsa domus, alios viginti quinque cubitos; propugnacula tandem alios quinque: qui omnes numeri in vnam summam collecti, octuaginta cubitos efficiunt, aequales omninò centenis vicenis pedibus Taciti. Neque abs re erit hic reliquam turrium, quarum ingens altitudo ceteris eminebat, quaeque cognosci aliqua ratione possunt, celsitudinem compendio enumerare. Hippicos, vt dixi, octuaginta cubitos alta erat, Phasaelon nonaginta, Mariamme, quinquaginta quinque. Verùm quamuis praedictae turres, magnitudine, siue pulcritudine, ac firmitate vniuersis, quae toto orbe essent, praestare dicantur à Iosepho; celsior quidem multo, ac vetustate praestantior alia visebatur Hierosolymis, ante primam eius euersionem, quam propterea vocat Nehemias turrim Emath, siue centum cubitorum, quod totidem celsa esset, vt suo loco patebit. Est & turris Psephina, quam septuaginta cubitos attolli tradit Iosephus, vt vidimus. De turri Antonia eiusque celsitudine, ac forma iam satis suprà.

Iam verò quod ad turrium, ac muri speciem, firmitatemque spectat, quod de tribus tantùm retulit Iosephus, id de singulis, ac patiter de omnibus intelligendum puto; maximè cùm, quae hic de lapidibus turrium antiquioris muri, eorumque magnitudine tradidit, paulò antè de muro tertio eadem prorsus testatus fuisset. Eius verba subiungam. Mirabilis etiam fuit, inquit, lapidum magnitudo; nec enim ex vulgaribus saxis, aut quae homines ferre possent, verùm secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque decem, ac per quinque altis erant aedificatae, quae ita inter se copulatae erant, vt singulae turres singula saxa viderentur. Sic autem manibus artificum ita faciem, angulosque formata, vt nusquam iunctura compaginis appareret. Haec ille. Quibus nulla cordato viro superesse poterit dubitandi ratio, quotiescumque à nobis argumentum proportionis assumi perspexerit, cùm videat, singulorum lapidum longitudinem, latitudini duplam, sicut haec altitudini, easque tribus numeris continuè proportionalibus sinir; quorum mutuam collationem latiùs infrà trademus, cùm de templi architectura, & proportionibus agemus. Murorum insuper crassitudinem singulis saxis vtrimque plenè compleri intelliges, turres binis.

Lapi-

Corn. Tacit. lib. 21. annal.

CELSITVdo turrium à Tacito commemorata eadem, quae Iosephi.

30
20
25
5
80

Nehem. 3. v. 1. 12. & 38.

TVRRIS Emath, siue centum cubitorum, quantum ceteris praestet.

Vidimus c. 4. huius lib. Sup. c. 11. huius.

Ioseph. 6. bell. c. 6.

PROPORtio duplicata lapidum argumentum proportionis in hac disputatione maximè confirmat.

Lapidum verò miram speciem, firmissimum nexum, nec non turrium formam, scalas, propugnacula, minas, ac tandem totum murum, ciusque interiorem atque exteriorem pulcritudinem, quoniam verbis exprimere nos posse diffidimus, oculis obijcere adumbrata hac figura conati sumus.



TOTIVS VRBIS DIMENSIO.

Cap. XXI.

Ioseph 6. bel.c.6.

TERTIVM murum cùm metitur Iosephus, eum in turres nonaginta ac totidem spacia diuisum narrat. Nec de ea tantùm muri parte loquitur, quam ab Ezechia aedificatam fuisse demonstrauimus; sed de totius ciuitatis exteriori, ac maximo ambitu. Id autem ita esse vel ex eo maximè ostenditur, quòd huius muri tertij (quod nos mox planum faciemus) aequa est, atque eadem omnino mensura & totius vrbis.

TERTIVS murus de totius muri ambitu intelligendus.

220
90
19800
200
80000

Multiplices igitur spacia nonaginta huius muri per ducentos viginti cubitos, & adinuenies totum murum à Iosepho dimensum esse, nouemdecim millibus octingentis cubitis. Quoniam autem singulis spacijs singulas tantummodo tribuimus turres; in portis autem binae solent exstrui, quae vtrimque portam communiant atque ornent, ideo tantum insuper addendum est huic numero, quantum praedictas turres credibile fiet habuisse latitudinis. At quoniam in tanta ac tam mirabili partium consensione non liberum est mensuram aliquam parti assignare, cui alia pars eadem prorsus, ne dum simili proportione ac magnitudine non respondeat, ideo has turres haud temerè reliquis pares, vicenum cubitorum constituemus. Sunt autem assignatae Hierosolymis in descriptione nostra portae duodecim: tot enim eas fuisse, & singularum nomina quae fuerint, quis situs, sacrae Scripturae testimonijs suis locis infrà confirmabimus. Ex quibus binae angulorum septemtrionalium in singulis turribus magnis, ac nobilissimis apertae fuere: altera scilicet in turri Hananeel, in Psephina altera, vt pluribus infrà. Reliquae verò decem portae, ab angulo orientali & meridiano incipiendo, progrediebantur hoc ordine. Porta Fictilis, Aquarum, Equorum, Gregis, Piscium, Vetus, Ephraim, Vallis, Stercoris, & Fontis. Harum igitur portarum omnium decem turres singulas vicenum cubitorum si computes, ducentos efficies cubitos, quos si praeinuento cubitorum numero addas, summam colliges viginti millium cubitorum.

ORDO, & numerus portarum Hierusalem.

Et quidem haec cubitorum aequa computatio probabiliorem allatam à nobis coniecturam ostendit. Illud tamen admonitum lectorem velim, quòd, etiamsi aequi numeri complementum non repe-

riat, non tamen propterea ea, quae dicenda à nobis sunt, infirmari opinetur; quoniam qui deest numerus, parua quaedam eius numeri pars est, quem refert Iosephus, ita vt vel praetermissus, vel superadditus communi & vsitato loquendi more, quem vsurpant historici, nihil historiae fidei detrahat, parum veritati.

Iam ergo si, quem stadiorum numerum compleat praedictus cubitorum numerus, placet inquirere, primùm meminerimus Iosephum quadringentos cubitos sacros exaequare solitum stadio; tales autem fuisse eos, quibus ille muros vrbis metitus est, satis à nobis in praecedentibus probatum est. Quare si viginti millia in quadringentos diuidas, inuenies ambitum muri, quem Iosephus nonaginta turribus partitus est, aequalem esse quinquaginta stadijs, quam mensuram totius Hierosolymae muro tribuit Hecataeus Abderita, apud Iosephum haec scribens. Sunt enim Iudaeorum multae munitiones in agris & vicis, sed vna est vrbs valida, patens in circuitu quinquaginta maximè stadia; eam, inquit, vocant Hierosolyma. Quo fit manifestum, Iosephum tertij muri nomine totius vrbis ambitum comprehendisse; nèc non certa ratione computatum à nobis fuisse: siquidem stadiorum, & cubitorum mensura ex aequo ipsi muro respondet.

SINGVLIS stadijs quadringentos cubitos tribuere solet Iosephus.

20000 ⟨ 50 / 400

VRBIS mensura à Iosepho, & Hecataeo commemorata eadem. *Hecat. apud Ioseph. lib. 1. cont. Apion.*

Verùm adhuc non satis firma esse, quae diximus, videntur, nisi eadem sacrae scripturae testimonio muniantur. quod cùm luculentissimum sit apud Ezechielem, eius interpretandi gratia hanc totam vrbis disputationem suscipere libuit. *Et erit*, inquit, *ciuitas in medio eius, & hae mensurae eius. Ad plagam septemtrionalem. quingenta, & quattuor millia: & ad plagam meridianam quingenta & quattuor millia: & ad plagam orientalem quingenta & quattuor millia: & ad plagam occidentalem quingenta & quattuor millia. Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Occidentem ducenta quinquaginta: & ad mare ducenta quinquaginta.* Quo loco nulli dubium esse debet, nouae Hierosolymae mentionem fieri, ex latere Christi olim fundandae, nunc verò fundatae *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* At in omnibus antiquae vrbis respexisse dispositionem, partes, earumque nomina, & mensuras, nulli vel mediocriter ea perpendenti dubium esse vlla ratione poterit. Fuit namque ciuitas in quadro posita, vt nos probabimus, cuius superior pars ciuitas propriè, inferior verò suburbia compellabantur, muroque ambiebatur cubitorum viginti millium, nec non duodecim portis, duodecim tribubus Israël ad sollemnitates confluentibus in

Ezech. 48. v. 15. & seq.

DIMENSIO vrbis sacrae Scripturae testimonijs comprobatur.

Ephes. 2. v. 19. & 20.

ECCLESIAM veteri Hierosolymae comparat Ezechiel.

bus in vrbem aditum aperiebat. Idemque ipsum opere complendum praedicit, non quidem vt olim in veteri vrbe, quae ob montium, quos claudebat, dispositionem ac valles, neque perfectè quadrata erat, neque ad regulam eius latera ducta, neque suburbia totam vrbem ambiebant; sed ita fiet, vt omnia sint in hac noua non ad vsum tantùm; verùm etiam ad splendorem ac pulcritudinem, & conditoris magnificentiam declarandam mirificè comparata. Quare singulis ipsius vrbis lateribus, cùm omnia sint paria, quingenta & quattuor millia assignantur, quibus si ducenta & quinquaginta addas suburbiorum ex altera parte, totidemque ex altera, fient completa singula vrbis latera, quinque millium cubitorum, totiusque vrbis ambitus viginti millium, quàm mensuram suprà tradidimus ex Iosepho, eamque aequalem fuisse ostendimus quinquaginta stadijs Hecataei. Et quidem Iosephi, & Hecataei mensura sibi inuicem respondens, ad eandem communem cubitorum mensuram referenda est: id quod manifestè testantur, quae suprà assumpsimus, ac infrà latiùs probaturi sumus. Atque hoc ipsum conuincit falsa relatione deceptum Aristaeam, qui haec litteris tradidit. Vrbis verò ipsius magnitudo, quantum colligere potuimus, ad quadraginta stadia in circuitu extenditur, muro, & turrium dispositione spectaculo digna. Haec ille. Nisi malis credere ex scriptorum vitio factum, vt quadraginta, pro quinquaginta in Aristeae monumentis scriptum habeamus. Quod vitium iuxta eundem Aristaeam à Iosepho relatum esset corrigendum.

Verùm hoc ipsum, quod exquirimus, nos admonet, vt qua proportione eiusmodi mensuta nostris respondeat, inuestigemus; vel propterea maximè, quod qui magnitudinem, ac vrbis capacitatem nunc comprehendere vellet, vix sine magna difficultate id consequi posset, ac ne vix quidem, praeterquam si eius vrbis cum teliquis aliarum regionum atque vrbium mensuris, quas perspectas habeat, facere discat collationem. Et quamuis certa mensutae cognitio hic teneri nequeat absque ijs, quae sequenti Apparatus parte de mensuris à nobis dicentur, eò lectorem remittentes, vbi, quae hic assumimus, probantur; pauca tamen quaedam hoc loco praelibabimus, atque ea dumtaxat, quae ad consequendam aliquam cognitionem mensurae, in ipsa descriptione notatae necessaria existimamus.

Et quidem, quoniam Iosephus quadringentis cubitis sacris singula stadia facit aequalia; cubitum verò factum aequalem fuisse probamus passui duorum Romanorum pedum & semis; duosque praeterea sacros cubitos aequales esse passui geometrico quinque pedum: efficitur vt cubiti sacri bis mille, qui quinquies continent quadringentos, quinque stadijs Iosephi exaequentur. Eadem quoque ratione ijdem bis mille cubiti aequales sunt quinque millibus Romanis pedibus; totidem verò continet vnum milliare Italicum. Nam milliare mille continet passus, singulos quinum pedum. Sunt igitur haec tria bis mille cubiti sacri, quinque antiqua stadia, & vnum milliare Italicum inter se aequalia. Quamquam milliare Italicum in octo Italica stadia diuiditur; quot etiam nos milliari assignauimus. At haec omnia inuenies in praedicta imaginis Hierosolymitanae dimensione ac mensura, cuius opera atque auxilio facilè circino experiri poteris, quot stadijs, vel milliaribus Italicis singulae vrbis partes à se inuicem distent; si tamen montium, ac vallium, quae vmbris tantummodo distingui potuerunt, rationem habueris. Ex praedicta quoque mensurarum collatione facilè deduces, vrbem, quae quinquaginta antiquioribus stadijs circumdatur, octuaginta nostris comprehendi, ac milliaribus Italicis decem.

rist. lib. Sept. in pr.

ATIO nsurae amorum, stadio- , quae in criptione atur.

MVLTARVM REGIONVM METROPOLIM *fuisse Hierosolymam, ac diuersarum gentium domicilium.*

Cap. XXII.

VIX posset florentissimae huius vrbis dignitas aliqua ratione percenseri, nisi facta eiusdem cum seipsa comparatione: nam quae singulari Dei beneficio aucta summo olim honore digna habita fuerat; maximis deinde criminibus, & ingrati potissimum animi scelere ac labe foedata, omnem antiqui splendoris gloriam vltrò ac sponte in obscuram, & turpissimam foedissimae ruinae conditionem permutauit. Quapropter ad eius excidium commemorandum accedentes, eam Ietemiae verbis vel compellare possumus, vel quoque deplorare.

COLLATIONE vrbis facta ad seipsam, ipsius dignitas ex ruina cognoscitur.

Postquam enim in captiuitatem redactus est Israël, & Hierusalem deserta est, sedit Ietemias flens, & planxit lamentatione hac in Hierusalem, & amato animo suspirans & eiulans dixit. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium: princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Sanè his verbis, quemadmodum & toto lamentationum libro, elegantissimos tropos vsurpans, vehementissimam animi permotionem exprimere nititur sanctissimus vates, vnde singulis quibusque verbis singulas paene vrbis dignitates oculis subijcit; ijsdemque nulla interpositione facta, contraria inuicem ae pugnantia eleganter opponit. quare hunc locum sigillatim expendere in animo est, vt inde totius vrbis dignitas & capacitas magis elucescat, & aptissimis sanctissimi vatis verbis, quasi penicillo expressa eadem vrbis & florentis nobilitas, & vastatae calamitas paene sub oculos & aspectum cadat.

Thren. 1. ℣. 1. IEREMIAE locus illustratur.

Quomodo איכה ecah; quae particula maximae admirationi seruire solet, quomodo, qualiter, vbi, pro locorum opportunitate significans; vt apud eundem Ieremiam. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Et איך eije: *quomodo dicis non sum polluta?* quasi dicat, qua ratione dicere poteris? & qui fiet vt dicas? numquid dices? pari ratione in praesenti loco. Numquid credibile est? qui fieri potuit tam inopinatum, tam inauditum facinus? *sedet sola* ישבה בדד iasba badad. quarum vocum prior à verbo ישב iasab deducitur, quod habitare, sedere, manere in loco aliquo significat; differtque significatione à verbis גמר & ניצב gamad & nitsab standi, quod hoc ministris,

Ierem. 2. ℣. 22. VOX, quomodo, admirationem significat.

SEDERE dominis, stare ministris tribuitur.

stris, illud verò ijs, qui sunt in officio aut dignitate constituti, tribui consueuerit. Quinimmo & pro ipso iudicandi, regnandi, aut docendi ministerio frequenter vsurpatur; quoniam eiusmodi ministeria sedendo exercentur; vt videre est in libro Regum. *Factum est autem*, inquit, *cùm*, ישב iasab, *sedisset Rex Dauid in domo sua*, quod mox intetpretatur subdens, *& Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis*. Et iterum: *Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui*. quid autem verbo sedendi significatum sit, facer historicus explicat, subdens: *& firmatum est Regnum eius nimis*. Et tandem in psalmo eleganti quadam phrasi vtrumque connectitur & regnandi, & sedendi verbum. *Regnabit*, inquit, *Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam*; quasi dicat, absque dubio regnaturus est, qui in stabili ac semper mansuro Regni sui throno iam sedet.

2. *Reg.* 7. ℣. 1.

3. *Reg.* 2. ℣. 12.

Psal. 46. ℣. 9.

Altera autem vox ברד badad, solitudinem significans, prioris vocis antithetum videtur esse; nam praeterquam, quòd Regno, ac ditioni opponitur (cui enim imperabit solus? aut cui iura decernet, qui omni hominum consortio caret?) latiùs etiam patet eius notio, quàm quis primo aspectu existimaret: felicitati enim opponitur; siquidem etiam felicitati inimica est solitudo, quam auertere conatus est à primo parente bonorum omnium largitor Deus, cùm dixit: *Non est bonum esse hominem* לברו lebaddo *solum*, solus vt sit ipse, vel solitudini suae dimissus. Sedens ergo ciuitas in solitudine, ciuium deperditam multitudinem significat, regnandique potestatem, & sedem in miseram solitudinem conuersam; quae tanto infelicior, ac maiori commiseratione digna est, quanto feliciorem fortis, & societatis conditionem subsequuta est.

SOLITVdo imperio, & felicitati contraria.

Gen. 2. ℣. 18.

Ciuitas plena populo תעיר רבתי עם haghir rabathi gham, ciuitas multa vel copiosa populo, licet conuertere: nam verbum רבב rabab, vt aliàs notauimus, multiplicari, augescere significat; vnde verbum hoc, quo hac eadem phrasi vsa est, laudans Deum Samuelis mater Anna, ורבת verabath, possemus conuertere, & multiplicatrix filiorum, vel multa, seu abundans filijs: quod aptissimè conuertit Hieronymus; *& quae multos habebat filios, infirmata est*; sicut & in praesenti loco, *ciuitas plena populo* conuertit, quasi dicat, abundans ciuium & incolarum multitudine; id enim significat עם gham, quasi עם ghim, cum, quasi sit hominum horum cum illis coniunctio & aggregatio; siue à עמם ghamam, quae vox abscondere, tegere, operire, siue adumbrare significat; indeque עם gham populus dictus est, quasi multitudo vndequaque operiens, quae omnia obtegat, & operiat multitudine; obumbrationem aliter posses non ineptè Latinè reddere. Haec autem Hebraea vox de multorum hominum eodem nomine, iure, lingua, politia, religione, ac communi societate iunctorum, aggregatione solet dici; transferturque ad animalcula significanda, quae & multitudine, & quasi politica societate coniuncta populum quodammodo referunt. Ad cuius vim vocis Ioël videtur respexisse; dum, *Dies*, inquit, *tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, quasi manè expansum, super montes populus multus & fortis*. Vbi Hieronymus ad locustas referendum putat populi nomen, quarum similitudine Chaldaei significantut. Et de formicis dicitur in Prouerbijs. *Formicae populus infirmus*: ac mox de cuniculis: *lepusculus plebs inualida*.

VERBVM Hebraicum rab, multiplicari, augescere significat.

1. *Reg.* 2. ℣. 5.

POPVLVS Hebraicè vnde dictus.

Ioel. 2. ℣. 2.

CHALdaei locustis comparantur. *Prouer.* 30. ℣. 25. & 26

A Quare *ciuitas plena populo* meritò dicetur, quae incolarum multitudine, ac ciuium copia abundans, alueari consimilis erat; eiusque incolae, quasi apum examina terram obumbrare, & operire posse videbantur. Namque & alienigenarum multitudinem admisisse vrbem hanc mox indicat, dicens: *Facta est quasi vidua domina gentium*: viduam verò אלמנה almana vocat, à radice אלם alam, quae colligare significat, atque etiam obmutescere; quasi dicas, colligari lingua, vel linguae vinculo teneri: vt videre est apud Isaiam; *Et quasi agnus coram tondente se* נאלמה neelama *obmutescet*. Transfertur verò haec vox ad significandum viduum vel viduam, quae quasi colligata prae nimio dolore, sileat, & omnem societatem, vociferationem, canticum, ac vocem laetitiae horreat ac fugiat. Quae omnia incommoda, viduae nomine comprehensa, vanè superbiens misera Babylon sibi numquam affutura iactabat, dicens: *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem*: vel (vt ex Hebraeo colligit Forerius) orbitatem; quasi diceret; neque mihi vmquam timeo defuturum legitimum Regem, neque ciuium multitudinem, incolarumque copiam: at falleris vehementer misera Babylon. *Venient tibi duo haec subitò in die vna, sterilitas & viduitas*, & viri societate, & liberorum posteritate ac spe priuaberis.

CIVI alueari, apum ex ni comp rantur.

Isai. 53 ℣. 7.

VIDV quasi col gata dici

Isai. 47 ℣. 8. *Forerius Isai.*

B

C Atque hoc idem Hierosolymae euenisse conqueritur Ieremias, dum viduae illam comparat. aptissimeque iungitur cum viduitate silentium; praesertim si pariter orbetur liberis: &, quod sequitur: *domina gentium* רבתי בגוים rabati bagoim, multa, vel multiplicata, aut copiosa in gentibus; potest conuerti. Est enim idem verbum, quo paulò ante fuerat vsus, & vulgatus vertit *plena populo*. Nunc autem plenam quoque gentibus, exterisque nationibus fuisse testatur. De his autem sermonem fieri significat ipsa vox גוים goim, qua nuncupare solebant Hebraei, omnes, quotquot non erant de stirpe Israël; siue etiam illum, cuius origo non constaret illis, an esset ex Israël.

QVAL miseriae bis, vid dum dici significen tur.

POPVLV vocabant Hebraei, omnes, non erant, stirpe Isra

GOI vocabant ab Hebrae qui non rant Isra tae.

D Quare vox haec haud secus Hebraeis sonat, quàm Graecis barbarus; eamque in hodiernum vsque diem retinent Hebraei, contumeliosè exteros omnes, & à se suisque profanis iam ritibus alienos, Goim, appellantes: cùm tamen opere completum iam sit, quod à Christo Domino dictum fuit: *Multi* enim, inquit, *ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno caelorum; filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores*. Verùm illos insua caecitate, & errore gentium perfistentes missos faciamus, & ad institutum nostrum veniamus.

IVDA hodie etia Goim, co tumeliosè vocant o nes eos, non sunt daei. *Matth.* 8. ℣. 11.

E Et quidem alienigenatum maxima copia refertam olim fuisse Hierosolymam, vel ex hoc loco, si nullus exstaret alius, constare poterit, quem Septuaginta interpretes, plena in gentibus conuerterunt. At vulgatae interpretatio non quarumcumque nationum multitudinem eò confluxisse his verbis videtur innuere voluisse; sed earum potissimùm, quae subditae eius vrbis imperio ac ditione tenebantur: etat enim *domina gentium*. Et hunc esse germanum loci sensum apertè declarant proxima verba. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*: שרתי sarathi, principatum exercere, dominati, seu praealere significat; vt apud Isaiam videre est de imperio ac principatu Christi, qui Hierosolymitano illo significabatur, sic loquentem: *Factus est* המשרה hamisra, *principatus*

MVLT gentibus minam fui Hierosoly mam.

Isai. 9. ℣.

super

super humerum eius. Et iterum. *Multiplicabitur* המשרה hammisra *eius imperium*. *Princeps* igitur dominans, suoque imperio plura quondam ducens imperia *prouinciarum*, earum exigere solita tributa, nunc *ficta est sub tributo*.

Tria praeclara singula singulis, si rectè perpendantur, verbis, Hierosolymae encomia recensere eo loco videtur vates. Primum, ciuium copia eam fuisse insignem: alterum, alienigenarum gentium multitudine plenam: tertium, prouinciarum principatu celeberrimam. Et quidem duo priora in psalmo illo cantici commemorantur, vbi totus in vrbis huius encomijs recensendis Psaltes est, caelestis maximè Hierosolymae causa, quam haec ijsdem ipsis rebus, quae omni laude digna censentur, repraesentat ac refert. Caelestem autem Hierosolymam voco tam eam, quae in terris militat, quàm quae in caelis triumphat. Ergo *Gloriosa*, inquit, *dicta sunt de te ciuitas Dei*; necdum tamen pro dignitate. Ego verò: *Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Rahab* (vt hinc ordiamur) nomen, Latinis consimile est nomini meretricis illius, quae exploratores populi Dei excepit hospitio. Ac de eadem locum hunc interpretantur sancti Patres, Reinigius, Hieronymus, Augustinus: quos & nos sequimur: quamuis ab Hebraeis & Graecis non eodem modo scribatur vtrumque nomen; meretrix enim illa vocabatur רחב rachab, ῥαχὰβ rachab: hoc autem nomen רחב rahab & ῥάαβ raab scribitur; quod quidem nomen reperitur & in psalmo: *Tu humiliasti, sicut vulneratum superbum;* vbi Aegyptum hac voce Patres nominatam putant. Chaldaeus quoque propterea loco *Rahab* conuertit, Aegyptiorum scientium me. Ac sanctus Hieronymus: memorabor superbiae, inquit, & Babylonis scientium me. Hebraicè, Graecè, & Chaldaicè scientibus me, conuerti posset. eamque lectionem sequitur Beatus Augustinus. Quasi sensus sit, Hierosolymae incolis annumerabo eos quoque populos, qui olim vrbi hostes, mihique infensi fuerunt; nunc verò amici mei, & conciues vestri. vox enim לידעי leiodghai scientibus, vel cum scientibus me potest conuerti; quod & sequentia confirmant. *Ecce alienigenae*, Palaestina, habent Hebraea, & Chaldaea, quae sequitur Sanctus Hieronymus. *& Tyrus, & populus Aethiopum hi* omnes *fuerunt illic* vnà degentes. *Numquid Sion dicet?* in Graecis codicibus, mater Sioni dicet? in Hebraeis desideratur interrogatio. Ac Hieronymo testante simpliciter habetur, & Sioni dicetur, *homo & homo natus est in ea*, vir, inquam, insignis, & alius ei similis, hoc est, multi eiusmodi nati sunt in ea: illa enim repetitio multitudinem importat Chimchio. Verùm vulgatae nostrae interrogatio idem ipsum, quod eae versiones, significat; & aliud insuper, quod simplici enunciatione valde reconditum & obscurum redderetur. *Numquid*, inquam, Sioni, tot populorum tam longè venientium parenti dicetur; vel ipsamet *Sion*, tamquam de qualibet alia ciuitatum orbis, *dicet, homo & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus*? quasi dicere; minimè dicetur ei, vel ipsa dicere poterit, duos homines, hoc est, homines à se inuicem vel iudicio, vel affectu, vel alia quauis causa dissidentes, in ea natos fuisse, aut permanere potuisse: immo verò tam infinitae hominum multitudinis summa fuisse animi & votorum consensio, ita vt non duo, sed vnus homo videatur totam incolere ciuitatem. Quod quidem non iam in figura, sed re ipsa factum fuisse testatur sanctus Lucas Euangelista, cùm nouae Hierosolymae, sanguine Christi fundatae, exordia commemorans: *Multitudinis*, inquit, *credentium*, hi sunt. *Act. 4. ℣. 32.* ciues, *erat cor vnum, & anima vna*. Neque enim aliter contigisse credendum est vrbi huic; *nam & ipse eam fundauit altissimus*; sanctissimis videlicet eam legibus ac praeceptis instituit, quibus obseruatis fieri non poterat, vt res aliter caderet.

Et quamuis haec omnia ad veram Hierosolymam, Ecclesiam nempe Christi pertinere potissimùm cognoscantur; nulli tamen dubium esse debet, idem ipsum de ipsa terrestri vrbe suo modo intelligendum esse. Huius enim vrbis clarissimae, cui haec tam multiplex ciuium, indigenarum, & alienigenarum copia splendori fuit, tam mirus incolarum ordo, munerumque inter eos distributio pulcritudini, tam fixa ac stabilis omnium inibi degentium mutua consensio paci maximè conducens; inditum antea Hierosolymae nomen, non adumbratum modò, sed verum fecit. quod latè suprà probauimus. *Sup. lib. 1. vrb. c. 1. 2. & 3.*

Iam verò plurium prouinciarum principem fuisse Hierosolymam probandum est; non quòd probatione indigeant, quae in sacris litteris tam manifestè expressa sunt; sed quia, cùm ibi *principes* fuisse *prouinciarum* dicatur Hierosolyma, inuestigandum videtur, an ipsius Palaestinae prouinciarum tantùm princeps dicatur, an verò & aliarum? de hoc enim alicui suboriri potest dubitatio. Verùm huius rei primùm, afferam testimonium Petronij Syriae prouinciae sub Caio Romano Imperatore praefecti, quo non prouinciarum tantummodo copia percensetur; verùm etiam hominum infinita propemodum multitudo, totas Iudaeae incolentium regiones. Quae causa fuit, vt Petronium ancipitem ac dubium diu teneret, quò minus impijssima Caij iussa exsequeretur; quamuis accuratissimas eiusdem Imperatoris litteras accepisset, quibus praeciperetur, vt maximam secum duceret exercitus partem, ac ipsius Caij statuam in adytis Hierosolymitani templi dedicandam prosequeretur; illud statuens, vt si quis obsisteret, confestim periret. Ac ne diutius suspensum lectorem teneam, eiusdem Philonis, qui haec retulit, verba subiungam. Ceterùm Petronius perlectis litteris haesitabat anceps consilij: quippe qui nec detrectare poterat prae metu, non ignarus illum ne moram quidem laturum aequo animo, nedum tergiuersationem: nec rem aggredi putabat tutum ac facile. Sciebat enim Iudaeos non vnam sed mille, si fieri posset, mortes subituros citiùs, quàm sustinerent vetitum aliquid facere. Et post panca subdit. Haec secum reputans Petronius, rem cunctanter aggrediebatur, ratus, vt erat, facinus audax: aduocatisque tamquam in animae consistorium, rationibus omnibus, scrutabatur singularum sententias, quas consentientes inueniebat, nihil in sacris nouandum: primùm, quia sic ius naturae, pietatisque postulet; deinde propter imminens periculum non solùm à Deo, verùm etiam à laesis irritatisque hominibus. Illud quoque cogitabat, quàm populosa esset haec natio, non

PLVRIVM prouinciarum principem fuisse Hierosolymam.

Philo legatione ad Caium.

vt aliae comprehensa vnius regionis spacio, sed totorum paene orbem passim incolens : diffusa est enim per continentis prouincias omnes, atque insulas, adeo vt non multo pauciores sint indigenis. Tam multas hostium myriadas in se prouocare, an non periculosa videri poterat alea? ne fortè illis per omnes terras conspirantibus, & ad vim arcendam certatim in vnum confluentibus, bellum exoriretur insuperabile : absque eo, quod ipsam Iudaeam innumera multitudo incoleret, viri tum corpore valentissimi, tum animo fortissimi, parati prius generosam mortem oppetere, quàm deserere mores ac ritus patrios, quantumuis calumniatorum opinione barbaros, cùm reuera sint liberales & nobiles. Terrori etiam erant Transeuphratenses copiae : nam Babylonem & multas alias satrapias à Iudaeis teneri, non auribus solùm, sed & oculis compertum habebat ; quod singulis annis sacra pecunia missitaretur inde in templum primitiarum nomine, quamquam per vias difficiles & asperas, quae tamen illis regiae videntur, ad pietatem rectà properantibus. Hactenus Philo.

IVDAEAM innumera virorum multitudo incolebat, animo ac corpore fortissimorum.

Celebrius tamen multo est ac firmius eiusdem Philonis de hac re testimonium, quod videri possit, vt aiunt, omni exceptione maius. Is enim Agrippam Hierosolymae Regem, pro se, pro patrijs legibus, pro ipsa patria, ac propria familia & imperio causam dicentem inducit apud Caium Caesarem : cuius viri testimonium de principatu ipsius vrbis, cui maximè infensus erat Caesar, agentis, qualibet mendacij suspicione careret : in simili enim occasione & argumento, vbi vel sola falsitatis insinuatio indignationem Principis concitare posset, à qualibet vel leuissima mendacij aut rei falsae specie abstinendum fuisse nemo non videt : praesertim cùm referrentur ab eo, qui sub Principis ipsius Caij potestate constitutus erat, & cui quaelibet simulationis, nedum falsi suspicio capitale crimen foret. Quare huiusmodi testimonium afferre non dubitaui.

Philo.lib.de legat.ad Caium.

COMPROBATUR verum esse Agrippae de vrbe testimonium.

ORATIO Agrippae pro Hierosolyma. HIEROSOlymae malestas & principatus.

Pro sancta verò, inquit, ciuitate, patria mea haec afferre licet, eam esse metropolim, non vnius regionis Iudaeae, sed & multarum, propter colonias inde olim deductas, vel propiùs infinitimam Aegyptum, Phoenicen, Syriam, tum ceteram, tum eam, quae Coele cognominatur : vel longiùs in Pamphyliam, Ciliciam, pleraque Asiae partes vsque Bithyniam, & Ponti sinus intimos. Pari modo in Europae Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthumque, Peloponnesi partes praecipuas. Nec tantùm continentis prouinciae plenae sunt colonijs Iudaicis, sed & insularum celeberrimae, Euboea, Cyprus, Creta, nequid dicam de Transeuphratensibus ; excepta enim parua parte Babylonis, & aliarum praefecturarum, omnes vrbes, quae bonum agrum habent, à Iudaeis incoluntur. Itaque si exorat mea patria tuam clementiam, praeter ipsam alias ciuitates demereberis plurimas, sitas in diuersis orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas. Conuenit autem tuae fortunae amplissimae, collato in vnam beneficio, plurimas deuincire alias, vt per omnes orbis partes decantetur tua gloria. Haec apud Philonem Agrippa. Verùm exstat eiusdem rei testimonium aliud alibi, longè firmius & illustrius, Lucae scilicet Euangelistae ea narrantis, quae sacro die Pentecostes passioni, & gloriae Christi proximo, post repletos Spiritu sancto fideles, euenere. *Erant autem*, inquit, *in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub caelo est*, &c. *Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes. Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt ; & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus ? Parthi, & Medi, & Aelamitae, & qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyae, quae est circa Cyrenen, & aduenae Romani, Iudaei quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes : audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Quibus omnibus argumentis ob oculos posuisse iam videor Hierosolymae ditionem longè lateque patentem : reliquum est, vt eiusdem capacitatem sequenti capite percensеam.

Actor. 2. v. 5. & seq. SACRA Scripturae luculentissimum testimonium idem probans.

MAXIMAE HOMINVM MVLTITVDINIS *Hierosolymam fuisse capacem.* *Cap. XXIII.*

SATIS opinor ostensum est, infinitae propemodum ciuium, tam indigenarum, quàm alienigenarum multitudinis fuisse capacem Hierosolymam. Verùm, cùm haud ita cuiuis peruium esse possit, logistica supputatione comprehendere ; quot ciuium millia contineret ciuitas, quae decem milliaribus circumdabatur ; ideo & de eorum numero, quid scriptum acceperimus si proferam, gratam, ac iucundam operam in lectoris gratiam me susceptorum existimo.

Et quidem primùm Manethonis Aegyptij, qui patriam historiam Graeco sermone scripsit, testimonium à Iosepho relatum, perpendendum videtur ; licet enim figmenta quaedam suae permisceat historiae ; ex ea tamen, quid antiqui de Hierosolymae capacitate senserint, facilè conijci poterit. Hic ergo Manethon Reges pastores, siue vt alia interpretantur exemplaria, captiuos pastores Hebraeos vocans, eos tradit sub Halisphragmutosi Rege victos, reliqua Aegypto pulsos, in locum Abaris dictum, decem millium iugerum se recepisse, quo valido muro circumdato, se, suasque omnes facultates, ac praedam tuebantur. At Thummosim praedicti Regis filium conatum illos fuisse obsidione expugnare, quadringentis octoginta militum millibus admotis ; sed expugnatione desperata pepigisse, vt illi Aegypto relicta, quocumque vellent, indemnes abirent ; illos ex pacto, cum vniuersis familijs atque fortunis, homines non pauciores ducentis quadraginta millibus, ex Aegypto per solitudinem in Syriam ire contendisse. Sed quia Assyriorum (qui tum Asiae imperarent) potentiam formidarent, in ea, quae nunc Iudaea dicatur, vrbem condidisse, tot millium hominum capacem, eamque

Manethon. Iosephi lib. 1 cont. Apio.

Hieroso-

Hierosolyma nuncupasse. Haec ille. Verùm quemadmodum praedictus historicus in defensionem suae gentis scribere conatus est, ita in Hebraeos, calumniam, & odium retorquere studuit; ipsosque numero pauciores multo, quàm fuerunt, reuera commemorat. Nam sacer textus in Exodo: *Profectíque sunt*, inquit, *filij Israël de Rameſſe in Socoth, ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſque paruulis; ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis*. Quare si verum est, quod à Manethone traditur, Hierosolymam tot millium hominum fuisse capacem, quot Aegypto egressi sunt, multo maioris numeri sine dubio capax fuit. Addam & Hecataei Abderitae testimonium: is enim populosissimam fuisse tradit Hebraeorum gentem: nam & plurima eorum millia à Persis antea Babylonem abrepta fuisse, neque pauca post Alexandri quoque mortem in Aegyptum & Phoeniciam, ob Syriam seditionem, commigrasse commemorat. Idemque vrbem tradit Hierosolymam ab his incoli, patentem in circuitu quinquaginta maximè stadia, quam incolunt, inquit, hominum circiter centum viginti millia.

Verùm & hoc multo maior numerus Hierosolymitanorum ciuium colligi potest ex sacris Machabaeorum libris: ibi enim maxima Hierosolymorum clades semel, iterum, ac tertiò iterata refertur. Primùm à Iasone, qui falso rumore deceptus Antiochum Regem vita decessisse, & Iudaeam suae ditionis facere se posse arbitratus, *assumptis Iaſon non minus mille viris, repente aggreſſus eſt ciuitatem, & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehenſa ciuitate, Menelaus fugit in arcem. Iaſon verò non parcebat in caede ciuibus ſuis, nec cogitabat proſperitatem aduerſum cognatos malum eſſe maximum, arbitrans hoſtium, & non ciuium ſe trophaea capturum*. Post huius peruersi tyranni exilium, calamitates, & miseram caedem enarratam, mox incredibilem commemorat ab eodem Antiocho Hierosolymae cladem illatam: veritus enim, ne Iudaei datam fidem ac societatem desererent, militibus iniunxit, vt ferarum more per vrbem, nulla ratione habita vel condicionis, vel sexus, vel aetatis etiam tenerrimae, crudelissimè debaccharentur, militibus sceleſtissimè obtemperantibus. *Erant autem*, inquit, *toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati*. Qui interfectorum numerus vnà cum vinctis, ac venundatis in vnam summam redactus, ad centum sexaginta millia peruenisse comprobatur. Neque verò duabus hisce cladibus ingentibus, quae quoduis aliud Regnum, aut prouinciam exhausissent, ac paene funditus deleuissent, ciuitas consumpta est. Siquidem ibidem haec verba proximè consequuntur. *Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regreſſus eſt*, &c. *Reliquit autem & Praepoſitos ad affligendam gentem, Ieroſolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipſo, à quo conſtitutus eſt*. Neque defuit vrbi tanta ciuium copia, in quantam posset Philippi crudelitas desaeuire: cuiusque pars maxima insuper Apollonio odioso Principi reliqua esset. Hic enim viginti duorum millium militum manu ingressus vrbem, simulata pace *quieuit vsque ad diem ſanctum Sabbati, & tunc ſeriatis Iudaeis arma capere ſuis praecepit: omneſque, qui ad ſpectaculum proceſſerant, trucidauit, & ciuitatem cum armatis diſcurrens, ingentem multitudinem peremit*.

Verùm ex his coniectura potius quàm certa aliqua ratione numerum Hierosolymitanorum ciuium inimus; igitur pressiùs ac manifestiùs, ciuitatem Hierosolymam multo maioris multitudinis capacem fuisse, tradit Iosephus. nam in vltima vrbis euersione sub Tito facta ad vigesies centena hominum millia ascendisse scribit numerum captiuorum & mortuorum. Et nisi textus non in Latinis modò, verùm & in Graecis codicibus mendis scateret, res nullo negotio manifesta foret. Verùm, primùm hoc agendum est, vt ipse sibi textus concordet, qui sic habet. Et captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus: mortuorum verò per omne tempus obsidionis vndecies centum millia. Qui quidem numerus in vnam summam redactus mille millia, & centum nonaginta septem millia complere probatur.

IOSEPHVS ad vicies centena millia captiuorum, & occisorum numerum Hierosolymis ascendisse tradit.

Ioseph. 7. bel. c. 17. λογ. ς'. μϛ. μί.

IOSEPHI locus restitutus.

97000	
1100000	
1197000	

At cùm paulò inferiùs hunc eundem numerum comprobare contendat ex consimili, conuenientium Hierosolymas ad diem festum Paschae sub Nerone, & hic quidem numerus bis mille hominum millia excessisse probetur; conijcere licebit, consimilem numerum voluisse probare; & cum nongenta millia scripsisset, vitio scriptorum nonaginta legi. In quam sententiam eò faciliùs adducor, quòd videam Cornelium Tacitum genti inimicum, vt eius scripta dira, in Iudaeos euomentia venena testantur, Cornelium inquam, Tacitum fateri, multitudinem obsessorum omnis aetatis, virilis ac muliebris sexus, sexcenta millia fuisse. Cumque vix numerus obsessorum constare posse videatur Romano Tacito, nisi habita ratione victorum, eos facilè etiam conijcere licebit, plures nonaginta septem millibus fuisse: qui quidem error, & in nostris Graecis exemplaribus habetur, & ijs vetustior esse videtur; siquidem ab Egesippo pari ratione refertur: facilè enim potuit is error contingere, si scriptum esset ἐννέα μυριάδες ennea myriades, debuisseteque legi ἐνενήκοντα enneniconda nongentae: legit autem scriptor ἐννέα ennea nonaginta myriades, quomodo nunc legitur; cui lectioni respondent Latinae versiones: nam μυριὰς myrias Graeca vox decem millia significat. Quo fit vt quattuor cifris vnitati superadditis myrias scribatur.

CORNELIVS Tacitus Iudaicae genti inimicus sexcenta millia obsessorum Hierosolymis fuisse tradit. *Corn. Tacit. lib. 21. annal. Egesip. lib. 5. de excid. cap. 49.*

MYRIAS Graeca vox decem millia significat, scribiturque quattuor cifris vnitati superadditis.

10000

Sed quidquid sit de captiuorum numero, Hierosolymitanorum ciuium numerus saltem, quod ad vrbis capacitatem attinet, maximè perspici poterit ex subsequenti Iosephi testimonio. Quod autem caperet, inquit, tantam hominum multitudinem ciuitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tunc vires ciuitatis, ac florem Neroni significare cupiens, contemnenti nationem, à Pontificibus petijt, vt si quo modo possent, multitudinem numerarent. Illi autem cùm dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias cedunt, per singulas verò contubernia non pauciorum quàm decem virorum (adultorum fortè melius) fiunt: solùm enim epulari non licet; multi etiam viccai conueniunt: hostiarum quidem ducenta, & quinquaginta sex millia, & quingentas numerauere, τῶν μὲν θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας ἠρίθμησαν, σχεδὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια. ton men thymaton icosi pente myriadas irithmisan, pros de pentacischilia hexacosia.

Ioseph. vbi sup.

250000
5600
255600

Hostiarum quidem viginti quinque myriadas numerauerunt, ac insuper quinque millia sexcentas: vbi supinus error irrepsit interpreti Latino, qui sex millia, & quingentas commutatis numeris legit, pto, quinque millia & sexcentas. Fiunt autem, inquit Iosephus, vt denos epulatores per singulas computemus, vicies centena ac septingenta millia. vbi mendum est, atque etiam in Graeco, μυριάδες ἑβδομήκοντα (pro πεντήκοντα penticonta) ἡ διακόσιαι myriades hebdomiconta cae diacosiae myriades septingentae, ac ducentae. Qui quidem numerus superiori hostiarum ex aequo non respondet; nam viginti quinque myriades in denos epulatores multiplicatae, ducentas quinquaginta myriadas constituunt: hostiae verò quinquies mille sexcentae similiter multiplicatae efficiunt hominum myriadas quinque, & insuper sex millia. Iustum igitur atque integrum numerum sic Latino more proferremus, bis mille millia, & quingenta quinquaginta sex hominum millia. Quod Hispani diceremus, dos millones y medio y mas cincuenta y seis mill hombres. Itali verò duoi miglioni e mezo, & cinquanta sei milla huomini. Neque verò hoc tantùm numero ciuium multitudo definiebatur; nam praeterea plurimi annumerandi erant: siquidem superarat immundorum maxima multitudo. quod significare voluisse videtur Iosephus, illud subdens: Sancti omnes ac puri; neque enim leprosis, siue vitiliginosis, aut semine fluentibus, quos Gonorrhoicos vocant, neque mulieribus menstruo cruore pollutis, neque alijs inquinatis participare sacrificia permittebatur; sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa venissent. Hactenus Iosephus.

Ioseph. 7. bell. c. 17.

270000

2500000
56000

2556000
IOSEPHI testimonio comprobatur bis mille millia, & quingenta quinquaginta sex hominum millia Hierosolymis numerata.

At quoniam, quae à Iosepho traduntur, maiora sunt, quàm quae eiusdem auctoritate tantùm nixa credibilia videantur; eadem sacrae Scripturae testimonio confirmate operaeptetium duxi. si tamen prius cuidam satisfaciam difficultati, quae aduersus praedicta, atque dicenda facilè obijci posset. Nam in libro Regum sic scribitur: *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* Et quidem si in tota tribu Iudae ad summum reperiuntur quingenta pugnatorum millia, qui fieri posset, vt in vna tantùm Hierosolyma ciuitate tribus Iuda numerarentur bis mille hominum millia? Verùm nos antequam huic nostrae difficultati satisfaciamus, aliam maiorem multo, ac difficiliorem sanè dissoluamus oportet; nempe eam, quòd praeallatus libri Regum numerus longè distat ab eo, qui in libro Paralipomenon habetur, hanc eandem historiam referente. Ibi enim sic legitur: *Deditque Dauidi* Ioabus *numerum eorum, quos circuierat, & inuentus est omnis numerus Israël mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. Nam Leui & Beniamin non numerauit, eò quòd Ioab inuitus exsequeretur Regis imperium.* Quae quidem difficultas, & numerorum diuersitas doctissimos etiam viros torsit, tam ex Hebraeis, quàm ex nostris. Quare multis, ac varijs excogitatis rationibus in hanc vnam omnes sententiam venisse videntur, vt dicant, eiusdem supputationis, aut census numeri vtrobique mentionem fieri, ibi minoris, inclusi tamen in hoc maiori, & è contrà, huius minoris, qui pars

2. Reg. 24. ϒ 9.
800000
500000

RESPONdetur obiectioni de numerato Israël à Dauide: nec tamen ad tam magnam multitudinem ascendente.

1. Paral. 21 ϒ. 5.

1100000
470000

QVA RAtione numerus Dauidici census in libris Regum relatus cum eo concordet, quem liber Paralipomenon retulit.

est illius maioris. At in assignanda certa aliqua atque apta ratione, propter quam alibi totius numeri, alibi verò partis eiusdem tantummodo mentio fiat, mirificè certant inter se doctores, & praesertim cum Hebraeis Latini.

Et primùm, quas Hebraei excogitarunt coniecturas, facilè dissoluit Abulensis, vtpote quae ipsis contextus verbis reuinci possunt. Praeterea in assignanda ratione, ob quam Israëlis numerus ibi sit maior, hic minor: at Iudae contrà hic minor ibi maior, ab ipsis, quas antea finxerant, rationibus, ac sententia discedunt. Quarum plerasque percensere, quoniam longum & superuacaneum esset; & in eisdem confutandis, praeterquam quòd dum immoraremur, veritati parum, aut ferme nihil lucis, impedimenti verò molestiae eque lectoribus plurimum afferremus: ideo eas omnes, tamquam nulli fitmo innixas fundamento consultò praeterimus, & coniecturam nostram, quam sacro textu stabiliri posse ctedimus, in medium proferimus; quae vt rectiùs perspiciatur, verba textus primùm proponere, & perpendere commodum esse duximus. Is autem est huiusmodi. *Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferius, quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Israël quasi stellas caeli. Ioab filius Saruiae coeperat numerare* Israël, & Iudam, *nec compleuit, quia super hoc ira Dei irruerat in Israël, & iccirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis Dauid.* Quibus verbis huiusmodi sensus innuitur. non ausus fuit Dauid numerare Israël iterum, quasi memoria retinens, quòd olim Ioab coeperat numerare, & necdum compleuerat; dum ecce ita Dei irruerat super Israël: quapropter neque absolui potuit numerus, neque referri in fastos Regis Dauid. Quae quidem si cum Hebraeis conferantur, facilè quae diximus, probabant. Et primùm ex illo colligitur, quod habetur החל למנות ולא כלה ויהי בזאת קצף על ישראל hechel limnoth velo cilla vaichi bazoth chetseph ghal Israel: quae ad verbum sic licet conuertere. Ioab coepit numeros, vel numerare, & non compleuit, & fuit in hoc, hoc est, propterea, ira super Israël, hoc est, dum adhuc operi insisteret, ira Dei desaeuijt in populum.

Abulens. ibid.

1. Par. 27. ϒ. 23. & 24.

EX COLlatione textuum cuiuslibet sensus eruitur.

Huic textui videtur omnino contrarius ille alter libri Regum, quo historia refertur in hunc modum. *Egressusque est Ioab, & Principes militum à facie Regis, vt numerarent populum Israël. Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroër*, & quae sequuntur vsque ad illud, *& lustrata vniuersa terra, affuerunt post nouem menses, & viginti dies in Ierusalem. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis*, &c. Ecce hic peragrata dicitur vniuersa terra, & datus numerus, quasi absolutus Dauidi; quomodo ibi nondum absolutum fuisse numerus traditur, cùm desaeuijt ira? Huic difficultati satisfacere non est difficile, si attentè perpendatur praesens textus, ac facti modus consideretur: neque enim fieri poterat, vt Ioabus se solo rem tantam tam breui temporis spacio absolueret; neque etiamsi per tempus licuisset, vero simile apparet, singulorum recensendorum nomina à Ioabo fuisse in commentarios relata: immo verò ipsi textui maximè consentaneum est, Ioabum curam hanc principibus militum demandasse. Hi verò vnà cum Ioabo egressi sunt,

4. Reg. 24. ϒ. 4. & seq.

QVOMOdo absolutus, & non absolutus dicatur numerus Israël. IPSIVS FActi consideratio, & textuum collatio omnia concordant.

vt ait

vt ait sacer textus, à facie Regis ad numerandum populum. Quare in hanc vnam curam Ioabum incubuisse arbitramur, vt totius ipse peragendi negotij munus prouinciamque in vniuersum susciperet, peculiarem verò reliquam, vt par est, principibus militum demandarer. Quare lustrata maxima regionis parte, & singulis principibus singulis partibus designatis, ac re bene coepta Hierosolymam redijsse, vt Regi bene coepti negotij allatis secum eensus incoepti aliquibus commentarijs, veluti specimen quoddam ac rationem exhiberet. atque inde tamquam ex totius Regni meditullio totum negotium agere coepit, singulisque partibus pro rerum indigentia aptiùs prouidere.

Iam verò his ita positis facillima est eoniectura, qua ratione singuli principes in singulos commentarios, ac singula volumina censum suae ditionis redegerint. Quis enim eredat simul, & eodem tempore hos omnes eommentarios absoluros, aut simul, aut eodem tempore Ioabo redditos fuisse? praesertim cùm tanta intereederent & diuersorum loeorum interualla, & vrbium ac locorum impares magnitudines; vel alia quae coeptis obstant, impedimenta, quaeque eodem tempore, aut pari eeleritate rem confici nulla ratione permitterent. Et quidem quae diximus de pluribus voluminibus aut commentarijs, ex ipsa Hebraica voce probari possunt, quae in Paralipomenon libro sic habet: למנת limnoth, quod iuxta Rabbi Ionathae sententiam nomen est numeri multitudinis, quasi diceret, Ioab coeperat numeros, vel commentarios, quibus numeratorum census continebatur.

b. Ionat.

Quibus nemini obscuram arbitror eorum omnium, quae hactenus relata sunt, concordiam, & huius difficultatis haud exiguae perspicuam solutionem. Nam in libro Regum relatum aecepimus, dedisse Ioabum Dauidi numerum descriptionis populi, qui vsque ad eum diem recensitus fuerat, & inuenta fuerant octingenta millia de Israël, & quingenta millia de Iuda. Postmodum verò iterum altera die, vel praecedenti, vel consequenti illam, quae refertur in libris Regum, dedit Ioab eidem Regi numerum, hoc est, alia volumina, vel commentarios, continentes numerum populi eorum omnium regionum aut locorum, quos ipse lustrauerat; *& inuentus est omnis numerus Israël*, non quidem eorum, qui praedictis commentarijs continebantur, sed aliorum, *mille millia*, &c. Nec tamen aut hoc, aut illo numero totius Israëlis, aut Iudae numerus continebatur; quoniam de tribu Leui, aut Beniamin nec vnus quidem numeratus fuerat: immo & de alijs tribubus nequaquam absolutus fuisse eredendus est numerus, *eò quòd Ioab inuitus exsequeretur Regis imperium*: & propterea maximè, quòd priusquam absolueretur, *ira Dei irruerat in Israël*. Et hunc esse verum eorum omnium locorum sensum, vel ex hoc vno, quod subditur, manifestè probari potest: *& iccirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis Dauid*. Hebraicè ולא עלה המיספר במיספר דורי הימים למלך דויד velo ghala hamisphar bemisphar diure haiamim lamelech Dauid. quae sic ad verbum licet conuertere; & non ascendit numerus in numerum verborum dierum Regis Dauid. Quocirca perpendendum videtur, quid fastorum nomine vulgus intelligat, quidque Hebraicae dictioni, verba dierum, respondeat.

Par. 21. 5.

Par. 27. 24.

Atque vt res tota magis eniteat, animaduertendum est, libros omnes sacrae Scripturae varijs titulis solere insigniri & denominari apud Hebraeos. Plerique enim vt libri legis, à principio libri vocantur: Genesis enim dicitur Beresith, hoc est, *In principio*, quia tale est libri initium. Pari ratione Exodus Veelle semoth, *Et haec sunt nomina*: & sic reliqui. Aliqui denominantur ab auctore libri, vt Esdras, Isaias, Ieremias, & reliqui. Alij verò denominantur à subiecto, ab eo inquam, de quo in eo libro potissimùm agitur, vt Iob, Iudith, Hester, libri Regum, &c. Inter quos hac praecipuè de causa eos recensere possumus libros, qui Paralipomenon vocantur, & Hebraicè dicuntur דיורי הימים Diure haiamim, hoc est Verba dierum: quoniam continentur in eis Regum Iuda & Israël historiae, & à Graecis dicuntur παραλειπομένων Paralipomenon, hoc est, praetermissorum, quia ea continent, quae ad plenam historiae Regum Israël & Iuda cognitionem conducere posse videbantur.

LIBRORUM sacrae Scripturae varij tituli.

TITVLVS libri Paralipomenon.

Huius autem nominis etymologiam, ac libri mirificum encomium affert Hieronymus disertis verbis: Paralipomenon inquit, liber, id est, instrumenti veteris ἐπιτομὴ epitome, tantus ac talis est, vt absque illo si quis scientiam scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, iunctura sque verborum, & praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, & innumerabiles explicantur Euangelij quaestiones. Haec ille. At si vnico Latino verbo huius libri titulum exprimere velis, nullo alio poteris aptiùs, quàm si fastorum librum dixeris; nam fastis diebus (inquit Festus) iura fari licebat. Et Ouidius:

Hier. epist. ad Paulin.

Pomp. Fest. FASTORUM liber dicitur idem, qui Paralipomenon.

Fastus erat, per quem lege licebat agi.

Ouid. lib. 1. Fast.

Et fastorum libri appellantur eodem Pompeio, Macrobio, & Varrone attestantibus, in quibus totius anni fit descriptio: Fasti enim dies fandi sunt, quasi dicerent fastorum librum, quo singulorum dierum memoranda facta conrinerentur. Quoniam verò plurium Regum, nempe Israëlis, & Iudae, Dauidis, & aliorum fasti dies percensentur in libro Paralipomenon, iccirco quoties citatur à sacris historicis pro rerum opportunitate, hoc modo citatur, vel *in libro verborum dierum Regum Iuda*; vel *in libro sermonum dierum Regum Israël*, vel vt in praesenti loco citatur, *in libro verborum dierum Regis Dauid*, & *in fastos Regis Dauid*; cùm tamen idem omnino sit liber de his omnibus Regibus tractans. Eundem autem librum dixi, quoniam vnicus is est apud Hebraeos: quamuis pro commodiore vsu tam à Graecis, quàm Latinis in duos diuidatur. His ergo ita constitutis, qua ratione verum esse poterit, non relatum numerum eorum, qui fuerant recensiti, in fastos Regis Dauidis, hoc est, in librum Paralipomenon, si aliàs scriptum legimus in libro ipso Paralipomenon fuisse inuentum omnem numerum Israël *mille millia, & centum millia*, & de Iuda *quadringenta septuaginta millia*? Nullo modo hanc difficultatem enodabimus, nisi dicamus, hunc quidem numerum fuisse eorum, qui coepti fuerant recenseri; non tamen omnium, qui fuerunt tandem recensiti: quoniam & census, & eiusdem scriptura intercisa fuere, desaciente

Varr. de ling. Lat.

4. Reg. 14. ℣. 6. 11. & 29.

QVIBVS nominibus compellari consueuerit liber Paralipomenon.

4. Reg. 15. ℣. 31.

LIBER PARALIPOMENON vnicus tantùm est apud Hebraeos, Latini & Graeci in duos illum diuiserunt.

RESPONDETUR difficultati de recensito, & non recensito Israele.

ira Dei in filios Israël. Vt vel hoc ipso facto satis appareat, re ipsa atque opere completum fuisse, quod Abrahamo à Deo promissum fuit in Genesi; id quod aliàs effectum fuisse prudens nemo dicet. *Faciamque*, inquit, *semen tuum, sicut puluerem terrae, si quis potest hominum numerare puluerem terrae; semen quoque tuum numerare poterit*. Et Balaam. *Quis dinumerare*, inquit, *possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israël*? Et apud Oseam Dominus. *Et erit*, inquit, *numerus filiorum Israël, quasi arena maris, quae sine mensura est, & non numerabitur*. Quibus omnibus locis hyperbolicè, vt inquit Augustinus, praedicebatur, maximam fore Israëlitarum multitudinem, ita vt vix aut ferè nulla ratione numerari posset. quod & ad Ecclesiae Catholicae filios referendum non dubitamus, sub figura innumerabilis illius multitudinis filiorum Israël. Non igitur audiendus est Rupertus, qui de filijs Abrahae secundum carnem negat intelligendas huiusmodi prophetias; cùm tamen Israëlis carnalis multitudine spiritalis Ecclesiae multitudo aptissimè significetur. Ea verò ratio, qua ipse nititur, nihil aduersus nostram sententiam affert: fatemur enim dictum fuisse ad Israëlem: *Septem gentes multo maioris numeri quàm tu es;* atque ita tunc fuisse non dubitamus, cùm filij Israël intrabant terram Chanaam: pauciores enim numero erant ijs omnibus gentibus, quae eandem tunc incolebant regionem. At postea longè aliter res se habuit. quid enim? numquid nequiuerunt postmodum multiplicari filij Israël, ita vt eas omnes gentes numero superarent? immo verò ea ratione contrarium efficitur eius, quod Ruperto ostendere propositum fuit: probatur enim in immensam summam excreuisse Israëlem, siquidem eas omnes gentes deuicit, eorum vrbes & opida non incoluit tantùm, sed repleuit: atque ob incolarum multitudinem amplificauit; neque hoc solùm, sed plures denuo construxit, quae infinitam caperent progenitorum hominum multitudinem. Immo verò & exuberante prae hominum multitudine tota Palaestinorum regione, in omnes ferè orbis partes diffusa fuit Israëlitarum gens, & in omnes regiones quaedam veluti coloniae deductae, vt capite superiore à nobis ostensum est.

Gen. 13. ℣.16. Num. 23. ℣.10. Osc. 1. ℣.10. Augustlib. 16. de ciuit. Dei c.21. Rup. lib. 5. comment. in Genesc. 10. Deut. 7. ℣.1. QVOMODO sint intelligendae praeallatae prophetiae de multitudine Israëlis.

Reijciendum quoque videtur, quod ab eodem Ruperto, & Rabbi Salomone traditur, reprobos puluerem, electos stellis multitudine comparari. Nam tametsi in alijs locis id verum est, & sacrae etiam litterae stellis iustos, puluerem impios comparare solent; tamen cùm praeallatis locis, prospera ac felicia omnia Israëli promittantur, nulla ratione cum contextu stare potest eiusmodi reproborum distinctio & commemoratio. Huc accedit, quod in sacris litteris nulla haberi solet ratio vel celsitudinis stellarum, vel abiectionis puluerís, cùm eorum multitudinis sit tantùm mentio. Quod & apud profanos scriptores obseruari cognoscimus; vt videre est apud Ouid.

Rup. vbi sup. Rab. Salom. CVM NVmero, aut multitudini stellarum, aut puluerís, siue arenae aliqua conferuntur, nulla ratio habetur vel illarum celsitudinis, vel huius abiectionis.

Ouid. lib. 1. de tristib. eleg. 4.

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent;
Paruaque quot siccus corpora puluis habet.

Sed iam tandem solutis omnibus argumentis, quae nostrae supputationi obijci possent, rem ipsam firmo quodam argumento stabiliamus. Id verò ex ipsa militum, qui vno eodemque tempore Hierosolymis sub Iosaphat Iudaeorum Rege stipendia meruerunt, multitudine depromemus. Enimuero cùm inter cuiuscumque vrbis incolas multo plerumque minor soleat militum, quàm ciuium reperiri numerus; Hierosolymis autem innumerabilis paene militum copia fuisse narretur; facilè credi potest, reliquorum ciuium, tum virorum, tum mulierum ac puerorum multitudinem in infinitum propemodum excessisse. Habetur hic numerus in libro Paralipomenon. *Viri quoque bellatores*, inquit sacer textus, *& robusti erant in Ierusalem* sub Rege Iosaphat, *quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Iuda principes exercitus Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia. Post hunc Iohanan Princeps, & cum eo ducenta octoginta millia. Post istum quoque Amasias filius Zechri consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. Hunc sequebatur robustus ad proelia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia. Post istum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum*. Sub quinque ergo ducibus habuit Iosaphat Hierosolymis exercitum continentem hominum mille millia, & centum sexaginta millia. Quae quidem tam apertis ac disertis verbis tradit sacer historicus, vt nulla videantur probatione alia indigere.

2. Par. 1 ℣.13. & se PAEN incredibili Hierosolymitanorum militum numerus.

300000	
280000	
200000	
200000	
180000	
1160000	

At ea est hominibus innata condicio, vt nihil supra ea, quae vident, credere soleant: ea autem, quae sacrarum litterarum auctoritate ita confirmantur, vt illis fides omnino praestanda sit, ita ad sui sensus modum trahunt, vt scripturae fecisse satis videantur, neque tamen propterea ipsi quidquam solito maius credant. Huiusmodi autem sunt, qui negant hos omnes milites Hierosolymis simul vnquam exstitisse, sed principes tantùm. At sacer historicus non ita, sed *viri bellatores*, inquit, non tantum Principes, *erant in Ierusalem, quorum*, inquam bellatorum, *iste numerus per domos, atque familias singulorum*, non quidem Principum tantùm, sed & omnium militum, qui quidem recensebantur per tribus; duplex enim tribus habitabat Hierosolymis, Iudae in australi, & superiori vtbis parte, & Beniaminitica in aquilonari, vt suprà probatum est. Quare recensetur in tribu Iuda Principes tres, Ednam, Iohanan, & Amasiam, & de Beniamin, vt habent Hebraea & Graeca, principes duos, Eliadam, & Iozabad: mox autem, quoniam tribus in familias, & hae in domos diuidebantur, per domos & familias recensebantur militum sub Edna trecenta millia, &c. Ne autem quisquam putaret de omni Regis exercitu per totam sui Regni ditionem dispersò sermonem fieri, subdit. *Hi omnes erant ad manum Regis, exceptis alijs, quos posuerat in vrbibus muratis in vniuersa Iuda*.

CONFIRMATVR eos omnes milites eodem tempore Hierosolymis exstitisse.

DVAE tribus Hierosolymis habitarunt. *Sup. lib. 1. vrb. c. vlt.*

Neque verò argumentum Abulensis de numero totius Israëlis & Iudae quidquam aduersum praedicta probat: immo verò ea magis confirmat, vt satis suprà ostensum est. Lirani verò effugium, qui succedentes Hierosolymis hos milites tradit, effugiunt ipsa verba textus; *erant*, inquit, *Ierosolymis viri bellatores, quorum iste numerus*. Perpendat nunc Lira, an qui discesserant, *erant*, vel an venturi *Ierosolymis erant*. Quod si hi omnes Hierosolymis ad manum Regis erant, permittat Liranus eos omnes simul tunc fuisse, licet

Abulens.

alij

alij aliàs succeſſiuè fuerint, prout ipſe contendit ex allato teſtimonio.

At huius numeri infinita multitudo ideo incredibilis aliquibus videri poſſet, quod arbitrentur eos omnes numeratos Hieroſolymis praeter ciues; quod falſum omnino crediderim: quinimmo arbitrarer ex ipſis incolis recenſitos viros quidem fortiſſimos, quique ad bella prompti exſtitiſſent, dato publico ſtipendio, ac priuilegijs conceſſis conductos fuiſſe. Atque hi omnes tempore pacis, artibus atque exercitijs pacis ſtudebant, ſinguli in domibus, vineis, ac praedijs ſuis, prout haec longa conſuetudine recepta erant à temporibus Salomonis, qui *de filijs Iſraël non conſtituit ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius*, &c. Quapropter longè alia ratio iſtorum militum habenda eſt atque eorum, quos recenſuit Amaſias congregato Iuda: namque illi erant viri ad proelium expediti, quorum copijs mox dicitur ſuperaſſe filios Heir in valle Salinarum: hi verò in ipſa vrbe, quippe ciues, morabantur, rebus etiam ſuis domeſticis curandis, ac familiae regendae inuigilantes. Ergo vt ad rem noſtram veniamus, his omnibus ſic conſtitutis, integrum cuiuis erit, hac ratione reliquam vrbis multitudinem computare: nam adhuc maximam multitudinem eſſe oportuit, vxorum, filiorum, & omnium artificum, & aliorum, ſine quibus Reſpublica ſtare nulla ratione poterat.

Probari autem vrbis magnitudo & capacitas facilè poſſet ex dictis, facta cùm alijs vrbibus collatione. Euſebius enim tradit cenſu Romae agitato inuenta hominum centum viginti millia: ſed de his alij plura differant. Nobis enim tot enumeratis magnificentiae vrbis monumentis, eiuſdem exſules Iudaeos hortari tantùm ſupereſt, vt haec amiſſa bona praeſenti exigui numeri, & maximarum calamitatum, miſeraeque ſeruitutis tempeſtati conferant, atque attentiùs diſquirant, quo eorum ſcelere offenſus benigniſſimus Deus, eorum quodammodo oblitus eſſe videatur. Quod ſi ſapient, intelligent, nullum aliud ſcelus videri poſſe, tot ac tantis calamitatibus par, ſi praeterita peccata praeſentibus conferantur, calamitateſque calamitatibus comparentur; quàm quod Chriſtum Deum & hominem, eorum parentibus promiſſum, ab eiſque ſumma veneratione adoratum, maximo deſiderio concupitum, ipſi venientem deſpexerint, morti turpiſſimae condemnauerint, ac in haec vſque tempora odio pluſquam nouercali gratis perſequantur. Nos verò ad huius tragicae commemorationis finem properemus.

Reg. 9. 22.

Par. 25. 5.

Euſeb. in Iron.

EVERSIO VRBIS A CHALDAEIS ILLATA.

Cap. XXIIII.

QVO alio digniori exordio vrbis florentiſſimae euerſionem, Hieroſolymae pacificae bellum, pulcherrimae deformitatem, ac feliciſſimae Reipublicae ruinam deſcribere aggrediar, quàm ipſius Ieremiae prophetae, qui ea omnia mala praedixit futura, praeſenſit venientia, ac defleuit illata? *Quis dabit*, inquit, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei*. Vel vt ex Hebraeo verti poteſt: quis det caput meum aquas; & vt reddunt Septuaginta, & plorabo populum meum hunc die ac nocte, interfectos filiae populi mei. quae Chaldaeus paraphraſtes ſic explicauit. Quis det, inquit, caput meum, quaſi torrentem aquarum, & oculos meos, quaſi fontem lacrymarum? Et eadem aptiſſimè vt ſolet, Sanctus Hieronymus interpretatus ſic extulit: Si totus vertar in fletum, & nequaquam guttae ſint lacrymarum, ſed abundantia fluminis: tamen interfectos filiae populi mei dignè flere non potero: tanta enim ſunt mala, vt omnem dolorem ſui vincant magnitudine. Et quod omnem ſuperat admirationem, illud eſt ab eodem Hieronymo praeclarè animaduerſum, quòd hae ipſae querelarum plenae voces, lamentationiſque exordia tàm ex Prophetae, quàm ex Domini perſona profecta intelligi poſſint: perinde quaſi humanum affectum induerit ipſe hominum creator & iudex Deus, qui prae nimio miſerationis ſenſu aquas exoptet capiti, vel potius totum caput in aquarum maximam copiam conuerti, vt perenni lacrymarum flumine oculi manarent. Vt iam amplius mirandum nobis non ſit, ſi vt accepimus, ac firmiſſimè credimus, idem aeternus Deus, non hominis affectu tantùm indutus, ſed & ipſa humana carne, conſimilis euerſionis ſanctiſſimae vrbis memor, atque inſpector imminentis calamitatis ac ruinae, *videns* florentiſſimam, & omnium diuitiarum affluentia opulentiſſimam *ciuitatem*, fleuerit *ſuper illam*. Neque verò fletum, & lacrymas exigit Propheta: verùm multo magis longo terrarum tractu ſemotus, à tot ac tantorum malorum contemplatione ac praeſentia ſe ſubducere exoptat. Nam cùm ipſi huius euerſionis atque ruinae (id quod pectus eius atque animum acerbiſſimo doloris ſenſu cruciabat) cauſas & earum operarios proſpicere, ac vel eminus intueri datum eſſet, eoſque iniquiſſimos homines, vt à tam peruerſis operibus deſiſterent, moneret identidem, orare eos ſemper potuit, numquam exorare. *Quis dabit*, inquit, *me habitare in ſolitudine diuerſorium viatorum*? Septuaginta, quis det mihi in ſolitudine manſionem nouiſſimam? id enim ſignificare videtur diuerſorium viatorum, tuguriolum ſcilicet, quale deſertas regiones praetergredientes viatores exſtruere repente ſolent, quò nocte ſe recipiant, manè diſceſſuri: *Et derelinquam*, vt derelinquere poſſim, vel ò vtinam daretur breuiſſimum,

PRAEDIXIT, ac fleuit Ieremias Hieroſolymae calamitatem. *Ierem. 9. ℣. 1. & ſeq.*

Chaldaeus.

S. Hieron.

Luc. 19. ℣. 41.

RVINAE cauſas, nempe peccata, magis deflet & abominatur, quàm ipſam ruinam.

uissimum, & omnibus caeli, ac solitúdinis iniurijs expositum habitare tugurium, neque amplius prospicere posse *populum meum, & recedam ab eis*, quoniam non tam ipsas graues & acerbas, quas daturi sunt scelerum poenas, quàm ipsasmet poenarum causas, culpas nempe perferre non possum amplius. *quia omnes adulteri sunt, coetus praeuaricatorum*. Adulterij nomine tam proximis illata libidine iniuria significatur, quàm Deo irrogata idololatria. *Coetum autem praeuaricatorum* vocat conuentum hominum per omnia scelera debacchantium, ac potissimùm in proximos iniuriosorum: vox enim Hebraea eos praecipuè significat, qui extrà vagantur, & excurrunt cum aliorum offensione, vel propter aliorum injuriam. Illud propriè genus hominum (si hominum, non ferarum dicendum est) quod ipsismet feris saeuiora patrare facinora consueuit, Italicè dicuntur assassini. Quid ergo sperandum de populo, qui totus morti damnatus iam est, & cuicumque lege permissum est, vt illum queat occidere? quasi Italicè diceres, vna schiera de banditi. *Et extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis, confortati sunt in terra*. Septuaginta: & intenderunt linguam suam, quasi arcum mendacium, & non fides inualuit super terram. Ex Hebraeo sic verti potest; & eiaculari fecerunt linguam suam, hoc est, arcum suum ad mendacium, & non ad veritatem roborauerunt se in terra.

ADVLTERI qui dicantur.

COETVS praeuaricatorum.

Quae lectiones si rectè examinentur, omnes in idem recidunt; vt mihi quidem sanctissimus vates his verbis, quasi expressis coloribus, referre videatur maximum illud malorum omnium, quo maxima ex parte laborat inter haereticos saeculum hoc nostrum nequam; quod ita hoc scelere infame est, vt complere videatur Amorrhaeorum mensuram, iam iam euersioni proximam, ac ferro, igníque damnandam. Ergo propheta linguam horum elegantissimè arcui, verba sagittis comparat. Atqui cùm verborum veritas sit, quae Rempublicam congregat, congregatam conseruat, conseruatamque ab omni temporum, hostium, atque inuidiae incursionibus tuetur atque defendit; isti contrà mendacia velut sagittas eiaculantur, numquam veritatem: & ea ratione maximè existimant confortare seipsos posse, statumque suum communire, ac stabilire in terris. Qui cùm à recta veritatis via deflexerint, *de malo* voluntatis peruersae *ad malum* excaecati intellectus *egressi sunt*; à peccatis nimirum ad errores, à sceleribus in haereses: *& me non cognouerunt dicit Dominus*; quia nulla est tam propinqua atheismo haeresis, quàm quae Deo praefert status conseruationem, ea inquam, quae ratio status dicitur. Quae omnia meritò consequitur; *& dabo Ierusalem in aceruos arenae, & cubilia draconum*, & quae sequuntur vsque ad illud: *Et dixit Dominus, quia dereliquerunt legem meam*, &c.

MAXIMVM malorum est à veritate deficere, mendacio studere.

DAMNA, quae afferat Reipublicae haeresis, ratio status dicta.

Ierem. 9. ℣.11.& 13

Neque in vniuersum tantùm commemorantur peccata, quae euersionem meruere; verùm etiam peculiaria, quae tempore euersioni proximo Regem Manassem perpetrasse testatur liber Regum. *Quia fecit*, inquit, *Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas*, &c. *Propterea haec dicit Dominus Deus Israël. Ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam, vt quicumque audierit, tinniant ambae aures eius. Et extendam super Ierusalem funiculum Samariae, & pondus domus Achab*. Hebraicè induco, quasi dicat; iam

4. Reg. 21. ℣.11. 12. & 13.

iam induco mala haec. Funiculo verò & ponderе, architecti instrumentis, illud in memoriam referre velle videtur, quod demolientes veterem vrbem, vt nouam aedificent, architecti facere solent. Priùs enim extensis filis linearum vice, totum demetiuntur spacium, ac futuri aedificij aream, quanta futura sit decernunt; mox libella terreni decliuia ponderant, ac tandem ministris praecipiunt, vt veteris aedificij si quid supereſt demoliantur, neque cuiquam eius parti parcant: immo & ipsa fundamenta, atque infra ea terram ipsam vsque ad solidum effodiant. Haec autem omnia opere completa iam fuisse in Samaria & domo Achab, ex eodem libro Regum manifestum: atque exploratum erit, vbi post multa subdit. *Iratusque est Dominus vehementer Israëli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iudae tantummodo*. Quam nunc eadem mensura, eodemque pondere se demensurum praedicit Dominus. *Et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulae, & delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem eius*, Hic respexisse videtur Dominus ad antiquum scribendi morem, quo non tantùm in membranis, verùm etiam in tabulis ceratis scribebatur; cuius meminit Alexander. Et M. Varro locum Ornithonis, hoc est, auiarium deformatum fuisse testatur ad tabulae litterariae speciem cum capitulo. Quo ex loco iuxta Turnebi interpretationem litterariae tabulae formam licet conijcere: erat enim oblonga rectis angulis, cui accedebat insuper capitulum rotundum. Plautus sic ait:

FVNICVlo Samariae & pondere domus Achab quid significet Dominus.

4. Reg. 21. ℣.18.

4. Reg. 21. ℣.13.

CERATIS tabulis scribebant antiqui.

Alexan. ab Alex. lib. 2. genia. c. 30. M. Var. lib. 3. de re rust. cap. 5. Adr. Turneb. lib. 21. aduer. c. 23.

Extemplo puer, paedagogo tabula dirumpit caput.

STYLO ferreo scribebant antiqui.

Plin. lib. 34. c. 14. Cic. in Verr.

Est autem tabula litteraria, in qua litteras facientes pueri scribere discunt. Stylo autem ferreo scribere solitos antiquos, ab antiquissimis auctoribus proditum fuisse testatur Plinius. Formam autem styli eam fuisse constat ex Cicerone, quae altera parte acuminata scriberet, altera verò plana scripta deleret. Ea propter stylum, inquit, vertere in tabulis suis pro eo quod est, scripta sua delere. Eius quoque figuram, & vsum aenigmaticis carminibus expressit Symposius sic scribens.

De summo planus, sed non ego planus in imo
Verſor vtrimque manu, diuerſo & munere fungor.
Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

Symp. poët. aenig. 1.

Sic delendam fore Hierosolymam minatur Dominus, verso, ac crebrius ducto super faciem eius stylo, ita vt nullum antiquae scripturae signum videri possit. Quasi dicat, vrbem euertam, fundamenta effodiam, ita vt nullum maneat vrbis, aut eius aedificiorum vestigium.

Aliam ipsius rei non absimilem translationem eruere conantur ex Hebraica lectione interpretes iuniores. Et abstergam, inquiunt, Hierusalem, quemadmodum abstergit (quis) scutellam, & vertit super faciem suam. Quibus fauere videntur Septuaginta: Et extergam, inquiunt, Hierusalem, sicut extergitur alabastrum (sic legitur in Sixtiano codice in Latina versione Septuaginta interpretum Complutensis, pyxis scribi, atque in idem recidit) quod abstergitur, & conuertitur super faciem suam. Qua quidem phrasi non vrbem tantùm sceleribus conspurcatam, igne ac ferro purgandam, ac ciuium cruore lustrandam fore praedicit; verùm & ne vnum quidem sceleratorum mansurum in ea, pyxidis exemplo, quae postquam expurgata est, vertitur in faciem suam, vt ne vna quidem

Sanct. Pagnin. Vatabl.

PVLCHERrimo pyxidis lauatae exemplo, & in faciem suam conuersae significat Ieremias vrbis euersionem.

quidem gutta in ea maneat, vel ipsius aquae, A quae maculas abstersit: idque propriè à fundamentis euertendam vrbem significat. Est etiam huic consimilis Ezechielis parabola, de olla igni succensa, quàm doctè pertractauit Pradus. Quae omnia re ipsa completa fuisse plures sacrae Scripturae loci planum faciunt, ac potissimùm finis vltimi libri Regum, & Paralipomenon, atque Ieremiae.

Et certè quod ex his omnibus locis, atque ex Iosepho colligi potest hoc loco, id est, quod ego paucis perstringam. Sedecias Dauidici generis Regum vigesimus primus; omnium verò Regum Hierosolymorum vigesimus tertius, &, si Iosepho credimus, vltimus fuit. Quod si Iosephus fidem B alicui nequaquam facit, idem probari potest ex Ieremia, iuxta Hieronymi, Theodoreti, & Thomae Aquinatis interpretationem. Dictum enim Iechoniae, siue Ioachimo Sedeciae nepoti à Domino fuisse hi auctores testantur; *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Quem locum nos alibi fusiùs persequimur: quod & re ipsa completum fuisse sacra historia ostendit, quae Ioachimum tradit captiuum ductum Babyloniam à Nabuchodonosore, Sedecia, eiusdem Iechoniae patruo, Rege constituto; quo deficiente à data, & sacramento confirmata C Babylonijs fide, iuxta Dei vltionem captus à Babylonio fuit, liberisque omnibus in oculis eius occisis, ipse quoque oculis orbatus fuit; quasi nollet iustissimus scelerum vindex Deus optimus, vt flagitiosus ille homo aliquando, visis iterum aliarum rerum imaginibus à conspectu & specie tam horrendi spectaculi mentis oculos dimoueret.

Anno igitur *nono* huius *Sedeciae Regis Iudae*. Hic annus, Nabuchodonosoris decimus septimus fuit: annus namque decimus Sedeciae decimo octauo Nabuchodonosoris annumeratur à Ieremia, *verbum quod factum est*, inquit, *ad Ieremiam à Domino in anno decimo Sedeciae Regis Iudae, ipse est annus decimus octauus Nabuchodonosor.* D Quò fit, vt decimus septimus annus Nabuchodonosoris fuerit nonus Sedeciae. *Factum est autem in anno nono Regni eius in mense decimo decima mensis venit Nabuchodonosor.* Quis autem mensis hic fuerit, qui decimus appellatur, in controuersiam vocatur à multis; quoniam duplex anni initium ab Aegyptiaca seruitute fecerunt Hebraei; alterum iuxta regionis, & orientalium ferè omnium morem, quem Hieronymus refert: nam ab aequinoctio hiberno, collectis omnibus terrae fructibus, luna Septembris anni principium computare in more apud omnes ferè Orientis populos fuit; quòd id tempus mercimonijs conuehendis, ac mercaturae, cui apprimè dediti erat il- E la gens, aptissimum videretur. Atque hoc anni principium commemoratum ab Ezechiele putat Ribera, illud Micheae exponens: *Tu seminabis, & non metes*: subito enim, inquit, venient hostes, & omnes fructus terrae, & labores agricolarum intercipient. Quod euenisse confirmat testimonio libri Regum, quo anno Sedeciae nono venisse dicitur Nabuchodonosor mense decimo, quem putat Iulium mensem fuisse, quo omnes terrae fructus colligendi erant; quibus interceptis ab hostibus, *praeualuit fames in ciuitate, neque erat panis populo terrae*. Verùm ad eundem Riberam appellare licebit, qui alibi longam de mensibus ac anni Hebraici principio disputationem texens, verum esse testatur, Prophetas, ac sacros historicos anni sacri mensura vti, eaque menses computare solitos; quod multis illic testimonijs satis apertè probat; atque hoc potissimum, quo mense decimo venisse dicitur Hierosolymam Nabuchodonosor Rex. *Rib. super Aggaei 2. nu. 9.*

PROPHETAE, & historici, anni sacri mensura vti consueuerunt.

Neque verò hoc in dubium reuocari posse opinor, cùm aperto Ezechielis testimonio confirmari facilè possit: qui *Et factum est*, inquit, *verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis dicens. Fili hominis scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est Rex Babylonis aduersum Ierusalem hodie*. Eadem enim prorsus die, qua Nabuchodonosor Rex Babylonis exercitum Hierosolymae applicuit, & Sedecias Rex portas vrbis obserare, & se ad resistendum hostibus comparare, contrà verò Babylonicus vrbem obsidere coeperat; eadem inquam die praeceptum à Deo fuit Ezechieli, vt idem ipsum quamuis in Babylonis regione constitutus, longo ab Hierosolymis abesset internallo, ipsam scripto notaret, quò manifesta postmodum huius praedictionis veritate omnibus patefacta, firma ac certa reliquis eiusdem Prophetae verbis à concaptiuis suis, nec non ab ipsis Hierosolymitanis fides haberetur. Ac diu postea apud Hebraeos hic mos tenuit, vt huius infelicissimae diei acerbam memoriam, sollemni quotannis ieiunio renouarent. Certè huius inter alia ieiunia meminisse videtur apud Zachariam Dominus: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinctì, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi*, &c. Decimum mensem vocat Hieronymus Thebeth, Latinis Ianuarium dici testatus; cui concordat Hebraicum Calendarium apud Genebrardum, qui mense Teueth decima die eius mensis, ieiunium, inquit, decimi, quando admouit manum suam Rex Babylonis ad obsidendam, & expugnandam Hierosolymam. *Anno* igitur *nono, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis, ipse & omnis exercitus eius in Ierusalem, & circumdederunt eam, & exstruxerunt in circuitu eius munitiones. Et clausa est ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciae.*

Ezech. 24. ℣. 1.

Zachar. 8. ℣. 19.

Hier. super Ezech. 29. & 33. Genebr. in psal.

4. Reg. 25. ℣. 1. & 2.

Mense autem quarto nona mensis obtinuit fames ciuitatem. Hic, vt ad rem redeam, quartus mensis, videtur anni Ecclesiastici, in quo alimentorum penuria magis laboratur, quàm illo decimo, suprà ab aliquibus computato. Etenim cùm mense primo fruges primùm demetere olim solerent, quapropter & nouarum frugum mensis dictus est; cùm inquam eo tempore obsidione impediti fructus agrorum neque demetere potuissent; immo verò neque praecedentibus seminare: reliqua autem praeteritarum frugum eo mense, atque duobus sequentibus absumpsissent, factum est, vt quarto mense fame laborarent, *& non erant alimenta populo terrae, & dirupta est ciuitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt.* Historia verò Paralipomenon Dei clementiam, atque infinitam ergo hostes suos misericordiam ipsomet supplicij tempore, maximè enituisse demonstrat, dum subdit: *Mittebat Dominus Deus Patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum de nocte consurgens*: hoc est, sollertissimè opportuno tempore, ante lucem surgens, *& quotidie commonens, eò quòd parceret populo, & habitaculo suo*. Septuaginta, quoniam

Ieremi. 52. ℣. 6.

MENSIS nouarum frugum quis.

DEI CLEMENTIA in ipsa punitione ostenditur.

2. Par. 36. ℣. 15.

erat

erat parcens populo suo, & sanctuario suo: Hebraicè, manicando, & mittendo, quia pepercit super populo suo, & super habitaculo suo: perinde quasi quod nuncijs dicendum demandabatur, id esset, Deum non modò parcendo paratissimum esse; verùm etiam iam quodammodo peperciſſe, si vellent & praeterita paenitudine odisse, & à consimilibus abstinere. *At illi subsannabant nuncios Dei, &c. donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. Adduxit enim super eos Regem Chaldaeorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui; non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. Vniuersaque vasa domus Domini, tam maiora quàm minora, & thesauros templi, & Regis, & principum transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ie-* A *rusalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt.*

Ibid.

Et hic finis illius florentissimae Reipublicae, pulcherrimae ciuitatis, potentissimae atque opulentissimae regionis. Nihil enim tam stabile, nihil tam firmum, nihil tam pulcrum, quod non omne demoliatur, conterat, obscuret, ac omnino deformet peccatum. Sed enim, inquit Iosephus, neque antiquitas, neque ingentes diuitiae, neque per totum orbem terrae diffusa fama, nec magna religionis gloria quidquam iuuit, quò minus periret. Accidit autem hoc vrbis excidium eodem teste, post annos, ex quo aedificata est, mille trecentos sexaginta: à Dauide autem, qui primus Iudaeus in ea regnauit, anno quadringentesimo sexagesimo quarto. Hic etiam erit finis nostri secundi libri, quoniam de vrbis instauratione sequenti agendum nobis est.

PECCA
tum omni
demolitur.

Ioseph. 7. bell. c. 18.

LIBRI SECVNDI FINIS.

INSTAV-

INSTAVRATIO VRBIS DEQVE EIVS PORTIS AC VIIS, NECNON DE NOVISSIMO PERPETVOQVE VRBIS INTERITV

PRIMAE PARTIS APPARATVS LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

VRBEM iam nunc exquirere cogimur, non exſtinctam modò verùm iamdudum ſepultam, & quaſi in puluerem redactam & cineres: vrbem inquam illam, cuius quidem priſtinae vel nobilitati, vel magnitudini, vel ſplendori nullius quamuis eloquentiſſimi hominis par oratio inueniri poſſet; eandem nunc in maximo ſqualore, ſummaque miſeria iacentem quis queat digna commiſeratione proſequi, aut ſcriptione pro dignitate exprimere? Derelicta iam pridem eſt filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario. *Quibus enim vſibus aſſeruetur vmbraculum, ſi nulla ſit ſpes percipiendi fructus ex vinea, in qua eſt? quis ſuſtineat tugurium, quod tranſacta iam aeſtate, ad hiemis aduentum, aut emortuis, aut excifis cucumerorum plantulis perexiguam, ſeu potius nullam ſpem praebeat ſuturi prouentus? immo varijs aſſiduò ventis, ceteriſque caeli iniurijs vehementiſſimè agitatum quà penitus ruit, quà praeſentem ruinam minitari; ita vt non homines modo, ſed & bruta quoque animantia fugam ab ea identidem explorent?* Ita ciuitas *quondam* fidelis, *nunc* meretrix; *olim* plena iudicij, iuſtitia habitauit in ea; nunc autem homicidae, *derelicta eſt, & quaſi omnino inutilis, euerſa: atque adeo, quod mirabilius eſt, eam Deus optimus, qui prima eius fundamenta iecerat, quodammodo auerſabatur. Perdiderat enim ex habitatoribus eius* vocem gaudij, & vocem laetitiae, vocem ſponſi, & vocem ſponſae, vocem molae, & lumen lucernae; *& erat* vniuerſa terra haec in ſolitudinem, & in ſtuporem. *Sed quoniam pijſſimus Pater ac Dominus non in perpetuum, ſed ad certum vſque tempus, vt qui non ad interitum, ſed ad medelam, populo ſuo iraſcebatur; mox ſubdit:* Et ſeruient omnes gentes iſtae Regi Babylonis ſeptuaginta annis. *Et iterum.* Cùm coeperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum.

Cùm verò inſtituti noſtri ratio poſtulet, vt non prius de vrbis inſtauratione, quàm de eius euerſione diſſeramus, primo loco de ipſo euerſionis tempore; ſecundo de inſtaurationis exordio, atque ordine diſputabimus. Atque ita quidem non renouationis modò hiſtoria, ſed omnium ferè murorum, turrium, portarum, inſignioriumque totius vrbis partium ſitus, ordo, aequaque diſtantia in aſpectum ſeſe omnium facilè dabit. Quae omnia accuratè ac dilucidè pertractat ſacra Nehemiae hiſtoria: ac niſi compluribus diuerſorum ſcriptorum difficultatibus, variiſque

Ieremi. 25. ℣. 10. & 11

Ieremi. 29. ℣. 10.

ii. 1. 8.

lid. ℣. 21.

variisque quaestionibus, quasi tenebris conuoluerentur, nulla ferè interpretatione indigerent, sed suis veluti coloribus expressam totius vrbis faciem ob oculos legentium ponerent. Quocirca duo nobis hoc libro potissimum praestanda sunt: alterum vt murorum, turrium, portarum, aliarumque partium verum situm ostendamus: quod neque difficile erit, neque valde operosum; praesertim cùm primis media, mediis extrema ita respondeant, vt consequentia antecedentium explicatione confirmentur, non minus atque his illa: alterum, vt variarum opinionum veluti nebulas, nostrae, hoc est, verae sententiae quasi luce ostensa depellamus. in quo maximè laborandum nobis est; non quòd tenebris obducta veritas sit; sed quoniam confictis multorum inuentis faciendum est satis; quòd & operae plurimum, laudis non item afferre solet. Nam cùm facilius omnino sit indoctis tardisque hominibus vera aliorum studia improbare, quàm doctis cordatisque viris vana reprehendere: iisque contrà, quorum maior est numerus, multo magis arrideant inania quaedam, vtpote captu facilia imperitorum commenta, quàm alta & profunda veritatis inuenta, non intellectu minus quàm explicatu difficilia, fit, vt quae maximè firma sunt, ea plurium tormentis ac machinis concutiantur. Verùm cùm Deo optimo maximo, in cuius laudem omnis hic susceptus A *est labor, atque adeo bonis, pijsque viris, quorum vtilitati seruire aequum est, nostram operam gratam esse intelligam, nihil multitudinis iudicium morabor, sed rei totius veritatem omnis vel ambiguitatis, vel falsitatis depulsa caligine pro viribus patefaciam.*

Atque adeo cùm singulas vrbis partes sigillatim percensere nunc oporteret; eaeque nobis siue ex varijs Scripturae sacrae locis, siue ex aliorum scriptis essent eruendae, vnus sese nobis offert, qui tam luculenter, tamque exactè singulas percenset, vt is vnus pro omnibus esse possit. B *Habetur autem huius rei historia in libro instauratae vrbis à Nehemia & socijs: quem si totum explicare licuisset, exactam omnino totius vrbis historiam expressissem. Verùm, quoniam ea pro dignitate, huiusce libelli includi non possent angustijs; eius tantùm partes aliquas, caput potissimùm secundum ac tertium, magnamque partem duodecimi cum nonnullis alijs sacrae Scripturae locis, non tam pertractare, quàm perstringere pro viribus conabimur; ita tamen, vt alijs sacrae Scripturae testimonijs,* C *non tam confirmari ea, quae manifestè dicuntur his capitibus, quàm haec illis omnino congruere videantur. Quò autem facilius percipi, quae dicimus, possint; eorumque series atque ordo lectori ponatur ob oculos, ea Nehemiae capita huic tertio de instauratione libro suis quaeque locis addenda curabimus.*

DE INITIO SEPTVAGENARIAE CAPTIVITATIS BABYLONICAE.

Caput I.

ATEOR ingenuè huius quaestionis difficultate deterritum, saepius conatum fuisse eius oneri me subtrahere, vel saltem in alium commodiorem locum eam differre. Quod vt facerem, cùm antiquissimorum patrum, tum nostrae aetatis doctissimorum virorum, qui haec fusiùs explicarunt, auctoritas suadebat; sed non persuasit, quia narrationis ordo, & instaurationis series cum euersione ipsa vrbis ita connexa mihi videbatur esse, vt sine reprehensione separare, quasique distrahere minimè potuissem. Plurium item scriptorum de eadem re multitudo varias fecit in re difficili sententias, suis quasque rationibus innixas, quae non contemnenda doctorum auctoritate fulciuntur. Quocirca cùm saepius de temporibus, quibus acciderint ea, quae enumeranda à nobis sunt, sermo futurus sit, ne lectori dubium esse possit, quam insistamus dicendi viam, eam patefacere, simulque docere decreuimus, quibus etiam sacrarum litterarum, aut aliorum scriptorum testimonijs, quibusve rationibus nixi, de singulis huius quaestionis articulis decernamus. In quo non disputantium more aliorum sententiam primò, eorumque fundamenta, atque rationes; mox nostram explicare, deinde firmare, ac demum aliorum eruere fundamenta conabimur (id enim dicendi genus scholis relinquimus) sed breuitati consulentes, nihil addendum putamus amplius, quàm quòd perspicuam oratione, non verò longam efficere possit.

Et quidem, quod ad captiuitatis initium attinet, illud cum nostro Pereiro sentiendum omnino iudicamus, captiuitatem Babylonicam, quae ab Ieremia septuaginta computatur annis, initium sumpsisse ab vltima captiuitate Iudaeorum sub Rege Sedecia; cuius in fine praecedentis libri meminimus. Ea namque sententia grauissimorum auctorum, Clementis Alexandrini, Hieronymi, Cyrilli, Isidori, ac Bedae, Eusebij, Lactantij, Iulij Africani, Iosephi testimonijs atque iudicio comprobatur; atque in sacris litteris non leuiter adumbrata, sed planè expressa videtur. Nam in libro Paralipomenon, post enumeratam tam miserandam Hierosolymitanae vrbis euersionem, vasa thesaurosque templi, Regis, & omnium principum sacrilegè depraedata, post domus Domini murorum, turriumque succendium, ac demum post rerum omnium pretiosissimarum barbaram populationem à Chaldaeis factam, subditur: *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit Regi, & filijs eius, donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiae, & celebraret terra sabbata sua; cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni.*

Enimuero huius loci tanta vis est, vt non possim non vehementer eorum mirari sententias, qui huius computationis initium vel ad decimum tertium Iosiae annum, quo Ieremias huiusmodi calamitates populo denunciare coeperat, referunt; vel ad primum annum imperij Nabuchodonosoris, quo anno primùm captus est Rex Ioachim. Vtriusque huius sententiae meminit Eusebius: sed hanc postremam tenuit Liranus, & Vatablus; eamque maximè probauit Seuerus Sulpitius, & confirmare contendit Ribera. Inter quos censeri etiam Caietanus potest, qui vult à transmigratione Iechoniae huiusmodi annos esse computandos. Verùm cùm suprà allato Paralipomenon loco praedicti septuaginta anni, desolationis dies vocentur & sabbatorum, quibus haud secus, quàm hebdomadae sabbatis, aut septimo quoque anno terra inculta & horrida manere consueuerat, quoniam terram sabbatis colere lege prohibebantur Hebraei: pari ratione his septuaginta annis ipsamet captiuitate & locorum interuallis impediti, ne eam colerent, tenebantur. quod ipsum testatur Daniel: *Vt complerentur* enim, inquit, *desolationis Ierusalem, septuaginta anni*. Et Ieremias: *Erit terra in solitudinem*, inquit, *& in stuporem, & seruient omnes gentes istae Regi Babylonis septuaginta annis*.

Quapropter cùm constanter his sacrae Scripturae locis septuaginta desolationis anni, & sabbatorum dies computentur; confiteamur necesse est, huiusmodi septuaginta annos à desolata, ac deserta vrbe computandos, non verò ab eius desolationis denunciatione, temporibus Iosiae, neque ab Ioachimi transmigratione; quoniam neque huius, neque illius temporibus quidquam eiusmodi passa est ciuitas. Et quamuis ratio praedicta sit adeo manifesta, vt nulla firmior videatur Pereiro: non deest tamen alia meo quidem iudicio nihilo minus quàm illa firma & certa. Ipse namque historiae contextus in libro Paralipomenon hoc ipsum, quod nos probare contendimus, tam apertè testatur, vt à nemine, nisi textum extorqueat, negari possit: ibi enim abductos dicit in Babylonem cos omnes, qui gladium euaserant, atque ibidem seruisse *Regi, & filijs eius* septuaginta annis, *donec imperaret Rex Persarum*, hoc est, toto eo tempore, quo Persarum imperium regnante Nabuchodonosore, & filijs eius, duravit: quo eodem tempore terra egit sabbata sua.

A B C D

Euseb. in chron. Lir. Esdr. 1. Vatab. Dan. 9. Sener. lib. 2. sacr. histor. Rib. Zach. 1. à n. 21. & deinceps. Caiet. 2. Paral. 36.

Ierem. 25. ℣. 11.

2. Par. 36. ℣. 20.

DVPLEX sententia opposita refellitur.

SABBATORUM dies, quare dicantur, qui & desolationis. *Dan. 9. ℣. 2.*

PRIMA ratio contra illas sententias.

SECVNDA firmior.

Quae cùm ita sint, quis inficias eat, eos, qui captiui cum Sedecia Babylonem deducti fuerant, ibi mansisse septuaginta annos, maximè cùm videat de his tam apertè locutum hunc locum? Quamuis autem haec tam firmis sacrae Scripturae testimonijs nitantur; non defuere tamen, qui vel profanis historijs, vel patrum freti sententijs, rem aliò detorquere conarentur. Quibus obijcere etiam libuit nonnulla eorum Patrum, Scriptorumque, quos sibi fauere putant, testimonia; & primùm Clementis Alexandrini. In duodecimo autem, inquit, anno Regni Sedeciae, Nabuchodonosor septuaginta annis ante principatum Persarum aduersus Phoenicas & Iudaeos bellum gessit, vt dicit Berosus in historijs Chaldaicis. Ioabas autem scribens de Assyrijs, fatetur se à Beroso sumpsisse historiam, vera esse, quae ab eo dicuntur, asserens. Nabuchodonosor ergo excaecatum Sedeciam abduxit Babylonem, totumque populum commigrare iussit paucis exceptis, qui confugerunt in Aegyptum (sic enim legendum censeo, non vt habent mendosi codices) durauit autem haec captiuitas septuaginta annis. Haec Clemens. Vt commentatorem verborum Paralipomenon egisse potius videatur, quàm historiae scriptorem; cùm tamen eam ex antiquorum scriptis desumptam testetur. Cui haud dissimilis est Eusebius, qui enumerat Regum Iuda seriem, ac demum subdit. Ezechias (librariorum fortè vitio Ezechias pro Sedechias legitur) annis duodecim (regnauit) vrbe deinde ab Assyrijs euersa, temploque cremato in Babylonem populus abducitur, vbi Daniel, & Ezechiel prophetarunt, & post annos septuaginta Cyrus Persarum Regnum obtinuit, qui Iudaeos libertate donauit. Haec ille.

PROBATUR contra illos Patrum testimonijs, *Clem. Ale.*

Ioabas.

Euseb. lib. 10 de praepar. cap. vlt.

Longum verò esset singulorum sententias recensere: quare ne actum agere videamur, his supersedemus: illud interim monentes lectorem, huius argumenti vi coactos quodammodo fuisse in hanc sententiam venire eos omnes scriptores, qui duplicem septuagenarium numerum adstruunt, transmigrationis inquam, siue captiuitatis vnum, alterum verò desolationis. nam ij affirmant desolationem septuaginta annos durasse, quod negari non potest. Et quidem si de eorum sententia, quid sentiam, dicendum est, ingenuè fateor, & captiuitatem & desolationem, & hanc ab illa longè diuersa principia sortitas, exitus quoque valde dissimiles habuisse: verùm & captiuitatem, & desolationem septuagenariam constituere, difficile quidem est, ne dicam impossibile. Initium enim captiuitatis Ioachimi ab initio desolationis sub Sedecia vndecim annis distat, vt in libris Regum manifestè testatum accepimus. Finis verò captiuitatis anno primo Cyri respondens, à fine desolationis, quam ad annum vsque secundum Darij Histaspis producunt, quadraginta distat annos, vt probatissima (teste Pereiro) Regum Persidis chronologia docet. Quare impossibile videtur, captiuitatem & desolationem septuaginta pariter annis definire. At propterea frustra tueri se putat Iosephi testimonio, qui duobus illius locis fretus, id contendit: altero quo septuagenariae captiuitatis meminit: altero verò totidem annorum desolationis: quasi verò & cum desolatione coniuncta non fuisset captiuitas & transmigratio, sicut eas coniungit suprà allatus Paralipomenon locus. Et Clemens, in quonam differat haec ab illa transmigratione, ostendisse videtur, dum dixit: & totum fecit populum transmigrare vnà cum excaecato Sedecia, & cum Iechonia pars quaedam populi, ac principum ducta in captiuitatem fuit. Quare cùm Iosephus alibi tradat, desolationem septuaginta annos perduasse; idem quoque sensisse intelligendus est, cùm scripsit. Primo autem anno Regni Cyri, qui fuit transmigrationis nostrae Babylonicae (vniuersalis intellige) septuagesimus. Neque verò huic sententiae aduersatur Ieremiae epistola, de Hierusalem missa *ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Ierusalem in Babylonem*; qui pollicetur Dei nomine, postquam expleti fuerint septuaginta anni, visitandos, atque reducendos in patriam fore. Ex quibus nonnulli colligunt, septuaginta hos annos à transmigratione numerandos, maximè cùm nondum incepisset desolatio, quam in eadem epistola comminatur aduersus Sedeciam Ieremias.

QVI SEPTUAGENARIAM captiuitatem Ioachimi, & totidem annorum desolationem Sedeciae adstruunt, nobis fauent.

REFELLITUR horum sententia. *4. Reg. 24. ℣. 25.*

Pereir. lib. 10. in Dan. q. 5.

FALSO tueri se putant illius sententiae auctores duobus Iosephi testimonijs.

Clem. Alexan.

Verùm si epistolae verba, & Prophetae mens attentiùs perpendatur, ea ostendit potiùs vera esse, quae diximus. Duplici enim animi morbo duplici ex causa profecto, vtroque lethali, alteroque cum altero pugnante laborabat populus Iuda, tùm qui captiuus Babylone, tum qui liber Hierosolymis degebat: vter autem periculosior esset, haud facilè indicari potest, falsa hinc praesumptione, taetra illinc desperatione: diuersis autem ex causis, tum illi, qui Babylonem captiui ducti fuerant; tum illi, qui Hierosolymis degebant. Captiui quidem Babylone animis quodammodo concidebant, quoniam à patria extorres, paternis bonis exspoliati, ac propria destituti libertate, in longa saecula producendam captiuitatem timerent, cùm nulla sibi humana praesidia superesse viderent, quibus freti pristinam libertatem, ac perditam felicitatem se consequi posse sperarent. At contrà horum fratres, propinqui, & ciues sibi perpetuò mansuram felicitatem fortè praesumebant, quòd viderent sibi ipsis patriam conseruatam, & Regnum, ea potissimum Sedeciae legatione, qui huiusmodi epistolam deferebat Babylonem: quibus fortasse addi posset, captiuos, Hierosolymitanorum felicitati, atque libertati inuidentes, moerori se, ac lacrymis miserrimè dedisse; praesertim, si petulantiùs illis fortè insultarent, qui Hierosolymis remanserant. Verùm ita natura comparatum est mortalibus, vt aduersis & extremis potissimùm malis remedia sibi meditentur ac fingant, si non opportuna, aut vera, saltem talia, quibus se aerumnarum parte aliqua leuari sperent. Quod contigisse captiuis innuit Ieremiae epistola, prophetantem mendaciter inducens Semeiam, & credentem populum, ac falsò dicentem: *Suscitauit nobis Dominus prophetas in Babylone*: qui pseudoprophetae breuem illis reditum in patriam pollicitabantur, ac diuinam opem mox affuturam. Qui verò Hierosolymis manebant, in alios non minùs formidolosos elationis scopulos incurrerunt; quippe qui licentia maxima se in omne vitiorum genus effunderent, perinde quasi impunè se omni facinorum genere contaminandi liberam potestatem accepissent. His omnibus malis vna eademque epistola mederi conatur Ieremias.

Nam praesumptionem falsamque de breuiore in patriam reditu captiuorum spem temperat, dum eis praecipit domos aedificare, vineas plantare, vxores ducere, & filios procreare, hisque rursus vxores dare; quoniam in longa tempora duraturus seruitus erat. *Ne attendatis*, inquit, *ad somnia vestra, quae vos somnia-*

IN Q differant chorae Sedeciae transmig tio. *Ioseph. ant. q.c. Ierem. ℣ 1.*

RESPO detur arg mento ex Ieremia tito.

SVMMA & intentio epistolae Ie temiae.

HOMINIbus innata natura, vt malis, quibus remedia non inueniant, saltem somniata effingant. *Ierem. cit. ℣. 15.*

Ibid. ℣. 8.

somniatis. Neque verò, quod vobis diutiùs duraturam calamitatem hanc praedico, propterea fratres vestri, qui Hierosolymis manent, impunè sibi, quae velint, licere putent: *Ad fratres*, inquit, *vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem, haec dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, & famem, & pestem, & ponam eos, quasi ficus malas, quae comedi non possunt, eò quòd pessimae sint*. Comparatione ficuum, quam latè prosequutus fuerat idem Propheta, petpetuam sore perditionem, & ruinam Sedeciae, & reliquorum, qui manserant Deo minimè obsequentes Hierosolymis, praedixit. Sicut enim pessimae ficus nullo modo conditi solent, sed abijciendae omnino sunt: sic hi, ad quos Dominus iterum: *Mittam in eis*, inquit, *gladium, & famem, & pestem, donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum. Vos ergo audite verbum Domini omnis transmigratio; cùm coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum*.

Duo igitur contineri intelligenda sunt hac Ieremiae epistola, & Hierosolymitani populi vastitatem, & eorum, qui captiui commigrarant, longiorem seruitutem: vtriusque autem longè diuersos praescribit fines. Sedeciae, ac reliquis, qui cum eo remanserant in vrbe, vastitatem fine carituram: captiuis verò reditum in patriam, ac felicitatem pollicetur post septuaginta annos; non quidem ab initio transmigrationis computandos, sed à desolatione. Ita verò transmigrationis & desolationis duratio, & finis permixta oratione recensentur à Propheta; vt huius initium, & illius septuagenariae durationis pariter initium indicet computandum: finem verò desolationis & transmigrationis in ipsismet completis septuaginta annis complendum: Sedeciae verò, contumaciséque ac superbi populi desolationem interitu, ac maledictione finiendam. Quae quidem loci huius interpretatio vel ex eo maximè confirmari videtur, quòd mitificè consonat alijs eiusdem Prophetae de hac eadem re vaticinijs, quorum egregium planè est illud, *quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno quarto Ioakim filij Iosiae Regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis*. Recensitis enim populi grauioribus sceleribus, praesertim eo, quod omnium ferè caput est & origo, immo quasi nuttix & fomes, ad diuina scilicet verba, & Prophetarum voces obsurdescere, subdit: *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes quae in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum*, &c. *& erit vniuersa terra haec in solitudinem, & in stuporem, & seruient omnes gentes istae Regi Babylonis septuaginta annis; cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam*, &c. Cuius loci vis tanta est, vt effugia compulerit quaerere eos omnes, qui ab ipso contextu discedere conati sunt; & vt toti imperio Chaldaeorum septuagenariam dutationem assignarent. Quasi verò gentes illas Palaestinae in suam ditionem redigere coeperit Nabuchodonosor ab hoc primo Regni sui anno.

At quis non videat, longè petitam interpretationem hanc vim maximam Prophetae verbis in-

FALSO quidam autumant totum Chaldaeorum imperium septuaginta tantum annis definitum fuisse. 4. *Reg.* 25.

Tradus in c.1.Ezech. ℣.1.

RESPONDETUR ad argumentum ex Baruch de septem generationibus. *Baruch.6. ℣.2.*

BARVCHUS ab Ieremia dissentire non potest.

REFELLUNTUR tres Baruchi interpretationes.

NON DE alia captiuitate loquitur Baruchus, quam de ea, quàm retulit Ieremias.

GENERATIO Hebraeis quid significet.

ferre? desertam enim fore terram dicit, & seruituras omnes gentes illas Regi Babylonis septuaginta annis; quibus expletis subuertendum quoque Babyloniotum Regnum praedicit. Quid enim haec cum initio Regni Babylonici; cùm ab initio Regni eius terra derelicta non fuerit: immo verò in anno decimo octauo euersa ciuitas sit, ac solo aequata, & non antè, vt disertis verbis testantur libri Regum? Hanc verò interpretationem, vt à veritate alienam, abijcimus; quoniam longè ante tempora Nabuchodonosoris coepit hoc Babyloniotum imperium, prout validis argumentis confitmatum à Prado est. Atqui si in Nabuchodonosore Regnum non coepit, neque eo regnante finem accepit. Regi namque Babylonis seruiendum septuaginta annis dicit Dominus: quare ergo ad Nabuchodonosoris initium Chaldaici imperij initium referant? Sed nos planum ac manifestum loci sensum recipiamus, quem verba ipsa praeseferunt, clareque explicant; nempe Prophetam praedicere, terram illam Hierosolymitanam, solitudinem futuram; eiusque incolas in seruitutem omnes redigendos septuaginta annis, quibus iam expletis, à desolatione, non ab imperij exordio numeratis, imperium ipsum Babylonicum subuertendum, & in Persas & Medos transferendum esset.

Neque verò huic nostrae sententiae aduersatur Baruch, eandem, vel similem Ieremiae epistolam ad abducendos captiuos, referens. *Ingressi itaque*, inquit, *in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, vsque ad generationes septem*. Idem enim, quod manifesto sermone retulit Ieremias, alia loquendi formula vsus, contegere voluisse videtur Baruch: nisi fortè, quod magis probarem, communi vsu recepta phrasi, idem omnino significare Baruchum voluisse dicamus; & intellexisse populum, vti dixerat Ieremias: quod ex ipsius vocis, generationem significantis, acceptione manifestum nobis quoque fiet. Nec verò dubitate licet, quin liber Baruch canonicus sit, summaque veneratione susciptendus, vt propterea ab Ieremiae testimonio nulla ratione dissentiat.

Quapropter minus probarem ingeniosas illas quorundam responsiones, nempe Baruchum locutum de ijs, qui abducti fuetant Babylonem sub Iechonia, quos octoginta & vnum annos mansisse Babylone putarunt, vsque ad primum annum Cyri: aut locutum de abductis Babylonem sub Sedecia, quos mansisse ibidem putant annos centum septuaginta vsque ad reuersionem Esdrae. Nam praeterquam quòd non minus difficile foret vel octoginta & vnum annos, vel centum septuaginta in septem generationes manifesta aliqua, & omnibus tunc nota ratione partiri: videtur etiam vero minimè consonum, Baruchum referentem Ieremiae epistolam, quae de septuagenaria desolatione loqueretur, de alia captiuitate, aut seruitute loqui. Quapropter & illa alia interpretatio, quae Baruchum confuso sermone locutum tradit, quasi per septenarium generationum numerum indefinitum aliquem significare vellet, non magnopere probatur. Licet enim hic loquendi modus valde frequens sit in sacris litteris: tamen vix crederem Baruchum, referentem Ieremiae verba, alia ratione locutum, quàm ipsemet Ieremias locutus fuerat, saltem quoad ea, quae vtroque sermone significantur. Non abs re igitur erit si ad vocem generationis, quae Graecè γενεὰ genea, Hebraicè תולדות thuldoth multitudinis numero vsurpatur, interpretandam accedamus. Ea autem significat generationes,

procreationes, quidquid demum generatur aut nascitur; rransferturque ad casus, euentusque omnes significandos, quòd hi velut procreationes quaedam temporis sint.

GENERATIO nonnumquam gesta alicuius significat. *Maldonat. Matth. 1. ℣. 1.*

Quin etiam & gesta hominum saepe generationes vocantur, vt ex Hebraeorum sententia doctè notauit Maldonatus, illud Geneseos referens, quo Noë *perfectus in* omnibus *generationibus suis* dicitur, id est, in omnibus partibus, ni malis partubus, hoc est, gestis vitae suae. Qua etiam ratione *liber generationis IESV Christi* dicitur Euangelium, quasi gestorum, seu vitae Christi. Accipitur etiam haec vox non rarò in sacris litteris non tantùm pro ipso actu generandi, aut procreandi liberos; verùm & pro ipsis genitis, seu pro ipsis generationibus procreatis. Quare aptissimè, & frequentet Sanctus Hieronymus, *familias*, vertit hanc vocem, vt in Paralipomenis. *Cumque eis per familias, & populos suos*, &c. Et iterum: *Fratres autem eius, & vniuersa cognatio eius, quando numerabantur per familias suas.* Et tertiò: *Capita Leuitarum per familias suas.* Quibus omnibus, & alijs quamplurimis locis, vt vox תלדות tholdoth habetur in Hebraeo, ita generationibus septem totidem homines, vna generationis serie procreatos intelligere non incongruè possumus: vnde non quot annos denotet generationis nomen (cùm id nomen annos nunquam significet) inquirendum est; sed quot anni generationibus septem exigantur, diligenter inuestigandum.

GENERATIO pro gente. *1. Paral. 7. ℣. 4. ibid. cap. 5. ℣. 7. ibid. c. 9. ℣. 34.*

QVOT anni septem generationibus computandis exigantur.

Cui quidem difficultati nulla ex parte sententia illa, quam Pereirus refert, satisfacere poterit. Quid enim ad instituti nostri rationem conducere poterit medicorum vsus, prohibentium ante duas generationes, hoc est, annos quattuordecim venam puero incidere? Mulrò etiam minus Dionysij Halicarnassaei sententia satisfaciet, quae generationem ad centum annos extendit, dum Medorum imperium quattuor stetisse tradit generationes, hoc est, ad quadringentos annos. Neque ad rem nostram facit, quòd eadem sententia assumatur in Genesi, dum semen Abrahae peregrinum fore in Aegypto dicit Dominus, ac subdit: *Generatione autem quarta reuertentur huc.* In his enim locis generatio pro hominis aetate sumitur, & totum id tempus significat, quo homo maximè potest vitam protrahere. Quod verò plurimùm è re nostra fore putamus, illud est, quod etiam Dionysius Carthusianus, atque ipse Pereirus illum citans, inquirunt; nempe quanam aetate quis filium generare primùm possit, quo sex filios ab eodem patre continuata serie originem ducentes, septuaginta annorum numerum explere ostendamus.

Pereir. lib. 10. in Dan. q. 1.

Dion. Halicarn. lib. de antiq. Roman. 1.

Gen. 15. ℣. 16.

Dion. Carth. in Baruch.

QVA PRIMùm aetate quis filium generare possit.

Et quamuis Suidas aliquid simile huic nostrae phrasi significare voluisse videtur, dum scripsit, Orpheum nouem, vel vndecim vixisse generationes; & Eusebius viginti minimùm annos singulis generationibus assignet, dum à Rege Inacho vsque ad bellum Troianum viginti transisse scribit generationes, hoc est, annos quadringentos: & licet Herodotus viginti quinque singulis aetatibus tribuisse videatur, idem aetate significans, quod alij citati auctores generarione: ait enim Heraclidas Lydiae Regnum tenuisse vsque ad Candaulem Myrsi, per quingentos & quinque annos, seu per duas & viginti aetates; & alibi idem scriptor tres virorum progenies centum annis contineri praescribat, quò triginta tres, & cò amplius annos singulis generationibus tribuat: necnon Diodorus Siculus, Plutarchus, Censorinus cum Homero idem prorsus significare voluisse videantur (hic enim vulgò ferri restatur Nestorem tres vixisse generationes, hoc est, annos nonaginta) quamuis, inquam, hi grauissimi scriptores ita in assignanda generationis ratione discordent; tamen antiquorum Romanorum leges cum Caesareis statutis, & canonicis constitutionibus consentientes, vt à Tiraquello traditur, decimum quartum aetatis annum matrimonio contrahendo praescribunt; non quidem alia ratione, quàm quòd ea aetate virum procreandae soboli vt plurimùm aptum iudicarent: non quia non etiam, antequam ad eam aetatem perueniat vir, generare non possit; sed, vt dixi, quoniam ferè in omnibus hominibus ea iudicetur generationi idonea aetas. Quod autem ante decimum quartum annum pueri genauerint, ante duodecimum puellae pepererint, multis exemplis probat idem Tiraquellus, eo potissimum, quod Beati Gregorij dialogis relatum, omnium ore circumfertur; nempe de puero illo, qui nouem natus annos, suam nutricem grauidam effecit. Quod quamuis in praedictis dialogis non reperiatur, refertur tamen in iuris canonici glossa, atque etiam à quamplurimis & grauissimis scriptoribus, quos idem Tiraquellus citat.

Diod. Si. lib. 3. c. Plut. lib oracula fec. Censori. de die na. Rom. Tiraquel connub. 36. & 37

ANTE D cimum qu tum ann pueri gen rarunt. *Tiraquel. S. Gregor.*

Gloss. in su 20. q. 1.

Quòd si quis adhuc nobis obijciat, aetatem nostram plus nimio libidini deditam, animos praecocibus igniculis excitatos ad eiusmodi monstra, atque naturae pottenta compulisse, quae vix antiquae illi Ieremiae, & Baruchi aetati aptari posse videantut, is legat Sancti Hieronymi epistolam ad Vitalem, qua multis argumentis confirmare conatur, Salomonem, & Achaz, cùm nondum vndecimum aetatis annum praetergressi fuissent, filios procreasse; id quod exemplo illi persimili, quod in dialogis Sancti Gregorij desideratur, confirmare nititur; illudque se accepisse, quasi suo tempore accidisset, iuramento etiam confirmat sanctissimus vir. Et quamuis haec ita sint, eaque confirmet Dionysius Carthusianus; tamen computandis septuaginta annis non plenè satisfecisse ipse videtur, quinque medias generationes, singulas quattuordecim annorum computans, & extremas tantùm attingens. Nam si intelligatur, verbi gratia, quis quattuordecim annos natus, siue etiam plures, cùm primùm Babylonem appulit, filium generasse, cuius filius decimum quartum annum agens, filium quoque procreasset, illius nepotem: secunda ergo generatio quattuordecim exigit annos, tertia totidem, totidemque quarta, neque minus quincta; quibus accedat necesse est sexta: in quibus quidem sex generationibus quinque ad minimum numerantur quattuordecim annorum generationes, quae septuaginta annos complent: quibus, si deessent quattuordecim anni, nulla ratione attingi posset septima generatio. Si autem septem generationes numeremus, quarum singulae quattuordecim annorum sint, ad octoginta quartuor annos ascendat numerus necesse est. Quid etgo si quindecim annos singulis tribuas generationibus? iuxta quem numerum, vtpote ab Augustino praescriptum computare volunt nonnulli. Quam quidem numerandi immensam difficultatem inde dimanasse putamus, quòd generatio pro ipsamet generatione, aut liberorum propagatione accipitur: qua ratione cùm sit quasi quidam naturalis motus, vt physicè loquar, septem generationes inter pauciores, quàm octo terminos reperiri non possunt. Quod quidem maximè confirmat,

S. Hieron. epist. ad V tal. 132. tom. 3.

SALOMO & Achaz an te vndeci mum aetati annum filio genuerunt.

Dion. Carth.

NON PLA nè satisfeci Baruchо Dionysius.

Secunda 14
Tertia 14
Quarta 14
Quincta 14
Sexta 14
70

Aug. super psal. 104.

firmat, quam suprà retulimus, sententia; nempe generationem non pro ipso actu generandi, sed pro genitis, liberis inquam generatione procreatis accipiendam esse. Qua etiam phrasi vsum fuisse Christum Dominum in Euangelio accepimus, dum ait: *Generatio mala & adultera signum quaerit*. Et iterum: *O generatio incredula & peruersa*. Et aliàs saepe.

Qua ratione facillimum erit eomputationem nostram comprobare. Generatio enim prima ab Hierosolyma Babylonem translata est: ea cùm primùm Babylonem appulit, filios, hoc est, secundam generationem procreauit: hi verò post quatuordecim annos tertiam: tertia vigesimo octauo desolationis anno quartam genuit: quarta porrò quadragesimo secundo quinctam: haec sextam anno quinquagesimo sexto: quae tandem septimam generationem edidit anno desolationis septuagesimo; quando captiuitas soluta est iuxta Baruchi, & Ieremiae prophetiam.

DE FINE SEPTVAGENARIAE DESOLATIONIS.

Cap. II.

QVANDO praedicti desolationis anni finem acceperint, tam apertè multis sacrae Scripturae testimonijs comprobatur, vt si Babylonicorum Regum series aetasque constaret, haud scio an vllus vmquam paulò eruditior in quaestionem adduceret. Quapropter, quod firmum ac stabile videtur, statuendum primùm; tum quae dubia sunt, iuxta illorum rationem interpretanda. Ac primùm quidem exstat luculentissimum Isaiae testimonium in haec verba: *Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Ierusalem, aedificaberis, & templo, fundaberis. Haec dicit Dominus christo meo Cyro*, &c. *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, ipse aedificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet*. Et quamuis huius loci interpretatio in varias sanctissimos viros traxerit sententias: Augustinus enim, Cyprianus, Chrysostomus, Hilarius, Tertullianus, & Lactantius à Leone de Castro citati, de Christo tantummodo intelligendam hanc totam prophetiam putant: at contrà Hieronymus, Theodoretus, & Eusebius de Cyro interpretantur. Quos ita dissidentes conciliare voluisse videtur Cyrillus ibidem, dum tradit, de Cyro Isaiam hoc loco, tamquam de Christi typo agere. quam sententiam sequutum quoque fuisse Hieronymum putat.

Verùm, quamuis huius loci sensum exprimere instituti nostri non sit; hoc tamen pro comperto haberi ab omnibus velim, Christum Dominum nulla alia ratione nomine Cyri compellari, nisi quod hic elementer admodum cum populo Dei captiuo se gesserit: etenim pro sua liberalitate eum libertate patriaque donauit. Neque enim ipsum Cyri nomen quidquam generosum aut nobile significat, si quam adstruit Herodotus nominis originem, contemplemur. Refert enim ipse Cyrum Harpagi bubulci miseratione ab impia morte, quam Astyages auus ei inferre volebat, liberatum, & à bubulci vxore in demortui filij locum educatum; ac tandem ab ipso Astyage Magorum consilio ad parentes suos in Persiam missum: atque hic parentibus auidè eum scisitantibus, quomodo superstes esset, respondisse, se quidem hactenus credidisse bubulci Astyagis esse filium: verùm in itinere totam rei seriem ab his, qui ipsum deduxerant, accepisse. Commemorabat autem, inquit, se ab vxore bubulci fuisse educatum, semper eam laudibus prosequens, ita vt in omni eius sermone esset Cyno. Quod omen accipientes eius parentes, vt diuinitus videretur Persis fuisse filius seruatus, diuulgauerunt, à cane Cyrum, cùm esset expositus, fuisse educatum: vnde haec fabula emanauit. Haec ille.

Ex quibus liquidò constat, Cyrum quasi κύνεον cyneon caninum esse vocatum. quod nomen horrent piae aures Christo tribuere. Quare cùm res à Cyro benigniter gestae, quas sacrae referunt litterae, cum hac prophetia consentiant, quid est quod non ipsius potius Cyri humanissimis factis, quàm nomine prorsus inhumano Christum Deum hominem adumbrari dicamus? Et quidem hoc ipsum, quod probare contendimus ex allato Ieremiae testimonio constat, quo Babylonicum imperium tamdiu duraturum praedicitur, quamdiu Hierosolymae desolatio. Cumque à Dario & Cyro Babylonicum imperium, iuxta Danielis prophetiam ad Medos & Persas translatum sit, manifestum quoque fuit, horum Regum aetate Babylonicam captiuitatem absolutam fuisse. Quod & aliud Prophetae eiusdem testimonium maximè confirmat, dum expletis Babylone septuaginta annis liberandos seruitute, & in patriam reuersuros Hebraeos pollicetur. At haec illis euenisse sub Cyro testatur Esdras. *In anno*, inquit, *primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiae*, non quidem aliud, quàm quod paulò antè retulimus: *suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum*, &c. Quibus verbis respexisse quoque videtur Esdras ad suprà relatam Isaiae prophetiam. Sed omnis dubitandi ratio vnico libri Paralipomenon testimonio sublata videtur, quo etiam omnia, quae retulimus, argumenta mirificè confirmantur: dum enim vrbem desolatam sub Sedecia commemorat, & ciuium internecionem, subdit: *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem, seruiuit Regi, & filijs eius, donec imperaret Rex Persarum*.

Ecce qua ratione cum Hebraeorum seruitute Regnum quoque Babylonicum interijt. *cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiae, suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum*, &c. Quibus verbis manifestissimè patet, initium desolationis, quod enumerat sacer historicus, sub Sedecia accidisse, quae per septuaginta annos protracta, primo tandem Cyri anno finem accepit; quando & Babylonicum imperium ad Persas & Medos translatum est. Quae quidem omnia ad finem desolationis pertinentia summatim videtur perstrinxisse Daniel, dum sic scribit. *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super Regnum Chaldaeorum*. Huius Darij principatus meminit idem Prophetа: *Eadem nocte*, inquit, *interfectus est Baltassar*

PROBATur secundò sub Cyro solutam captiuitatem, quia tamdiu ea duratura praedicebatur, quamdiu Chaldaeorum imperium.

Ierem. 29.

Esdr. 1. ℣. 1.

2. Par. vlt. ℣. 20. & seq.

PROBATur idem ex historia libri Paralipomenon.

Dan. 9. ℣. 1. & 2.

Rex Chaldaeus, & Darius Medus succeſſit in Regnum, annos natus ſexaginta duos. Huius igitur *anno vno Regni eius ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni.*

Quid hoc teſtimonio firmius quaeri? quid fingi aut excogitari potuit vel dici manifeſtius, vel exoptari validius? huc profectò verbis illis arbitror alluſiſſe Ioſephum: Primo autem anno Regni Cyri, qui fuit tranſmigrationis noſtrae Babylonicae ſeptuageſimus, miſeratus eſt Deus captiuitatem, & calamitatem aerumnoſi illius populi: & ſicut illis per Ieremiam Prophetam ante dirutam vrbem praedixerat, quòd poſtquam ſeruierint Nabuchodonoſori, eiuſque poſteris per annos ſeptuaginta, rurſus eos reſtituturus eſſet in patriam; & aedificato templo redituri eſſent ad felicitatem priſtinam, ita eis omnia praeſtitit. Atque iterum Beroſi ſententiam his verbis refert. Deinde Nochi poſteros recenſens, & tempora eius addens, ad Nabolaſarum venit Babylonis, Chaldaeorumque Regem: eiuſque geſta narrans, dicit, quemadmodum miſſo in Aegyptum, & in fines noſtros Nabuchodonoſoro filio ſuo cum magnis copijs, quoniam eos rebellaſſe audiſſet, omnia ſubegerit, & templum combuſſerit Hieroſolymitanum; denique vniuerſum noſtrum populum à ſuis ſedibus Babylonem tranſtulerit, & vrbs annos ſeptuaginta deſerta fuerit vſque ad Cyrum Perſarum Regem. Haec ille. Quibus accedit Iulij Africani, Lactantij Firmiani, Seueri Sulpitij, Cyrilli, ac Bedae teſtimonium.

Ioſeph. 11. antiq. c. 1.

Beroſ. apud Ioſeph. lib. 1. cont. Ap. Iul. Afr. lib. 5. annal. Lactan. lib. 4. c. 5. Seuer. Sulp. l. 2. ſacr. hiſt. Cyril. lib. 8. cont. Iulian. Bed. lib. de 6. aetatibus.

Haec verò tam vera certaque ſunt, vt nullus ea in dubium vocare vlla ratione praeſumeret, ſi manifeſta fuiſſet Babyloniorum Regum ſeries & aetas. Quocirca illud in primis dubiam, & obſcuram hanc tractationem reddit, quòd à quamplurimis probatiſſimis ſcriptoribus plures Nabuchodonoſori tribuuntur ſucceſſores, quàm qui ab Ieremia recenſentur. Is enim ſic de Nabuchodonoſore ſcribit: *Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus*, &c. Quem locum ſic interpretatur Beatus Hieronymus; Filium autem, inquit, eius & filium filij iuxta Hebraicum, Balthaſar vocat, & Euilmerodach; de quibus ſcribit Daniel. Haec Hieronymus. Quae eadem ad verbum tranſtulit Rabbanus Maurus. Finem autem, & cauſam huius prophetiae diſertis verbis pertractat Theodoretus. Manifeſtè docet, inquit, ſe, poſtquam vſus fuerit Babylonijs, tamquam carnificibus, & eorum opera de reliquis gentibus poenas ſumpſerit, tandem etiam illos internecioni traditurum. Haec Theodoretus.

Ieremi. 27. ℣. 7. QVOT ſucceſſores Chaldaici imperij nactus fuerit Nabuchodonoſor.

S. Hiero. in comment. Rabban. ſuper Ierem. Theod. ſuper Ierem.

Quibus in vnum collatis teſtimonijs, hoc videtur oſtendi, regnaturos Babylone poſt Nabuchodonoſorem duos tantùm, eiuſdem nempe filium, ac nepotem, donec ad Perſas & Medos transferatur Regnum. Cumque apud Danielem Babylonicum imperium translatum ad Medos & Perſas, exſtincto Balthaſare, legamus, praedictum Balthaſarem nepotem Nabuchodonoſoris agnoſcere quodammodo cogimur. Neque obſtant verba illa Reginae ad ipſum Balthaſarem. *Eſt vir in Regno tuo, qui ſpiritum deorum ſanctorum habet in ſe, & in diebus Patris tui ſcientia, & ſapientia inuentae ſunt in eo. Nam & Rex Nabuchodonoſor Pater tuus principem magorum*, &c. Quem locum ſic interpretatur Hieronymus. Sciendum eſt, non hunc eſſe filium Nabuchodonoſor, vt vulgò legentes arbitrantur; ſed iuxta Beroſum, qui Chaldaeam ſcripſit hiſtoriam, & Ioſephum, qui Beroſum ſequitur, poſt Nabuchodonoſor, qui regnauit annis quadraginta tribus, ſucceſſiſſe in Regnum eius filium, qui vocabatur Euilmerodach;

Dan. 5. ℣. 11. QVOMODO Balthaſaris pater dicatur Nabuchodonoſor, cùm ille huius fuerit nepos, & quartus Regni ſucceſſor.

A de quo ſcribit Ieremias, quòd in primo anno Regni ſui leuauerit caput Ioachin Regis Iudae, & eduxerit eum de domo carceris. Refert idem Ioſephus, quòd poſt mortem Euilmerodach in Regnum Patris ſucceſſerit filius eius Negliſar; poſt quem rurſum filius eius Laboſardach, quo mortuo, Balthaſar filius eius Regnum tenuerit, quem nunc ſcriptura commemorat; quo interfecto à Dario Rege Medorum (qui Cyri Regis Perſarum auunculus fuit) & Cyro Perſa (quae duo Regna Iſaias aſcenſorem bigae cameli & aſini vocat) deſtructum eſſe imperium Chaldaeorum. Quod quidem & Xenophon in Cyri maioris ſcribit infantia, & Pompeius Trogus, & multi alij, qui barbaras

Ieremi. 51. ℣. 31.

Iſai. 21. ℣. 7.

Xenoph. ſec. 70.

B ſcripſere hiſtorias. Et paulò poſt ſubdit idem Hieronymus. Quod autem Balthaſaris Patrem Nabuchodonoſor vocat, non facit errorem, ſcientibus ſacrae Scripturae conſuetudinem, qua patres, omnes proaui & maiores vocantur. Et iterum: Patrem, inquit, vocat Nabuchodonoſor (vt ſuprà diximus) proauum eius, ſecundum conſuetudinem ſcripturarum. Haec Hieronymus. Quibus & Beda aſſentitur. Quocirca illud animaduertendum eſt, non inconueniens viſum Hieronymo, plures admittere heredes Nabuchodonoſoris ſibi inuicem ordine ſuccedentes: ſicut enim maiores omnes patres vocari conſueuerunt; ſic etiam & aetate poſteriores, filij dicuntur: qua ratione & textui Ieremiae, quem interpretamur, concordat & alter Paralipomenon. *Seruiuit* enim, inquit, *Regi* Babylonis, *& filijs eius*, ſiue eius ſucceſſoribus, aut filijs filiorum, *donec imperaret Rex Perſarum*. Et

Bed. lib. de ſex aetat. OMNES maiores patres, poſteriores filij vocantur.

C iuxta hanc interpretationem ſecutus videtur Hieronymus ſententiam Ioſephi, Alexandri Polyhiſtoris, Alphaei, & Megaſthenis ab eodem relatorum. Atque Euſebius poſt Nabuchodonoſorem alios quoque quattuor Babylone regnaſſe tradit. Primùm quidem Euilmarodachum, cuius etiam mentio fit in ſacris litteris, diciturque Nabuchodonoſoris filius; hunc eius ſororis vir Negliſar occidit, Regnumque ſecundus occupauit. Poſt quem filius eius Laboſardach imperij gu-

2. Par. 36. ℣. 20. Alex. Polyh. Alphaeus Megaſth. relat. Ioſeph. lib. 1. cont. Ap. & Euſeb. lib. 9. de praepar. cap. 4.

D bernacula tenuit; quo tamen propter ſcelera à Chaldaeis occiſo, ſuffragio Principum aſſumptus eſt ad Regnum vnus ex interfectoribus, Babylone natus, ſed genere Perſa, Nabonidus dictus; quo poſtmodum à Cyro deuicto, finem habuit Regnum Chaldaeorum, Medis, Perſiſque ſubiectum; & hunc à Daniele dictum quoque fuiſſe Balthaſarem, ipſamet Babylonicae euerſionis, ac translati Regni hiſtoria vtrobique concordans, manifeſtè teſtatur.

Ieremi. 52. ℣. 31. QVATTUOR ſucceſſores Regni fortitus eſt Nabuchodonoſor.

Verùm, cùm haec ita ſint, quoniam ab eodem Hieronymo ſuprà relato, & ab alijs quamplurimis ſcriptoribus locus Ieremiae ita accipitur, quaſi de Euilmaradacho filio Nabuchodonoſoris, E & Balthaſaro filij filio intelligendus ſit; ideo praedictorum veſtigijs inſiſtentes, dicimus, hos tantùm duos de genere Nabuchodonoſoris Regnum Chaldaeorum poſt ipſum tenuiſſe; non quidem ſibi inuicem continenter ſuccedentes, ſed Negliſaro, & Laboſardacho, Tyrannis intercedentibus. quod à profanis ſcriptoribus traditur, aſſerentibus Negliſarum maritum fuiſſe ſororis Euilmarodachi, eiuſque filium Laboſardachum; cui quidem à Chaldaeis, eius ſceleribus, & impietate, ac tyrannide infenſis, vita & imperium ſublatum eſt, & communi omnium ſuffragio Balthaſaro, ſeu Nabonido legitimi Regis Euilmarodachi filio, & Nabuchodonoſoris nepoti delatum fuiſſe commemorant.

Hieron. vbi ſup.

EVILMERODACHUS filius fuit, Balthaſarus nepos Nabuchodonoſoris.

morant. Neque verò huic noſtrae ſententiae vlla ratione aduerſatur, quod apud Baruch ſcribunt Babylone detenti Hebraei ad ſacerdotes, & omnem populum Hieroſolymitanum: *Orate* enim inquiunt, *pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius*. Non enim, difficili negotio iudicabitur, hunc ab alio longè diuerſum fuiſſe, licet eiuſdem ſit nominis; aut enim idem qui Euilmarodach, Balthaſar quoque dicebatur, vt de alijs quoque Regibus factum fuiſſe legimus, & de illo altero Balthaſare, quem Nabonidum vocat Ioſephus; aut ſaltem Balthaſarem illum dicemus Nabuchodonoſoris filium vita fuiſſe functum, ac propterea Euilmerodachum natu ſecundum primo loco poſt patrem regnaſſe.

Verùm, qua ratione horum quattuor ſucceſſorum anni ſeptuagenariam Hebraeorum ſeruitutem ac Hieroſolymae deſolationem compleant, haud facilè ſtatui poteſt; tum propter varias ſcriptorum ſententias; tum vel maximè propter mendoſos, ſibique inuicem aduerſantes Ioſephi codices. Is enim primùm ſic ſcribit. Ceterum poſt Nabuchodonoſori obitum Abilamarodachus, in antiquiſſimo Graeco exemplari Vaticano ἀβιλαμαΘράχου abilamatarachon legitur, eius filius Regnum ſuſcepit, qui mox Hieroſolymorum Regem Iechoniam è vinculis dimiſit, &c. ſubditque Abilmarodacho poſt decimum octauum Regni ſui annum defuncto, Nigliſar filius ſucceſſit. Cumque regnaſſet annos quadraginta, quattuor legendum duxi, vitam cum morte mutauit. Continuata deinde ſucceſſione, ad Laboſoardachum filium Regnum peruenit, apud quem cùm nouem tantùm menſibus haeſiſſet, poſt mortem eius tranſijt ad Balthaſarem, qui Babylonijs Naboandel nominatur. Huic bellum intulerunt Cyrus Perſarum Rex, & Darius Medorum. Et poſt enumeratam Balthaſaris viſionem, eiuſque interpretationem à Daniele factam, ſubdit. Sub Balthaſare enim capta eſt Babylon, anno Regni eius decimo ſeptimo. Alibi autem idem Ioſephus ex Beroſi, vt ipſe inquit, verbis ſic ſcribit. Igitur Nabuchodonoſorus, poſtquam, quem diximus murum inchoauit, morbo vitam finiuit, cùm regnaſſet annos quadraginta tres. Ei ſucceſſit ipſius filius Euilmarodachus. Is cùm ſceleratè, & laſciuè imperio praeeſſet, inſidijs oppreſſus eſt à ſuae ſororis marito Nerigliſſorooro, poſtquam regnauit annos duos, de viginti addendum cenſeo, vt cùm alio Ioſephi loco concordet. Ei ſucceſſit idem, qui eum oppreſſerat Nerigliſſorooros, regnauitque annos quattuor. Huius filius Laboroſoarchodus Regnum puer obtinuit menſes nouem, & quia prauae indolis ſpecimina multa edebat, ab amicis oppreſſus inſidijs, per cruciatum interfectus eſt. Hoc ſublato, qui eum oppreſſerunt, conueniunt, & communi ſententia Regnum tradunt Nadonnedo cuidam Babylonio eiuſdem factionis homini, &c. Hoc, inquit, Regni annum agente decimum ſeptimum, Cyrus ex Perſide profectus cum magnis copijs, vaſtata reliqua omni Aſia, Babyloniam adoritur. Haec ille. Ex quo quidem tam caeco labyrintho nulla ratione me expedire poſſem, niſi certum aliquod hiſtoriae filum tenerem, quod poſtmodum ſi interruptum ſenſerim, nodis vtcumque reſarciam; indeque quamprimùm me expediam.

Quodque primum ad Nabuchodonoſoris annos attinet, manifeſtum eſt in ſacris litteris. In libro enim Regum ſic primùm legitur. *Egreſſuſque eſt Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis Nabuchodonoſor, ipſe, & mater eius, & ſerui eius, & Principes eius, & Eunuchi eius, & ſuſcepit eum Rex Babylonis anno octauo Regni ſui*. Quibus verbis initium tranſmigrationis Regis Ioachin in annum incidiſſe Nabuchodonoſoris octauum manifeſtè traditur. Deinde verò ibidem ſic legitur: *Factum eſt verò in anno trigeſimo ſeptimo A tranſmigrationis Ioachin Regis Iuda, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis, ſubleuauit Euilmerodach Rex Babylonis, anno, quo regnare coeperat, caput Ioachin Regis Iuda de carcere*. Cumque ab eadem tranſmigratione computentur hic anni triginta ſeptem, menſes vndecim, dies viginti ſeptem, quibus ad complendum trigeſimum octauum annum vix deſunt tres dies: eundemque annum teſtatum accipiamus initium dediſſe Regno Euilmerodachi, qui tamquam ſucceſſor, & filius Nabuchodonoſoris ab omnibus recipitur; ab omni profectò dubitatione alienum eſt Nabuchodonoſorem annos in vniuerſum regnaſſe quadraginta ſex, non quadraginta tres, vt falsò tradit Beroſus. Hic enim annorum numerus componitur B ex additione octaui ad trigeſimum octauum.

Iam verò cùm compertum omnino ſit, ac plurimis ſacrae Scripturae locis teſtatum, inter tranſmigrationem Iechoniae, & captiuitatem Sedeciae vndecim annos interceſſiſſe, quos regnaſſe dicitur Sedecias, fit, vt à capto Sedecia ad initium vſque Regni Euilmerodachi anni computentur viginti ſeptem, quos Regni fuiſſe Nabuchodonoſoris nemo non videt. Euilmerodachum autem annos regnaſſe putamus decem & octo, vt expreſsè tradit Ioſephus. Ad cuius rationem, corrigendum putamus locum Beroſi, quem ipſe citat; quem ſi tantopere à ſua ſententia diſſentire putaſſet, aut reprehendiſſet, aut imitatus fuiſſet. Quare cùm potius C ad ſuam ſententiam confirmandam eius citet verba, ea vt ſibi conuenientia credendum eſt citaſſe.

Quapropter vbi legitur, duos annos regnaſſe Euilmerodachum, duo de viginti legendum duxi. contra quàm accidit in Nigliſari referenda aetate: mendoſus enim Ioſephi codex quadraginta legit: ego verò contrà annos quattuor iuxta Beroſi ſententiam legendum cenſui. Quam in ſententiam eo potiſſimùm nomine adducor, quoniam Tyrannus hic Nigliſorus fuit, qui legitimum, ſibique cognatum Regem occiderat. Vt propterea Dominus apud Ieremiam, Regnum Nabuchodonoſoro, eiuſque poſteris promittens, nullam prorſus huius imperij, vtpote illegitimi ac breuiſſimi, D rationem habuiſſe videatur.

Eſt & alia non leuis coniectura, quae hunc breui Regno priuatum conuincit. Narrat enim Beroſus, Laboſardachum adhuc puerum Regnum obtinuiſſe, quod cum quadragenario Patris regio dominatu minimè conuenit. Adde etiam hunc Laboſardachum poſt ſex menſes ab ipſis Chaldaeis, ijs praeſertim, quibus ipſe familiariſſimè vtebatur, cruciatibus, morteque admodum intempeſta fuiſſe affectum: quod non ita pridem firmum ac ſtabile paternum Regnum fuiſſe oſtendit. Maneat ergo Nigliſarum quattuor tantùm annos regnaſſe: de Laboſardacho menſes regnaſſe nouem conuenit inter omnes. De Nabonido verò, aut Balthaſaro nulla eſt dubitatio, quin decem & ſeptem imperarit annos; quibus ſi vnum addas Darij Medi, eoſque demum ſimul omnes contulerimus, annos ſexaginta octo, menſeſque nouem computabimus. quibus ſi tres reliquos addas, quos veriſimile eſt in eo cogendo habendoque conuentu, quo Balthaſarus à Chaldaeis creatus eſt Rex, fuiſſe conſumptos, annum efficies nonum & ſexageſimum. Septuageſimo enim ineunte Cyri imperium coepit, & Iſraëlitarum ſeruitus ſoluta, liberumque fuit Iudaeae incolis patriam repetere, ibique vrbem, & templum exaedificare. Atque de initio, & fine captiuitatis hactenus.

4. *Reg.* 24. v. 18. Nabuchodonoſor regnauit annos 17. Euilmerodachus annos 18. Nigliſar annos 4. Laboſardachus menſes 9. Balthaſar ſeu Nabonidus annos 17. Darius Medus annum 1.

OMNES anni Nabuchodonoſoris imperij à captiuitate 68. & menſes 9.

EX

EX LIBRO NEHEMIAE QVI ET ESDRAE SECVNDVS DICITVR.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Nehemias impetratis ab Artaxerxe litteris, Hierosolymam venit, & attentiùs considerato muro, magistratus, ac populum hortatur, vt despectis hostibus, vrbis murum sollerter instaurent.

I. *FACTVM est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis Regis: & vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi Regi: & eram quasi languidus ante faciem eius.*

II. *Dixitque mihi Rex: Quare vultus tuus tristis est, cùm te aegrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde ac nimis:*

III. *Et dixi Regi: Rex in aeternum viue: quare non moereat vultus meus, quia ciuitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, & portae eius combustae sunt igni?*

IIII. *Et ait mihi Rex: Pro qua re postulas? Et oraui Deum caeli,*

V. *Et dixi ad Regem: Si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudaeam ad ciuitatem sepulcri patris mei, & aedificabo eam.*

VI. *Dixitque mihi Rex, & Regina, quae sedebat iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum Regis, & misit me: & constitui ei tempus.*

VII. *Et dixi Regi: Si Regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudaeam:*

VIII. *Et epistolam ad Asaph custodem saltus Regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum, quam ingressus sucro. Et dedit mihi Rex iuxta manum Dei mei bonam mecum.*

A *Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedique eis epistolas Regis. Miserat autem Rex mecum principes militum, & equites.* IX.

Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites: & contristati sunt afflictione magna, quòd venisset homo, qui quaereret prosperitatem filiorum Israël. X.

Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus, XI.

Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, XII.
& non indicaui cuiquam, quid Deus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem, &
B *iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.*

Et egressus sum per portam vallis nocte, & XIII.
ante fontem draconis, & ad portam stercoris,
& considerabam murum Ierusalem dissipatum,
& portas eius consumptas igni.

Et transiui ad portam fontis, & ad aquaeductum Regis, & non erat locus iumento, cui XIIII.
sedebam, vt transiret.

Et ascendi per torrentem nocte, & XV.
C *rabam murum, & reuersus veni ad portam vallis, & redij.*

Magistratus autem nesciebant quò abijssem, XVI.
aut quid ego facerem: sed & Iudaeis & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus,
& reliquis qui faciebant opus, vsque ad id loci nihil indicaueram.

Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua XVII.
sumus: quia Ierusalem deserta est, & portae
eius consumptae sunt igni: venite, & aedificemus muros Ierusalem, & non simus vltra
opprobrium.

Et in-

XVIII. *Et indicaui eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba Regis, quae locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & aedificemus. Et confortatae sunt manus eorum in bono.*

XIX. *Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs,* A *& subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quae est haec res, quam facitis? numquid contra Regem vos rebellatis?*

XX. *Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus caeli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus: surgamus & aedificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.*

EXPLANATIO EIVSDEM SECVNDI CAPITIS NEHEMIAE.

DE ARTAXERXE PERSARVM REGE, & Nehemia, qui illius permissu vrbem instaurauit.

Caput III.

I. *ACTVM est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis Regis.* Seriem quandam temporum ab excidio vrbis vsque ad eius instaurationem contexere quodammodo cogimur. Quoniam autem temporum ratio non alio modo melius habetur, quàm habita ratione Regnorum, & Regum; ideo de principibus, atque Regibus vt accepimus, quàm breuissimè verba faciamus. Et quidem primùm, quod ad Chaldaeorum Regnum, à quo vastata vrbs fuit, pertinet, ipsum Regnum vnà cum Hebraeorum seruitute finem habuisse non tam ex B profanis, quàm ex sacris historijs ostensum est suprà. Cumque ad Medos & Persas transferendum primò, pòst vero etiam translatum dixerit Daniel, huius quidem Persici imperij initium cum Chaldaici fine omnino congruere manifestum est. Neque verò aliquod tempus inter vtrumque intercessit. Eadem enim nocte Balthasar Chaldaeorum vltimus Rex occisus, ac Regno spoliatus fuit, qua regnare coepit cum Dario Medo iam longaeuo Cyrus, eiusdem Darij nepos. Incidit autem primus imperij Cyri annus in primum olympiadis quinquagesimae quinctae, quod Eusebij, constantissimo testimonio probatur, & ab eodem auctoritate Diodori Siculi, Thalicastoris, Polybij, Phlegontis. Idemque probari posse videtur Clementis Alexandrini, Cyrilli, & aliorum testimonio; & vt vno verbo dicam, ferè omnium chronologorum consensu receptum iam id est. Eam autem chronologiae rationem, quae tempora, rerumque euentus ad olympiadum rationem exigit, vtpote certissimam, omnibus etiam longè dissitis regionibus, & gentibus magis notam, omnibus alijs praeferendam probat Pereirus. Quare ad huius chronologiae normam annum Darij vigesimum oportet exigere. *Pereir. lib. 11. in Dan. q. 1.*

Ac primùm Iulius Africanus à Sancto Hieronymo relatus, hanc temporum rationem adstruit. Ad Cyri Regis, inquit, imperium, qui volentibus reuerti Hierosolymam dederat potestatem, Iesus Pontifex, & Zorobabel, & postea Esdras sacerdos, & ceteri, qui cum eo proficisci C voluerant, templum, & vrbem, & muros eius aedificare conati sunt, prohibentibus in circuitu nationibus, ne impleretur opus, quasi hoc Rex non iussisset. Mansit itaque imperfectum opus vsque ad Nehemiam, & vicesimum annum Regis Artaxerxis; quo tempore Regni Persarum centum & quindecim anni fuerant euoluti, captiuitatis autem Hierusalem centesimus octogesimus & quinctus annus erat. Et tunc primum Artaxerxes iussit muros exstrui Hierusalem; cui operi praefuit Nehemias. Et post multa subdit, annum vigesimum Artaxerxis in annum quartum octogesimae & tertiae olympiadis incidisse. *Iul. Afric. apud S. Hieron. Dan. 9.*

D Quoniam autem praedicta temporum ratio ex successoribus Cyri colligenda videtur, propterea & de illorum numero, & Regni singulorum duratione nonnulla ex multis praelibanda sunt: illud priùs admonitum volentes lectorem, quòd cùm in hunc annum vigesimum Artaxerxis reijcienda videatur

CHALdaeorum Regnum, vnà cum Hebraeorum seruitute finem accepit.

PERSICVM imperium incidit in primum annum olympiadis quinquagesimae quinctae. *Euseb. in Chron. & lib. 10. praepar. cap. vlt. Clem. Alex. lib. 1. strom. Cyrill. lib. 1. cont. Iul.*

videatur hebdomadarum Danielis computatio, vt communis doctorum sententia est, propter Angeli ad eundem Danielem verba illa; *Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum aedificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae &c.* eumque hoc anno vigesimo Artaxerxis egressus sit sermo, vt aedificaretur iterum Hierusalem, sicut infrà manifestum erit; propterea scriptores de hoc Artaxerxe, quisnam fuerit, quotusque Persarum Rex, & de anno eius vigesimo, sollerti diligentia inquirunt. Et primum, statuendum planè videtur Regem hunc, Artaxerxem fuisse longimanum, cuius eiusmodi cognomen è Graeco translatum μακρόχειρ macrochiri fuit, quòd alteram manum longiorem haberet, vt auctor est Plutarchus; vel quòd vtraque brachia longiora habuisset quàm commensus corporis humani postulat, vt ait Strabo. Fuit autem hic septimus Persici imperij Rex. Quod vtrumque testari constanter videntur Iulius Africanus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Beda, Rupertus, cum alijs doctissimis nostrae aetatis viris.

Dan. 9. ℣. 25.

AB ANNO primo Cyri Hebdomades Danielis computantur.

ARTAXERXES, longimanus quare dictus. *Plutar. Strabo. Iul. Afric. Euseb. Hieron. August. Chrysost. Theodor. Beda. Rupert.*

Quocirca reijcienda omnino videtur Iosephi sententia, Nehemiam asserens pincernam Xerxis Regis, in Susis castro fuisse. Nam licet, quod ad Nehemiae nomen, munus, & habitationem spectat, cum sacra historia, hoc est, cum ipsa veritate conueniat; at in assignando Rege, eiusque nomine non conuenit. Compertum enim est ex Diodoro & alijs, Xerxem solum annos viginti duos regnasse, atque vnà cum patre duos: at idem Nehemias trigesimum secundum Artaxerxis annum commemorat his verbis. *A die autem illa, qua praeceperat Rex mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis, per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quae ducibus debebantur, non comedimus.* Quare impossibile videtur Xerxi conuenire ea, quae de Artaxerxe dicuntur in sacris.

Ioseph. lib. 11. antiq. cap. 15.

NEHEMIAS non fuit pincerna Xerxis, vt falsò scribit Iosephus. *Diodorus.*

Nehem. 5. ℣. 14.

Neque mirum cuiquam videatur, deceptum fuisse in hac parte Iosephum, quia in alijs quoque huius instaurationis commemorandis partibus grauiter peccasse compertum est. Is enim vigesimo quinto Xerxis anno Nehemiam venisse testatur; cùm plutibus locis sacra Scriptura vigesimo Artaxerxis aduentum illum adscribat. Duos item annos, ac menses tres muri instaurationi adscribit, cùm quinquaginta duobus diebus absolutum fuisse mutum testetur idem Nehemias. Minus etiam Seueri Sulpitij sententia probanda videtur, qui Artaxerxem hunc putat Memnonem fuisse, vndecimum Persarum Regem: quoniam praeterquam, quòd tot grauissimorum scriptorum testimonijs aduersatur, nulla firma ratione niti videtur: immo verò aliqua continet, à Pererio collecta, quae veritati historiae repugnant. De successoribus verò Cyri, & qua ratione septimus ab eo regnaret Artaxerxes, ac de numero annorum, quo à se inuicem distant Cyrus, & Artaxerxes, ferè inter omnes, quos suprà citaui, scriptores conuenit: vnum tantummodo breuissimè referam Bedam; non quidem eiusdem verbis, quoniam plura admiscet, sed quatenus, quod inquirimus, probare videatur. Persarum primus Rex Cyrus regnauit annos triginta, cùm anno primo Regni sui, qui septuagesimus fuit à desolata Hierosolyma, captiuitatem soluit, liberam cuicumque facultatem faciens redeundi Hierosolymam, & aedificandi templum, quod anno secundo Regni sui coeptum est aedificari. Cyro successit Cambyses eius filius, qui octo annis regnauit. Fratres Magi post Cambysen regnasse dicuntur mensibus septem: Darius annis triginta sex. Inter Darium, inquit, & Cambysen regnasse duos fratres Magos in libris chronicorum Eusebij reperimus. Verùm Sanctus Hieronymus, in expositione Danielis scribit, post Cambysen Smerdem magnum regnasse, qui Pantaphten, inquit, filiam Cambysis duxit vxorem; qui cùm à septem Magis fuisset occisus, & in locum eius Darius suscepisset imperium, eadem Pantaphte nupsit Dario, & ex ea Xerxem filium genuit. Hic quidem Darius absoluendi templi facultatem dedit, anno secundo Regni sui, absolutumque fuit anno sexto sui imperij. Xerxes Darij filius annis viginti imperium tenuit, Artabanus mensibus septem, Artaxerxes, qui & longimanus, annis quadraginta. Huius anno septimo prima die mensis primi Esdras sacerdos & scriba legis Dei, ascendit de Babylone. Huius quoque anno vigesimo Nehemias pincerna de castro Susis aduenientes, murum Hierusalem quinquaginta duobus diebus restituit, & ducatum genti duodecim annis tribuit. Hucusque diuina Scriptura temporum seriem continet, & hucusque ex Beda nos transtulimus. Quibus hoc vnum addendum tantummodo videtur, respondere aptissimè singulorum Regum tempora illi annorum numero, quem paulò superiùs Hieronymi verbis ex Africano retulimus; prout ex eorum collectione margini adiuncta integrum cuiuis erit examinare. Et haec de anno vigesimo Artaxerxis dicta sufficiant. Quod ad mensem Nisan spectat, eum fuisse primum anni sacri apud Hebraeos, ijs quae initio primi tomi tradit Pradus, manifestum fit.

Cyrus annos 30. Cambyses an. 8. Magi menses 7. Darius annos 36. Xerxes annos 20. Artabanus menses 7. Artaxerxes an. 20. 115. 4.

Pradus in Ezech. c. 1. ℣. 1.

Et vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi Regi. Hic versus interpretandus videtur ex praecedentis capitis vltimo, qui sic habet. *Ego enim*, inquit, *eram pincerna Regis.* Loquitur autem Nehemias, qui proprio quasi nomine dici potuisset instaurator vrbis; quod & ipso nomine quasi propheticè edito significare videtur: de quo Sanctus Hieronymus, dum sacrae Scripturae libros, eorumque scriptores recenset, sic scribit. Esdras & Nehemias, adiutor videlicet, & consolator à Domino, in vnum volumen coarctantur, instaurant templum, muros exstruunt ciuitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotum, Leuitarum Israëlis, proselytorum, ac per singulas familias murorum, ac turrium opera diuisa, aliud in cortice praeferunt, aliud retinent in medulla. Haec Hieronymus. Quibus, quòd ipsa res est, Hebraici nominis נחמיה nechemiah etymologiam interpretari voluisse videtur Hieronymus. Componitur enim à verbo נחם nacham, & Dei nomine יה iah. Verbum autem & consolationem accipere, & consolari significat: aliquando & pro paenitere sumitur. Nec desunt, qui in vniuersum putent animi vel affectus mutationem hoc verbo significari, quae fit vel paenitudine, vel commiseratione, & condolentia; vel cùm is, qui priùs turbatus erat, consolationem accipit, qua accepta, laeto pacatoque animo existit. Nam apud Ioëlem: *Quis scit*, inquit, *si conuertatur, & ignoscat* Deus. ונחם venicham, & paeniteat Deum mali, quod decreuerat facere. Sic etiam in psalmo: *Conuertere Domine, vsquequo? & deprecabilis esto super seruos tuos.* והנחם

Nehem. 1. ℣. 11.

NEHEMIAS scriptor libri eiusque nominis etymologia. *S. Hieron. epistola ad Paul. 10. 3.*

CONSOLARI, & vindictam sumentes, & iniuriam condonantes pari ratione dicuntur.

Ioel. 2. ℣. 14.

Psal. 89. ℣. 13.

והנחם vehinachem, & consolare, consolationem accipe super seruos tuos (vel paeniteat te seruorum tuorum, qui iam poenas luerunt iniquitatum suarum. Targhum: & conuertere à malo, quod locutus es vt faceres seruis tuis. Rabbi Abraham; & paeniteat te; dictum figurato more filiorum hominum, quos paenitet aliquid feciſſe vel decreuiſſe facere aduerſum alium. Rabbi Himmanuel; & paeniteat te mali, quod loquutus es, vt faceres ſeruis tuis. Septuaginta, & παρακλήθητι paraclithiti, id eſt, *deprecabilis eſto ſuper ſeruis tuis*, vel conſolatione afficiaris, dum pauliſper conceptum animo indignationis ſenſum mitigas, vel poenis placatus, quas ſumpſiſti de ſeruis tuis. Deum humano more interpellat vates, quaſi ad miſericordiam propenſum, etiam cùm maximè indignatione commorus humanis oculis apparet: quare plenam verbi ſignificationem ac vim vulgatus expreſſit, dum conuertit, *deprecabilis eſto*, conſolatione accepta & illatae iniuriae obliuiſceris, ſiue potiùs, de irrogata venia, quod tibi maximè proprium eſt.

Targhum. *R. Abraham in comment.* *R. Himmanuel.*

Scio idem verbum vniuersè quoque accipi pro paenitudine ſiue boni, ſiue mali patrati: ſed quò magis cum alia conſolationis acceptione concordat haec, quam dixi, magis propria videtur. Hoc autem verbo vſus eſt Iſaias: *Laudate caeli, & exulta terra, iubilate montes laudem, quia* נחם יהוה עמו nichem adonai ghemo, *conſolatus eſt Dominus populum ſuum*. Et iterum: *Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius*, vel omnes deſolationes eius, vt Pagninus; ſiue omnes ſiccitates eius, vt Foreirus. Reſpexiſſe videtur hoc loco Dominus ad Sionem, ac Hieroſolymam, quam Chaldaeorum irruptio & clades totam euerſam dimiſerat, & quam ignis, ferrum, & hoſtes combuſtam, ſitibundam, & omni integritate, & pulcritudine deſtitutam reliquerant; eiuſque omnia mala auerſurum ſe Deus pollicetur, ac omni miſeri luctus cauſa ſublata plenam ei daturum conſolationem. Quod feciſſe Dominum per Nehemiam ſcimus, non quidem plenè, ſed in figura, quoadusque verus Nehemias Chriſtus veniret, qui non externas vrbis conſolaretur ruinas, ſed internas, dum nouam Hieroſolymam de caelo demiſſam loco prioris inſtaurauit. Quam quidem admirandam Nehemiae, eiuſque nominis, & operum figuram, & Chriſti veritatem, & conſolationem ſibi inuicem mutuò reſpondentes, ſignificare voluiſſe puro Archangelum Michaël, dum Danieli tempus ipſum aduentus Chriſti Domini reuelat, de quo Theodoretus ſic ſcribit. Anno vigeſimo Artaxerxis, Xerxis filij expletum (numerum videlicet hebdomadarum) comperiemus, numerantes à Chriſto retrorſum, quo rempore, inquit, Nehemias huius Regis pincerna aemulatione ductus, cùm Deo ſupplicaſſet, impetrata ope diuina, petit à Rege ſupplex, vt muros Hieruſalem ſibi aedificandos permittat; natuſque ſibi beneuolum Regem, in patriam reuerſus, omni animi alacritate, quae ſacro Dei templo deerant addenda curat, & vrbis moenia inſtaurat, qua rurribus vndique communita, ei portas imponit; horratuſque ſacerdotes, vacuam ab habitatoribus vrbem incolis complet. Hoc etiam diuus Archangelus innuens dixit, & cognoſces, & intelliges *ab exitu ſermonis, vt* reſpondeatur, & *aedificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duae*. Haec Theodoretus. Beda quoque ſic ſcribit: Nehemias interpretatur

Iſai. 49. ℣. 13.

Iſai. 51. ℣. 3.

Pagnin. in bibl. Regüs. *Foreirus in Iſaiam.*

QVOMODO Nehemias Chriſtum praefiguraverit.

Theod. orat. 9. in Dan. *9. quidam opinan.*

Dan. 9. ℣. 25. *Beda in expoſit. morali Nehemiae.*

A Latinè conſolator Dominus, vel conſolator à Domino; qui cùm renouauerit muros Hieruſalem, & populum Dei ab hoſtium inſultatione liberarum in diuinae legis obſeruantia ſublimauerit; profectò conſtat, quia & vocabulo, & opere, & perſona ſua non inconuenienter mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum IESVM deſigner, qui ſe ad conſolationem pauperum ſpiritu miſſum inſinuar, cùm aſcenſurus in caelum diſcipulis ait: *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum*, hoc eſt, conſolatorem, *dabit vobis*. A quo aedificandam ciuitatem Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, ſimul & conſolandos eſſe moerentes, oſtendit Pſalmiſta cùm dicebat: *aedificans Ieruſalem Dominus.*

Ioan. 14. ℣. 16.

Pſal. 146. ℣. 1.

B Fuit & aliud Nehemiae nomen Atherſatha, התרשתא hathirſatha, quale expreſſit eadem Nehemiae hiſtoria. *Dixit autem*, inquit, *Nehemias (ipſe eſt Atherſatha.)*

Nehem. 8. ℣. 9.

Quocirca mirari non deſino Ariamontanum, ſollertem quidem ſacrae Scripturae interpretem, & Hebraicae linguae apprimè eruditum, Atherſatham quendam commemoraſſe filium Achelai, poſtmodum ſubdens, ſic dicebatur & Nehemias: quaſi verò alius ſit *Nehemias Atherſatha filius Hachelai*, à Nehemia filio Helciae, cuius ſit mentio initio libri Nehemiae, cùm vtrobique patris nomen in Hebraeo ſimilibus characteribus ſcribatur בן חנליה ben chanaliah. *filius Hachelai*. Quoniam autem difficillimum eſt ſonum Hebraeorum characterum, maximè nonnullorum, Larinis exprimere characteribus (vt aliàs notaui) hinc fit, vt eadem vox paululum immutata ſcribatur in Biblijs: cùm tamen vtrobique earum Hebraicarum radicalium quas vocant, litterarum vis exprimatur; varietas autem in ſolis Hebraicis punctis conſiſtat, quae denuo inuenta ſunt à Maſoretis. Quare cùm Patris nomen conſentiat, & diſertis verbis aſſerarur eundem Nehemiam fuiſſe, qui & Atherſarha, dicendum omnino videtur, non alium fuiſſe Atherſatham à Nehemia.

Ariamont. lib. interpr. nominum Hebraic.

Nehem. 10. ℣. 1.

Nehem. 1. ℣. 1.

C

NVLLVS alius fuit Atherſatha praeter Nehemiam.

Vnde autem deducta ea vox ſit, aut quare ſic dictus fuerit Nehemias, non facilè ſtatuo: quamuis Benedictus Arias plures aſſignet eius nominis interpretationes, dum ſic ſcribit: Atherſatha diſſoluens fundamentum, vel contemplans fundamentum vel potum, ſiue rurturis fundamentum: aut ex Hebraco, & Syro, contemplans annum, vel tempus. Haec ille. Ego verò quamuis eius interpretationes improbare non auſim, coniecturam tamen animi mei proferre me iuuat. Nam radicales (quas vocant) litteras Hebraici, & frequentiſſimi verbi ירש iaras, quod hereditare ſignificat, vt aliàs fuſius tractauimus, ſuperadditis litteris ſaepius vſurpatur in ſcripturа, vt in libro Paralipomenon. *Cuſtodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei noſtri*, inquir Dauid תירשו thirſu, *vt poſſideatis terram bonam*. Et iterum apud Ezechielem: *Qui in ſanguine comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras, & ſanguinem funditis, numquid* והארץ תירשו veharets tiraſu *terram hereditate poſſidebitis*? Quare vnica tantùm voce deductum hoc nomen conuerti poſſet, hereditaſti: haud ſecus, quàm ſi eo indicetur, ſolum prae omnibus alijs hereditatem patrum ſuorum poſſediſſe, qui vrbem ſine muris, omnibus patulam, cunctiſque hoſtium incurſibus obnoxiam, ijs ſuperatis, muro exſtruxiſſet, tutamque poſteris ſuis poſſidendam tradidiſſet. Scio haud leue poſſe contra haec inſtrui argumentum, ex ſuperaddita nomini

Ariamont. vbi ſup. ATHERSATHA nomen vnde deſumptum.

Sup. lib. 1. vrb. cap. 3. *1. Par. 28. ℣. 8.*

Ezech. 33. ℣. 25.

א aleph

א aleph littera, quae nomen aut Chaldaicum, aut Syrum fuisse significat: cui argumento respondemus, nomen quidem origine ac significatione esse Hebraicum, sed Chaldaeorum more aut prolatum fuisse, aut scriptum. Nec me latet ab eadem radice deduci vocem תירוש thiros, quae iuxta R. Dauidis sententiam mustum significat, quasi infantulus, aut lactens recens ex vuis natus: alij verò ab expellendo, quam significationem radix admittit, quasi quòd recens sit ex suis pelliculis, tamquam domo extrusum, atque expressum: alij autem propterea sic dictum putant mustum, quòd sit hominis optima possessio. At si mihi quoque, vt reliquis, diuinare licet, propterea ab hac radice deductum putarem תירוש thiros nomen musti, quòd recens ex vuis expressum, earum colorem, saporem, & quasi naturam hereditet, donec efferbuerit, & matureſcat. Sed quidquid de hoc sit, in hac significatione vsurpatur nomen hoc saepius in sacris litteris. In Numerorum libro Dominus ad Aaron: *Omnem*, inquit, *medullam olei* ובל הלב תירוש vecal haleb thiros, & omne cor, aptissimè vulgatus, *medullam olei, & musti vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi*. Et in Deuteronomio: *Diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terrae tuae frumento tuo* ותירשך vethirseca, & musto tuo, *atque vindemiae tuae*. Quocirca non mihi displicet sententia Marini, arbitrantis non leui coniectura nomen Athirsatha dignitatis, vel muneris fuisse, deductumque à תירוש thiros, vinum שתה satha, quod est bibere, quasi diceres, praelibator, quod de potu Regi dando praebiberet: iam enim inde ab antiquis primisque saeculis mos obtinuit, vt vina Regibus propinanda praegustarentur. Hispani dicimus hazer la salua. Quod quidem multis allatis exemplis fusè probat Athenaeus; idemque Suetonius, & Tacitus tradunt. In monte viminali in quadam vinea talis reperta est inscriptio teste Lazio. Votum Siluano soluit libens merito T. F. Diadumenus Luruesianus praegustator Augusti. Quem morem respexisse videtur Iuuenalis his versibus:

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit, illa
Quae peperit, timidus praegustet pocula Pappas.

Hinc fit, vt cuidam viro erudito persuasum fuerit, Nehemiam Athersatha dictum, quod illi Iudaeorum primates liberum vini vsum fecerint, vt sine culpa officio pincernae Regij fungi posset, cùm Iudaei ceteri Danielem imitati, cibo, vinoque Regio seu re immunda abstinerent. Vnde compositum, inquit, volunt à התיר hethir, hoc est, licentiam dedit, seu facultatem concessit, & שתא satha, id est, bibere, Chaldaeorum lingua. Quo etiam pertinere posse videtur, quod R. Aben Ezra perhibet, hoc apud Chaldaeos esse dignitatis nomen, idemque significare, quod idem Nehemias de seipso perhibet. *Et ego eram* משקה mascheh *pincerna Regis*. Quae quidem vox à verbo שקה sachah deducitur, quae potare significat; transferturque ad res alias, vtpote ad terram, quae aquarum effusione per riuos irrigatur. sic in Genesi. *Sed fons ascendebat è terra* והשקה vehischa, & irrigabat, *irrigans vniuersam superficiem terrae*. Et iterum: *השקו* hascheu propinate: *Date antè potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite*. Quoniam autem potandis animalibus aquae per canales emittebantur, similique ratione ad potandum homines vina, & omnia alia potionum genera in pocula ex dolijs, aut alijs vasis effunduntur; hinc ad officium praebendi potus, huius verbi vsus non ineptè translatus est. Sic saepe vsurpatur in Genesi, *pincerna Regis Aegypti, & pistor*, sic & in praesenti. *Et ego eram pincerna Regis*. Septuaginta, καὶ ἐγὼ ἤμην οἰνόχοος τοῦ βασιλέως cae ego imin inochoos to basili. Et ego eram pincerna Regi, vel vina fundens Regi.

Fuisse autem hoc munus cùm antiquum, tum honorificum, non ex sacris tantùm, verùm ex profanis quoque litteris constat. Athenaeus enim sic scribit. Veteres sua conuiuia ad Deum referentes, coronis deorum proprijs vtebantur, & hymnis, atque odis; nec erat vllus seruus, qui ministraret, sed liberorum virorum pueri pocula ministrabant. & Homerus.

Ὠινοχόει δ' υἱὸς Μενελάου κυδαλίμοιο
Filius eximij Menelai vina miniſtrat.

Quare mirum non est, si pincerna Artaxerxis, dux & princeps totius Iudaicae gentis constitueretur, vtpote, qui magni Regis pincerna, hoc est, fidissimus, ac nobilissimus seruus erat. Atque hoc est, quod ipse de se testatur: *A die autem illa, qua praeceperat Rex mihi, vt essem dux in terra Iuda*. Ex quo non obscurè intelligis summum ius ac principatum in terra Iuda, tenuisse Nehemiam. Quibus alia consonat ratio, quam Septuaginta, Atharsathae nomine Nehemiae reddito, videntur innuere: siquidem ipsi vbique & Artaxerxis nomen, & hoc Nehemiae eisdem prorsus characteribus, eademque ratione scribunt Ἀρθασθὰ Arthasatha, siue quia Rex nominis sui potestatem Nehemiae fecerit, siue quia tamquam Regi gratissimus & carissimus, ipsius Regis nomine compellaretur ab aulicis; quod vel ex ipsa nominum Hebraicè scriptorum similitudine deductum fuisse videtur. Regis enim nomen ארתחשסתא Arthachsasta, & Nehemiae התרשתא hathirsata inter se maximè conueniunt, vt intuenti patet.

R. Dauid. MVSTVM quomodo dicatur, & quare.

Num. 18. ℣. 12.

Deut. 7. ℣. 13. ATHIRSAtha quasi praelibator.

M. Mari. in dictionario.

PRAEGVstare vina Regibus, vsus ab antiquo obtinuit. Athen. l. 4. Suet. in Claud. Tac. lib. 13.

Iuuen. lib. 1. sat. 6.

R. Aben Ezra.

Gen. 2. ℣. 6.

Gen. 29. ℣. 7.

Gen. 40. ℣. 1.

Athen. l. MVNV pincernae antiquum, honorifice tissimum.

Hom. od. ὁ.

Nehem. ℣. 14. SVMMVM ius ac prin cipatum tenuit Nehemias in ter ra Iuda.

ARTAXERxis, & Atharsatha idem nomen videtur.

MODVS quo pincernae vina Regibus propinant.

QVA OCCASIONE INSTAVRANDAE VRBIS *prouinciam sibi assumpserit Nehemias; seque eius desiderio teneri Regi manifestauerit.*

Cap. IIII.

ET *vinum erat ante eum*. Septuaginta, καὶ ὁ οἶνος ἐνώπιον ἐμοῦ cae in ho oinos enopion emu. & erat vinum ante me: licet Complutensis codex legat ὡσπὲρ autu cum vulgata, & Hebraica lectione לפניו lepaniu ad facies eius. Quae quidem lectiones variae nullam ex parte sensum variant; immo verò eundem confirmant, atque ea innuunt, quae à pincernis Regijs praestari solent: non enim initio mensae semel apponunt pocula, sed quotiescumque, à Rege intelligunt velle se bibere, aliunde asportant vinum in Regio calice, & calicem alterum, quo ipsi praelibent: quos quidem duos calices praemanibus gestantes, propiùs ad Regem accedunt, ac genu flexo Regem adorant, surgunt, & insundentes

dentes paululum vini in vas illud vacuum (quod Hispani vocant salua, quia opus illud praegustandi vocant, vt dixi, hazer la salua) iterum se Regi inclinant, vasque Regium eleuant, & Regi praebent, aliudque supponunt, ne aliqua vini gutta, si inter bibendum ceciderit, Regia inficiat vestimenta.

Quas quidem omnes pincernae caerimonias, disertis atque concinnis verbis significare voluisse videtur Nehemias, scribens: *Et vinum erat ante eum*; vel ante me; vtrique enim pariter praesens erat: *& leuaui vinum*, postquam me demiseram, Regem adoraturus, *& dedi Regi: & eram quasi languidus ante faciem eius*. Hebraicè ולא הייתי רע לפניו velo haiithi ragh lepanaiu, & non fueram malus ad facies eius: Septuaginta: καὶ οὐκ ἦν ἕτερος ἐνώπιον αὐτοῦ cae uc in heteros enopion autu: & non erat alius coram eo. Huiusmodi autem variae versiones, & aliarum omnium concordia, atque intelligentia ex vocis maximè רע ragh significatione petenda videtur. Quam quidem vocem deduci putant Hebraei à radice רעע raghagh: qui enim aliunde deducunt huius vocis rationem, interpretari potiùs videntur, quàm aliam adstruere. significat autem fractum, confractum, diruptum; eamque nonnulli conuerti aptissimè putant in verbum depascendi, sumpta metaphora à pecoribus depascentibus, & quasi radicitus euellentibus è pratis, quidquid viride, oculisque gratum est: sicque transtulit hoc verbum vulgatus apud Isaiam: *Confractione confringetur terra*. Et Eliu apud Iob: *Conteret* ירע iarogha, inquit, *multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. Quem locum sic conuertit ex Hebraeo quidam: depascet robustos sine inuestigatione, & statuet alios in locum ipsorum. Hinc deducitur nomen רע ragh, quod vnica voce, malum, exprimi vix potest, cùm idem ac malum in vniuersum significet, atque insuper aliqua mala, iuxta Hebraicam phrasim. frequenterque opponitur nomini טוב tob, bonum, vt apud Isaiam: *Vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum*. Omne enim iudicium peruertitis circa id, quod bonum & malum est, tum circa honestum, cùm etiam circa vtile, ac delectabile, prout & in sequentibus eadem magis explicat Propheta.

Verùm cùm oculo tribuitur haec vox, inuidum significat, & parcum, aut auarum. Nam in Prouerbijs, Hebraeam phrasim, ne comedas panem רע עין ragh ghaiin, mali oculi, aptissimè in Latinam conuertit vulgatus: *Ne comedas cum homine inuido*, vel auaro, festinans ad copiam איש רע עין is ragh ghaiin vir mali oculi, subaudi est. quam iterum, vtpote, quae difficulter in Latinum transferretur sermonem, aptissimè conuertit vulgatus: *vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet*. At cùm de homine dicitur, aut alia re, cuius exterior facies hac voce significetur, vim verbi propriè retinet, miserum, afflictum, macilentum, aegrum. Huius vocis notionem exprimere videtur Italica sbattuto. Atque iuxta eiusmodi acceptionem vocem hanc vsurpat saepe Moyses in Genesi, somnium illud Pharaonis referens, & ab ipso relatum enarrans: *Aliae quoque septem emergebant de flumine, foedae, confectaeque macie* רעות מראה raghoth mare malae aspectu. Et iterum: *macilentae, vt numquam tales in terra Aegypti viderim*. Ex Hebraeo sic vertit Pagninus; non vidi sicut illas in tota terra Aegypti, לרע larogha in malitia. Et in hoc sensu accipitur vox רע ragh praesenti Nehemiae loco, quem expressit vulgatus; *& eram quasi languidus*, inquiens, *ante faciem eius*. Idem ni fallor significare voluisse videntur Septuaginta difficiliori phrasi, quam omnino peruertit Latinus eorum interpres. Nam quod Hebraeus היתי haiithi fueram, in prima persona, & vulgatus, *& eram*, in prima quoque persona, conuertit, Latinus Septuaginta interpres similitudine primae & tertiae personae *ὢ* in, deceptus, in tertiam conuertit, & non erat alius coram eo; quasi verò & plures non assisterent famuli comedenti Regi, cum ipsa Regina; cuius statim meminit idem Nehemias. Quare cum vulgata, Graeca, & Latina legendum censeo, & non eram alius. Idem enim, quod Hebraeus dixerat רע ragh, Graecus conuertit ἕτερος heteros, alter, alius; quae vox in malum solet frequenter vsurpari, quasi alius à bono, vel à vero. sic ἑτερόδοξία heterodoxia praua doctrina. Quam phrasim aptissimè exprimit Hispana, demudado, quae significat hominem commutato vultu, vel prae tristitia, vel prae metu, vel quod frequentiùs solet, malum aliquod alteri machinantem. Sensus itaque loci est iuxta Septuaginta, prae solito, immutato eram vultu: semper enim consueueram Regi praesto esse, hilari & pacato vultu, numquam subtristi, aut perturbationem animi exprimente.

Prius autem, quam ad Regis interrogationem interpretandam veniamus, huius mutati vultus causam inuestigare operaepretium duximus. Beda in primis eam percensèt his verbis: Et quidem princeps vinarius erat, Regi poculum porrigebat, officium laetitiae foris agebat, sed ipse interiùs graui tristitia premebatur, quòd sanctam ciuitatem dirutam, & populum Dei opprobrio, & contemptui inimicis Dei habitum esse meminit. Haec ille.

Verùm licet aptissimè his verbis contestatus nobis sit Venerabilis Beda, desolatam Hierosolymam causam quidem fuisse commutati vultus Nehemiae; tamen cùm ea desolatio ante centum octoginta, & eo ampliùs annos euenisset, quidnam causae fuit, cur nunc potiùs, quàm aliàs eiusmodi desolationis commiseratione tactus, tantam praeferat ore moestitiam, vt Regi ingerat concepti facinoris suspicionem? Et hinc quidem dubio respondet ipse Nehemias toto capite primo. *Et factum est*, inquit, *in mense Casleu, anno vigesimo* Artaxerxis, *& ego eram in Susis* הבירה habbirah *castro*; hanc verò vocem in metropolim conuertunt nonnulli. Et quidem cùm eam vocem peregrinam Hebraeis fuisse conueniant quamplures, eius notionem assignare vix possunt: tamen cùm frequens sit in sacris, ac potissimùm cum Susis iungatur vrbe, quae metropolis fuit Persarum; ideo ea voce metropolim significari arbitratus est Pagninus. At cùm de templo dicatur in libro Paralipomenon, basilicam, Regiam habitationem, & curiae sedem eadem voce significari putant alij, quòd firmum, robustum, ac magnificum significet. Et hanc interpretationem sequutus videtur vulgatus, castrum vocans eam vrbem, quae Regia, ac metropolis erat Persici imperij. quo quidem nomine & dignitas, & munitiones vrbis designantur: idemque in sua quoque historia testatur Iosephus. Quidam, inquit, ex captiuis Iudaeis, pincerna Regis Xerxis, Nehemias nomine, deambulans ante primariam Persarum vrbem Susa, &c. *Et venit Hanani vnus de fratribus*, hoc est, de contribulibus *meis, ipse & viri ex Iuda, & interrogaui eos*. Patriae amor, eiusque desiderium auidè facit inde venientes alloqui, de fratribusque inibi commorantibus sollicitè interrogare, eaque redeundi in patriam apta dispositi-

Isai. 24. ℣.10. MALVM quid dicatur in Hebraeo. *Iob 34. ℣.24. Forst. in dictionar.*

Isai. 5. ℣.20.

Prou. 23. ℣.6. MALVS oculus, id est inuidus.

Prou. 28. ℣.22. MALVM cùm vultui tribuitur, miserum significat, & afflictum.

Gen. 41. ℣.3.

Ibid. ℣.19.

Pagninus.

ALIVS, siue immutatus quid significet.

QVARE subtristis coram Rege fuerit Nehemias.

Nehem. 1. ℣. 1.

SVSA quare dicantur castrum.

Pagninus. 1. Par. 29. ℣.1.

Ioseph. lib. 11. antiq. cap. 5.

PATRIAE desiderium ad interrogandum, & colloquendum de ea facilè inuitat.

dispositio habenda est. *Et interrogaui eos de Iudaeis, qui remanserant, & supererant de captiuitate, & Ieruſalem.*

Mirandum sanè quare de ijs tantùm interroget, qui reliqui fuerant Hierosolymis, siquidem ferè totus populus translatus fuit Babylonem: quare non item & de ijs, qui postliminio reuersi Hierosolymam iuerant sub Cyro Persarum Rege: & de ijs item, qui reuersi fuerant cum Esdra anno septimo Artaxerxis? Et quidem si vt sonant verba accipiantur, difficilem sanè habet proposita dubitatio solutionem. Verùm Hugo Cardinalis aliter verba interpretatur: *Qui remanserant*, inquit, id est, de duabus tribubus, quae à Babylone in Hierusalem redierant. Pari quoque ratione Dionysius Carthusianus: *supererant de captiuitate*, inquit, id est, qui adhuc vixerunt, & in Iudaea morabantur, reuersi ex Babylonica captiuitate, seu nati ex illis reuersis. Haec illi. Quibus eum sensum significare voluisse videntur, quòd de ijs potissimùm interrogauerit, qui è Babylone reuersi fuerant Hierosolymam: haud secus quam si captiuitatis nomine, non captiuitatem ipsam, sed captiuos significasse intelligant, & sensus sit: interrogauit eos de captiuis, qui olim fuerant Babylonem abducti, postmodum verò Hierosolymam reducti, & ibi manebant.

NVM DE Iudaeis interroget de captiuitate reuersis, an verò de ijs, qui non abierunt in captiuitatem.

1. *Esdr.* 2. ℣.1. & c.7. ℣.8. & 9.

Hugo Card. Dion. Carth.

CAPTIVItatis nomine captiuos intelligit saepe sacra Scriptura.

Quod si attentè perpendatur captiuitatis Hebraicae vocis notio & vsus, non hic tantummodo, verùm alij quoque difficiles sacrae Scripturae loci mirificè illustrantur. Etenim vox שבי sabi, captiuitatem, abductionem è proprio loco significat. Sic in Numeris: *Cùm audisset Chananaeus Rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse scilicet Israël per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor existens duxit ex eo praedam.* Hebraicè וישב ממנו שבי vaiseb mimmennu sabi, captiuam duxit ex eo captiuitatem, vbi שבי sabi, pro praeda sumitur, & pro captiuis. Eademque omnino phrasis vsurpatur in libro Paralipomenon: *Veneruntque Idumaei, & percusserunt multos ex Iuda, & ceperunt praedam magnam*, & captiuam duxerunt captiuitatem vertit Pagninus. Et hinc facilè patebit locus Psalmi à Paulo citatus: *Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*: Hebraicè שבית שבי sabita sebi; quarum prior vox ex aequo deduci posse videtur & à radice שבה sabah, quae captiuum ducere, seu abducere significat, & à voce שוב sub, quae reducere, redire facere significat. Quare captiuam ducere captiuitatem idem est, ac si diceret, in suam teuocans potestatem eos, qui durae seruitutis vinculis ligati tenebantur, secum eos reduxit in patriam libertatem. Sic & in alio psalmo: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*, id est, illos, qui reuersi sunt de captiuitate in Sion, inquit Rabbi Dauid, & R. Abraham. iuxta quam interpretationem intelligendus est Nehemias contribules suos interrogasse de Iudaeis, qui remanserant, & ibi à vobis relicti sunt, ex ijs, qui captiui abducti à Nabuchodonosore fuerant, & habita facultate à Cyro & Dario in patriam redierant: *Et dixerunt mihi, qui remanserunt, & relicti* à nobis *sunt de captiuitate*, de captiuis, *ibi in prouincia in afflictione magna*, in magno malo conuertit Pagninus vim vocis רעת raghat, quam suprà fusius explicauimus, exprimere volens, quam aptissimè vulgatus conuertit, *in afflictione magna sunt & in opprobrio; & murus Ierusalem dissipatus est, & portae eius combustae sunt igni*. Horum verborum paraphrastem egisse vidotur Iosephus. Quibus, inquit, malè se habere dicentibus, quòd eius moenia diruta essent, & circum vicinae gentes multa mala Iudaeis inferrent, die, noctuque agros excursionibus, ac rapinis populantes, & multos ex ea regione, atque adeo ex vrbe ipsa captiuos abducentes, ita vt passim per vias reperirentur cadauera. Haec ille.

Num. 21. ℣.1.

CAPTIuam ducere captiuitatem quomodo sit intelligendum.

2. *Par.* 28. ℣.17.

Pagnin. in dictionario.

Psal. 67. ℣.19.

Ephes. 4. ℣.8.

Psal. 125. ℣.1.

Rab. Dauid in comment. & in lib. radic.

R. Abraham.

Nehem. 1. ℣.3.

Pagnin. in diction. sup. libri huius cap. 3.

Cumque audissem verba huiusmodi, sedi, & fleui. Sedere maximi moeroris, & quasi consternati animi symbolum quoddam est, vt suprà notauimus; atque etiam diuturnam fletus durationem indicat, qualem verba continent sequentia; *& luxi diebus multis, ieiunabam, & orabam.* Fidus orationis comes ieiunium, quodque eidem impetrandi vim praestat; cùm è contrà ieiunium ab oratione subleuetur: hisque quasi duabus alis comminiseratio, ac patriae pietas adeo Nehemiam euexit, vt in conspectu summi Dei, terrenique Regis, instaurationem patriae, libertatem fratribus, sibi verò principatum, gentisque suae vniuersae imperium obtinuerit, qualia sequentibus proferuntur. Huius autem *vigilia honestatis*, plusquam omnium diuitiarum amor aut sollicitudo continua, earnes tabefecerat, ita vt meritò propterea dixerit: *& eram quasi languidus ante faciem eius*: non autem vnius diei, aut horae sollicitudo animum Nehemiae torsit, vt falsò contra sacrae Scripturae auctoritatem Iosephus comminiscitur. Nam postquam contribulium nuncium audisse Nehemiam commemorasset ante portam ciuitatis Susam, subdit: Cunctante verò illo apud portam, & ob hoc lamentante, accedens quidam nunciauit ei, Regem iam accubitum ire. Ille confestim ita vt erat, non abluta facie ad ministerij sui functionem properat. Haec ille: cùm contrà ipsemet Nehemias testetur luxisse se diebus multis. Quorum numerum diserte colligit Venerabilis Beda, dum illa verba interpretatur, *in mense Nisan*. Nisan, inquit, est primus mensis secundum Hebraeos, in quo semper agere Pascha solebant, quem nos Aprilem dicimus. Quod ergo suprà dixit, quia luxerit, ieiunauerit, atque adoraverit diebus multis, patet profectò; quia per quattuor menses continuos, nonum videlicet, decimum, vndecimum, & duodecimum huic sacratissimae deuotioni operam dabat, tempus exspectans opportunum, in quo suum posset desiderium Regi intimare. Haec ille. Quod ergo opportunum tempus ille exspectabat, Deus ipse illi contulit: immutatus enim color, vultusque subtristis altam mentis cogitationem indicabant.

Ioseph. antiq. c. 5.

Nehem. 1 ℣.4.

SEDERE lugentem maximi mororis, & quasi consternati animi symbolum.

Sup. lib. 2. *vrb. c.* 22.

IEIVNII & orationis societas, & virtus.

Eccles. 31 ℣.1.

REPREhenditur Iosephus, qui breue tempus luxisse Nehemiam tradit.

Ioseph. vbi sup.

Bed. super Nehem.

NISAN mensis idem est Hebraeis qui apud Latinos Aprilis.

Dixitque mihi Rex: quare vultus tuus tristis est, cùm te aegrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Septuaginta: Quare facies tua mala, & non es infirmus? & non est hoc nisi malum cordis. Pagninus verò multo magis Hebraicam phrasim imitari voluit, quamuis à nostra abhorreat. Quare, inquit, facies tuae malae, & tu non tu aeger, non hoc nisi malum cordis. Cuius quidem loci sensus vel illi patebit maximè, qui tradita à nobis suprà de voce רע ragh in memoriam reuocauerit; ea enim semel, iterum, & tertiò hac oratione repetitur. Quocirca quem corporis aegritudine minimè laborare cognoscit, animi sollicitudine aegrotare suspicatur Rex. Vbi miseros lubet eos compellare Principes, quos neque vita ipsa, omnibus animantibus communi liberè frui suspicio sinit; miserrimos omnino aulicos, quorum vita, salus, atque libertas vanis Principum suspicionibus subditur; quibus ne animis quidem suis vti liberè licet aliquando: nam vix aliena subit mentem cogitatio, quin suspicio prope abest ab ijs,

II.

Pagnin. in sua versio.

MISERI principes, quos suspiciones torquent, miseriores serui, qui suarum cogitationum compotes aliquando non sunt.

ab ijs, quibus se totos animo, & corpore miserè addixerunt.

III. CONSVETA Regum salutatio, in aeternum viue.

Et timui valde, ac nimis, ne in suspicionem veniret Rex machinati à me facinoris. *Et dixi Regi: Rex in aeternum viue.* consueta olim fieri Regibus salutatio. *Quare non moereat vultus meus?* Repetit interrogationem Regis, vt ex aequo respondeat. Cur non fiat mala, vertunt Septuaginta, facies mea, & pari ratione Hebraei propter vocem רע ragh: *quia ciuitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, & portae eius combustae sunt igni.* Domus sepulcrorum, phrasis est deducta ex amplissima significatione vocis בית beth, qua domum significant Hebraei, & vniuersim quamcumque rem aliam continentem; elegantique phrasi vsurpatur haec vox ad significandum sepulcrum. Sic Iob: *Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.* Chaldaeus, domus sepulcri conuertit. Et in Ecclesiaste: *Quoniam ibit*, inquit, *homo in domum aeternitatis suae.* Phrasim hanc interpretatus est Vatablus: Homo enim vadit ad domum suam perpetuam, Hebraicè saeculi sui: hoc est, pergit homo ad sepulcrum, in quo diutiùs habitabit vsque ad iudicium vniuersale; qua ratione sepulcrum domus, habitatio morientium dicitur: domus verò, quibus viuentes degunt, potiùs tabernacula, in quibus modicum tempus manent viatores. *sepulcrorum patris mei.*

Iob 30. ℣.23.

SEPVLcrum domus seu habitatio meritò dicitur, habitatio verò tabernaculum viatoris.

Eccles.12. ℣.5. Vatablus.

Singularis numeri genitiuus plurali adiunctus phrasim imitatur Hebraicam, quae saepe partitionem significat, sicut in Ecclesiaste. *Muscae morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Ex Hebraeo sic conuertit Forsterus: Muscae mortis foetere facit, & exhalare facit vnguentum pigmentarij, id est, quaelibet musca mortua perdit. Sic & in praesenti loco, ciuitas, in qua est sepulcrum patris mei, & aui mei, & ataui mei, & sic singulorum maiorum meorum. Pietate non tantùm patriae, sed & parentum, quos etiam defunctos honorare, ac meminisse decet, se commotum fatetur Nehemias, ideoque moestitia affici, angique vehementer.

GENITIVUS singularis plurali adiungitur apud Hebraeos.

Eccles.10. ℣.1. Forst.not. 42. initio dictionis.

Et ait mihi Rex: pro qua re postulas? Hebraicè על מה זה אתה מבקש ghal mah zech athah mebaches, super quo hoc tu quaerens? Verbum autem בקש bachas quaerere significat magis conatu, affectu, & sollicitudine, quàm verbis, aut aliquo exteriori actu, licet & hoc etiam importet, vt in libris Regum: *Quaesiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Et in Prouerbijs: *Si quaesieris eam*, sapientiam inquam, *quasi pecuniam.* Interrogatio ergo Regis latissimè patet; quid te istuc tam sollicitum habet & angit, quid expetis, aut à me petis, quod solatio, ac voluptati tibi sit futurum?

1.Reg.13. ℣.14. Prouer.2. ℣.4.

ORATIO efficax breui fit ab eo, qui diutiùs orationi, ac ieiunio operam dedit.

Et orani Deum caeli, oratione interna, ac breui, inquit Dionysius, vt dirigeret me in petendo, Regemque inclinaret ad consentiendum. Quae verba eadem ferè ratione intellexisse videtur Iosephus sic scribens. Tum ille Deum prius precatus, vt suadae gratiam prius verbis suis adderet, &c. Quocirca intelligant omnes, qui se ab orationis exercitatione subtrahunt, quasi per tempus non sibi liceat orare, quam breui temporis spacio & oratio fieri, & exaudiri possit; siquidem inter Regis interrogationem, & serui responsum efficacissima ad Deum intercessit oratio, qua supplicem libellum Regi dandum, prius caelesti Regum Regi porrexit, & ab eo signatum, concesso inquam, quod petebatur, recepit, ac tandem terreno opere complendum, quod Deus concesserat, praestitit. Illud tamen verum est, hanc breuem, & voti compotem

Dionysius Carthusiensis. Ioseph.lib. 11. antiq. cap.5.

A orationem non facilè fieri ab alio, quàm ab eo, qui orationi semper assuetus, iam pridem orationi ieiunium adiunxerat. Huius autem firmae spei, quae oratione concipitur, auxilijs fretus magis, quàm Regijs promissis, petitionem suam aggreditur, acceptis, inquit Hugo Cardinalis, indicijs à Rege ad liberè dandum, quod postularem.

Hugo Card. super Nehe.

Et dixi ad Regem: si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus; mendosa enim est lectio, quam interpretatur Dionysius, seruis tuis, inquit, consiliatoribus tuis tibi adstantibus, de quorum consilio omnia agis iuxta morem Regum Persarum atque Medorum. Reijcienda ergo eiusmodi lectio, vtpote Hebraeis, Graecis, Latinisque codicibus dissona, atque adeo interpretatio ipsa ipsi historiae minimè consentanea: nam vix petitionem audisse Rex, quin eam concessisse dicitur; nullum vt consultationis tempus intercedere potuisse videatur. *Et si placet*, ergo legendum, *seruus tuus ante faciem tuam.* Septuaginta interpretes phrasim Hebraeam ad verbum reddiderunt: Si super Regem bonum, & si bonus erit puer tuus in conspectu tuo. Pagninus verò, si super Regem bonum, & si bene erit seruus tuus ad facies tuas. Vox autem טוב tob, quae in bonum conuertitur, & tam ipsi rei, quae petitur, quàm petenti tribuitur, bonum saepe significat, & frequenter id, quod pulcrum est, iucundum, gratum, amabile, voluptuosum; sicut in Numeris Balaam ait: *Quam pulcra* טבו tobu, bona, iucunda, amabilia, *tabernacula tua Iacob?* Et in Canticis: *Pulciriora sunt vbera tua vino* טובו tobu boni sunt, pulcriores, iucundiores, suauiores sunt amores tui vino, hoc est, prae vino.

B

Dionysius Carth.

Pagninus.

BONVM pro pulcro, & grato.

C

Num.24. ℣.5.

Cant. 4. ℣.10.

Duas igitur eius, quod petebat, impetrandi rationes assignare videtur, ipsius nempe rei quam postulabat tum iustitiam, tum bonitatem, quam examinari cupit à Rege, & probari: praeterea Regi ob oculos ponit, se illi per multos annos fideliter inseruisse, eorumque omnium benefactorum merita, omnemque promeritam sibi à Rege gratiam in hanc vnam rem impendi. Atque his quidem duabus rationibus quasi fundamentis nixa petitio gratiam promeretur & donum; quorum altero, nedum vtroque deficiente, repulsam saepe, nonnumquam verò etiam indignationem petitio meretur. Defecit in horum altero petitio filiorum Zebedaei, qui quamuis se gratos Regi saeculorum IESV Christo multis nominibus putarent, non tamen perpenderunt, an bonum foret, an gratum Regi, quod ipsorum nomine mater petebat à Christo: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in Regno tuo:* quapropter & repulsam, & reprehensionem referunt à Domino: *nescitis*, inquit, *quid petatis.*

D

PETITIONIS rationes sunt, petitionis aequitas, & petitionis merita.

DEFVIT aequitas petitionibus filiorum Zebedaei.

Matth. 20. ℣.21.

Qua in re non minùs meo iudicio peccauit Adonias, qui cùm Salomoni Regi esset inuisus, per Bersabaeam matrem Regi ipsi gratissimam, rem alioqui turpem & inhonestam postulauit. *Detur Abisag Sunamitis Adoniae fratri tuo vxor.* Quare non repulsam, aut reprehensionem solùm, sed vehementem etiam Regis indignationem subijt. *Iurauit* enim *Rex Salomon per Dominum dicens. Haec faciat mihi Deus, & haec addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.* Haec autem omnia incommoda praecauit Nehemias prudentissimè, dicens: *si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudaeam ad ciuitatem sepulcri patris mei* (eadem verba legis in Hebraeo, quae suprà interpretati sumus) *& aedificabo eam.*

E

IN OMNIBUS defecit petitio Adoniae.

3.Reg.2. ℣. 21.& 23.

AD MENSAM olim accumbebant homines, sedebant feminae.

Dixitque mihi Rex, & Regina, quae sedebat iuxta eum. Morem antiquum obserua, quo ad mensam accubabant viri. Sic enim ex Iosepho paulò superiùs vidimus, accedentem quendam nunciasse Nehemiae, Regem iam accubitum ire, nempe ad mensam: feminae verò sedebant, vt hoc loco de Regina dicitur. Eum autem morem

Prad. tom. 1. super Ezec. c. 23. ℣. 41. pluribus persequutus est Pradus, quibus modò supersedendum censui, aliam Deo dante occasionem, quae eiusmodi disputationi desunt, adiungemus. *Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum Regis, & misit me, & constitui ei tempus*, certum, superaddunt Hebraea. Quod autem id fuerit minimè expressit, verùm ex ijs, quae alibi tradit, conijci B posse videtur, duodecim annorum tempus constitutum ab eo fuisse. Ait enim: *A die autem illa, qua praeceperat Rex mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo, vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis, per annos duodecim ego, & fratres mei annonam, quae ducibus debebatur, non comedimus.* Atque iterum. *In omnibus autem his*, inquit, *non fui in Ierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis Regis Babylonis veni ad Regem.* Verùm de potestate Nehemiae à Rege facta instaurandae vrbis, quoniam longiorem exigit tractationem, eam in proximum caput integram reijciamus.

Nehem. 5. ℣. 14. DVODECIM annorum tempus conceditur Nehemiae ad instaurandam vrbem.

Nehem. 13. ℣. 6.

DE POTESTATE NEHEMIAE A REGE DATA *redeundi in patriam, eamque instaurandi.*

Cap. V.

POSTQVAM se beneuolum praebuerat Nehemiae Artaxerxes Persarum Rex, eique in patriam redeundi potestatem facturum sese pollicitus fuerat, ocyus propheta supplici petitione Regi patefacit, quae tam arduae, difficiliique obeundae prouinciae peropportuna necessariaque fore existimabat.

VII. *Et dixi*, inquit, *Regi. Si Regi videtur bonum.* Aptum profectò petitionis exordium, nempe cuius admirabilem vim in captanda Regis beneuolentia expertus iam fuerat: *epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen.* Ad subregulos trans flumen legunt Septuaginta, *vt traducant me, donec veniam in Iudaeam.* Cum inter Chaldaeorum regionem, & Iudaeam duo intercederent celeberrima flumina, Euphrates, & Iordanis, quorum illud Chaldaeam, hoc Israëliticam terram alluebat, Babylone discessurus, vt in Iudaeam tenderet, prioris quidem fluminis meminit, vltra quod, nempe inter vtrumque fluuium sita erat Mesopotamia, ad cuius principes litteras petit, vt ipsum in Iudaeam traducant. Neque enim quidquam plerumque prodest principum gratiam

IORDANIS & Euphrates duo celeberrima sunt flumina.

A obtinere, quibus ministrorum vel inuidia, vel malitia ea vti fruique non licet. Quapropter Curiae assuetus Nehemias, eius damna vitare cupit, curatque horum omnium principum virorum audaciam Regijs litteris cohiberi. Quoniam autem impedimenta submouere satis non est, si opportuna quoque praesidia praesto non sint, ideo subdit.

NIHIL prodest gratiam à Regibus obtinere, quàm ministrorum inuidia non permittit.

VIII. *Et epistolam* dent mihi scribae, nomine Regis subscriptam ad Asaph *custodem saltus Regis*. Septuaginta, καὶ ἐπιστολὰς δοῦναί μοι Ασὰφ φύλακα τοῦ παραδείσου ὃς ἔστι πρὸς βασιλέα, eae epistolin epi Asaph phylaca tu paradisu hos esti to basili, & epistolam ad Asaph custodem paradisi, qui est Regi.

PARADISVS quid significet.

Paradisi Hebraicè הפרדס hapardes; quam vocem redundantem, ex ijs quas quadratas vocant Hebraei, propterea dicunt, quòd cùm omnes ferè voces, quas habet lingua eorum, tribus tantùm radicalibus componantur litteris, aliquae vna littera redundant, ac propterea vocantur quadratae, hoc est, quattuor litterarum, qualis haec est; eamque ferè omnes interpretantur Hebraei, quasi hortum significet, pomerium, domesticum, hortum consitum arboribus fructus, hoc est, fructiferis interpretatur R. Chimchi. Hinc, inquit R. Elias, gentes hortum Edem paradisum appellarunt. Graeci verò vocem ipsam Hebraicam pardes more suo inflectentes, *paradisos* efferunt.

R. Dauid Chimchi. *R. Elias.*

Verùm non parum ingerit difficultatis Hebraeo- C rum interpretatio, si huic textui applicetur; esset enim minùs apta petitio, ligna ex paradiso, seu pomerio petere ad contignandas domos, & turres; quoniam frequenter pomiferae arbores his vsibus minùs sunt aptae, neque libenter abscinduntur. quod à prouida natura factum, conseruandis frugiferis arboribus quàm aptissimè putarim. Quapropter multò magis ad rem vocem illam intellexisse, & interpretatum fuisse vulgatum dixerim: quandoquidem non custodem horti, aut paradisi, sed *custodem saltus Regis* scripsit. Tametsi nec me lateat ratio illa, quae Hebraeos interpretes impellere in eam sententiam potuit, vt crederent, voce pardes hortum seu pomerium signifi- D cari. quoniam *feci*, inquit Ecclesiastes, *hortos* ופרדסים vpardesim, & paradisos, *& pomeria*, aptissimè conuertit vulgatus, *& consiui ea cuncti generis arboribus*. Quapropter hortum significare eam vocem, seu pomerium, sentiendum censeo, & multo latiùs patere, nec leui coniectura, sed ipsamet vocis origine. Si enim Hebraeorum more rres primae litterae radicales examinentur, vox פרד parad diuidere, ac separare significat, licebit ergo vocem hanc, diuisum, seu separatum conuertere. Quoniam verò horti frugiferis arboribus consiti maximè solent ab alienorum consortio separari, tum saepe moenibus, tum etiam custodibus, canibus, & alijs; propterea frequenter vsurpatur ad E significandum eiusmodi hortum: non tamen propterea negandum est, hac voce significari posse saltum, si haud secus, quàm hortus, quem Graeci vocant paradisum, custoditus sit & septus.

POMIFERARUM arborum materia vsibus minùs apta, quo eae magis conseruentur.

COMMENDATUR vulgata, & defenditur.

Eccles. 2. ℣. 5.

Cuius quidem vocis vim insinuare voluit sponsus in Canticis, cùm sponsam suam horto concluso semel atque iterum contulit. Non ideo tamen, quòd ab aliorum consortio diuisus, aut separatus hic hortus sit, minus domino alijsque omnibus vtilis censendus est: propterea que in eadem persistens similitudine subdit. *Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus Cypri, cum Nardo*, &c. hoc est, sicut paradisus, quamuis conclusus, & septus, suauissimos

Cant. 4. ℣. 12. & 13.

DOMINI sponsa licet tota sponso dedita, odore, aspectu, fructu, alijs quoque prodest.

tissimos ex se tamen odores fundit, dulcissimos fructus, saluberrima poma, ac longè prospicientibus iucundissimum praebet spectaculum; sic & sponsa, tota sponso suo dedita, iucundissima tamen exhibet intuentium oculis exempla virtutum, suauissimos boni nominis odores spirat, caritatis porro, humilitatis, patientiae, virtutum denique omnium mira edit in omnes documenta.

Quae cùm ita sint, iuxta vulgatam nostram, Asaphum custodem fuisse *saltus* intelligemus, pardes dicti, quòd septus, saltem lege & custodibus foret, ne ligna in eo ab aliquo caederentur. quod & manifestè indicant Hebraea, quae ad verbum sic conuertit Pagninus: ad Asaph custodem paradisi, quod Regi; & Graeca, quae innuunt adseruatum eum locum Regi fuisse. Hispani vocamus Soto, quasi septum locum, qui quamuis moenibus non sit septus, quoniam ingentem siluam continet; lege tamen septus est, qua omnibus interdicitur ligna ibi caedere. Quis autem fuerit hic saltus, cuius ligna sibi dari petit Nehemias, cùm scriptura non explicet, nemo est, qui definiat: verùm si coniecturis vti licet, cùm ex Libano ligna omnia, omnisque materia, quae templo aedificando, Regijsque tum Dauidis, tum Salomonis contignandis necessaria fuit, missa fuerit Hierosolymam ab Hiramo Tyriorum Rege: neque aliunde asportata fuisse ligna legamus (illa excipio, quae attulit Regina Saba) ex eodem saltu delata ligna, facilè nobis persuadebimus; praesertim si in mentem venerit, quod à Iosepho ex Phoenicum annalibus memoriae proditum est, Nabuchodonosorem septimo Imperij sui anno Tyrum occupasse: Cyrum autem Persam Nabuchodonosoris Imperium adeptum fuisse. Nos autem suprà ostendimus, Artaxerxem Cyri successorem, eius Imperio potitum. Qua de causa mirum non est, si ab Artaxerxe petat Nehemias caedendi ligna potestatem, quam à Tyriorum Regibus petierant maiores sui.

Quare autem diceretur is saltus Regis, haud difficilis erit ex ijs, quae diximus, coniectura: nam cùm ibi esset pretiosissima totius Palaestinae materia, non mirum est, si lucri causa Rex sibi reseruaret potestatem ligna caedendi, quam postmodum non sine magno pretio diuenderet; totique negocio peragendo praefectum datum Asaphum, qui à principali muneris sui parte custos saltus dicebatur. *vt tegere possim*, Hebraicè לקרות lacharoth, ad contignandum. Vox enim קרה chara, à qua deducitur, & contignare significat, & occurrere, seu contingere. Ab hac autem significatione illa prior videtur deducta, quia, qui tignis, aut trabibus tabulata coniungit, aut tecta, facit vt illa sibi mutuò occurrant, & inuicem coarptentur, seu coagmententur. Et quamuis haec vera sint de qualibet contignatione, in qua necesse est transtra impositis aptè asseribus ita sibi mutuò omnia coaptari, vt aequalem solidumque habitatoribus, imbribusve defluentibus solum exhibeant: tamen in ijs fabricis, quae Salomonicam aliquo modo structuram imitabantur, multò magis haec vera apparent: quoniam trabes, retium, palmas imitantium instar compactae, ita singulae singulis iungebantur, vt sibi mutuò omnes occurrere viderentur. quod pluribus aliàs docebimus.

Vt tegere possim portas turris domus. Hunc locum ita intellexisse videtur Pagninus, vt crederet Hieronymum ita legisse: vt tegere possim porticum templi; & non immeritò, cùm sola templi porticus, quae ante faciem Sancti sistebatur ad Orientem, in centenos vicenos cubitos erecta, turris formam omnino referret, quemadmodum in ipsis huius Apparatus figuris videre est. Et quamuis ipsa verba tam Latina, quàm Hebraea ab hac interpretatione minimè abhorreant, abhorrere tamen ab ea nonnihil videtur ipsa sacra historia. Nam in libro Esdrae de instaurato templo haec legimus: *Et compleuerunt domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Regni Darij Regis*. Domus autem nulla ratione completa intelligi potest, nisi completa quoque esset porticus, prima pars ipsius domus. Cùm igitur ab anno sexto Darij, vsque ad vigesimum Artaxerxis septuaginta computentur anni, qua ratione operienda, vel contignanda dicetur à Nehemia turris, aut porticus templi, quae ante annos septuaginta absoluta, ac proinde operta fuerat à Zorobabele? Quapropter ipsam Hebraicam lectionem consulendam censui, vt quid nomine turris domus intellexerit vulgatus, facilè possit cognosci. Et quidem in Hebraeo sic habetur. לקרות שערי הבירה אשר לבית lecharoth saghare habira aser labbait, ad contignandum portas munitionis, quae domui. Omnis autem huius orationis difficultas in interpretatione consistit peregrinae illius vocis הבירה habira, quam paulò superiùs interpretabamur, cùm de Susis castro loqueremur.

Et quidem, cùm ibidem ea voce castrum, turrim, aut munitionem probauerimus significari, facilis erit loci interpretatio ei, qui domum Domini, hoc est, templum ipsum attentiùs in descriptionibus nostris consideraverit: namque circa turrim illam, quam dixi vocari vestibulum templi, tres porticus praecelsae visuntur, atrij interioris, exterioris, atque gentilium; quarum vnaquaeque quasi pro muro ac munimento erat ipsi templo. Apertis autem in cuiusque porticus medio portis, desuper celsae turres erigebantur, quas qui diligentiùs consideraverit, facilè intelliget, eas porticus meritò munitionem, castrum, seu turres domus dici. Earum igitur perficiendarum potestatem sibi fieri rogat: nam cùm ad contignationem venitur, reliqua absoluta iam fuisse oportet.

Atque huic interpretationi concordat Iosephus, hanc Nehemiae petitionem alijs verbis, hoc ipsum significantibus referens. Sed oro, inquit, hanc vnam gratiam mihi concede, permitte mihi, vt profectus illò, muros eius exstruam, & quod deest ad fabricam templi, suppleam. Et iterum, conuocata concione Hierosolymis, vt mihi permitteret, inquit illis, moenia nostra restituere, & quod superest ad absoluendum templum perficere. Et meritò sanè haec duo potissimùm peteret, quae impedita iam olim à Regibus fuerant; quòd timerent, ne quid noui molirentur Hebraei, huiusmodi ciuitatis munitionibus confisi.

Hanc quoque nostram interpretationem confirmare videntur, qui sic locum ediderunt, vt det mihi ligna pro tignis ad portas palatij, quod est iuxta templum: licet hi non intelligentes, quomodo templi porticus, munitiones, seu arx dicerentur, ad Regiam Salomonis transferre videantur orationem. *Et muros ciuitatis*, subandi tegere vel contignare possim: duo enim contignanda erant in muro tam vrbis, quàm templi, & turres, & portae. Quod ad portas attinet, nullus credat, portas vrbis aut templi in simplici muro apertas: erant enim vno atque altero

munitae;

Pagninus.

LIGNA, quae petit Nehemias, ex Libano creduntur fuisse.

Ioseph. lib. 1. cont. Ap.

IMPERIUM Tyri quomodo penes Artaxerxem fuerit.

OMNIS contignatio colligata necessariò fit, sed multò magis Salomonica.

Pagnin. in dictionario.

TVRRIS domus non potest hic intelligi vestibulum templi. *Esdr. 6. v. 15.*

Sup. cap. 4. huius lib.

PETIT Nehemias sibi licere porticus circa templum absoluere.

Ioseph. 11. antiq. c. 5.

PORTAE, ac turres murorum, vrbis, ac templi contignandae erant.

munitae; & desuper concamerationes habebant, atque cenacula. Cuius rei manifestum dabit exemplum historia Regum, vbi sedenti Dauid inter duas portas ciuitatis, nunciauit Achimaas mortem dilecti filij Absalon. *Contristatus itaque Rex*, inquit, *ascendit in cenaculum portae, & fleuit*. Pari quoque ratione portis templi superexstructa fuisse cenacula, inferiùs latiùs ostendemus, cùm fabricam templi pertractabimus. Insuper murorum turribus recta exstrui solita, ac cenacula, vel ex hoc Iosephi intelligi potest; Post altitudinem verò turris solidam viginti cubitis elatam cellae desuper, conclauia praesumptuosa licet ex Graeco conuertere, & cenacula, &c. *Et domum, quam ingressus fuero*, hoc est, quam mihi delegerim habitandam. *Et dedit mihi Rex* epistolas, quas petieram, *iuxta manum Dei mei bonam mecum*. Huius loci sensus id exigere videtur, vt varias Hebraicae vocis יד iad manus acceptiones longa oratione persequamur, iuxta quas & multiplex, & perinde cunda loci sententia eruitur: verùm quoniam eam dictionem superiùs à me tractatam fuisse memini; ideo hic pauca tantùm subijciam, & quae magis ad rem nostram facere iudicaui.

2. Reg. 18. ℣. 33.

Ioseph. 6. bell. c. 6.

MANVS quid significet in sacris litteris.

Sup. tom. 2. Ezech. 40.

Duo potissimùm manu significantur, & vires ac potentia, & consilium, quo aliquem deducimus; vtrumque enim manu potissimùm praestari solet; manu enim fortissimus quisque vires exerit, hostem tenet, ac conterit: manu quoque caecum quis ducit. Prioris acceptionis exempla reperies passim in sacris. Primum in psalmo attestante Dauid: *A fortitudine manus tuae ego defeci*: quasi diceret; quotiescumque potentiam manus tuae contra me exeris, non sum amplius resistendo, mox deficio, deliquium patior, & paene in nihilum redigor, potentissimam metuens manus tuae percussionem. Verùm in bonum accipitur diuinae manus potentia in libro Paralipomenon. *Tuae diuitiae, & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium*. Consilium autem significat ea vox in libris Regum, vbi interrogat mulierem Thecuitidem Dauid: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis*? hoc est, numquid adhibuit manum consilij sui Ioab, vt duceret te in his, praeciperetque vt singula haec ordine praestares? *Respondit mulier, & ait; per salutem animae tuae*, hoc est, per salutem, & vitam tuam *domine mi Rex, neque ad finistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quae locutus est dominus meus Rex*, hoc est, rectè iudicasti, neque iarum quidem vnguem à recta veritatis via aberrasti; ita prorsus se res habet: *Seruus enim tuus Ioab ipse praecepit mihi, & ipse posuit in os ancillae tuae omnia verba haec*. Mulier ipsa interpretatur his verbis, quid manu Ioabi significare voluisse intelligendus sit Rex. Iuxta praedictas igitur vocis interpretationes sensum adinuenire licebit nostri textus.

MANVS pro viribus.

Psal. 38. ℣. 12.

1. Par. 29. ℣. 12.

MANVS pro consilio. 2. Reg. 14. ℣. 19.

Et dedit mihi Rex omnia, quae petieram *iuxta manum Dei*, hoc est, consilium, & decretum diuinum, quo praeceperat Regi, vt meis acquiesceret petitionibus, *bonam mecum*, mihi fauorabilibus concessis: siue iuxta potentiam Dei, qua omnium Regum Dominus est. Sua nimirum potenti virtute Regem impulerat, vt pessimam deponeret, quam aduersus me conceperat, suspicionem, & totum se mihi exhiberet bonum, benignum, ac liberalem, *iuxta manum Dei*, hoc est, diuinam, quae dirigit, non cogit cor Regis: hoc enim

A significat illud Prouerbiorum. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, hoc est, voluntas Regis à potestate diuina dirigitur, haud secus, quàm aquarum riuuli, qui suo pondere feruntur, quocumque eos deduxerit inclinans alueus.

Prouer. 21. ℣. 1.

QVOMODO dirigat Deus, non cogat Regum corda.

Iuxta manum Dei mei bonam mecum, bonam, hoc est, iucundam, & laetam, mihique gratissimam: id enim omne voce טוב tob (de qua paulò superiùs) significatur, vt in libris Regum videre est. Venientes enim nuncij Dauid ad Nabal, propterea sibi petita concedi postulant, quòd *in die bona*, hoc est, hilari, iucunda, ac laeta, qualis solet esse conuiuij dies, venerint. Atque in libro Esther, vbi nos legimus: *cùm Rex esset hilarior*, Hebraea sic B habent, כטוב לב המלך cetob leb hamelech, cùm bonum esset cor Regis, nempe iucundum, *cùm Rex esset hilarior*, aptissimè conuertit vulgatus. Gratissimam ergo sibi fuisse significat Regis concessionem, non tantùm, quia maximè exoptata tribuit; verùm etiam, quia quàm citissimè tribuit. Sic enim scribit Iosephus: Sequenti vero die accitus accepit litteras Regias, quas Sadaeo Syriae, Phoenices, ac Samariae Praefecto redderet: in quibus mandabatur de honore Nehemiae habendo, & de praebendis ei, quibus ad aedificandum opus esset. Perpende ergo, quia sequenti die, ne dilata spes afflictionem ingerens gratiam minueret; accitus, ne ambitione, & sollicitudine promereretur, & quasi coëmeret beneficium, accepit litteras continentes non C solùm, quae petierat dona, sed & de honore Nehemiae habendo, accepitque insuper *principes militum, & equites*, de quibus mox meminit. Quae quidem omnia tam magna beneficia cùm praestare vix vmquam consueuerint Reges, ideo Deo potiùs quàm Regi, Deo inquam, per Regem ea omnia accepta refert Nehemias, dum dicit; *iuxta manum Dei mei bonam mecum*. Quibus quidem enarratis, ea mox subdit Nehemias, quae sibi in itinere contigerunt.

Esther. 1. ℣. 10.

Ioseph. lib. 11. antiq. cap. 5.

CITO accipit, ne dilatio gratiam minueret, & accitus, ne ambitione coëmeret, & quae petit, & his maiora.

Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites. Hi duo principes habitantium Samariam, hostes fuerunt Iudaeorum. Nam D cùm translatus legitur Israël, decem tribus intelliguntur, quae alio nomine vocabantur Samaria, quòd ea esset sedes Regia. sic enim habet historia Regum: *Translatusque est Israël de terra sua in Assyrios, vsque in diem hanc. Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone, & de Chutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim: & collocauit eos in ciuitatibus Samariae pro filijs Israël, qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius*. Harum igitur nationum principes credendi sunt Sanaballat, & Tobias, qui tum propter inuidiam, tum vel maximè, quòd sibi metuerent, ne si praeualuissent aliquando filij Israël, regionis illius veri possessores ac domini, extraneos Regno pellerent, ac profligarent: *contristati sunt afflictione magna, quòd veniisset homo, qui quaereret prosperitatem filiorum Israël*. Ex E Hebraeo sic conuertit Regius codex: Et malum fuit eis malo magno, quòd veniisset homo, ad quaerendum bonum filijs Israël. Malum enim inuidi, bonum alterius est: atque adeo quò magis crescit huius bonum, tanto magis augetur illius malum. Singulorum verborum vim aptissimè expressit vulgatus. Malum enim malo magno, vel malum grande ipse reddit: *Contristati sunt afflictione magna*: bonum verò filiorum Israël in *prosperitatem* transtulit.

X. SANABALLat, & Tobias principes Samaritanarum gentium.

4. Reg. 17. ℣. 23. & seq.

MALVM inuidi bonum alterius est.

DE

DE NEHEMIA
DIRVTOS HIERVSALEM
lustrante muros, & populum ad eorum instaurationem exhortante; ac de porta Vallis.
Cap. VI.

XI. ET veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus, quasi celans consilia, ne ab hostibus obseruaretur, aut forsan incautus opprimeretur, si statim, ac venit, aedificationi murorum insistens, sui animi studium

XII. proderet. *Et surrexi nocte* sequenti *ego & viri pauci mecum*, ne suspicionis alicuius occasionem daret, intempesta nocte plurima multorum hominum vltro citroque commeantium turba. *Et non indicaui cuiquam, quid Deus dedisset in corde meo, vt facerem in Ierusalem.* Prudenter consilium suum celat Nehemias; nam si solo eius aduentu, quoniam de filijs Israël est, commouentur vehementer inimici eius; quanto magis conturbarentur si consilium eius cognoscere potuissent? vtique illi malum machinarentur, & opus omnino disturbare contenderent, sicut aliàs fecerant. *& iumentum non erat mecum nisi animal, cui sedebam*; quasi diceret, solus ego iumento sedens, reliqui omnes socij mei pedites ibant, ne dormientes in vrbe excitaret plurium simul incedentium strepitus, fremitusque iumentorum.

XIII. AN ANTIqua portarum, & aliarum partium vrbis nomina restituta, an verò noua instituta.

Et egressus sum per portam Vallis nocte. Illud quidem primum pertractandum occurrit, ex quo maxima eorum omnium, quae dicenda sunt, confirmatio pendet aut improbatio: nempe an cùm instauratam dicimus antiquam vrbem, nomina & situs portarum, turrium, ac montium, ceterorumque locorum vrbis eadem restituta sint, an verò noua indita. Nam quod ad portam Vallis spectat, tam constanter à multis ad Orientem sistitur, vt qui eam mordicus teneret opinionem, cùm se videret aliquo manifesto Nehemiae loco falsitatis coargui, aptissimum sibi confinxisset effugium, si diceret, portam Vallis eam olim dictam, quae ad Orientem sita versus vallem Geennon fuerat; post instaurationem verò eiusmodi nomen in aliam translatum portam: & hoc commento elatus triumpharet; haud aliter quàm si totam vrbis fabricam euertisset, & quidquid luminis, & veritatis hac nostra tractatione consequutos nos sperabamus, profundae noctis caligine, ac tenebris inuoluisset: & inuoluisset sanè, nisi & veritas ipsa se proderet, atque sola ab omnium ignorationis, & calumniae tegumentis propriae splendore claritatis emergens, sese intuentibus patefaceret ac manifestaret. Quapropter initio lustratae vrbis hoc statuere voluisse videtur Nehemias, se non nouam moliri Hierosolymam, sed antiquam restituere, non noua nomina portis indere, aut turribus, sed veteres illas portas nominibus notissimas, omnium memoria celeberrimas, in antiquum splendorem & dignitatem assetere. Ecce enim lustraturus murorum, ac turrium ruinas, per portam Vallis egreditur, non quidem nouam; nondum enim quidquam aedificauerat: ergo per antiquam. Neque verò anticipationi hic locus est; tunc enim anticipationem agnoscimus, cùm nomen aliquod loco, vrbi, aut monti tribui videmus ab historico, priusquam illud nomen verè datum fuerit. At nunc certò scimus, portam quandam Hierosolymis olim dictam Vallis: legitur enim in libro Paralipomenon; *Aedificauitque Ozias turres in Ierusalem, super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere.* 2. Par. 26. ℣. 9. Quod si porta fuerat Hierosolymis, antequam subuerteretur, dicta Vallis, vt verè fuit, per eandem egressus fuit Nehemias, antequam quidquam aedificaret.

ANTE INstaurationem Nehemiae porta fuit Hierosolymis dicta Vallis.

Quapropter certò statuendum duximus, ne incerto laboremus, vrbem instauratam à Nehemia, antiquae portas, turres, ac reliquas partes suis locis conseruatas, ac proprijs nominibus, quibus olim distinctas, nihilque omnino ab eo immutatum. quod ipsa ratio postulare videbatur, & alijs quamplurimis eiusdem testimonijs pari ratione confirmari posset.

Sed dices: quid aedificabit Nehemias in porta, quae integra mansisse videtur, cùm eidem egredienti aditum patefecit? Egregium sanè dubium, ac sollerti indagatione dignum; quasi verò nullum mansisse vestigium antiquae portarum munitionis, ac turrium permisisset Chaldaeus miles, aut instaurari non posset, quod ex parte, non tamen funditus euersum fuisset? Quocirca vt non huic dubio tantùm, verùm etiam alijs, quae inter disputandum scrupulum legenti ingerere possent, semel feciisse videamur satis: hoc etiam statuendum est, non quidem totum murum Hierosolymae solo aequatum à Chaldaeis fuisse, ita vt nullum vestigium antiqui appareret; maxima ex parte dirutum fateor, quaeque igni absumi potuerunt, ea omnia consumpta fuisse; non tamen propterea & murorum magna pars, & portarum, ac turrium vestigia abolita fuerunt. Quod quidem manifestum est, si quae scribit idem Nehemias, attentiùs perpendantur. Is enim, *aedificauimus*, inquit, *murum, & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam*, siue vt ex Hebraeo reddit Regius codex, & colligatus est totus murus vsque ad medium eius: vtpote, qui fuerat dissolutus. quod sequentibus verbis magis clarè patet. *Factum est autem*, inquit, *cùm audisset Sanaballat*, &c. *quod obducta esset cicatrix muri Ierusalem, & quòd coepissent interrupta concludi, irati sunt nimis.* Et iterum: *Factum est autem cùm audisset Sanaballat*, &c. *quod aedificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (vsque ad tempus autem illud valuas non posueram in portis.).*

MVRVS Hierusalem non fuit à Babylonijs omnino subuersus. Nehem. 4. ℣. 6. & 7. Ibid. cap. 6. ℣. 1.

Sed iam, quod huius loci proprium videtur, illud est, quòd egressum Nehemiam per portam Vallis, qui audierit, meritò requiret; nempe, quanam ex parte egressus fuerit; siue quod idem est, in qua regione vrbis aperta fuisset porta Vallis? quoniam autem huius quaestionis nodum soluere tum faciliùs potero, cùm de eiusdem portae instauratione tractauero, quod ibi probandum firmiùs est, hic tantùm proponam; porta Vallis à parte occidentali vrbis Caluariae monti proxima fuit, sic dicta, non quòd in vallem Iosaphat viam faceret, vt falsò credidit alios secutus Adrichomius, sed quòd valli cadauerum fuit proxima. Illud verò quod idem subdit, eandem portam Vallis, alio nomine Gregis dictam, tam apertum continet mendum, vt tolerari non possit.

IN QVA vrbis regione fuerit porta Vallis. Adrich. de vrb. n. 165.

Nehem. 3. ℣. 1. & 13.

possit. Si enim eadem porta Vallis & Gregis dicta fuit, qui fieri potuit, vt porta Gregis primùm ab Eliasibo sacerdote magno aedificata, atque perfecta fuerit, ac postmodum porta Vallis ab Hanun, & habitatoribus Zanoë aedificata, & seris, ac vectibus instructa? vt suo loco ostendemus. Neque verò minus à veritate alienum est, quod Borchardus ttadit, eadem ferè confirmans, nempe hanc eandem portam dictam Fontis; egressus enim Nehemias per portam Vallis, & praetergressus portam Stercoris, mille cubitis ab illa seiunctam, transiuit ad portam Fontis, vt mox videbimus: numquid ad eandem perrexit, per quam egressus est?

PORTA Vallis nec Gregis, nec Fontis dicta vnquam fuit.

Borch. p. 1. c. 7. §. 45.

Aliud subiungit idem, quod si probaret, & secum ipse mirificè pugnaret, & nostram sententiam valde confirmaret. Eius haec sunt verba: Eidem portae Vallis imminebat turris Phasel, ab Herode Rege constructa. Eam verò turrim disertis verbis testatur Iosephus ad Occidentem vrbis sitam, vt nos suprà latè probauimus. ex his igitur manifestum fieret, portam Vallis ad Occidentem sitam; verùm firmioris auctoritatis vim habent Septuaginta viri, qui portam hanc Golila, voce quidem Hebraica nominatunt, quae in Caluariae locum, vel stercorum exponi potest, vt copiosè in praecedentibus persequuti sumus. Quare si vtramque lectionem coniungas, portam Vallis portam Caluariae intelliges.

Sup. lib. 2. vrb. cap. 4.

Sup. lib. 1. vrb. c. 14.

Et ante Fontem draconis, & ad portam Stercoris. Ex Hebraeo sic Regius codex: Et ad facies oculi draconis, & ad portam Stercorum. In quo quidem vehementer variant Septuaginta, qui quamuis in aliquibus codicibus magis similes vulgatae sint, in Sixtiano tamen codice sic legunt: καὶ ἀπὸς στόμα πηγῆς τῶν συκῶν cae pros stoma pigis ton sycon, & ad os Fontis ficuum. Septuaginta verò phrasim Hebraicam tenentes, ad os fontis scripsere, quod aptissimè vulgatus vertit, *ante Fontem*, hoc est, è regione ex aduerso fontis. Quare tenenda videtur sententia eorum, qui ex hoc loco adstruunt, Fontem draconis situm ex aduerso vrbis, intet portam Vallis, & portam Stercoris; quoniam & verum id est, & nulla ratione negandum. Verùm cùm hi omnes, & ipsis Septuaginta interpretibus, & veritati textus Latini aduersentut ab Oriente vrbis has duas portas statuentes, easque cum alijs diuersissimis, immo verò loco contrarijs confundentes; ideo illis in ea parte relictis, quod verum est, statuimus: Fontem hunc ad radices montis Caluariae scaturijsse, in ipsamet cadauerum, seu Golila, hoc est, stercorum valle, ex aduerso muri mille cubitorum, qui inter Vallis, & Stercoris portam restitutus dicitur in libro Nehemiae ab Hanun, & habitatoribus Zanoë.

FONS draconis inter portam Vallis & Stercoris manabat.

Nehem. 3. ℣. 13.

Vnus tamen scrupulus adhuc remouendus videtur; nempe quòd nullo modò, quod sciam, eiusmodi Fontis vestigium Hierosolymis conspiciatur: qua de causa Borchardus sollers aliàs retum indagator, portas Fonti draconis aduersas ad Orientem statuit, cùm contrà ab Occidente sitas fuisse testentur plures sacrae Scripturae loci. Verùm illud vnum dubitanti in mentem veniat necesse est, valles omnes Hierosolymitanas, tam quae extra vrbem sitae, quàm quae in media vrbe narrantur, ruinis templi & vrbis, ipsis ferè montium verticibus coaequatas fuisse: cuius quidem rei testes, ipsos oculatos audiat necesse est. Borchardus enim montem Sionem describens, cuiusdam voraginis meminit: Vorago, inquit, ista antiquitus ex omni parte cingebat montem Sion, & haec erat ciuitas Dauid. Sed nunc vorago ipsa tota est terra repleta, cuius causam dicam inferiùs: possunt tamen eius vestigia adhuc deprehendi. Hae ille. Subdit verò infrà: vallis Iosaphat Hierusalem circumdat ex parte Orientis sub monte Olíueti, quae etsi adhuc satis profunda sit, multùm tamen iussu Romanorum repleta fuit. Nam vt scribit Iosephus, ex ea parte vrbem oppugnantes, incisis oliuetis, alijsque arboribus, & aggetibus inde factis, repleuerunt eam. Insuper deuicta, & expugnata vrbe explanarunt Domini templum, & Regis atria, & montem Moria, super quem aedificata fuerant, vt de cetero locus iterum muniri non posset; iusseruntque omnia detrahi in torrentem Cedron. Inferiùs verò iterum de valle Iosaphat sic scribit. In valle Iosaphat non quidem in ima profunditate, verùm in pede montis Oliueti, parum tamen supra ipsam vallem, locatum fuit Beatissimae & Christiferae Virginis sepulcrum, quod quidem ante subuersionem Hierusalem per Romanos, supra terram eminens erat: nunc autem terra coopertum est, adeo, quòd Ecclesia ibidem in honorem Virginis constructa, cùm sit sublimium parietum, nobilissimeque testudinata, sicut decens est tantam Virginem honotare, nunc sit tota subterranea, & repletionibus ruinarum templi, & atriorum, de quibus suprà diximus, omnino cooperta, vallisque Iosaphat ibidem adeo repleta fuit, quod exstat via publica, transiens super praedictam Ecclesiam, iam sub terra absconditam. Verùm, quod ad templum Beatae Virginis ante vrbis euersionem aedificatum attinet, fides penes scriptorem sit: illud verò certum esse iudicamus, vallem Iosaphat, omnesque alias, intra vel extra non longè à ciuitate sitas, ruinis repletas fuisse, ita vt vix ampliùs effodi possint: quò factum esse iudicamus, vt fontes illi, qui in imis vallibus non ex altiori capite, sed ex ferè aequabili manabant, omnes obruti sint; ita vt eorum neque vllum possit exstare vestigium. Et huiusmodi quidem fuisse Fontem Draconis, facilè credimus; qui, quoniam ad radices Caluariae montis nascebatur in valle cadauerum, ex ruinis ac superioris vrbis sordibus oppleta, Fontem quasi sepeliuit; ita vt eius nulla exstet ibidem memoria. Huius rei exempla quamplurima quòtidie Romae visuntur: effossa enim ad triginta, nonnumquam etiam ad quadraginta palmos terra, in imo eximiae magnificentiae aquaeductus, copiosissimique fontes reperiuntur, quotum nullum priùs exstabat indicium: vsque adeo illud verum est, Roma Romae sepulta iacet. quamuis & huius fontis memoriam ibidem exstare, testes esse possint bini putei perennis ac dulcis aquae, quibus Franciscani Fratres, ac peregrini vtuntur. Huius rei testis mihi oculatus est Dominicus Danesius, cuius alibi quoque mentionem feci.

VALLEM Iosaphat oppletam fuisse aggeribus, ac ruinis templi.

FONTES aliqui Hierosolymis sepulti, ita vt eorum nullum exstare possit vestigium.

QVOMODO nullum modò vestigium exstet fontis draconis.

Borch. vbi sup. c. 42.

Supereest igitur hunc, vt de Fontis nomine nonnihil dicamus, & quare cùm à vulgato draconis Fons dicatur, Septuaginta in Regio codice, illum ipsum, in Sixtiano quoque scribant ficuum. Hebraicè fons hic dicitur תנן thanin, quae vox serpentem terrestrem, vel marinum plerumque significat. Prioris exemplum est in Deuteronomio. *Fel*, inquit, *draconum vinum eorum*. Et in Exodo: *Proiecerunt*, inquit, *singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones*: vtrobique enim haec vox reperitur. At marinum serpentem, vel potiùs cetum,

PVTEI IN Ecclesia sancti Sepulcri memoriam fontis draconis conseruant.

FONS draconis quare dicatur.

DRACO de terrestri, & aquatico dicitur.

Deut. 32. ℣. 33. Exod. 7. ℣. 12.

cetum, maximum quemcumque piscem significat in libro Iob, eodem dicente. *Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Et manifestis verbis apud Isaiam. *In die*, inquit, *illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet* את התנין & hathannin *cetum, qui in mari est*. Vnde factum putant nonnulli Graecum nomen θύννις thynnis, vel θῦνος thynos, cuius meminit Aristoteles: ab eademque Hebraea voce originem ducere Italicam Tonina, quod eos tradat Plinius balenis, & ceteris marinis piscibus antecellere. Neque verò marinos tantummodo ingentes pisces significat haec vox, verùm etiam fluuiales apud Ezechielem. *Ecce ego*, dicit Dominus, *ad te Pharao Rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*, vt ibidem ostendimus.

Iob 7. ℣.12.
Isai. 27. ℣.1.
Aristl. lib. 1. & 8. hist. animal. Plin. lib. 9. cap. 3.
Ezech. 29. ℣.3.

Quapropter fons hic forsan draconis, seu ceti, vel maximorum piscium dicebatur, eò quòd magnos pisces aleret, quos per modum hyperbolis cetos vocarent Hierosolymitani incolae: nisi malis serpentis eum fontem dici, vtpote, qui in ima, & ruderibus plena valle diffluebat, alendis serpentibus opportuna. Is autem fons & ficuum dici potuit à Septuaginta interpretibus, propter similitudinem maximam vocis תנן thenin vel תנים thenim serpentem, vel serpentes significans, & vocem תאנה theena, vel תאנים theenim ficuum, vel ficus significans, tam arbores quàm fructus. Cui forsan lectioni adhaesserunt libentius Septuaginta, quoniam plures ficulneas viderent huius fontis occasione in rupibus imae vallis cadauerum enatas ipsum fontem obumbrare, amoenamque vallem reddere.

FONS draconis dicebatur vel propter magnos pisces, vel propter serpeotes: ficuum verò, quoniam plures aleret fons ille.

Et ad portam Stercoris, subaudi, veni. Iam verò de porta hac probandum videbatur, ad Occidentem quoque vrbis sitam fuisse. Verum id constare poterit ex eo, quod hactenus probatum est, portam nimirum Vallis ad Occidentem apertam fuisse, atque ex eo quod haec ab illa mille cubitis tantummodo seiuncta sit; hoc est, quinque murorum spacijs, quae quattuor distinguunt turres. Sed haec omnia vnà cùm huius portae pleniore disputatione paulò inferiùs propriam sibi vindicant sedem; in eum igitur locum reliqua differamus. hic tantummodo monendus erit mihi lector, Nehemiam per portam Vallis, quae in medio occidentali vrbis latere erat, egressum, ad Meridiem deflexisse, vt primùm muros superioris ac dignissimae vrbis partis, nempe Sionis lustraret. *Et considerabam*, inquit, *murum Ierusalem*, Hebraicè, & fui שבר sibar, considerans in muros Hieruſalem. Septuaginta in codice Sixtiano συντείβων syntribon, & eram conuersans (vel conterens) in muro Hierusalem: at in Complutensi codice κατανοῶν catanoon considerans. Quae quidem omnes lectiones cùm in idem tandem recidant, prima tamen facie longè à se inuicem distare videntur.

PORTA Stercoris ad Occidentem sita fuit non ad Orientem.

Et primùm si Hebraica examinentur attentiùs, inde apparebit eas omnes lectionum varietates originem ducere. Nam quia verbum שבר sebar, vel שבר sabar vnico tantùm punctulo litterae ש sin variato longè diuersam, immo (vt Forstero videtur) contrariam sortitur significationem, ideo vtriusque verbi notionem exprimere videntur Septuaginta duplici verbo. Quoniam si punctum illud sit in latere dextro praedictae litterae, verbum significat frangere, confringere, conterere, cui simile omnino est Graecum verbum συντείβω syntribo;

Forst. in Hebr. diction.

A cuius quidem acceptionis exempla quamplurima in sacris litteris inuenies, vt videre est apud Isaiam. *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Et in psalmo. *Vocauit*, inquit, *famem super terram, & omne firmamentum*, sustentamentum vertit Pagninus alibi, vulgatus, *baculum panis contriuit*. Non tamen huius verbi acceptio contraria est sequenti; quinimmo similis videtur iuxta phrasim, quae habetur in libris Iudicum: *Cumque audisset Gedeon somnium*, & שברו scibro *interpretationem eius*, fractionem eius interpretatur Forsterus, hoc est, distributionem partium, & membrorum eius, nempe interpretationem singularum partium eius. Quo loco vox haec pro partium distributione sumitur: quocirca & apud Nehemiam idem videtur posse significare, atque singularum muri partium attenta consideratio: licet alij aliter deducere videantur hoc verbum quasi sit terere, vel conterere, circa rem aliquam deambulando, vt attentiùs consideretur. Hanc viam tenuisse videtur Latinus Septuaginta virorum interpres, qui in Sixtiano codice scripsit: & eram conuersans, quasi diceret, & versabar circa murum Hierusalem.

Isai. 14. ℣.5.
Psal. 104. ℣.16.
Ezech. 4. ℣.16.
Iudic. 7. ℣.15.
Forst. vbi sup.
CONSIDERARE murum quid sit.

Verum altera Hebraici verbi acceptio cum puncti (quod aiunt) sinistri nota, exspectare, arbitrari, seu considerare significat, vt apud Isaiam: *Non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam*. Non intuebuntur conuertit, & interpretatur Foreirus: quoniam quae exspectat quis, ea fixis intuetur oculis: qua etiam ratione in psalmo vsurpatur ea vox, vbi nos legimus: *Oculi omnium in te sperant*: possemus reddere, spectant, consimili significatione, defixis oculis manus tuas intuentur, inde sperantes sibi subsidia vitae necessaria mox affutura, *& tu das escam illorum in tempore opportuno*, sumpta metaphora à catellis, *qui edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum*, quos videre est dominum attentiùs intueri, quo se sperantes ostendunt.

Isai. 38. ℣.18.
Forer. in Isa.
Psal. 144. ℣.15.
Matth. 15. ℣.27.

Quoniam autem vtriusque verbi notio & vsus, ad huius orationis intelligentiam conducere non parum videbatur, ideo in omnibus, quos videre potui, Hebraicis exemplaribus, haec vox vtrumque infixum habet punctum, tam in praesenti loco, quàm in eo, quo mox repetitur. Hinc maximam collige sollicitudinem, qua murum intuebatur, eiusque omnes partes, rationesque, & modum perpenderet, quo quàm citissimè instaurari posset. *Et considerabam murum* dissipatum, vel muros (vt ex Hebraeo vertit in Regio codice Pagninus) *Ierusalem*, qui ipsi פרוצים perutsim rupti; id enim propriè significat ea vox, ruptum, seu rupturam, diuisionem, seu interruptionem. quo probari posse videtur, quod suprà attulimus, de muro non omnino euerso, sed interrupto.

MVRVS Hierusalem non omnino euersus, sed interruptus.

Et transiui ad portam Fontis, & ad aquaeductum Regis. Quàm longè à veritate aberrent, qui portam hanc eum orientali Aquarum confundant, duplici, vtraque firma ratione probari hic poterit. Prima ex vtriusque portae nomine desumpta est, quarum altera vocatur עין ghain oculi seu fontis: altera verò מים maiim aquarum; quae quidem voces quàm maximè à se inuicem distant in Hebraeo; nec minùs, quam ipsaemet portae loco aduersae sunt, prout suis locis patebit. Illud tamen eius sententiae viris omnem effugij spem adimit, quòd portam fontis eum Regis aquaeductu coniungit sacer historicus; quo quidem loco, quamuis piscinam possimus ex Hebraeo & Graeco

XIIII. PORTA Fontis longè diuersa est à porta aquarum.

conuer-

conuertere, quae, vt suo loco ostendemus, ad Occidentem quoque sita erat; nos tamen vulgatae nostrae lectionem amplexi, ipsum aquaeductum aquas ducentem in piscinam accipimus, de quo sic scribit liber Paralipomenon. *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter* aquaeductum priorem Salomonis, quoniam alium non memini me legisse, *ad Occidentem vrbis Dauid*. Ecce locum eius, ex quo facilè intelliget Lector, quam partem muri adhuc perlustret Nehemias.

2. Par. 32. ℣.30. AQVAE ductus ad Occidentem situs.

Et quidem cùm profundis vallibus circumdatam vndique vrbem fuisse tam nos, quàm omnes ferè eiusdem scriptores constanter tradant, nulla ratione fieri potuit, vt in vrbem inducerentur aquae, nisi fornicibus quibusdam, alriùs terra elatae illas voragines superarent; quia ad ima vallis eas deprimere, & valde operosum, & minus vtile videbatur: neque verò coniectura solùm in hanc ducimur sententiam, verùm etiam plurium oculatorum testium, quorum verba praesentes de hac re excepimus. Minimè contemnendae auctoritatis est Borchardus, qui eam portam, quam nos Fontis dictam putamus, Dauidis vocans, sic scribit: Prima igitur portarum vrbis, erat porta Dauid, in latere montis Sion, illo in loco, vbi duae voragines à se inuicem separabantur, quarum vna contra Aquilonem, alia extendebat se contra Orientem, eratque ibi testudo facta vltra voraginem, contra portam, per quam patebat exitus extra ciuitatem ad dexteram huius testudinis, &c. Haec ille.

Borchard. p. 1. c. 7. & 45.

Quem nos vt vera dicentem imitati, fornicem, seu pontem quendam in nostra descriptione efformauimus, qui quidem pons aquas simul fontis Gihon in vrbem induceret, & viam aperiret egredientibus porta, quae propterea Fontis dicebatur. Et huius pontis impedimenta indicat Nehemias, dum subdit: *& non erat locus iumento, cui sedebam, vt transiret.* Intelligendus enim est Nehemias per ima vallis ambulare decreuisse, cui subtus praedicti pontis testudinem transeundum necessariò erat; propiùs enim ad murum vrbis accedere equitans minimè poterat: murus enim ad extima rupium exstructus fuisse creditur, ne facilem hostibus praeberet accessum. Quod si quae via custodibus, muro proxima vmquam relicta fuit, ea ruinis murorum facilè intercluſa intelligetur, ac multò magis imae voraginis fauces, in quas deuoluti lapides è summis murorum, aditum non iumentis tantùm, verùm & ipsis hominibus omnino praecluderent. Quod probant Hebraea, quae sic licet conuertere: Et non locus iumento ad transeundum sub eo, nempe aquaeductu. Quare meritò conijci potest, Nehemiam montem Gihon circumdedisse, donec iterum ingrederetur meridianam voraginem montis Sion, & inde egrederetur in vallem Iosaphat, peruenireteque ad torrentem Cedron.

TORRENS Cedron ab Aquilone in Meridiem defluxisse probatur.

Quoniam autem deinde à Meridie versus Septemtrionem progrediebatur Nehemias, cùm dicat se ascendisse per torrentem, ipsum torrentem ab Aquilone versus Meridiem defluxisse patet, quod latiùs suo loco probabimus. Quinimmo & murum ipsum vnà cùm torrente ascendisse à Meridie in Aquilonem, probant Septuaginta, qui sic scribunt. Et eram ascendens in muro torrentis: cui consonat, quod capite sequenti habetur de aedificatoribus à Meridie in Occidentem procedentibus: *Iursum autem à porta equorum aedificauerunt sacerdotes, &c.*

Nehem. 3. ℣.28.

A *Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam* XV.
murum. Eadem hic vox habetur, quae suprà à nobis explicata est: quapropter pari quoque ratione Septuaginta vertunt: & fui conuersans in muro. Et rursus: *Veni ad portam Vallis, & redij*. Ex quibus verbis constat Nehemiam totius vrbis muros, immo & vrbem totam in circuitu perambulasse. Hoc agnouit Beda, scribens: Diuersa vr- *Beda.*
bis destructae loca lustrando peruagatur, & singula haec quomodo debeant reparari, sollicita mente scrutatur.

Magistratus autem: Hebraicè סגנים seganim, quae XVI.
vox principem magnum significat, diciturque is, qui secundus à maximo est, vt videre est in sacris
B litteris: Septuaginta, custodes vertunt; vbi non custodes vrbis intelligendi sunt, sed custodes ciuitatis, aut regionis: nempe illi, qui in custodiam prouinciae à Rege constituti erant, qui omnes alienigenae erant, insensissimique Iudaeorum genti. Quare quadam velut distributione populum in varia membra partitus, commemoratis magistratibus, quasi diuersam nationem gentem commemorat, dicens: *Sed & Iudais*: nomen est omnibus ijs, quos deinceps recensет, commune; *& sacerdotibus*, quasi dicat, *sed & Iudaeis*, nempe *sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus* Iudaeo- QVI DIcantur facientes opus.
rum, *& reliquis, qui faciebant opus*. De quibus nunc loquatur Nehemias, libentius aliorum audi-
C rem sententias, quàm animi mei coniecturam proferrem: verùm in ijs, quae à nemine pertractata sunt, non contemnendam operam nauare putandus est, qui inuestigandi viam aperit, difficilem quamuis & arduam. Vox enim מלאכה melacha tam latè significatione patet in Biblijs, vt vix in aliquam aliam possit alterius idiomatis transferri: significat enim opus, industriam, artificium; transferturque eleganter ad significandum diuitias, & OPERIS nomen latè patet in Scriptura sacra. *Prouer.22. ℣.30.*
ea paene omnia, quae humana industria parta, in vsum ac ministerium hominum cedunt; siue artes, siue pecora, siue quidquid eiusmodi. Sic in Prouerbijs: *Vidisti virum velocem in opere suo*, hoc est, industrium, sollertem in rebus agendis? *coram Re-*
D *gibus stabit*. Tales enim à principibus amantur, atque in aulis versari decet, *nec erit ante ignobiles*. Et in libro Paralipomenon. *Habes quoque*, inquit, *plurimos, artifices, latomos, & caementarios, artifices-que lignorum & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos*. Et in Exodo de Beseleel sic loquitur ad Moysem Dominus. *Et impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere*, agendo inquam. Iuxta hanc igitur vocis istius acceptionem, haud difficile erit verum verborum Nehemiae sensum eruere, quo se nihil cuiquam hactenus aperuisse ex instituto & consilio testatur. Percensет enim breui omnem populum in diuersa capita distributum, nempe in alie-
E nigenas magistratus, qui constituti fuerant ab Artaxerxe ad populi Israëlitici curam, & administrationem; & in Iudaeos. Hos autem rursus subdiuidit in quattuor classes, nempe sacerdotes, optimates, qui genere, sapientia, diuitijs, rebus quoque bene gestis aliorum optimi iudicabantur: nullam tamen Reipublicae partem gerebant, & magistratus, qui habita facultate à superioribus illorum FACIENtes opus populi vulgus dicitur.
nomine negotia curabant inferiora. Vltimum tandem, ac infimum hominum in Republica genus fuit facientium opus, vel negotiationis, vel artificij, & reliquum vulgus, ac si diceret: atque hi quidem omnes, *nesciebant, quò abijssem, aut quid ego facerem*.

1. Par. 22. ℣.15.

Exod. 31. ℣.3.

VRBS TOta Hierosolyma in varia capita distribuitur.

Et

XVII. *Et dixi eis*, subintelligendum aliquid videtur, nempe conuocata concione, & in vnum locum redactis ijs omnibus, quos percensuerat ad Iudaicum populum pertinuisse, quibus tantummodo se eousque nihil indicasse testatur, postmodum verò dixisse eis: *Vos nostis* experientia edocti, fratrum querellis, atque assidua rerum meditatione, quali solet in arduis rationabilium hominum mens sollicitari: quapropter Hebraeus ראים roim scribit, videntes estis, aut videtis, *afflictionem, in qua sumus*, Hebraicè הרעה haragha, malum. Vocem hanc suprà pluribus interpretati sumus. *Quia Ierusalem deserta est, & portae eius consumptae sunt igni.* Nec mirum incolis desertam vrbem, quae munitionis praesidio ab hostium incursibus suos tueri minimè potest; id quod apud Iosephum testatur Hanani: interroganti enim Nehemiae, quomodo se haberet ille populus, & caput eorum Hierosolyma, malè se habere respondit, eo quòd eius moenia diruta essent, & circum vicinae gentes multa mala Iudaeis inferrent, die, noctuque agros excursionibus ac rapinis populantes, & multos ex ea regione, atque adeo ex vrbe ipsa captiuos abducentes. Haec ille. Quae omnia mala, quae ipsimet pati se norunt, & vereri meritò possent eadem, vel etiam maiora se in dies passuros; ideo ob oculos eorum proponit, quòd speret populum facilè excitandum ad omnia incommoda, labores, & pericula subeunda, vt aliquando ex tot calamitatum quasi pelago salui incolumesque enatent; atque vt eos in spem erigat, sequentia attexit.

COMMVnia mala experientia, aliorum querellis, atque assidua meditatione percipiuntur.

VRBS, quae suos tueri non potest, meritò ab incolis deserta est. *Ioseph. 11. antiq. c. 1.*

XVIII. *Et indicaui eis manum*, potestatem, ac virtutem, & robur *Dei mei, quòd esset bona* fauorabilis *mecum*: cuius rei luculentissimum eis protuli exemplum, nempe, *& verba Regis, quae locutus esset mihi. Et aio, surgamus.* Pari quoque ratione Septuaginta verterunt; verùm ex Hebraeo alij interpretantur; & dixerunt, nempe populus, & omnes, qui me audierant, surgamus, & aedificemus: existimant videlicet, lectione nostra exhortantis Nehemiae verba contineri. Graeca autem cum Hebraeis ea referunt, quasi verba sint se mutuò exhortantium omnium, ad opus arduum & difficile strenuè peragendum. Quae quidem licet diuersae videantur lectiones, in idem recidunt. Nam & Nehemiam credimus populum eiusmodi verbis excitasse, populumque sese mutuò eisdem verbis ad opus vrgendum commonuisse: nisi malis Nehemiae, ac totius populi simul ea verba esse, in quae quodam nouo excitati spiritu omnes proruperunt, dicentes: *Surgamus, & aedificemus. & confortatae sunt manus eorum in bono.* Hebraicè ויחזקו vaiechazku, & confortauerunt: est enim verbum חזק chazach plura significans: denotat enim firmam apprehensionem, vel firmam retentionem cum comprehensione; vt cùm corpus constringitur, aut retentione spiritus confirmatur, aut res inhians, nec cohaerens refarcitur, vt firmiùs consistat.

NEHEMIAS populum ad aedificationem hortatur, atque populus se mutuò.

CONFORtare manus. MANVS praecipua nostrarum operationum instrumenta, quae metus, ignauia, vel languor dissoluit, eaedem consilio, fauore, auxilio, & spe confortantur.

Quod verò ad praesentis instituti nostri rationem magis pertinet, frequens illa phrasis explananda est, qua humanarum actionum, ac motuum potissima instrumenta (manus inquam, ac pedes) quae, vel metus, vel ignauia, vel languor dissoluerat ac debilitarat, consilium, fauor, auxilium, spes confortant, atque corroborant. Omnem huius verbi vim expressit Isaias, vel potius apud Isaiam Dominus: *Confortate*, inquit, *manus dissolutas, & genua debilia roborate*: qua autem potissimùm ratione haec praestanda forent, indicat subdens: *Dicite pusillanimis, confortamini, & nolite timere*, &c. Verùm, quoniam saepe dissoluit manus

Isai. 35. ℣. 3. & 4.

A poenae timor, ne ad mala sint procliues, non desunt etiam, qui manus ad mala confortent. Quorum grauissimum scelus expostulat Dominus apud Ezechielem: *Et confortastis*, inquit ad pseudoprophetas *manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret.* Idemque ipsum argumentum latè prosequitur Ieremias: *Et confortauerunt*, inquit, *manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua: facti sunt mihi omnes vt Sodoma*, liberam sibi peccandi licentiam assumentes. Contrà verò fecisse dicitur populus, de quo est sermo praesens: *Confortatae sunt manus eorum in bono*; hoc est, abiecto omni timore, maxima spe concepta, resumptis viribus atque animis, obfirmarunt studia sua in bonum, nempe vt bonum praestarent, atque exsequerentur. Quod cùm primùm quis in animum inducit, ecce mox omnium aduersariorum concitantur copiae, atque odio & inuidia armati omnes euertere conantur proficuos conatus.

MANVS, quas poenae timor retrahit, ad malum confortant pseudoprophetae. *Ezech. 13. ℣. 22. Ierem. 23. ℣. 14.*

ADVERsus bonorum primos conatus concitantur mox hostes.

Audierunt autem Sanaballat, & reliqui hostes Israël, & Iuda, *& subsannauerunt nos, & despexerunt*: Hebraicè וילעגו לנו ויבזו vaiilghagu lanu vaiibzu, & subsannauerunt nos, & despexerunt. Septuaginta verò, καὶ ἐξεγέλασεν ἡμᾶς καὶ ἦλθον ἐφ' ἡμᾶς cae exegelasan himas, cae ilthon eph himas, & subsannauerunt nos, & venerunt super nos. Verbum autem לעג laghag significat subsannare, hoc est, irridere, pertinetque propriè ad gestum, quando nempe contortis oculis, aut ore quis irridetur. Quare aptissimè vulgatus verbum hoc sic conuertit: *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius*, vel vt habent Septuaginta, irritat eum, qui fecit illum: cuius quidem singularis delicti originem, & caput damnat subdens, *& qui ruina laetatur alterius, non erit impunitus.* Ad huius verbi notionem respexit in Prouerbijs Salomon. *Oculum*, inquit, *qui subsannat patrem, & qui despicit partum*, hoc est dolores, quos in eo parturiendo sustinuit mater (eos igitur dolores, ac omnes reliquos labores partus nomine comprehendit Sapiens) *partum matris suae, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilae.* Poenam commemorat iure debitam oculis, qui instrumenta fuerunt aliquando, quibus pater, aut mater contemptui haberetur, aut derisui. Verbum autem בזה bazah propriè despicere, contemnere significat, quod corde quidem fit, & aestimatione. Sic in Genesi, vbi nos de Esau legimus, *& abijt paruipendens, quòd primogenita vendidisset*: & despexit Esau primogenituram suam: sic ex Hebraeo Pagninus. Quoniam autem eos, quos quis despicit hostes, facilè aggreditur, Septuaginta potiùs sensum reddiderunt, quasi interpretari volentes, in quo despexerint Hebraeos, dum scripsere: venerunt super nos, haud aliter quàm si nos proterere, & conculcare voluissent. *Dixerunt-que, quae est haec res, quam facitis? numquid contra Regem vos rebellatis?* Consueta Regijs ministris accusatio, qui quidquid proprijs commodis, aut honoribus obesse vlla ratione suspicantur, id omne quasi contra Regiam Maiestatem factum adstruere conantur, quò Regia potestate, non tantùm propria se à suis vindicent hostibus, vel non subditis. Qua ratione Aman contra Mardochaeum iratus, quod se non adoraret, in totam Iudaeorum gentem iram effundere cupiens, Regem alloquitur, atque eidem Regi necessarium fore suadet, vt ea gens periret. *Est*, inquit, *populus per omnes prouincias Regni tui dispersus, & à se mutuò separatus,*

XIX. SVBSANnare quid significet. *Prou. 17. ℣. 5.*

POENA terribilis eorum, qui patrem vel matrem irridet. *Prou. 30. ℣. 17.*

Gen. 25. ℣. 34.

Pagnin. in dictionar.

CONSVEtum Regijs ministris facinus, quidquid proprijs commodis obesse arbitrantur, id omne contra Regiam maiestatem factum adstruere procurant. *Esther. 3. ℣. 8.*

ratus, nouis vtens legibus, & caerimonijs, insuper & Regis scita contemnens. Et optimè nosti, quòd non expediat Regno tuo, vt insoleſcat per licentiam. Neque verò verbis tantummodo, Nehemiae conatus impedire conati ſunt aduerſarij, verùm etiam factis, quae percenſet, breui Ioſephus his verbis. Eius rei (quod populus à Nehemia ſuaſus, muros inſtaurare decreuerat) eius, inquam, rei fama, vbi ad Ammonitas, ac Moabitas, Samaritaſque, & Syriae Cauae incolas perlata eſt, iniquiſſimè tulerunt, nec vnquam ceſſauerunt inſidiari, & conatus ipſorum impedire; interceptiſque multis Iudaeis, tentauerunt ipſum Nehemiam per conductitios ſicarios tollere: crebros etiam terrores eis incutiebant, rumores ſpargentes, quaſi magni diuerſarum gentium exercitus eos eſſent inuaſuri, ita vt parum abfuerit, quin hoc metu ab incepto opere deſiſterent: Nehemiam verò nihil horum ab inſtituto deterrere potuit, ſed ſtipatus aliquot ſatellitibus intrepidus pergebat, prae nimio ſtudio nullum laborem ſentiens. Haec ille.

Ioſeph. 11. antiq. c. 5.

NEHEmiae conſtantia.

XX. REDDERE ſermonem.

Et reddidi eis ſermonem: reſpondi eis iuxta ea, quae interrogabant, ſiue reſponſum fuit interrogationi omnino par: *dixiq́ue ad eos: Deus caeli ipſe nos iuuat, & nos ſerui eius ſumus*; quaſi diceret, falsò ſeruos Regis vos eſſe profitemini, dum contra Regis iuſſa opus noſtrum impedire tentatis: nos contra caeleſtis Regis ſerui cùm A ſimus, eius ope ac praeſidio freti rem hanc, difficilem quidem & arduam, libenter aggredimur, atque vobis volentibus, aut nolentibus; *Surgamus, & aedificemus*. Septuaginta: Deus caeli ipſe proſperabit nos, & nos ſerui eius puri, hoc eſt, ſancti, ſinceri, vacui, integri, caſti, liberi; id enim omne ſignificat vox Graeca καθαροὶ cathari, non noſtris commodis inhiantes, ſed Dei miniſterio. Quapropter, ſubdunt Septuaginta: & aedificabimus inuitis etiam omnibus alijs. *Vobis autem non eſt pars, & iuſtitia, & memoria in Ieruſalem*. Tria illis denegat, quae magni ab Hebraeis fieri ſolebant. Primum, habere partem, ſeu hereditatis portionem aliquam in Hieruſalem; B quod ſi id non poſſent, ſaltem habere cuperent ius aliquod ad aliquam alterius partem: quod ſi neque hoc daretur, ſaltem in numerum Hieroſolymitanorum ciuium adſcribi curarent, quo memoria eorum in ciuitate illa, quae caput erat eiuſdem gentis, manere in longa ſaecula poſſet. Ex quibus nihil omnino gentibus illis deberi, eoſque omni Hieroſolymitana conſuetudine arcendos meritò praedicat Nehemias. Sed his à nobis praetermiſſis, ad ipſam vrbis inſtaurationem preſſiùs ſequentibus capitibus pertractandam deſcendamus.

SERVI Dei puri qui ſint.

PARS, IV. ſtitia, aut memoria in Hieruſalem, quid ſit, & quanti ab Hebraeis fieret.

EX LIBRO NEHEMIAE QVI ET ESDRAE SECVNDVS DICITVR.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Muri aedificatores, aedificij seriem, portas, ac turres, ordine percenset Nehemias.

I. ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & aedificauerunt portam Gregis: ipsi sanctificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel.

II. Et iuxta eum aedificauerunt viri Iericho: & iuxta eum aedificauit Zachur filius Amri.

III. Portam autem Piscium aedificauerunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras. Et iuxta eos aedificauit Marimuth filius Vriae, filij Accus.

IIII. Et iuxta eum aedificauit Mosollam filius Barachiae, filij Mesezebel: & iuxta eos aedificauit Sadoc filius Baana:

V. Et iuxta eos aedificauerunt Thecueni: optimates autem eorum non suppossuerunt colla sua in opere Domini sui.

VI. Et portam Veterem aedificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes:

VII. Et iuxta eos aedificauerunt Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen.

VIII. Et iuxta eum aedificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eum aedificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateae latioris.

IX. Et iuxta eum aedificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Ierusalem.

A Et iuxta eum aedificauit Iedaia filius Haromaph contra domum suam: & iuxta eum aedificauit Hattus filius Haseboniae. X.

Mediam partem vici aedificauit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum. XI.

Et iuxta eum aedificauit Sellum filius Alohes, princeps mediae partis vici Ierusalem, ipse & filiae eius. XII.

Et portam Vallis aedificauit Hanun, & habitatores Zanoë: ipsi aedificauerunt eam, & XIII.
B statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro vsque ad portam Sterquilinij.

Et portam Sterquilinij aedificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse aedificauit eam, & statuit valuas eius, & seras, & vectes. XIIII.

Et portam Fontis aedificauit Sellun filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse aedificauit eam, & texit, & statuit valuas eius, & seras, & vectes, & muros piscinae Siloë in hortum Regis, & vsque ad gradus, qui descendunt
C de ciuitate Dauid. XV.

Post eum aedificauit Nehemias filius Azboc princeps dimidiae partis vici Bethsur vsque contra sepulcrum Dauid, & vsque ad piscinam, quae grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium. XVI.

Post eum aedificauerunt Leuitae, Rehum filius Benni: post eum aedificauit Hasebias princeps dimidiae partis vici Ceilae in vico suo. XVII.

Post eum aedificauerunt fratres eorum Ba- XVIII.

uai filius Enadad, princeps dimidiae partis Ceilae.

XIX. *Et aedificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maſpha menſuram ſecundam, contra aſcenſum firmiſſimi anguli.*

XX. *Poſt eum in monte aedificauit Baruch filius Zachai menſuram ſecundam, ab angulo vſque ad portam domus Eliaſib ſacerdotis magni.*

XXI. *Poſt eum aedificauit Merimuth filius Vriae filij Haccus, menſuram ſecundam, à porta domus Eliaſib, donec extenderetur domus Eliaſib.*

B

XXII. *Et poſt eum aedificauerunt ſacerdotes viri de campeſtribus Iordanis.*

XXIII. *Poſt eum aedificauit Beniamin & Haſub contra domum ſuam: & poſt eum aedificauit Azarias filius Maaſiae filij Ananiae contra domum ſuam.*

XXIIII. *Poſt eum aedificauit Bennui filius Henadad menſuram ſecundam, à domo Azariae vſque ad flexuram, & vſque ad angulum.*

XXV. *Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quae eminet de domo Regis excelſa, id* A *eſt, in atrio carceris: poſt eum Phadaia filius Pharos.*

Nathinaei autem habitabant in Ophel, vſque XXVI *contra portam Aquarum ad Orientem, & turrim, quae prominebat.*

Poſt eum aedificauerunt Thecueni menſuram XXVII *ſecundam è regione, à turre magna & eminente vſque ad murum templi.*

Surſum autem à porta Equorum aedificaue- XXVIII *runt ſacerdotes, vnuſquiſque contra domum ſuam.*

Poſt eos aedificauit Sadoc filius Emmer con- XXIX. *tra domum ſuam. Et poſt eum aedificauit Semaia filius Secheniae, cuſtos portae Orientalis.*

Poſt eum aedificauit Hanania filius Selemiae, XXX. *& Hanun filius Seleph ſextus, menſuram ſecundam: poſt eum aedificauit Moſollam filius Barachiae, contra gazophylacium ſuum. Poſt eum aedificauit Melchias filius aurificis vſque ad domum Nathinaeorum, & ſcruta vendentium contra portam Iudicialem, & vſque ad cenaculum anguli.*

Et inter cenaculum anguli in porta Gregis XXXI. *aedificauerunt aurifices & negotiatores.*

EXPLANATIO EIVSDEM TERTII CAPITIS NEHEMIAE.

DE PORTA GREGIS, TVRRI MEATH, & turri Hananeel, ab Eliasibo summo sacerdote & fratribus aedificatis.

Caput VII.

I. SVRGERE quid significet.

ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, Hebraicè ויקם vaiacham, & surrexit: verbum enim קום chum, est surgere, stare, suscitare, statuere, firmare, confirmare; estque frequens in sacris litteris: dicitur enim de consilio, verbo, doctrina, iudicio, promissione, & tunc significat stare, firmum, ratum, ac stabile esse. Sic apud Ieremiam: *Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto, vt sciatis, quia verè complebuntur sermones mei contra vos in malum:* Quia surgendo surgent sermones mei super vos, vertunt nonnulli ex Hebraeo. Et apud Isaiam confisus in Domino populus, hostes lacessit illis verbis: *Loquimini verbum, & non fiet*, vel non surget, stabilietur, non erit firmum aut stabile. Quare vsus obtinuit, vt hoc verbo significet strenuum illud animi decretum, quo quis alicui peragendo negotio, maximè si magnum sit & arduum, se praemunit, & excitat. Huiusmodi est illud Ieremiae: *Et in tempore afflictionis suae dicent, surge, & libera nos:* quibus respondet Dominus eisdem verbis assumptis: *Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te.* Sic in psalmo: *Surge Deus, iudica terram.* Et iterum: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae.* Quibus verbis Deum deprecari videtur Psaltes, vt firmiter statuat, ac quàm primum maturet, dimisso mobili tabernaculo, firmam ac stabilem Regni sui sedem intra templi adyta sibi, & arcae sanctificationis suae collocare. Neque tantummodo decretum ipsum, operis exordium praecedens significat hic modus loquendi, verùm etiam sollertem operam, quam ipsimet peragendo negotio quis nauat. Sic in Deuteronomio: *Maledictus qui non* יקים iichim statuerit, suscitauerit, melius vulgatus, *permanet in sermonibus legis huius.* Ex dictis ergo egregia Eliasibo laus, vtpote instaurationis autesignano tribuitur hoc verbo, quo & incunctanter statuisse, & strenuo, laeto, ac constanti animo aedificationem aggressus, sollerti & opera & industria ad finem vsque perduraſſe traditur. quod & pluribus locis infrà testatum habetur. Ac propterea meritò quasi quoddam exemplar proponitur, imitandum ijs omnibus, qui dirutos caelestis vrbis, quae intra vnumquemque nostrum est, muros, diuina iuuante gratia, erigere apparant.

Ierem. 44. ℣.29.

Isai. 8. ℣.10.

STRENUUM animi decretum verbo surgendi significatur.

Ierem. 2. ℣.27.

Psal.81. ℣.8.

Psal.131. ℣.8.

SOLLERS opera, quae ipsi negotio peragendo nauari solet, eodem verbo significari consueuit in sacris literis.

Deut. 27. ℣.26.

CONstans statutum, strenua operatio, sollers opera Nehemiam concomitantur.

Hic autem Eliasibus nepos fuit illius magni, ac summi sacerdotis Iosue, qui Iesus quoque dictus est, filius Iosedech, ad quem locutus fuit nomine Domini Aggaeus Propheta. De hoc enim sic scribit idem Nehemias: *Hi sunt autem sacerdotes, & Leuitae, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Iosue.* Percensitis autem sacerdotibus, subdit: *Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib*, &c.

QVIS FVERIT Eliasib.

Agg.1.℣.1. Nehem.12. ℣.1.& 10.

Et fratres eius sacerdotes. Filij Aaron propterea Eliasibi fratres dicuntur, quòd ab eodem parente originem & sacerdotium ducerent. nisi etiam modestia Eliasibi his verbis innuatur, qui, quos dignitate, & gloria muneris sui tamquam parens filios, praecedebat, caritate tamen tamquam fratres complectebatur; eorumque in difficiliori opere ac laboribus socium, ac comitem se praebebat, haud secus quàm si legem accepisset, quam pastoribus praescribit summus pastor, & Pontifex Petrus: *Seniores ergo*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro consenior*, &c. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, &c. *Neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quibus adiungendum est, quod Beda notauit: Rectè restauratio, inquit, à sacerdote magno, & fratribus eius coepit, vt qui gradu praecellerant ordinis, ipsi in bonis operibus exemplum cunctis fierent.

QVOS muneris dignitate tamquam parens praecedit, eosdem caritate tamquam fratres complectitur Eliasib.

1.Pet.5.℣. 1.2.& 3.

Et aedificauerunt portam Gregis. De porta Gregis, eiusque situ ita manifestè loquuntur sacri textus, vt nullus ambigere potuerit, eam templo proximam, ac propterea omnium vrbis portarum celeberrimam fuisse; tum quòd omnibus vndequaque ad templum confluentibus, breuiorem, facilioremque praebebat aditum: tum etiam, quia victimae, quae ex omnibus serè mundis animalibus iugiter in templum inferebantur è valle Iosaphat, quae amoenissimis pascuis abundans eos alebat, in vrbem primùm per eam portam inducebantur. Huic proxima erat Probatica piscina, in qua lauabantur victimae, priuſ-

PORTA Gregis templo proxima omnium portarum vrbis celeberrima fuit.

priusquam in templum offerrentur; ne fortè inducerentur immundae. Hanc ob rem factum arbitror, vt porta, piscina; & forum, quàmimmo & tota illa ciuitatis pars templo vicina, à gregibus nomen mutuaretur, vt suprà probauimus. Meritò ergo Glossa Bedam commemorat veteris translationis meminisse, quae habebat; & aedificauerunt portam, & piscinam Probaticam: & subdit, Ioannem huius piscinae meminisse, dum: *Est autem*, inquit, *Ierosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraicè Bethsaida*. Neque aliquid obstat, intelligere ipsum locum hic esse designatum, quia nec nomen Probaticae multùm distat à nomine gregis: Graecè enim ouis probaton dicitur. Haec ibi.

Sup. lib. 2. verb. cap. 13.

Ioan. 5. ℣. 2

Quae quidem cum veritate maximè consentiunt, si quae suprà attulimus de portae huius, ac piscinae nomine, in memoriam reuocentur. Hoc vnum notandum hic videtur; portam hanc à confusionis iniuria facilè vindicari, si Borchardus, eiusque assectae, dum asserunt hanc eandem portam dictam quoque fuisse Vallis, dixissent simul, quamnam portam Vallis aedificauerit infrà Hanun, cùm modo aedificata fuerit ab Eliasibo porta Gregis, iuxta Probaticam piscinam. Quòd si aedificatum aedificare nullo modo poterunt; permittant aliam esse portam Vallis à porta Gregis, quamuis enim haec iuxta vallem Hennon aperta fuisset: aliam tamen posimodum inueniemus vallem, à qua porta illa altera occidentalis dicatur porta Vallis. Huius quidem portae munitionem, dignitatem, & gloriam persequutus videtur Michaeas Propheta, eandem compellare non dubitans, eique inauditam felicitatem laetabundus gratulans: *Et tu turris Gregis nebulosa filiae Sion, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, Regnum filiae Ierusalem*. Et quamuis nomen מגדל migdal, quod habetur apud Michaeam, in turrim conuersum, longè diuersum videatur à nomine שער scaghar, quod habetur in Nehemia: tamen si vtriusque nominis ratio attentiùs consideretur, non secus hoc quàm illud eidem portae Gregis meritò tribuendum comperietur. Illud enim à radice גדל gadal deducitur, quae magnum esse significat, siue excrescens; vnde vocem migdal, domum, seu aedificium significare putatur magnum, & altum, quòd, turris arcis, seu munitionis loco haberi potuisset. Sic apud Isaiam: *Et aedificauit turrim*, arcem, munitionem posses intelligere, *in medio eius*. Et in Genesi: *Eaciamus nobis*, inquiunt superbissimi homines, *ciuitatem, & turrim*. Et infra: *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim*. Est autem huiusmodi interpretatio ex Pagnino. At Forsterus vocem alteram sic interpretatur, vt quoniam eius radicem putat spectrum, seu terriculamentum significare, ideo portam vrbis, aut arcis sic dictam Hebraeis putat, quod sit propter amplitudinem, munitionem, & potentiam, iudiciaque & magistratus in eis considere solitos horrenda: quapropter meritò eadem & magna, siue turris dicitur, & propter magnitudinem hostibus pertimescenda.

Sup. lib. 2. verb. c. 14.

PORTA Vallis non eadem, quae Gregis.

Infra ℣. 13.

PORTAE Gregis dignitas, & gloria.

Mich. 4. ℣. 8.

TVRRIS quare dicatur porta Gregis.

Isai. 5. ℣. 2.

Gen. 11. ℣. 4. & 5.

Pagnin. in dictionar. Forster. in dictionar.

Neque verò magis, sed multò minùs significatione differunt aliae duae voces, quae hoc & illo loco reperiuntur apud Nehemiam צאן tson, pecoris, vel gregis; & apud Michaeam ערר ghadar, gregis: haec enim vox gregem significat, & collectionem quandam animalium, cùm minorum, vt ouium, caprarum, tùm etiam maiorum, vt boum, & armentorum: vt in Genesi Iacob, *misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis, antecedite me, & sit spacium inter gregem & gregem*. Enumerantur autem ibidem greges caprarum, hircorum, ouium, arietum, camelorum, vaccarum, taurorum, &c. Vox autem altera צאן tson, gregem quoque significat, & pecus, tam capras, quàm oues; licet saepius de ouibus dicatur. quò autem collectiuum nomen esse significetur, non potiùs haec quàm illa animalia significans, sed eorum collectionem, vel vnicum tantùm sufficere potest Ezechielis testimonium: *Multiplicabo eos sicut gregem hominum, vt gregem sanctum, vt gregem Ierusalem in sollemnitatibus*; hoc est, sicut multiplicantur sanctarum hostiarum greges in sollennitatibus Hierusalem &c. vbi de hominibus, & gregibus eleganti translatione eadem vox dicitur. Quare meritò porta haec, quae ijs omnibus gregibus sanctis potissimùm, hoc est, Deo dicatis, quique in templo Dei mactandi essent, aditum aperiebat, porta Gregis dicebatur.

Ezech. 36. ℣. 37. & 38

PORTA pecoris, & turris Gregis idem omnino significat.

Gen. 32. ℣. 16.

Ceterùm huius turris fit mentio in Genesi, vbi de Iacob scribitur: *Egressus inde*, nempe de Bethleem, vbi sepultam dimiserat Rachelem, *fixit tabernaculum trans Turrem Gregis*. Quae sic interpretatur Hieronymus: Turri primùm Hebraicum nomen Ader tribuit, subditque: Hunc locum Hebraei esse volunt, vbi postea templum aedificatum est, & turrim Ader turrim Gregis significare, hoc est, congregationis, & coetus. quod & Michaeas Propheta testatur, dicens: *Et tu turris Gregis nebulosa, filiae Sion*, &c. illoque tempore Iacob trans locum, vbi postea templum aedificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viae pastorum, iuxta Bethleem locus est, vbi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit; vel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens; vel quod verius est, quodam vaticinio futurum iam tunc mysterium monstrabatur. Haec Hieronymus.

Gen. 35. ℣. 21.

DE TVRRI Gregis, cuius fit mentio in Genesi, an sit eadem cum porta Gregis.

S. Hieron. trad. in Genes. Mich. vbi sup.

His Sancti Hieronymi rationibus minimè cogi nos posse putat Ribera, vt viae ordinem tenentes à veterum Hebraeorum sententia recedamus. Et quidem quod ad viam attinet, non dubitamus, viciniorem quidem fuisse Bethleemiticae habitationi turrim illam, quae modò Gregis dicitur; siquidem iuxta illam apparuisse creditur pastoribus angelus. Verum eam non esse turrim Gregis, iuxta quam Iacob tabernacula posuerat, vel eo ipso Euangelistae testimonio comprobari videtur: nam dum natum Dominum iuxta Bethleem commemorat, subdit: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos*, &c. Hinc ego colligo, non eam esse, iuxta quam Iacob resedit aliquantulum, atque quieuit: quoniam postquam titulum erexerat in Bethleemitica regione carissimae Racheli vita functae, *Egressus inde* dicitur, absque dubio ex illa regione, ne praesentia monumenti dilectissimae vxoris memoriam refricans, dolorem augeret, lacrymasque extorquere numquam cessaret; fixitque tabernaculum suum trans turrim Gregis, quae erat sita in Hierosolymitana regione ad radices montis Moria. In hac fuit sententia Benedictus Ariamontanus: Iacobum enim cùm commemorasset, Rachelem dilectam sponsam vita functam sepulcro donasse in terra Bethleem, subdit: Atque aliquanto itineris spacio progressus, in Iebusaeorum agro trans turrim Gregis tabernaculum collocauit. Haec ille. Et quidem montem Moria, cui proxima est porta Gregis, aream fuisse Ornan Iebusaei, satis constat ex sacris litteris: vocat

ORDO viae non cogit nos turrim Gregis iuxta Bethleem constituere.

Rib. super Mich.

Luc. 2. ℣. 8. & 9.

Bened. Ariamon. lib. de 12. gentib. c. 10.

TVRRIM Gregis à Iacobo Patriarcha hanc portam dictam fuisse conijcimus. *Sup. lib.2. vrb. c.15.*

PORTA Gregis à Dauide exstructa creditur, à Salomone amplificata. *Ioseph. 6. bell. c.6. Mich.4.℣. 7.& 8.*

FILIA Sion dicitur turris Gregis, vtpote Sioni quasi in sinu adiacens.

NVLLA alia legitur turris Gregis ab ea, quam quae porta Gregis dicebatur.

PORTA Gregis propter eius dignitatem sacerdoti magno aedificanda tributur.

Luc.19. ℣.37. HAE OMnes portae laudes eò tendere videntur, vt ostendant Christum Dominum eam ingressum in die palmarum.

Sup. lib.2. vrb.cap 7.

PORTA Gregis dicta fuit negotiatorum. *Nehem. 3. ℣.31.*

cat autem eam Moyses prophetico sermone turrim Gregis : nisi malis, quod magis crederem, vallem Iosaphat, seu Hennon, vtpote pascuis vberrimam, à Iacobo habitationi suae, suisque pascendis pecoribus electam fuisse, & propterea factum, vt turris in eius vallis altero cliuo erecta, diceretur Gregis: cuius rei memoriam conseruantes Hierosolymitani habitatores, portam illam, quae olim à Dauide exstructa fuerat, vt suprà probauimus ex Iosepho, Gregis porta diceretur, quam postea magnificentissimis aedificijs ac propugnaculis nobilitatam fuisse conijcimus à Salomone, quando ab ea porta, quam vocat Iosephus portam Genath, muro secundo principium dedit. Haec haud temerè à nobis dicta credenda sunt, cùm eiusdem Prophetae testimonio valde comprobentur. Nam cùm disertis verbis regnaturum Dominum super Sion dixisset, turrim filiae Sion laetitia gestiens compellat, inquiens : *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & vsque in aeternum : Et tu turris Gregis nebulosa filiae Sion vsque ad te veniet*, &c. Sic enim legit Sixtianus codex, non filia, vt alij. Et quamuis cum Ribera legeretur filia Sion; non tamen propterea alium licet eruere sensum, nam & portae felicitatem, Sionis felicitati, & hanc illi maximè conducere non est dubium. Filia autem Sion dicetur ea turris, vtpote Sioni proxima, in eius, quasi matris gremio sita. Idemque omnino probatur ex eo, quod nebulosa dicitur haec turtis, seu Ophel; hac enim voce, vt suprà interpretati sumus, vel turris celsitudo, quae Bethlehemiticae turri conuenire nulla ratione poterit, significatur; vel quod magis crediderim, vicinam fuisse hanc turrim Nathinaeotum habitationi, quae vocabatur Ophel, quo ab alia quacumque turri, quae eodem diceretur nomine, secerni facilè posset.

Vetùm frustra laboramus in distinguenda hac turri ab alia, quam nullibi reperimus hac voce denotari in sacris. Haec est ergo sola turris, seu porta Gregis, propter quam tentoria locauit Iacob, & quam alloquitur honorificentissimè Micheas. Neque ob aliam causam Nehemiam credimus instaurandam vrbem aggressum, ab hac porta, tamquam à capite initium duxisse, eam totius Synagogae ac gentis capiti Eliasibo sacerdoti magno aedificandam vnà cum sacerdotibus tradens, quàm vt huius portae dignitatem, magnificentiam, & gloriam testatam futuris saeculis relinqueret. Ea autem omnia, quae diximus, in figura quidem illis contigisse non dubitamus, & quasi in vmbra eius gloriae, quam vt multò antè praedixerat Micheas, aduentus Christi attulit : hac enim porta in die palmarum quasi triumphum agens, ingreditur; de quo Sanctus Lucas Euangelista sic scribit: *Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti*, &c. Ex loco, vnde venit, nempe à monte Oliueti, & ex templi situ, in quod ingressum fuisse testatur idem Euangelista, non dubia coniectura ducimur, vt credamus, per portam Gregis, quae monti obiecta, & templo vicina erat, ingressum fuisse Dominum. Quòd autem de hoc Christi aduentu loquatur propheta, manifestè probat consensus eorum, quae subdit Euangelista cum ijs, quae à Propheta dicuntur de Regno Christi, de quibus & nos alibi Deo dante. Nunc ad portam Gregis reuertatur oratio, quam Liranus putat dictam quoque portam negotiatorum. Certè si aliqua fuit Hierosolymis porta dicta negotiatorum, haec absque dubio fuit; quoniam iuxta eam aedificasse dicuntur à Nehemia *artifices, & negotiatores*,

quasi inibi habitantes: quod ex ipsius fori probatici propinquitate probari facilè posset, prout suo loco videbimus.

Portam hanc vocat Iosephus portam Genath, hoc est hortorum, vtpote quae hortis tum Regijs, tum verò alijs quamplurimis vallis Hennon viam aperiret. Eam nunc peregrini, atque Hierosolymis degentes Christiani portam vocant S. Stephani, prout tradit Zuallardus: probaturque ex eodem portae situ, quae hodie egredientes in vallem Iosaphat ducit, in qua locus maxima veneratione colitur protomartyris Stephani sanguine consecratus. Quocirca alucinatum credimus Borchardum, & qui cum secutus est, Adrichomium, qui portam Ephraim, quam ad Aquilonem vrbis sitam fatetur, portam Sancti Stephani dictam putauit, cùm vallis Iosaphat, in qua lapidatus fuit Sanctus Stephanus, monsque Oliueti ad Orientem vrbis existat, vt suprà probauimus. Hanc ergo portam aedificauerunt cum Eliasibo sacerdote magno, *fratres eius sacerdotes, ipsi sanctificauerunt eam*. Hugo interpretatur hoc verbum, quasi sit sanctificare idem, quod perficere. Dionysius verò Carthusianus, *sanctificauerunt*, hoc est, inquit, firmiter statuerunt eam ad Dei honorem : nam sanctum vno modo idem est, quod firmum. Liranus verò, *sanctificauerunt*, inquit, *eam*, id est, firmauerunt, seu praeparauerunt : verbum enim Hebraicum, quod hic ponitur, aequiuocum est ad sanctificare & praeparare. Isidorus Clarius: Capitur, inquit, hic sanctificare, pro sumptuosè, & magnificè praeparare. Sacerdotes igitur primam muri reparauerunt portam, & magnam muri portionem. Vatablus verò eundem sensum paene secutus, sanctificauerunt, inquit, id est insignem, & claram aedificio reddiderunt : alij vertunt, apparauerunt. Haec illi. Quòd si lubet verbi קדש chadas notionem paulò altius scrutari, comperies non ea tantùm omnia significare, sed multò plura.

Quoniam autem de huius verbi acceptionibus nonnulla superiùs perstrinximus, ea hic repetere superuacaneum putauimus : hoc vnum tantummodo hic annotabo, quòd sanctum dicitur id, quod à communi, & profano segregatum, & sepositum est. Ciuitas igitur à Chaldaeis proculcata, & profanata fuit iuxta id, quod habetur in psalmo : *Deus*, inquit, *venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam*. Sanctificari ergo dicitur ciuitas, cùm ad pristinum integritatis statum reducitur. Sicut enim, quae immunda, quae diruta, quae omnibus communia, indigna sunt, quae Deo optimo maximo offerantur: sic etiam, quae ei offerenda sanctificantur, munda, integra, segregata esse màximè decet. In quo quidem sensu vsus fuisse videtur hoc verbo Sanctus Paulus : *Fornicatio autem*, inquit, *& omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*. Et haec quidem omnia bona, quae vno sanctitatis verbo significantur, contulisse dicuntur sacerdotes portae Gregis, nempe ruinarum instaurationem, immunditiae absterfionem cum alijs quamplurimis; nec non reddidisse illi integritatem, pulcritudinem, & perfectionem, qualem Deo sacrare par erat. Nisi etiam intelligere velis absoluta moenia mox sancta dici. Sancta enim, teste Alexandro, dicuntur loca, quae sacrata legibus, plebiscitisve sancita, poenis adiectis inuiolata manent. Itaque, inquit, muri, & moenia ciuitatum, quòd illa transgredi non licet, & tam intra, quàm extra

EADEM dicta fuit Genath.

EADEM S. Stephani porta nunc dicitur. *Zuall.lib.3. del viaggio.*

SANCTVS Stephanus in valle Iosaphat lapidatus est. *Borchard.p. 1.c.7.§.45. Adricho.de vrb. n.157.*

Sup. lib.1. vrb. c.5.

SANCTIFIcare portam quid significet. *Hugo Card. Dion.Carth. Liran.*

Isidor.Clar. not. in hunc locum.

Vatab. ibid.

SANCTVM dicitur, quod à communi segregatum est. *Psal.78. ℣.1.*

QVAE Deo sanctificantur, munda, integra, & segregata esse maximè decet. *Ephes. 5. ℣.3.*

Alexan. ab Alex.lib.6. geni.c.14.

MOENIA sancta legibus quare dicantur.

pomerium, omnes ab his arcentur, nec cuiquam aedificia illis admouere fas est, augusta, & sancta dicta sunt, ideo illibata iuris sanctione defendentur. Capitale enim fuit, & seueriori poena coërcitum, etiam lege Romuli, illi, qui moenia transgressus attigisset. Quin & Cicero, & Plutarchus idem scriptis mandarunt. Et Iustinianus: Sanctae quoque res, inquit, velut muri, & portae ciuitatis quodammodo diuini iuris sunt, & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Et quamuis occisi à Romulo fratris alij aliam assignent causam, vulgarior tamen fama obtinuit, propterea occisum fratrem fuisse, quòd moenia transilierit. Quam sententiam tenuisse videtur Propertius sic scribens:

Cic. lib. 2. de nat. deor. Plutar. in Rom. Iust. l. sacra loca 9. §. sanctae. ff. de rer. diuis.

Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & caeso moenia firma Remo.

Prop. lib. 3. eleg. 7.

Et Lucanus:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Lucan. l. 1. Plutar. vbi sup. & prob. cap. 26.

Iftius legis rationem reddit Plutarchus: Nam ciues Romanos, inquit, aliò, quàm per portas egredi non licet; cùm id hostile, & abominandum sit. Quapropter & ad portae sanctificationem pertinet, quod subdit: *Et statuerunt*, siue erexerunt *ualuas eius*. Ne quid enim ad perfectionem portae deesset, eam erectis ualuis concluserunt, ipsumque Hebraicum verbum illud vltimum, quo fores super cardinibus erigi solent, vt volui possint, significat: quoniam fores à fabris lignarijs iacentes conficiuntur; quando verò vsui esse debent, eriguntur, & in cardinibus ostij statuuntur.

STATVERE, siue erigere fores, quae phrasis.

Et vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam. Turrim hanc, quae tam hoc, quàm sequenti loco Hebraicè dicitur מאה meah, infrà Hebraica voce nominauit vulgatus *Emath*; facta tantummodo litterarum commutatione, qua frequenter vtuntur Hebraei, eamque metathesin vocant. Sonat autem ea vox Hebraeis idem, quod nobis centum, seu centenaria. Quoniam autem ideo centenaria dicta creditur à vulgato haec turris, quod in centenos erigeretur cubitos: hinc paraphrasticè post *centum*, subiungit, *cubitorum*: Porro quanta, & quàm incredibilis fuerit huius turris celsitudo, vel ex eo maximè conijci potest, quòd omnium earum, quas Hierosolymis comperimus fuisse magnas, haec maxima fuerit. Neque Hierosolymae tantùm comparatione celsissima erat haec turris, verùm etiam cuiuscumque alterius magnificentissimae vrbis. Nam si potentissimam illam vrbem consideres Ecbatanis dictam, quam aedificasse dicitur Arphaxad Regnorum accessione superbus, eius turres inuenies centum cubitorum altitudinem non excessisse. Sic enim de ea scribitur in libro Iudith: *Ex lapidibus quadratis & sectis; fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta: turres verò eius posuit in altitudinem cubitorum centum*. Adde his etiam, praedictae celsitudini centum cubitorum, dignitatis, & celsitudinis non parum addidisse, quod loco praestabat haec turris: imminebat enim voragini illi, seu valli Cedron, cuius meminit suprà Iosephus. Vbi etiam probauimus, ad hanc turrim tres vrbis muros in vnum conuenisse, antiquum nempe Dauidis, medium Salomonis, ac tertium Ezechiae. Ex quo facilè conijci potest, nonnihil magnificentiae, & celsitudinis singulorum opera huic turri accessisse; euius rei, qui formam scrutari velit, nostram contempletur suprapositam descriptionem, in qua mox intuebitur, qua ratione porta Gregis sanctificata dicatur vsque ad turrim centum cubitorum: nempe quoniam vnico tantùm muri interuallo à se inuicem distant porta Gregis, & turris Emath. Atque hoc interuallum ad ipsam portam Gregis pertinuisse credendum est, tumque perfectam portam, cùm totum hoc interuallum aedificatum, atque perfectum sit.

TVRRIS centum, siue Emath quare dicatur.

Iudith. 1. ℣. 2.

CELSISSIMAM fuisse turrim centum cubitorum. *Sup. lib. 2. vrb. cap. 17.*

Vsque ad turrim Hananeel. Turrim hanc vtpote celeberrimam in angulo Orientis, & Aquilonis statuimus, hoc vnum certò persuasum habentes, Eliasibum cum sacerdotibus orientale inferioris vrbis latus à porta Gregis aggressum, totam eam muri partem aedificasse, vsque ad turrim Hananeel, quae orientalis lateris terminus fuerat aquilonaris. Et hos omnes sacerdotes aedificasse comperimus à porta Gregis vsque ad turrim Hananeel, per quinque murorum spacia, quattuor intermedijs turribus distincta. Quomodo autem probetur, tot & non plura, vel pauciora aedificata fuisse à sacerdotibus, ex distributione murorum infrà patebit. Ceterum turrim hanc ita exigente loci natura situque (semper enim in angulis firmissimae exstruuntur turres) celsitudine, & firmitate insignem, celeberrimamque fuisse nulli dubitandum est, si, quae tradit Hieronymus, de nominis etymologia, attentiùs perpendat; nec non Ieremiam, atque Zachariam audiat, nouae vrbis instaurandae descriptionem ab huius turris commemoratione exorsos fuisse. Quapropter meritò S. Hieronymus ciuitatis nomine Ecclesiam significari intellexit, dum sic scribit: Aedificatur itaque Ecclesia à turre obedientiae, siue gratiae, & donorum Dei; hoc enim interpretatur Hananeel. Haec Hieronymus. Hebraica vox חנאל chananel, iuxta Hieronymi sententiam desumpta est à Dei nomine אל el, & verbo חנן chanan, quod misereri, largiri, donare, precari, gratum facere, gratiosum esse, gratia aliquem prosequi, ac beneficum esse, significat. Sic apud Isaiam: *Miserans*, inquit, *miserebitur tui*. Et in psalmo, diu duraturam iustorum hereditatem, etiam posteris fruendam, illis verbis testatur. *Iunior fui, etenim senui*, diuturna, inquam, vitae meae experientia comperi, cùm diligentiùs obseruauerim, *& non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem*. Quod confirmat peculiari quadam obseruatione à se compertum, *tota die miseretur*, חונן chonan beneficus est, donat, largitur, *& commodat* indigentibus: cumque eiusmodi gestis omnem suam substantiam profundere videatur, neque filiorum curam gerere vllam; nihilo minus tamen *& semen illius in benedictione*, rerum omnium copia *erit*: omnibus bonis affluent eius posteri. Significat etiam verbum Chanan orationem, & preces, eas potissimùm, quae gratiam antecedunt, quas expostulationem possemus Latinè dicere. Sic in libris Regum ad Salomonem Dominus: *Exaudiui*, inquit, *orationem tuam* ואת תחנתך veet techannathea, *& deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me*. Ad vtrumque respexit Zacharias celebri illo loco, quem suprà interpretati sumus: *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiae, & precum*. Hebraicè ותחנונים vathachanunim, & gratificationum, nempe spiritum gratiae, atque amicitiae meae, in quam illos recipiam, atque gratificationis, qua nempe, tamquam amicis meis gratuler: vel precum, quae efficaces obtinendo sint. Quorum quidem donorum maximum argumentum erit: *Et aspicient ad me*,

TVRRIM Hananeel in angulo Orientis, & Aquilonis sitam fuisse probatur.

S. Hieron. super Iere. 31.

TVRRIS Hananeel quare sic dicta.

Isai. 30. ℣. 19. Tsal. 36. ℣. 25. & 26.

DIV DVratura iustorum posteris eorum hereditas.

BENEFIcentia filiorum benedictionem parit.

Zachar. 12. ℣. 10. Sup. lib. 1. vrb. c. 12.

PIA, ET commiserationis plena passionis Christi recordatio singulari Dei beneficio adscribenda.

me, quem confixerunt, & plangent, &c.

His verbis piam, & commiseratione plenam passionis Christi memoriam singulari Dei beneficio adscribendam testatur Dominus; & meditationis, quae etiam donum est, obtentum. Quod singulare, maximaeque beneuolentiae signum cùm Sionis, & Hierosolymae habitatoribus promittatur, facilè cognoscent caeci Iudaei, quantùm ab hac caelesti Hierosolyma animis magis, quàm corporibus exsulent, qui Deum ipsum ore suo loquentem audire detrectant, ac dicentem: *Et aspicient ad me, quem confixerunt*, me, me, inquam, confixerunt. Nam quibus iniurijs diuinam maiestatem meam, *quam odio habuerunt gratis*, in se ipsa afficere non potuerunt, in assumpta humanitate clauis, spinis, ac lancea confixerunt. Ab hac radice putant nonnulli deductum nomen יוחנן iochanan, quod ab Angelo denunciatum fuit Zachariae, filio in senectute genito imponendum, quod nos Ioannes Latinè dicimus. quapropter Augustinus Dei gratiam interpretari testatur. Cuius denominationis causam assignare videtur Ambrosius, sic scribens: Ioannes intra Elisabeth matris viscera Spiritu sancto repletus, exultat; & vt nullus inter natos mulierum maior sit, prius sentit initia gratiae, quàm naturae. Haec Ambrosius. Neque propterea tantummodo Ioannem dictum putauerim, quòd gratia Spiritus sancti repletus ex vtero matris suae fuerit (quamuis sit & hoc maximum nominis argumentum) verùm etiam, quoniam praecursor Christi cùm fuerit, gratiae quoque, quae per Christum in ipsum Ioannem, & in omnes alios iustos effusa est, praenuncius fuit, ad quam recipiendam homines suo baptismo & praedicatione praeparauit. Huius expositionis testem laudo Ioannem Chrysostomum, qui, dum Prophetam Ioannem, prophetarum maximum fuisse, facta collatione in multis, comprobat, praeterea subdit: Alij prophetae missi sunt, vt aduentum eius (Christi) annunciarent; iste autem, vt pararet viam ipsius. Aliud autem est aduentum eius annunciare, aliud est viam praeparare. Nunciantibus aduentum eius praedicationis sermo commissus est: praeparanti autem vias, humanae correctionis opus iniunctum est. Sicut Angelus de eo: *Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum*. Ille ergo correxit, vt iste susciperet: ille mundauit, vt iste sanctificaret: ille praeparauit, vt iste inhabitaret. Haec ille. Atque hoc ipsum significare Euangelistam crediderim, qui cùm exorientis gratiae primordia narrare aggrederetur, & cùm nascente Ioanne, quae miranda contigerint, praedicaret; *Et audierunt*, inquit, *vicini, & cognati eius, quia magnificauit*, magnam, magnificentissimamque ostendit *Dominus misericordiam suam cum illa*, Elisabetha matre.

IOANNIS nomen vnde deductum, & quomodo Dei gratiam, vel orationis filium liceat illud interpretari. *S. Augustl. in Apocal. hom. 1. to. 9. S. Ambrosl. lib. 2. de vocat. gent. c. 3*

IOANNES & propter gratiam, qua repletus fuit, atque etiam, quia totius gratiae, quae per Christum effusa est, praecursor exstitit, à gratia nomen accepit. *S. Ioannes Chrysl. hom. 27. in Matt.*

IOANNES Propheta maior ceteris prophetis, & quare.

Malach. 4. Luc. 1. ϒ. 16.

Luc. 1. ϒ. 58.

Quocirca, si vim vocis in memoriam reuocemus, Ioannem comperiemus sic dictum, quia in gratiam parentum, eorum deprecationibus datus; tum quia *Spiritu sancto*, gratia Spiritus sancti repletus fuit *adhuc ex vtero matris suae*: tum verò maximè, quoniam Ioanne praedicante omne hominum genus auctorem, ac datorem gratiae recepit; iustus, quicumque suscepit. Turri autem Hierosolymitanae hoc tam gloriosum nomen inditum, vt eo imposito sateri viderentur eius vrbis incolae, singulari gratia, ac dono Dei ciuitati obtigisse, vt tam firmae, nobilissimaeque turris praesidio muniretur: nisi forsan & precum turris dicebatur, quoniam solitae fuissent aliquae

Ibid. ϒ. 15.

QVARE dicatur turris gratiae, siue donorum Dei.

A preces in ea statutis temporibus recitari. Quae, cùm haud satis firmam de antiquissimis rebus coniecturam contineant, suum cuique esto iudicium. Sed iam tandem de situ huius turris agendum. Et primum loci situs, & turris dignitas, in opportuno magis angulari loco positam hanc turrim facilè suadet. Verùm illi, qui reliquas vrbis partes proprijs mouerunt sedibus, hanc turrim suo loco pulsam antiquam stationem tenere non permiserunt. Adrichomius cùm his, atque alijs rationibus coactus, turrim Hananeel in angulo orientali & aquilonari inferioris vrbis, quam secundam vocat, meritò posuisset; aliam postmodum effinxit, atque affixit eidem, quam vocat nouam ciuitatem, in

TVRRIS Hananeel in angulo Orientali, & Aquilonari statuenda. *Adrichom.*

B cuius consimili angulo portam anguli collocauit, forsan propter Ieremiae locum, qui sic habet: *Et aedificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam Anguli*. Sed quamuis sollerti antiquitatum vrbis indagatori suspicio aliqua incidere posset, tam exiguum vrbis tractum, qualem ipse constituit inter turrim Hananeel & portam Anguli, non dignum videri, vt eius tam celebris mentio fieret à Propheta, idque illi condonari posset: quis tamen venia dignum putet, quòd non viderit ea, quae sequuntur in textu? quamobrem maximè ab eius descriptione dissentio, nullaque ratione rectam eius delineationem existimo. Sunt autem, quae sequuntur in textu huiusmodi.

Ieremi. 31. ϒ. 38.

A D R I-chomij sententia refellitur, turrim Hananeel ab angulo dimouentis.

Ibid. ϒ. 39.

C *Et exibit vltrà norma mensurae in conspectu eius*: Septuaginta: Et exibit norma eius coram ea, vsque ad colles. Ex Hebraeo sic: Et exibit vltrà linea mensurae coram eo. Vatablus verò sic: Hinc vltrà ducetur regula mensurae ante ipsam, nempe portam: sic enim interpretatur locum Hieronymus. Contra eam, inquit, id est, portam Anguli.

Vatablus.

S. Hieron.

Ex quibus omnibus interpretationibus hic apertus videtur erui loci sensus, lineam (qua murum signabant, ac dirigebant aedificatores, quorum meminit Ieremias) ductam à turre Hananeel vsque ad portam Anguli, atque in directum vltra protractam, donec circuiret collem Gareb, & reliquas commemoratas partes. Quare cùm lineam non in directum, hoc est, in conspectu, vel

D ex aduerso portae Anguli protrahat Adrichomius: immo verò mox in ipso angulo deflectat eam, quod aduersatur textui, nulla ratione sequendus est. Illud maximè à textu alienum est, quòd non vltra veterem vrbis ambitum lineam protraxerit: constat enim portam anguli antiquiorem Ieremia fuisse, vel illa maximè historia Oziae, in qua sic habes: *Aedificauitque Ozias turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere*. Pari quoque ratione & murus ille, qui à porta Anguli ad turrim Psephinam, iuxta illius descriptionem protenditur, aedificatus quoque fuisse ante Ieremiam credendus est: quare

Adrichom.

2. Par. 26. ϒ. 9.

E nulla ratione aut ipse textui satisfacere, aut nos illi assentiri possumus. Grauiùs tamen multò peccauit Benedictus Arias, qui, nescio, qua coniectura ductus, turrim Hananeel angulo meridiano, & occidentali ipsius templi coniunxit. Id, quoniam nulla ratione probat, nulla ratione alia reijcimus, quàm quòd non possit textui huic, atque adeo neque alijs sacrae Scripturae locis consentire: qui quomodo intelligendi sint, suis locis à nobis ostenditur. Quòd autem ad Ieremiae interpretationem attinet, infrà latiùs trademus,

BENEDICTI Ariae sententia refellitur.

Et quoniam ad turrim Hananeel, portam Beniamin inferiorem in descriptione nostra aperuimus, id, quam ob causam praestiterimus, infrà

etiam

etiam suo loco demonstrabimus. Nunc tandem, quoniam ad huius primae sacerdotum instaurationis calcem properamus, illud vnum subijciendum duximus, quod Sanctus Hieronymus tradit de his duabus turribus: nam, dum illa Isaiae verba interpretatur: *Tenebrae, & palpatio factae sunt super spelucas*, Septuaginta, inquit, transtulerunt. καὶ ἔσονται αἱ κῶμαι σου ἀπήλαια ἕως τοῦ αἰῶνος cae esondae hae comae su spilaea heos tu aeonos, id est, & erunt villae tuae spelunceae vsque in aeternum: quod in Hebraico dicitur, בחן & עפל bachan, & gophel, quas Hebraei duas turres in Hierusalem fuisse arbitrantur excelsas, atque firmissimas, quae his appellantur nominibus; quarum prior interpretatur tenebrae, siue nubilum, quod vsque ad nubilum erigeret caput: altera probamentum, & firmitas, siue, vt Symmachus vertit, inquisitio, eo quòd in contemplando culmine eius oculi fallerentur. Hactenus Hieronymus.

S. Hieron. super Isai. 32. ℣. 14.

DVAE turres Hierosolymae, altera tenebrae, altera verò inquisitio dicebatur.

Symmach.

Et quidem cùm de voce gophel plura suprà à nobis tradita sint, illud duplici ex capite turri centum, vel meath aptè congruere posse conijcimus. Primum est, quoniam Opheli Nathinaeorum habitationi proxima est, vt patebit descriptionem intuenti: alterum, quoniam celsissima turris erat, vt paulò antè ostendimus; congruitque Isaiae contextui nomen, facta quadam vocis antithesi; vocabaris, inquam, obscura prae nimia celsitudine, deinceps obscura vocaberis prae nimia profunditate: id enim significat, *super spelucas*, vel prae speluncis, quale est illud psalmi. *Laudabis me, & super niuem*, prae nive, *dealbabor*. In altera verò voce bachan recognoscitur facilè vox Hanan; addita littera ב beth, quae initio vocum haud infrequenter addi solet; geminata verò littera נ nun, fit alia diuersissima radix בחן bachan, in qua littera ב beth radicalis fit. Quae vox, iuxta Symmachi sententiam, in inquisitionem potest conuerti, quasi dicat Propheta, prius Hananeel, gratia, seu donum Dei dicebaris, siue accepta illa voce Dei pro superlatiuo, sicut Hebraica phrasis solet, valde gratiosa dicebaris: nunc autem ita, quasi ipsa hianre terra absorberis, vt inquisitio dicaris. Cuius comminationis poenam remisisse videtur Dominus vrbi, dum per Ieremiam dicit: *Aedificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel*. Et iterum per Zachariam: *Et reuertetur*, inquit, *omnis terra vsque ad desertum de colle Remmon ad Austrum Ierusalem, & exaltabitur, & habitabit in loco suo à porta Beniamin, vsque ad locum portae prioris, & vsque ad portam angulorum, & à turre Hananeel vsque ad torcularia Regis*. Quae duo Prophetarum testimonia longiorem suis locis expoſcunt tractationem. quare ijs modò supersedemus.

Sup. lib. 2. vrb. cap. 7.

SVPER speluncas idem, quod prae speluncis.

Psal. 50. ℣. 9.

Ierem. 31. ℣. 38. Zach. 14. ℣. 10.

QVA RATIONE MVRVM SORTITI SINT *instauratores: quo ordine instaurationem commemoret Nehemias: & quòd ciuitas quadrata fuerit.* *Cap. VIII.*

DVO nobis hoc capite pertractanda susceptmus, quae quasi fundamenta sunt totius disputationis nostrae. Primum, quaenam muri pars vnicuique ex instauratoribus contigerit: nempe, an in aequales partes diuisus fuerit murus, quarum singulae singulis darentur ciuibus? ex hoc namque manifesta fieret muri dimensio. Alterum est, an ordine commemoret Nehemias portas, ac turres, idque hoc capite significare velit, seriem perpetuam aedificantium eodem modo processisse, quo ab ipso percensentur. Quod si probari posset, manifesta quidem fieret nostrae descriptionis dispositio, & demonstratione quadam theologica quasi intelligeretur, portas vrbis, de quibus hoc capite fit mentio, nullo alio statuendas ordine; immo nec statui posse.

NON TEMERÈ, aut casu, sed certa quadam methodo, & ordine instauranda moenia ciuibus distributa. *Ioseph. 11. antiq. c. 5.*

Quòd ad primum spectat, non temerè, aut casu distributa fuisse ciuibus reparanda moenia, tradit disertis verbis Iosephus. Nehemiam inducens suos contribules exhortantem ad sollerter laborandum; & vt nihil omnino sibi ab hostibus metuerent: ac tandem eundem haec dixisse refert: Deinde nec die, nec noctu operis structuram intermittatis, sed omni cura id opus continuetis; quandoquidem nunc maximè tempestiuum est hoc facere. Haec locutus, continuò iussit magistratus dimetiri moenia, & operas partiri in populum, attributo certo modo in singulos vicos & opida. Haec Iosephus. Quòd ad murorum dimensionem attinet, satis suprà à nobis probatum est, totum murum in aequalia ducentorum cubitorum spacia turribus vicenum partitum fuisse numero nonaginta. Quòd verò ad distributionem attinet, iustè quidem factam fuisse à Nehemia non dubitamus. iustam autem distributionem non in aequalitate, sed in proportione, vel in proportionis aequitate consistere ab Aristotele definitum est, qui & subdit: Inde enim pugnae, & criminationes oriri consueuerunt; cùm aut aequales non aequalia, aut non aequales aequalia habent, & potiuntur. Haec ille. Ex quibus cùm ad quadraginta tantùm numerentur instaurantium sortes, inter quos nonaginta murorum spacia, totidemque turres, ac duodecim portae sint partiendae, eaeque partes omnes non ex aequo, sed iusta ratione sint distribuendae, fit vt pro cuiusque viribus, & facultate alij alijs maiora atque grauiora susceperint onera, alij verò leuiora; non tamen propterea hi viribus minora: aut illi maiora susceperunt; sed omnes iuxta rationem iusti & aequi, humeris onera paria, receperunt. Quorum omnium exempla reperies in textu, in quo nonnumquam viri principes, tum sacerdotum, cùm vrbium, optimatesque honorificentissimis cohonestati cognomentis recensentur; nonnumquam etiam plebei, aurifices, atque negotiatores. Ex

MVRVS Hierusalem in certas partes distributus fuit. *Sup. lib. 2. vrb. c. 21.*

Aristot. 5. Ethic. c. 3.

DISTRIBVtiua iustitia non in aequalitate, sed in proportionis aequitate consistit.

quo

quo fit, vt alij alijs ſicut nobilitate, dignitate, ac munere praeſtabant; ſic etiam opibus largiùs abundarent, atque adeo maiorem vrbis partem inſtaurare non grauarentur. A

Teſtis eſt Eliaſibus ſacerdos magnus cum fratribus ſacerdotibus, qui portam Gregis, duas celſiſſimas ac fortiſſimas turres cum alijs tribus, ac quinque murorum interuallis vno tractu inſtaurauit. Teſtis eſt etiam Hanun, qui cum habitatoribus Zanoë portam Vallis, ac mille cubitos in muro, hoc eſt, interualla quinque, & turres quattuor reſtituit. Teſtes ſunt & plures alij, quos videre quis poterit inferiùs. Quandoque etiam inter aequales inaequalia diſtributa credenda ſunt ſpacia, quòd alia alijs tametſi longiora, minùs B operoſa eſſent; alia breuiora quidem, ſed laborioſa magis; idque ex duplici capite originem duxiſſe putamus. Primum: nam iuxta loci ſitum celſiora, ac firmiora alijs, alia verò minùs firma facta fuiſſe credimus, quod & teſtimonio Taciti probatum à nobis iam fuit, rationeque ipſa idem ipſum manifeſtum omnibus erit. Nam in auſtrali ſuperioris vrbis tractu, qui ſuper praeruptam rupem, profundae ac latae imminebat valli, ac propterea natura ipſa ſatis firmus ac munitus fuiſſe cognoſcitur; quis non videat minori munitione opus fuiſſe, tam quoad muri celſitudinem, quàm quoad eiuſdem craſſitiem, ac turrium firmitatem? maiori verò firmitate ac praeſidio opus fuit in parte aquilonari, quae triplici quamuis muro cincta, atque etiam ſi Antoniae, atque ipſius templi praeſidijs munita fuiſſet; tutam tamen Hieroſolymitanis ciuibus praeſtare non potuit habitationem: cùm contrà auſtralis tractus ſola loci difficultate deterritos omnes omnium Hieroſolymitanorum hoſtium incurſus à ſe longè propulſauerit. C

Fuit & aliud diſſimilium vrbis partium haud diſſimile argumentum, non eodem modo, neque pari ratione murum antiquum euerſum fuiſſe à Chaldaeis: ſcimus enim eoſdem Chaldaeos fuſtuliſſe quidem, ac diruiſſe vrbis munitiones, ac moenia; non tamen funditùs euertiſſe, neque exinaniſſe, prout exprobrant Idumaei, cohortantes D Babylonios, ac dicentes: *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Quorum votis non reſpondit defeſſa barbarorum truculentia, Deo bene diſponente, vt aliqua veteris Hieroſolymae apud poſteros exſtarent veſtigia: immo verò ſuper veteris quaſi ſepulcrum noua ciuitas erigeretur, quae idem nomen ſortita, prophetarum oracula compleret; ac illud potiſſimùm Zachariae, quo aedificandam Hieroſolymitanam ciuitatem in loco ſuo praedicitur, ad quam ad viuum exprimeretur Eccleſia Chriſti, quae ſuper veteris legis ruinas à IESV Chriſto Deo viuo & vero excitata, redempta, atque aedificata denuo, eadem tamen Eccleſia omnino eſt ab origine mundi vſque ad E eius conſummationem permanſura. Nunc vt vnde deflexit eò reuocetur oratio, dicimus ideo aequalis conditionis atque ſubſtantiae ciuibus, inaequalia plerumque ſpacia diſtributa fuiſſe, quòd aequalia poſcerent impendia, cùm non omnia à fundamentis eſſent exſtruenda, ſed inſtauranda, & reficienda, quod iam ſatis ſuprà probauimus.

Verùm, ne omnia in vniuerſum tractari videantur, & peculiarem rationem, quam in diſtribuendis muris tenuimus, aliquis forſan exoptet, illud primùm ob oculos lectori ſtatuendum meritò duxi, monendumque, vt attentiùs perpendat, quae fuerit antiquae vrbis facies, quae forma. Principio, vrbem quidem in quadrato ſchemate exaedificatam fuiſſe, ipſe montium ſitus demonſtrare videtur. Mons enim Sion, prout ſuo loco oſtendimus, ab Occidente in Orientem productus, latus eſt à Meridie in Aquilonem, duplicata (vt tradunt cum Borchardo ſcriptores) longitudine; quapropter & eandem formam tenuiſſe videtur ſuperior ciuitas eidem ſuperſtructa, latitudinis inquam ſubduplae eiuſdem longitudini: cumque vrbem praedictam ſuperiorem triginta tribus ſtadijs ſuprà dimenſus ſit Ioſephus, ſit vt, ſi in ſex partes aequales diuidantur ſtadia, ſingulis minoribus lateribus quinque deberentur ſtadia cum tribus quinctis partibus. Et quia ipſa montis obliquitas ad lineam muros, & ad normam angulos exaequari non permittit, ideo iuxta eiuſdem montis diſpoſitionem ſuprà probatam quiſque in deſcriptione noſtra facilè perſpiciet, meritò à nobis meridiano, atque aquilonari tractui, qui in arcus formam curuantur, ſingulis vndecim aſſignari ſtadia, reliquorum ſingulis quinque cum dimidio: qui omnes numeri in vnam ſummam collecti ſtadia conficiunt triginta tria. Quoniam autem, vt ſuprà vidimus, Borchardi teſtimonio, tota ciuitas ex omnibus ſuis partibus compoſita longitudinem quidem a Meridie Aquilonem verſus protendit, latitudinem contrà ab Occaſu in Orientem, ideo Aquilonari tractui vndecim pari ratione ſtadia aſſignamus; reliqua vſque ad quinquaginta ſtadiorum complendum numerum reliquis lateribus tribuimus. Quocirca, quoniam turres, atque paria earum interualla pari ratione diſtribuenda ſunt, lateribus vrbis meridiano, & aquilonari ſingulas viginti turres damus, reliquis duobus ſingulis viginti quinque. Quo fiet, vt totus muri ambitus nonaginta turribus diuiſus maneat, prout à Ioſepho traditur. Neque verò his tantummodo rationibus ducti, murum, prout dixi, partimur; verùm etiam alia potiori: nam ſinus, atque receſſus, qui propter Caluariae montem, & vallem cadauerum neceſſariò admittendus eſt in muro occidentali, & propter conſimilium diſpoſitionem in orientali, ſi reſpicias gyros, & angulos, quos ipſe Nehemias commemorat, longiorem fuiſſe competies orientalem, & occidentalem tractum meridiano, & aquilonari. Hanc vrbis formam, quae parum abfuit à perfectè quadrata, iuxta exactam formam propoſuiſſe videtur Ezechiel, vt nos ſuprà probauimus, atque Sanctus Euangeliſta Ioannes in Apocalypſi, dum: *Et ciuitas*, inquit, *in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo.* Et quamuis vterque propheta non de aliqua vrbis materiali aedificatione, quam falsò ſibi praeſumunt caeci Iudaei; ſed de caeleſti Hieroſolyma hic militiae armis accincta, atque pugnante; in patria verò triumphante loquatur: tamen, quoniam tam haec, quàm illa, veteris Hieroſolymae typo praeſignata eſt, ferè in omnibus tam dimenſionibus, quàm partibus illam intuitos fuiſſe prophetas non dubitamus: immo verò id luce clarius, ni fallor, infrà Deo dante oſtendemus. Diſpoſitis igitur hac ferie totius ciuitatis muris, nec non ſtatutis, prout ratio poſtulat, montibus, ac vallibus iuxta ea, quae priori vrbis libro à nobis tradita ſunt: tandem turrim Hananeel in angulo orientali, & aquilonari vrbis conſtituimus, propter rationes iam allatas; in altero verò inferioris vrbis angulo, qui Aquilonem, Occidentemque ſpectat,



11 5½
11 8½
5½ 11
5½ 8½
33 5½
11
50

Suo loco lib. 1. vrb. c. 6.

Borch. p. 1. c. 7.

Sup. lib. 2. vrb. c. 10.

Sup. lib. 1. vrb. c. 6.

TOTA Ciuitas in circuitu ſtadia continet quinquaginta, turres nonaginta.

AD PERfectè quadratam formam ciuitas reducitur ab Ezechiele, & Ioanne. *Ezech. 48. v. 15. & ſeq. & nos ibid. & lib. 2. vrb. c. 21. Apoc. 21. v. 16.*

TVRRIS Hananeel in orientali, & aquilonari vrbis inferioris latere ſtatuitur: porta vero Anguli in occidentali eiuſdem vrbis angulo.

Sup. lib. 2. vrb. c. 20.

AVSTRAlis vrbis murus, vtpote natura firmus, minore munitione indiguit.

MVRVS Hieruſalem non omino euerſus fuit à Chaldaeis. *Pſal. 136. v. 7.*

Zach. 14. ECCLESIA Chriſti ad viuum Hieroſolymae conformata.

Sup. cap. 6. huius lib.

HIERVSAlem quadrato ſchemate aedificata fuit.

ctat, portam, quam Anguli propterea dictam fuisse existimamus, constituendam duximus. Quae cùm ita sint, manifesta omnino fiet tota ratio, quam in assignandis cuiuscumque instauratoris partibus sequuti sumus: nam vbi sacer textus, quantum cuique attributum sit, indicat, planè totum sine vllo fictae interpretationis diuerticulo aut tergiuersatione eisdem tribuimus: in alijs verò, quas aut ratio loci, aut scriptorum auctoritas sine praeiudicio sacri textus longiùs abesse, vel propiùs constituendas suadet, eundem omnino modum tenuimus: in reliquis coniectura potius ducti sumus, quàm firma ratione. In qua coniectandi arte nonnihil nobis tribuendum à peritis ac pijs viris, non diffidimus: quamuis enim ingenio superiores nos esse quoquam non praesumimus; vsu tamen, atque octodecim annorum studio, tótque perquisitis huiusmodi difficultatibus, lucubrationibus, & experientia, an alteri pares esse possimus, ipsi viderint. Nobis enim iam illud vltimo huius capitis loco pertractandum videtur, quod eius initio proposuimus, nempe, an continuata serie Nehemias muros, turres, ac portas percenseat, an verò perturbata?

QVOMODO singulis instauratoribus singulae muri partes tribuantur.

ORDINE percenset Nehemias turres, ac portas.

Atque in primis nemo non videt, quàm sit rationi consentaneum, sacrum historicum ordinatè processisse, commemorasseque portam Piscium post turrim Hananeel, quoniam ea porta proxima fuit eiusmodi turri, & sic de ceteris. Quod ita sanis legentium mentibus planum, atque exploratum esse prima facie iudicaui, vt reprehensione non videar vacare, si in re alioqui perspicua, & manifesta argumentis comprobanda diutius immorer. Verùm, parcant hi necesse est, & aequi bonique consulant; siquidem à nulla alia, quòd sciam, propositione magis refugiunt scriptores, siue effigiatores omnes illi vrbis antiquae Hierusalem, qui quàm plurimi hac nostra tempestate exstiterunt; nihil magis timent quàm sibi probari seriem, quam tenuit Nehemias, esse omnino seruandam in statuendis turribus, ac portis: quoniam hoc solo argumento conuincuntur totam vrbem confudisse. Quod si illis opponeretur, necessariò concedendum esse, aut ipsos perturbasse vrbis ordinem, orientalesque portas cum occidentalibus commutasse, & has rursus cum alijs; aut si ipsi rectum tramitem tenuerunt, vrbemque, sicut aedificata fuit, effinxerunt, fateantur necessarium est, Nehemiam perturbata serie retulisse portas, post primam, verbi gratia, decimam, post quartam, quintam; hoc, cum nulla ratione ita faciendum probent, reliquum est vt vitio id vertant historico, quod non ferunt aures piae, cùm eius potissimùm perturbationis nulla possit aequa assignari ratio. Sed cùm praecipiti gressu quis se in disputationem aliquam ingerit, cuius non certa, sed futilia sibi effingit fundamenta, mox cogitur, ne miserè in oculis omnium comprehensus cadat, diuerticula quaerere, aut etiam somniare, atque omni ratione nonnumquam spreta, iure etiam aliquando violato sibi fuga praesidium parare non dubitat. Fateor equidem in hac vna re probanda, huiusque manifestissimae veritatis rationibus demonstrandis me plurimùm laborasse, disputationibus vsque ad contentionem intentum fuisse: an, quod volebam, persuaserim, non certò statuo: hoc tamen planè profiteor, me nihil petere mihi in hac re tribui, nihil exoptare; immo nec credi velle, nisi id tantùm, quod manifesta ratione probaueto: nam vt idipsum, quod nos probare contendimus, certa quadam ratione statueret Nehemias, subiungit id, quod tertio quoque verbo repetit.

POENA, ET pudor temerè se in disputationem incertam ingerentium.

Et iuxta eum, Eliasibum nempe, *aedificauerunt viri Iericho, & iuxta eum aedificauit Zachur filius Amri*. Septuaginta: Et ad manus virorum filiorum Iericho, & super manus, Zachur filius Amri. Et quamuis dictio ὑῶν hyon filiorum, desit in multis codicibus; nihil tamen propterea in sensu immutatur. id enim phrasis Hebraica obtinuit; quam imitati sunt Septuaginta, vt cuiuscumque vrbis, aut opidi incolas filios eiusdem nuncupet. iuxta quam phrasim Dominum dixisse legimus: *Filiae*, hoc est incolae, *Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*. In Complutensi verò codice sic scribitur: καὶ ἐπὶ χεῖρας αὐτῆ ὠκοδόμησαν ἄνδρες Ιερειχώ, καὶ ἐπὶ χεῖρας αὐτῆ ὠκοδόμησε Ζακχοὺρ υἱὸς ἀμμεί cae epi chiras autu ocodomisan andres Iericho, cae epi chiras autu ocodomise Zachur hyos Amari: Et super manus eius aedificauerunt viri Iericho, & super manus eius aedificauit Zachur filius Amari. Ex Hebraeo sic in Regio codice. Et super manum eius aedificauerunt viri Iericho, & super manum eius aedificauit Zachur filius Imri. Phrasis illa על ידו ghal iadu, quam vulgatus conuertit, *iuxta eum*, frequens est in sacris, quam sic interpretatur Forsterus: quoniam termini alicuius ditionis, potestatis, aut regionis, manus dicitur, idque propterea, quòd in limitibus constituebant manus, quibus finis territorij indicabatur: ideo super manum alicuius; idem prorsus significabit, atque si Latinè dixisset, iuxta fines, aut terminos eius. Sic in libris Paralipomenon: *Suscitauit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, & Arabum, qui* על יד ghal iad super manum, vel ad manum Aethiopum, phrasim aptissimè interpretatus est vulgatus, *qui confines sunt*, inquiens, *Aethiopum*. Atque in Numerorum libro: *Pars*, inquit, *meridiana incipiet à solitudine Sion, quae est* על יד ghal iad, super manum *iuxta Edom*: atque alijs quoque pluribus locis eiusmodi Hebraica duo verba aptissimè interpretatur vulgatus, vnica tantùm particula, *iuxta*. Quare liquidò ex dictis constare videtur, quid significare voluerit Nehemias his duobus locis, atque alijs quamplurimis huius capitis, quando enumerata Eliasibi, verbi gratia, superstructione, subiungit: *& iuxta eum aedificauerunt viri Iericho*, nempe nulla intermedia muri parte, ab eodem loco, quo terminum aedificio constituit vltimum Eliasibus, inde initium duxerunt viri Iericho.

II. PROBATur ordo historiae Nehemiae.

INCOLAE vrbis alicuius, eius filij dicuntur. *Luc.* 23. ℣. 28.

Forsterus.

AD MAnum alicuius esse, pro eodem vsurpatur, atque in confinijs eius. 2. *Par.* 21. ℣. 16.

Num. 24. ℣. 3.

Ex quibus verbis duo planè asserere conuincuntur aduersarij (liceat modò Mathematicorum more aduersarios vocare eos omnes, qui oppositam volunt quoquo modo tueri sententiam) primum, non longè ab ea parte, quàm reparauit Eliasibus, aedificasse viros Iericho; aliàs enim non aedificassent *iuxta eum*, sicut dicit textus: alterum est, nullam quidem aedificij partem reliquam fuisse instaurandam inter eam, quam aedificauit Eliasibus cum socijs, & eam, quam aedificauerunt viri Iericho: aliàs enim, cùm totus murus instauratus dicatur, ea pars, quae in medio iacuisset, ab alio quopiam instaurata credenda foret: quare viri Iericho, non iuxta, vel ad manum Eliasibi instaurassent, sed iuxta illum, qui mediam partem instaurasset, quod est textui omnino contrarium, ac propterea reijciendum. quare hoc certò statuamus, ordinem quoque aedificantium traditum quidem à Nehemia vnà cum eorum nominibus, parentibus, patria, & ministerijs. Quod intelle-

CERTO statuimus ordinem seruatum à Nehemia in enumerandis instauratoribus.

xisse

Vatab. hic n. 1.

xisse videtur Vatablus sic scribens: Hoc capite describitur, quo modo, & quo ordine murus Hierusalem instauratus sit, & à quibus. Verùm neque his etiam argumentis conuincitur aduersarij mens, quae nihil aliud veretur ac metuit, quàm veritatis viribus constringi. Fatetur iam tandem in ijs omnibus locis, in quibus sacer historicus verba illa habet, *iuxta eum aedificauit*, &c. ordinem quoque tradi, nihilque relinqui in medio; verùm, quoniam non omnibus continenret aedificatoribus commemorandis ea verba subiungit Nehemias; propterea neque series, aut dispositio earum omnium partium, quas commemorat, conuinci manifestè potest; praesertim in portis, de quarum locis ac ordine maior est controuersia, & in quibus totius difficultatis cardo versatur. Quotiescumque autem portas commemotat Nehemias, ea particula non habetur, sicut videre est in sequenti versu. *Portam autem Piscium*, inquit, non addens, iuxta eum, *aedificauerunt filij Asnaa*. Quo quidem commento triumphum iam canere posse putat, omnemque manifestandae veritatis viam intercluisse gloriatur. Quasi verò Eliasibum commemoret Nehemias vsque ad turrim Hananeel aedificasse, *& iuxta eum* viros *Iericho*, hosque ordine subsequutum Zachur, postmodum verò Nehemiam ordine posthabito, ad angulum vrbis, eidem, quem tunc narrare inceperat, ferme oppositum, nempe ad Occi- C dentem, & Meridiem transilijsse, ibique portam Piscium aedificatam à filijs Asnaa retulisse, iuxta quos Marimuth, & sic ordine reliqui, nempe, Mosollam, Sadoc, & Thecueni aedificauerunt: atque hoc ordine itetum praetermisso, ad medium occidentalis tractus tedijsse, ibique portam Veterem aedificatam fuisse à Ioiada, & Mosollamo, recensuisse. Quam perturbatam consuetamque enatrationem qua ratione probare possint ac tueri, non habent; vbi enim prodierit in publicum, sua leuitate euanescat, sua debilitate nemine impellente labefactata cotruat necesse est.

Rogatem sanè libentet huius nouae interpretationis artifices, num totum hoc Nehemiae caput D perlegerint? quod si fecerunt, vt credo (non enim disputarent omnino de ijs, quae non legissent: sed legerint sanè) numquid perpenderunt Nehemiam à porta Gregis exordium commemorandae murorum instaurationis sumpsisse, in eandemque regressum portam, finem fecisse? Totum ergo murum in circuitu peragtauit, nihil in eo praetermittens; siquidem sequenti mox capire ita subiungit. *Itaque aedificauimus murum, & coniunximus totum*. Continenti ergo ac perpetua serie aedificantes commemorauit Nehemias eodem prorsus ordine, quo ipsi aedificabant. Nam si multiplici cepto itinere progressus fuisset, non vtique ad eandem redijsset porram, à qua discesserat, nisi eandem semel, bis, ac tertiò canum more redijsset E viam, quod cogitatione omnino indignum est, nedum lingua, quanto magis ergo calamo. Sed age rem hanc tractemus seriò, ac prius quam vteriùs progrediatur lector, in memoriam reuocet verba illa capitis duodecimi Nehemiae, quae paulò inferiùs apponemus, in quibus absolutum iam, atque perfectum murum dedicate Deo statuit Nehemias, distributis sacerdotibus, Leuitis, cantotibus, & populo in duos magnos choros laudantium: & bini quidem chori à porta stercoris simul supet murum processerunt; vnus quidem ad dexteram, alter verò ad sinistram, amboque simul

A stetetunt in potta Custodiae, *steteruntque duo chori laudantium in domo Dei*. Ex quo illud primò probari videtur, portam Custodiae domo Dei proximam ita fuisse, vt neuter chorus super murum ambulans in templum ingredi potuerit, nisi per Custodiae portam transiret: quod, qua ratione fuerit, quisque in nostra descriptione agnoscet. Secundò illud rationi consentaneum maximè videtur, portam stercoris aequis internallis hinc & inde à porta Custodiae sepositam fuisse. Cum enim totum in circuitu lustrare murum statuisset Nehemias, simul digressis à porta stercoris duobus choris, qui statuto tempore pariter conuenirent in porta Custodiae, vt vnà ingrederentur in domum Domini: nulla omninò ratione credendus videtur, non aequalia praedictis choris spacia peragenda designasse. Aliàs enim, si, vt praedicti auctores sine ratione vlla, ac sine testimonio probati alicuius scriptoris portam stercoris templo vicinam statuunt: si, inquam, sic res se haberet, alteri choro totus murus lustrandus foret, quo tempore alter chorus bina tantummodo, aut terna spacia peragraturus esset. Quibus adde primo quidem choro à porta stercoris digresso, & ad porram Fontis venienti mox gtadus ciuitatis Dauid, & domum Dauid occurrisse, quae ad Occidentem vrbis sita fuisse latiùs suprà probauimus.

Nehem. 12. ỳ. 39.

PORTA Custodiae templo proxima.

Sup. lib. 2. vrb. c. 1. & 2

Et quamuis haec ita certa sint, vt verè sunt; certo tamen certius illud, quod ad ordinem pottarum pertinet, probatur hoc rextu. Nam chorus secundus ex aduerso primi venit à porta stercoris super murum, turtim sutnorum, murum latissimum, portam Ephraim, portam Antiquam, portam Piscium, tutrim Hananeel, turrim Emath, portam Gregis, & portam Custodiae: hunc enim ordinem prosequitur expressis verbis sacet textus praecitato Nehemiae duodecimo capite. Quòd si eadem inuerso ordine referamus, portam videlicet Gregis, turrim Emath, siue centum, tutrim Hananeel, portam Piscium, portam Vererem, siue Antiquam, portam Ephraim, murum, siue plateam latissimam, turrim surnorum, porram stercoris, regressi iam erimus eandem viam, quam secundus chorus peregit. Quòd si modo sequamur priorem chorum ad portam Fontis, ad gradus ciuitatis Dauid, mox ad portam Aquarum ad Orientem, ac tandem ad portam Custodiae venietnus: atque eundem ordinem tenuisse Nehemiam hoc capite tertio, in commemorandis portis ac turribus competiemus. Quare necessariò dicendum videtur Nehemiam hoc capite tertio, ordine singulas partes vrbis retulisse; atque eundem tenuisse ipsas portas, & turres vrbis, quem ipsemet Nehemias, hoc tertio & duodecimo sequenti capite, sacratissima Spiritus sancti auctoritate, in perpetuam rei memotiam consignatum reliquit.

ORDO portarum idem esse probatur cum eo, quem tenuit capite hoc tertio Nehemias.

Quocirca grauiter etrant, erraretque modo proterue, quicumque negaret portam, verbi gratia, Piscium, non fuisse olim Hierosolymis inter turrim Hananeel, & portam Veterem: & sic etiam de aliarum, quae commemorantur partium dispositione, & ordine sentiendum duxi. Illud quoque reijciendum, quod Dionysius commentatur hoc loco; *vsque ad turrim centum cubitorum* ex vna parte, *& vsque ad turrim Hananeel* ex altera parte. Turrim enim centum, siue Meath necesse est statuere inter portam Gregis, & turrim Hananeel, prout suprà ostensum est: non tamen, quia dicimus turrim hanc centum, mediam inter praedi-

DECIpiuntur, qui portam Piscium non statuunt inter turrim Hananeel, & portam Veterem. *Dion. Carth.*

PROBAtur ordo ex initio, & fine commemoratae instaurationis in eandem Gregis portam tendentis. *Nehem. 4. ỳ. 6.*

praedictam portam, & turrim statuendam necessariò, propterea grauiori censura damnare intendimus eos, qui alibi eam, aut alias vrbis partes statuunt, quàm quo ordine à nobis ostensae sunt collocandae; nam aliam quoque eiusdem nominis alibi sitam fuisse qui diceret, non ita facilè coargui posset; sed is, qua ratione id dicat, & quibus ea figmenta suadeat, inquirat necesse est: nos enim quemque in suo sensu abundare permittentes, ordinem, quem aggressi sumus, continuò prosequemur.

VIRI Iericho opulentissimi fuerunt.

Atque de viris Iericho illud primò notandum occurrit; eos quidem opulentissimos fuisse oportere, propter vberem terrae glebam, quae illis omnia abundanter suppeditabat bona, tum propter soli fecunditatem, tum vel maximè propter saluberrimarum aquarum copiosissimum fontem, qui quidem fons cum aliquando ferretur

FONS Iericho.

non solùm terrae, atque lignorum fructus, sed etiam feminarum partum obtundere solitus, cunctaque pariter morbo, ac peste corrumpere; postea verò mansueuisse, contraque saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Helisaeo propheta, qui Heliae notus fuerat, atque successerat, prout tradit Iosephus. Atque vbi retulisset lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam missam, & ritum precationis Helisaei; Fontem, inquit, immutauit, & qui antea causa erat his orbitatis, ac famis, idem victus, ac fecunditatis auctor est effectus. Ampliſſimam quoque planitiem irrigat, atque optimos in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam sapore, quàm nominibus varia, quarum pinguissimae calcibus pressae plurimum mellis emittunt, non multùm alio melle deterius: quamquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: itemque cyprum, & myrobolanum gignit; vt qui diuinum esse illum tractum dixerit, non errauerit, vbi & larga, & optima generantur, quae sunt carissima. Sed ne in alijs ei fructibus aliqua facilè toto orbe regio certauerit, adeo multiplicatum, quod satum est, reddit. Subdit autem, vt totum compleat huius loci bonitatem: Tanta est autem caeli temperies, vt quo tempore in alia Iudaeae regione ningit, lino illic tantùm indigenae vestiantur: Distat autem ab Hierosolymis centum quinquaginta stadijs. Hactenus Iosephus. Et quamuis feracitatem huius loci fructuumque omnis generis abundantiam fonti per Helisacum sanato adscribat Iosephus; idem tamen alibi, palmis, ac balsamo abundasse eam vrbem tradit Moysis tempore.

Ioseph. 5. bell. c. 4.

AGRI Hierichuntini laus, & fertilitas.

Ioseph. lib. 4. antiq. cap. 5.

Verùm cur viris Hierichuntinis fors proxima summo sacerdoti obtigerit, non aliam puto assignari facilè posse rationem, quàm quòd turrim Hananeel, quae in angulo vrbis orientali & aquilonari sita erat, aedificauerat Eliasibus; in qua turri aperta erat porta Beniamin inferior: cumque Iericho ciuitas nobilissima olim fuisset, ac terminus orientalis, atque aquilonaris Beniaminiticae tribus, vt videre est apud Iosue, iuxta Masij interpretationem, condecens omnino videbatur, vt suae vrbi obiecta muri pars illis aedificanda tribueretur. Quem morem tenuisse videtur in distribuenda vrbe Nehemias, dum saepius notat aliquos contra domos, vel gazophylacia sua aedificasse. Cùm verò incolas Iericho ditissimos ac potentissimos fuisse à nobis probatum sit, propterea illis bina muri interualla aedificanda assignauimus.

VIRI Iericho ex tribu Beniamin obiectam suae tribui muri Aquilonarem partem aedificant. *Mas. supra Iosue 18. ℣. 11. & 12.*

Et iuxta eum aedificauit Zachur. Cùm plures viros Iericho commemorasset, quo modo vulgatus noster Hebraea imitatus, *iuxta eum*, dixit, & non iuxta eos? Cui dubio ita facilè nos respondere posse putamus, si viros hos Hierichuntinos non quidem turmatim, aut confusè murum pariter aedificasse dicamus; sed cùm primùm eam illius partem, quae assignata sibi fuerat, acceperunt, eam ipsi rursum inter sese partiti sunt, vnicuique partem iuxta vires, atque facultates suas distribuentes. Ex quo sensus loci clarè patebit, si hoc modo componatur; *& iuxta eum*, subaudi, qui vltimo loco aedificauit, *aedificauit Zachur filius Amri*. Hunc etiam opibus, ac dignitate potentem fuisse conijcere licet ex eo, quod inter potentissimos annumeratur. Quare & eidem duo interualla aedificanda assignauimus. Sed modus finisque aliquis sit huic capiti: longa enim quae superest via, nos vt respiremus aliquantulum hortatur.

DE PORTA PISCIVM, ET THECVENIS *principibus, sese ab opere Domini subtrahentibus.*

Cap. IX.

III.

PORTAM *autem Piscium aedificauerunt filij Asnaa.* Fateor equidem hanc portam propter grauissimorum Patrum auctoritatem, aliter de ea sentientium, maximum nobis facessere negotium. Et primùm quidem, quoniam in celeberrimo illo Sophoniae vaticinio, quod suprà à nobis nonnihil illustratum est, manifestum huius portae, atque eius regionis, in qua sita fuerat, perhibetur testimonium: illud ipsum vnà cum Hieronymi interpretatione, quae ipsam Prophetae mentem in multis expressit, pertractandum iterum fuit. *Et erit in die illa, dicit Dominus, Vox clamoris à porta Piscium, & vlulatus à Secunda.* Hieronymus sic: In die hostiae Domini, quando extenderit manum suam super Iudam, & super omnes habitantes Hierusalem, & hostilis eam vallauerit exercitus, *erit vox clamoris à porta Piscium, & vlulatus à Secunda, & contritio magna à collibus.* Portam Piscium eam vocabant, quae Dioſpolim ducit, & Ioppen, & vicinior mari erat inter cunctas vias Hierusalem, de qua & Esdras refert. *Portam* verò *Piscium aedificauerunt filij Asnaa.* Quod autem ait, *& vlulatus à Secunda*, secundi muri in eodem climate portam significat. Longam verò disputationem, an de vltimo excidio, quod per Titum vrbi illatum est, intelligendus sit locus, an non, tandem concludit his verbis: vel certè priorem captiuitatem typum esse secundae, & perfectae euersionis Hierusalem. Haec Hieronymus.

Sup. lib. 2. vrb. c. 13.

Sophon. 1. ℣. 10.

SANCTVS Hieronymus portam Piscium ad Occidentem statuit.

A SECVNda, quid significet.

Ab huius sanctissimi Patris sententia, quae asserit portam Piscium, atque Secundam in eodem climate sitas, recedere nulla ratione possumus; quoniam ipsa res sic se habet. Hanc enim eandem, quam vocat hic Secundam Sophonias, vocauit Ieremias portam mediam, vt disertis verbis illud tradit Sanctus Thomas, qui ad illa verba Ieremiae: (*Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae: quia ecce ego conuocabo omnes*

PORTA Piscium, & porta Secunda in eodem climate sitae fuere.

S. Thom. Ierem. 1. ℣. 14.

omnes cognationes Regnorum Aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem. Haec addit: *Ab Aquilone*, id est, à Rege Babylonis, *solium*, tentorium, *in introitu portarum*, quasi vsque ad muros obsidebunt. Isaias ait: *Equites ponent sedes suas in porta, & reuelabitur operimentum Iudae.* Vel ponit ipsam captiuationem vrbis, & tangitur id, quod habetur infrà: *Ingressi sunt omnes principes Regis Babylonis, & sederunt in porta Media.* Hactenus Sanctus Thomas.

Isa. 22. ℣.7.

Ierem. 39. ℣.3.

Pari quoque ratione Riberae testimonium accipimus, qui, quò magis in huius portae assignanda regione diffidet, eò magis, quam improbare conatur, probabit sententiam, qui veritate compulsus, negare non potuit, quod planè ex historijs sacris, atque profanis conuincitur. Ergo, inquit, tertius murus non erat, scribente haec Sophonia, aut postea Chaldaeis vrbem oppugnantibus. Quod assumit, falsum omnino esse pluribus suprà probauimus: vera tamen ac certa esse, quae subiungit, non dubitamus. Rectè, inquit, intelligimus eos per portam Piscium irrupisse, à qua clamor auditus est; deinde ad Secundam portam venisse, id est, ad portam secundi muri, portae Piscium aduersam. Haec ille.

Rib. super Sophon. 1. ℣.54.

Sup. lib.2. vrb. c.18.

Assumamus ergo tamquam probatum, quod conceditur: verum enim id esse plurium sacrae Scripturae locorum consensus planè conuincit, Chaldaeos per portam Piscium primò irrupisse, ac mox ad Secundam portam impetum fecisse. Ciuitas autem Iosepho teste trino muro circumdata erat, nisi qua vallibus inuijs cingebatur; ex ea namque parte vnius muri habebat ambitum. Qui post pauca subdit: Trium verò murorum vetustissimus quidem propter valles, imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat. Ex quo fit, vt omnes, quotquot videre potui Hierosolymae tractatores, affirment, siue eam explicent scriptis, siue delineationibus efforment; montem Sionem, atque adeo totam vrbem à Meridie vno tantùm muro cinctam fuisse: qui murus propter loci difficultatem nulla paene ratione capi poterat. Statuamus item, vt certum, Chaldaeos à Meridie quidem nulla ratione ingressos: ab Oriente nullus, quod viderim, id somniauit: quare in ea confutanda sententia non est immorandum; solùm probandum supereret, ab Occidente nulla ratione vrbem aggressos.

CHALdaei portam Piscium primò, mox Secundam Hierosolymis inuasere. *Ioseph. 6. bell. c.6.*

Et primùm, cùm mons Sion etiam ab Occidente vnico muro tantùm cingeretur, vbi primùm quamlibet eius muri portam obtinuissent, totam pariter vrbem inuadere liberè potuissent: quomodo igitur ad Secundam vrbis deinde portam irrumpere potuerunt, sicut tradit Propheta, si nulla ex ea parte Secunda porta fuit? Huc accedit, quòd Secunda porta, siue porta Media nulla alia ratione sic dicenda videretur, nisi quia in muro secundo, aut medio aperiebatur: medius autem murus minimùm inter duos extremos statuendus est, vt ratio ipsa exigit. Secundum verò murum septemtrionalem solummodo tractum ambientem vsque ad Antoniam ascendisse, testatur Iosephus: & post pauca septemtrionalem hunc tractum templo tantummodo obiectum fuisse tradit. Quae cùm ita sint, impossibile videtur, vt sacris, atque profanis historijs aptari possit, Chaldaeos à septemtrionali parte non aggressos vrbem: immo & necessariò asserendum videtur, eos templo inhiantes, eiusque opes vehementer sitientes, ex ea parte vrbem primò oppugnasse, eamque expugnasse, quae templo vicinior fuisset, & propter loci aequalitatem facilius capi poterat.

CHALdaei à septemtrionali parte aggressi sunt vrbem.

Quapropter hoc certò statuendum videtur, portam Piscium in tertio, & extimo vrbis inferioris (quae & aquilonaris tota erat) muro apertam fuisse: & huic portae ex aduerso respondisse portam altetam in muro Bezetae, qui Secundus, & Medius dicebatur. Quae omnia si in nostra descriptione attentiùs perspicias, tum Piscium, tum Mediam portam ex aduerso aquilonarem respexisse ipsius templi portam intelliges. Quod maximè consentit ijs, quae sunt à nobis superiore capite demonstrata. Nam cùm manifestum inde fiat, portam Piscium collocandam inter portam Ephraim, quam nullus aquilonarem fuisse negabit, & inter turrim Hananeel, quae & ipsa terminus est muti aquilonaris, necessariò portam quoque Piscium ad Aquilonem, non ad Occidentem constituendam. Vnde autem Sancti Hieronymi, & Bedae, atque plurium praeterea scriptorum, qui hos Patres sequuntur, sententia originem, atque incrementum sumpserit, examinandum videtur. Borchardus in primis portam Piscium, portam quoque Dauid dici arbitratur, sitamque fuisse affirmat in latere montis Sion, vbi duae voragines à se inuicem separabantur; eratque ibi, inquit, testudo facta vltra voraginem contra portam eam, quam portam Piscium à Nehemia dictam putat: nec non portam negotiatorum eam dici existimat; quoniam per eam variarum gentium negotiatores varias & pretiosas merces afferre consueuerant. Illud tamen ferendum nulla ratione puto, Iosephum tamquam huius sententiae auctorem à Dionysio Carthusiano citari, quod neque somniauit Iosephus; neque nostri codices tale quidquam habent: atque donec alios proferat, quibus id testetur Iosephus, non credimus quidquam huiusmodi à Iosepho scriptum.

PORTA Piscium in tertio muro inferioris vrbis fuit aperta.

S. Hieron. Beda.

Borchar.

Dion. Carth. sup. Nehe.

Et certè ratio inuehendorum piscium nomen portae praestare nullo modo potuisset: nam cùm plures olim ad mare, hoc est, occidentem Solem prospicientes portae Hierosolymis fuissent, qui fieri posse probabitur, hanc tantummodo portam Piscium dictam fuisse, non aliam? At non de hac tantummodo porta, sed & de alijs conqueritur ipse Nehemias, quòd piscatoribus, haud secus, quàm alijs negotiatoribus paterent in die sabbati: *Et Tyrij*, inquit, *habitauerunt in ea*, absque dubio Hierosolyma, de qua locutus paulò antè fuerat, *inferentes pisces, & omnia venalia, & vendebant in sabbatis filijs Iuda, & Ierusalem: & obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis; quae est haec res mala, quam vos facitis, & prophanatis diem sabbati? numquid non haec fecerunt patres nostri?* &c. Et post pauca: *Factum est autem, cùm quieuissent portae Ierusalem*, non quidem vna negotiatorum, & Piscium, sed omnes *in die sabbati, dixi: & clauserunt ianuas*, &c. *Et manserunt negotiatores, & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem semel, & bis. Et contestatus sum eos, & dixi eis: quare manetis ex aduerso muri?* &c. Quibus verbis manifestè insinuari videtur, non potiùs per hanc, quàm per aliam portam ingredi solitos mercatores; sed per illam, quae illis vel vicinior venientibus, vel commodior foret aut habitationi illi, in qua distrahendae merces fuissent. Quare ratio illa Riberae omnino infirma est, qua simili argumento probare

Nehem. 13. ℣. 16. & seq.

Rib. Sophon. 1. n. 43.

probare contendit, portam ab inuehendis piscibus Piscium dictam; sicut altera à gregibus per eam inductis, Gregis cognomentum accepit. Nam quamuis, si rationes vtriusque denominationis in ceteris essent pares, nonnihil momenti ac ponderis ad persuadendum ea ratio habere crederetur; tamen cùm in reliquis sint dissimiles, in hoc maximè sunt dissimiles, quòd greges sacrarum victimarum per illam tantummodo portam in templum importabantur; at pisces non per vnam tantùm, sed per plures induci solitos necesse est, cùm alios è longinquiore, eoque latè patenti mari maximo, & occidentali, quod nostris mediterraneum dicitur, aduehi solitos, praeallato Nehemiae testimonio comperiamus; alios verò è viciniore Galilaeae mari, quod orientale vrbi erat. Atque id expressè tradit Zacharias: *Exibunt* enim, inquit, *aquae viuae de Ierusalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouissimum*. Mare nouissimum vocat teste Hieronymo, quod ducit ad Aegyptum, & facit litora Palaestinae. Orientale verò est mare Galilaeae, ex quo pisces in vrbem aduehi solitos assidua Apostolorum piscandi exercitatio in sacra Euangelistarum historia saepe commemorata conuincit: praeterquam quòd portae Gregis nomen antiquius fuisse ipso templo, in quod inferebantur per eam greges, & alio potiori iure sic dictam à tempore Patriarchae Iacobi, satis suprà probauerimus.

Zachar.14. ỳ.8.

MARE Galilaeae orientale dicitur, mare nouissimum, seu occidentale, quod nos mediterraneum vocamus.

S. Hieron.

Sup. cap. praeced.

Quare eas omnes Richardi, immo & Sancti Hieronymi, & aliorum eiusmodi rationes, ex Aeliae, quae ab eisdem conspecta est Hierosolymis, dispositione, portis, ac partibus desumptas esse facilè persuademur. Et quoniam ab Occidente Aeliae vna porta conspicitur, vicina ea quidem celeberrimo Sionis monti, eique eius angulo, in quo Regiam olim Dauidis sitam fuisse credunt, ideo Dauidis portam eam dictam astruunt. Sed esto, nunc ea Dauidis porta dicatur, numquid sic olim dicta fuit? At non memini me legisse, cum attentiùs legerim Scripturas sacras, eiusmodi nomen: neque propterea negamus eam, si olim ibidem sita fuisset, Dauidis portam pari ratione dici potuisse: at hoc inquirimus, an ea tempore Nehemiae, eodem, quo nunc est, loco sita fuerit? Quod negent necesse est, cùm ea porta in muro occidentali Aeliae aperta sit, quem murum longè processisse vltra antiquae vrbis moenia, demonstrat Ieremiae vaticinium, infrà à nobis suo loco pertractandum: idemque receptissimorum omnium scriptorum sententia probari facilè poterit; quoniam Caluariae locum ille Aeliae murus includit, in quo teste Paulo *extra portam passus est* Christus. Cùm ergo noua haec sit porta, nihil rationes eius ad probandum quidquam de alia aliqua antiquae vrbis porta momenti habent, aut ponderis. Quare sicut portam negotiatorum ad Orientem statuendam probaturi sumus, propterea, quod hi vnà cum aurificibus, iuxta forum pecuarium merces suas vendendas exponerent: ita quoque portam Piscium, quam ad Aquilonem statuendam probauimus, propterea sic dictam putamus, quod pisces è mari Galilaeae illic ex aduerso existente per eam inuehebantur; in quo ferè omnium scriptorum sententiam habemus. Neque tamen propterea sententiam Vatabli abijcimus, qui ideo sic dictam portam putauit, quòd foro piscario proxima fuisset: immò verò exemplo à nobis portae negotiatorum allato magis videtur conuenire sententia. Atque adeo Chaldaeos per eam portam vrbem

AN PORTA, quae nunc dicitur Dauidis, & Piscium, ibidem fuerit instauratione tempore; *Ierem. 31.*

Heb.13. ỳ.12.

Vatabl.

A inuasisse, totumque populum, omnisque aetatis, sexus, & conditionis ciues sine vlla commiseratione trucidasse, reliquiasque interfectorum in Babyloniam transtulisse, credendi sunt, haud secus, quàm piscator solet in omnes maris pisces impunè grassari. Quod & significare videtur Habacuc, dum miseram hanc, de qua paulò superiùs loquebamur, populi sui vastationem, quam Deo reuelante praeuiderat, sic deplorat: *Et facies homines*, populi tui filios Iudae, & Hierusalem, *quasi pisces maris, & quasi reptile, non habens principem*, cur inquam hominibus populi tui, quasi epulo quodam lautissimo immanissimum barbarum saginares? cur denique homines tuae hereditatis, atque peculij non secus, ac pisces, qui nullius sunt, pro libito Babylonio huic capiendos, & expiscandos permitteres? nullo namque legitimo suffultus iure, nulla prorsus lacessitus iniuria; verùm pro effrenata dominandi libidine, *totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum*: sic enim locum hunc sollers interpretatur Gueuara. Propterea ad portam Piscium primò aduentasse Chaldaeum tradit vates, vt non secus ciues inuasurus crederetur, quàm pisces piscator.

HIEROSOlymitana ciuersio similis piscationi sunt.

Habac.1. ỳ.14.

Gueuara.

Illud tandem animaduertendum videtur, quod notauit Sanctus Hieronymus, abijciendam eam Septuaginta interpretum lectionem, quae portam hanc pungentium, non piscium, in Hebraeis, ac Latinis codicibus legit; idem etiam in correctioribus Graecis codicibus, quos imitatus est Sixtianus codex, legi credendum est. Neque verò aliquis vlla ratione arbitretur, contra hanc nostram sententiam aliquid probari posse ex loco illo Paralipomenon, qui sic de Manasse loquitur: *Post haec aedificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Gihon, in conualle ab introitu portae Piscium, vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer*. Quasi verò propterea ad Occidentem statuenda credatur porta Piscium, quòd murus hic ad Occidentem aedificatus, à porta Piscium initium sumpserit. Nam si attentiùs perpendatur hic locus, nostram potiùs confirmare, quàm labefactare sententiam poterit: tres enim muri à Manasse aedificati partes designantur, initium, medium, ac finis. Initium namque sumit à monte Gihon, qui occidentalis est ciuitati Dauid, atque hunc sensum admittit: Ciuitati Dauid *ad Occidentem*, hoc est, ad Gihon: erat enim mons Gihon, quasi terminus occidentalis, & aquilonaris ipsius ciuitatis Dauid. Medium huius muri fuit *in conualle*; quae quidem conuallis incipiens ab aquilonari latere Bezetae, ac templo ex aduerso positae; indeque versus Orientem tendens, coniungitur valli Iosaphat. Et hunc quidem muri tractum illis verbis describit, *ab introitu portae Piscium vsque ad Ophel*. Sed hic locus, quoniam copiosiùs est suprà à nobis expositus, nihil ampliùs desiderare videtur, quàm vt istud Beati Hieronymi adijciamus: *Ad Occidentem Gihon*, inquit, id est, à torrente Gehon, aedificare coepit vsque ad portam Piscium, quae est porta de parte Ioppen. Haec ille. In quibus nomen Gihon non videtur esse proprium loci, sed valli Hennon, per quam defluit torrens Cedron, commune. Cui acceptioni consonat illa huius nominis notio, quam tradit Benedictus Arias; ea enim voce vallem pulcherrimam significari putat; haud aliter quàm si vox גיחון gichon composita sit à voce גיא ge vallis, & voce חגן cha-

S. Hieron. PORTA Piscium, pungentium rectè dicitur.

2. Par. 33. ỳ.14.

LOCVS Paralipomenon explicatur.

Sup. lib. 2. vrb. c. 19.

S. Hieron. de trad. Hebra. in hunc locum.

Bened. Ariamont. interpr. nom. Hebr.

GIHON nomen explicatur.

גיחון ghaihon, quam suprà interpretati sumus, cùm de turri Hananeel loqueremur: quasi dicas, vallis gratiarum, pulcherrima & gratissima vallis, cuiusmodi erat vallis Hennon. Hieronymus igitur, qui portam Piscium ad Occidentem exstitisse opinabatur, ab Oriente in Occidentem aedificationem duxit; à termino inquam occidentali torrentis Cedron, vsque ad portam Piscium, quae occidentalis erat vrbi Dauid. Nos verò, qui aliter sitam fuisse portam arbitramur, iuxta eundem loquendi modum sic intelligemus sacri historici verba. *Aedificauit* Manasses *murum extra ciuitatem Dauid*, hoc est, in vrbe inferiore *ad Occidentem Gihon*; hoc est, in ea parte muri, quae occidentalis erat valli Hennon, eidemque vicina, & *in conualle*, hoc est, *ab introitu portae Piscium vsque ad Ophel*. Quae loca qui attentiùs in nostra descriptione perspexerit, facilè murum inferioris Caenopolis à Manasse instauratum intelliget, vt suprà probauimus.

Et iuxta eos aedificauit Marimuth filius Vriae filij Accus.

IIII.

Et iuxta eum aedificauit Mosollam filius Barachiae filij Mesezebel.

Et iuxta eos aedificauit Sadoc filius Baana.

Tria item spacia portae Piscium proxima his tribus aedificatoribus assignauimus, quos parentum

QVARE parentum commemoratio fiat.

commemoratione celebres fuisse significat, nisi fortè, quò eos ab alijs, qui eisdem compellabantur nominibus, distingueret, parentes quoque eorum commemorauit, & parentum patres. Priorem huius versiculi partem longè aliter Septuaginta reddiderunt: Et ad manum eius tenuit super Ramoth: filium Vria filij Accos. Infrà verò in eodem Sixtiano codice habetur Marimuth, sicut vbique Hebraei, Latini, & Graeci alij codices legunt. Ratio autem huius variae lectionis ea videtur esse, quòd in Hebraica voce מרמות meremoth priorem litteram מ mem tamquam praepositionem interpretati sunt Septuaginta, vertentes super Ramoth, quam tamen litteram etiamsi aliàs eiusmodi acceptionem recipere posse cognoscerent; tamen tamquam vnam ipsius nominis litteram accepisse credendi sunt tam ipsi Septuaginta, quàm Latinus interpres; eaque videtur contextui magis apta lectio. Illud etiam notandum videtur, quòd quamuis eodem modo vulgatus noster aedificasse dicat Eliasibum, viros Iericho, Zachur filios Asnaa, & Marimuth: tamen priores illos, & hunc vltimum, ac ferè reliquos diuersa praestitisse in muro vrbis, significant Hebraea, quae prioribus quattuor reaedificatoribus verbum בנה banah tribuunt, reliquis חזק chazach, quorum primum aedificare, secundum roborare, seu firmare, aut vt Vatablus conuertit, fortificare significat: quasi significare voluerit textus, portam Gregis cum turribus illi proximis, ac portam Piscium aedificatas denuo fuisse, vtpote paene funditus euersas; reliquas verò muri partes non omnino aedificandas, sed firmandas, atque roborandas, aut quasi resarciendas fuisse: quamuis & has, & illas partes instauratione indiguisse non dubitemus. Quapropter aptissimè conuertisse vulgatum credimus, vbique verbo aedificandi vsum.

Infrà ỳ.21.

DIVERSA praestant in muro instauratores: alij omnino aedificant, alij tantummodo resarciunt.

V.

DE THECUENIS. *Rib. Am.1. Adrich. n. 236. Ioseph. de vita sua, & 5. belli c.7. Hiero. sup. Ierem.6.*

Et iuxta eos aedificauerunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. Thecua ciuitas olim, vt tradunt Ribera, & Adrichomius, à Ioseph vicus vocatur, & ab Hieronymo viculus in monte situs, duodecim millibus ab Hierusalem distans: sex autem ad meridionalem plagam abest à sancta Bethleem, quae mundi genuit Saluatorem; & vltra nullus est vicu-

lus, ne agrestes quidem casae, tanta est eremi vastitas, quae vsque ad mare rubrum, Persarumque, & Aethiopum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humo arida, atque arenosa nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, vt sterilitatem terrae compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum fuit Amos Propheta, imperitus sermone, sed non scientia. In hanc etiam vrbem misit Ioab quaesitum mulierem sapientem, quae compositis aenigmatis, ac simulatis lacrymis sapientissimi Dauidis animum leniret, atque filio suo benignum ac pacatum redderet: qua in re & admiranda omnino fuit Ioabi sapientia, & mulieris constantia. Ille enim Thecuam misit, quae Dauidi ex vicinia soli notissima, & conuersationis familiaritate proxima ciuitas erat, mulierem accersens, vt Regis animum ad commiserationem flecteret. & propter gentis sapientiam, ac paene innatum ingenij acumen difficillimo negotio, periculosissimoque peragendo fuisset idonea.

EREMI Iudaicae magnitudo, & vastitas.

IOABI Sapientia, atque mulieris Thecuitidis, quae Dauidem Absaloni conciliauit, constantia commendatur.

Miranda sanè mulieris constantia, quae neque Regia maiestate territa, neque prima promissione contenta, neque effictae simulationis accusatione turbata, Absaloni pacem, & incolumitatem etiam iuramento confirmatam obtinuit. Et quidem haud immeritò eius gentis hominibus has omnes commemoratas laudes quis tribuendas agnoscet, si nunc audiat aedificasse quidem Thecuenos, quos optimatum, ac principum praua exempla potiùs ad inertiam, & otium, quàm virtutem, & laborem incitare potuissent, potiùs ab opere retraherent, quàm ad illud inuitarent.

Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. Hebraicè pro optimatibus ואדיריהם veaddirehem, quae vox à verbo אדר adar deducitur, quod magnificari, aut roborari significat: ex qua radice deductum nomen אדיר addir, praegrandem, amplum, praepotentem, praeualidum, excellentem significat: quare Deo frequenter tribuitur. In psalmo enim Deum affatur Propheta, dicens: *Domine Dominus noster, quàm admirabile,* אדיר addir, grande, potens, *est nomen tuum.* Et Isaias stabilem, ac perpetuò duraturum testatur nouam Hierusalem; *quia solummodo ibi* אדיר addir, fortis, praepotens, *magnificus est Dominus noster.* Quare hac voce eos omnes significare videtur sacer historicus, quos propter diuitiarum copiam, munerum dignitatem, virium, roboris, atque omnium humanae vitae praesidiorum abundantiam maximè decuit aedificare; eos enim omnino par est, qui reliquos dignitate, ceterisque partibus antecellunt, eosdem in difficilioribus ac maximis rebus praeclarè gerendis, sollertia, atque animi constantia antecellere; quoniam eisdem probrosum est, atque maxima ignominia notandum, à suis inferioribus, & quasi seruis, virtutum, atque animi nobilitate superari. Quapropter Septuaginta interpretes in Sixtiano codice ipsam Hebraeam vocem adorim reliquerunt, quasi non auderent tam latè patentem vim vocis aliqua Graeca voce exprimere. At in Complutensi ἰσχυροὶ αὐτῶν ischyri auton legunt, hoc est, fortes eorum: significantiùs vulgatus, *Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.* Regius codex ex Hebraeo sic vertit: & illustres eorum non adduxerunt in collum suum in seruitio Domini sui. Vbi metaphoram putat Vatablus desumptam fuisse à bobus, & iumentis alijs, qui colla sua in iugum inserunt, vt laborent in agro. Et quidem frequens ea sacrae Scripturae phrasis est, quae seruitutem principi-

OPTIMATES qui dicantur.

Psal. 8. ỳ.2. Isai. 33. ỳ.21.

QVI DIuitijs, ac dignitate reliquos antecellunt, in rebus praeclarè gerendis praecellere debent.

Vatablus. SERVITVS iugo comparatur.

bus exhiberi solitam, iugum compellare solet. Sic in libris Regum omnis multitudo Israël Roboamum filium Salomonis alloquens, ait: *Pater tuus, durissimum iugum*, loquebatur de tributis, *imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio Patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Sic etiam apud Isaiam libertatem à daemonis tyrannide ac seruitute promittit Deus, sub figura Aegyptiacae seruitutis: *Iugum enim oneris eius*, onerosum, grauissimum pondus tributorum, ac durae seruitutis, qua premebantur in operibus luti, & laterum, *& virgam*, vrgentium opus, qua percutiebantur *humeri eius*, eotum inquam, qui iniquè, & durè fustibus humeros ipsos asportandis oneribus contusos, magis ac magis conterebant caedendo: *& sceptrum exactoris eius*, praefecti operum, qui iniquè exigebat, & iampridem imposita, & alia, quae vi & iniuria imponebat ipse onera; haec omnia populi damna, & incommoda *superasti*, deiecisti, aut excussisti ab eis, *sicut in die Madian*; non minus inaudita, & admiranda victoria, quàm fuit illa, qua Madianitae fusi fugatique sunt, & ad internecionem à paucissimis hominibus deleti, ijsque inermibus, tubis tantùm, ac luminibus infinitam hominum multitudinem profligantibus. Hunc autem esse praesentis Nehemiae loci sensum, indicat Hebraica phrasis; & non adduxerunt, vel venire fecerunt collum suum in seruitutem; vel in collum suum, iugum subaudi.

3. Reg. 12. ℣.4.

Isai. 9. ℣.4.

STRATAgema praeclarum, quo Madianitae victi sunt.

IVGVM Hebraeis ghul quare dictum.

Vox enim Hebraica עול ghul iugum sine vlla dubitatione significat: vnde autem deducta fit vox, aut quare sic dicta, non omnes eodem modo statuunt. Quidam enim à עול ghul deriuant, quod est iniuria afficere, subiugare, in seruitutem redigere, aut humiliare seruitute, aut castigatione: iugo enim ferocissima quaeque animalia edomita mansuescunt: alij à voce עלל ghalal, quae conuoluere significat, deducunt, quòd iugo ceruicibus animalis impositio, eo quicumque pro libidine vtitur: alij tandem à radice עלה ghalah, quae ascendere significat, propterea quod super ceruices, aut colla animalium ascendat. Et ad hanc vocis acceptionem respexisse credendus est textus, si iugum subaudiendum forer. At aedificatio muri Hierosolymitani non tamquam aliquod graue tributum, aut durum iugum imponebatur: sed tamquam quaedam voluntaria, libera, & grata subiectio, qua quisque se libenter profiteretur Hierosolymitani Regis, ac supremi ducis seruum ac militem, ipsiusque vrbis ciuem. Hoc enim significat אדוניהם adonehem, Domini sui. non quod perperam interpretatur Vatablus, praefecti sui, qui praefectus fuerat toti familiae in instauratione muri vrbis, hoc est, non paruerunt Domino, ac praefecto suo mandanti, vt laborarent in instauratione muri vrbis. Haec ille. Quae quamuis re ipsa vera sint, non tamen puto ea tantummodo verbis significari, sed longè maiora ac praestantiora: Dominum enim suum, Deum optimum, rerum omnium dominatorem intelligit, cuius honori, & gloriae consulebant, qui muros vrbis instaurabat.

OPVS Domini sui quare dicatur. *Vatabl.*

Huius meae opinionis veritas, quamuis alijs quoque rationibus, & ex ipsa voce ac Dei nomine Adonai comprobari posset: tamen pro breuitatis propositae studio, vnicam tantummodo, eamque manifestam rationem proferam. Hi enim, qui colla operi supponere noluerunt, ijdem ipsi erant principes ac domini, qui alijs praefecti esse debuissent muri aedificandi; qui tantò grauiùs deliquerunt, quantò & ipsorum negligentia, & exemplum, subditis confimilis delicti esse posset occasio, & causa. Quibus addendum videtur, vocem illam עברת ghabarat, quam, *in opere*, conuertit vulgatus, alij verò in seruitutem, à voce deduci, quae transire significat: & forsan ad pastorum vsum respexisse credendus est scriptor: illi enim quoties armentorum, aut pecorum suorum greges recensere volebant, singula sub extensa pastoris virga tranfire faciebant. Cuius quidem vsus vnà cum vocis acceptione meminit liber Leuitici: *Omnium*, inquit, *decimarum bouis, & ouis, & caprae, quae sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* Iuxta quam vocis acceptionem huiusmodi sensus elici potest: *Optimates autem eorum non suppofuerunt colla sua in opere*, id est, vt transirent sub virga Domini sui, quò eos agnosceret *pastor bonus*, ipsique pastorem suum benignissimum agnoscerent, recognoscentes virgam, non quidem tremendae maiestatis, aut quae dutam imponeret seruitutem; sed amantissimi pastoris, cuius eximiam consolationem commendat Regius pastor: *Virga*, inquiens, *tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

QVANDO numerabantur greges, sub pastoris virga transibant. *Leuit.* 27. ℣.32.

Ioan. 10. ℣.14.

Psal. 22. ℣.4.

VIRGA Domini maximae consolationis est.

In quo maximè praelatorum ac principum damnatur inobedientia, eorum potissimè, qui, dum ferreum iugum ijs, quibus dominantur, imponere non verentur, ipsi ne colla quidem supponere volunt, vt transeant sub virga Domini sui. Quod non longè diuersa phrasi pronunciauit de Pharisaeis Dominus: *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Nunc tandem istos missos faciamus, quos ignauia & laboris fuga longiore praedicatione indignos reddit. Ad ceteros deinceps, in excitanda vrbe pro viri li impigrè desudantes, propriùs recognoscendos festinemus.

Matth. 23. ℣.4.

INOBEdientes, & immisericordes praepositi reprehenduntur.

MAIORA sunt principum peccata, qui consimilium in subditis exemplum sunt, & causa.

DE PORTA VETERI, GABAONITIS, atque alijs instauratoribus. Cap. X.

VI.



ET *portam Veterem aedificauerunt Ioiada, filius Phaseа, & Mosollam filius Besodia.* Hanc eandem portam capite duodecimo vocat Vulgatus, *portam Antiquam*, idemque omnino significat antiqua, & vetus: quoniam in Hebraeo eadem vox reperitur ישנה iesanah, quam Septuaginta interpretes intactam reliquerunt, & quasi proprium portae nomen protulerunt ιασανα iasanae: quod nomen ter tantummodo legitur in Biblijs, significatque veterem, antiquam. Quoniam verò verbum ישן iasan, à quo deducta creditur ea vox, dormire significat & quiescere, eleganti quadam translatione quasi somno oppressa, & quiescens dicitur: solet autem tantummodo rebus inanimatis tribui, vt piscinae apud Isaiam, & portae his duobus Nehemiae locis, quos prae manibus habemus. Ceterum cur sic dicta fuerit, cùm alij alias excogitauerint variationes, illa tantummodo ad scopum collimasse videtur, quam affert Dionysius, qui sic dictam portam arbitratur, quòd vestigia eius apparuerint à diebus Iebusaeorum, & Melchisedeci, vt in scholastica fertur historia.

Nehem. 12. ℣.38.

PORTA Vetus quare sic dicta.

Isa. 22. ℣.11.

Dion. Carth. 6

Atque

PORTA Vetus à temporibus Melchisedeci integra perdurauit. *Sup. lib. 1. vrb. cap 2. & 3.*

Atque cùm propter rationes suprà allatas haec porta statuenda sit in muro aquilonari vrbis; eam in vrbe Salem apertam fuisse patet, quae omnium antiquissima fuit, vt suprà probauimus. Quare non vestigia tantùm, sed & totam portam, eiusque aedificium, & muros à temporibus Melchisedeci perdurasse probat haud leuis huiusmodi coniectura. Cùm enim ex antiquissimis vrbis Melchisedeci muris ea tantummodo pars, quae montem Acra ab Aquilone & Occidente circumdat in exteriori vrbis parte, permanserit, eius tantummodo muri portae vsui vrbi esse potuerunt; quoniam reliquae intra vrbem positae vel euersae fuerunt; vel ijs tantummodo, qui alias vrbis portas fuissent ingressi, aditum patefaciebant. Cùm igitur temporibus Salomonis, & aliorum deinceps Regum, totum murum montis Sion, eiusque portas à Dauide paulò antè aedificatas viderent, atque à Salomone instauratas veteris vrbis reliquas: hanc autem tantummodo permansisse ex antiquissima & prima eius fundatione, eam portam, Veterem, seu Antiquam cognominare coeperunt; quam Zacharias meritò nominat portam Priorem ראשן rison, quae vox primum tempore, seu priorem significare solet, vt in Exodo: *Praecide, ait* Dominus ad Moysen, *tibi duas tabulas lapideas instar priorum.* Et quamuis pari quoque ratione veteres dicendas quis contendere vellet reliquas eiusdem vrbis Solymae portas, puta Ephraim, & Anguli: tamen cùm eae portae euersae, atque instauratae à Regibus Israël & Iuda (vt mox videbimus) fuissent, meritò omnes aliae singulae suum quaeque nomen alias ob causas sortitae sunt, haec tantummodo antiquitatem, & nomen retinuit; id quod facilè probari potest: quoniam, vt conijcimus, in editiori collis Acrae parte sita, & ab hostium incursionibus immunis, & assiduae durationi conueniens credenda est. Verùm, quia plura de hac porta confingunt neoterici, nescio quibus petsuasi coniecturis, ea omnia falsa, & ab omni veritatis specie longè semota probat praeter eum, quem interpretamur, manifestis verbis alter Nehemiae locus, qui chorum secundum commemorat venisse super murum, *super portam Ephraim, & super portam Antiquam, & super portam Piscium.* Quare cùm porta Ephraim, etiam ipsismet scriptoribus approbantibus, sita fuerit, vt mox ostendetur, ad Aquilonem, & ad eandem plagam exstitisse portam Piscium satis suprà demonstratum sit, necessariò dicendum est, aquilonarium portarum mediam, portam Veterem, in aquilonari quoque vrbis latere apertam fuisse. Singulis ergo verbis falsum quid inuoluit Adrichomius, qui ab Aquilone portae Piscium sitam eam confingit, atque occidentem Solem respexisse. Nam cùm vtraque porta aquilonaris fuisset, porta quidem Vetus à parte Occidentis sita erat portae Piscium, sicut huic illa ad Orientem, vt in nostra descriptione videre quisque poterit.

Zachar. 14. ℣. 10.

Exod. 34. ℣. 1.

ALIAE portae vrbis Salem quare non dicerentur antiquae.

Nehem. 12. ℣. 38.

AD AQVILONEM respiciebat porta Vetus.

Adrichom. de vrb. n. 166.

FALSO quidam putant ad Occidentem respexisse portam Veterem.

Falsum etiam est, quod idem tradit, à Iebusaeis hanc portam dictam Iebus; quoniam numquam Iebusaei vrbem Salem incoluerunt; sed arcem tantummodo Sion, quam tenuerunt, quousque Rex Dauid vnctus fuit; cùm tamen vrbem Salem multis aittè saeculis tenuissent filij Iudae & Beniamin; eamque possedisset Saul, vt pluribus suprà à nobis probatum est. Falsissimum verò est, portam hanc Iudiciariam, seu Iudicialem dictam: ratio enim ferendorum iudiciorum omnibus quoque portis communis est, si in omnibus portis iudicia fiebant. Altera verò de iudiciorum exsequutione, & reorum poena, qua nomen huic portae dedisse creditur Caluariae vicinia, infirma omnino manet, cùm montem Caluariae ad Occidentem vrbis, portam autem Veterem ad Aquilonem sitam fuisse ostensum sit. At quod ad portam Iudicij attinet, eam ad Orientem, templo ac portae Gregis fuisse vicinam, infrà manifesta ratione probabimus. *Infra c. 22. huius.*

NEQVE dicta fuit Iebus.

Sup. lib. 1. vrb. c. 11.

FALSVM est portam Veterem Iudiciariam dictam.

Ex quibus perspicuum quidem fit, ea omnia Adrichomij; immo verò quamplurium, quos antesignanos, & aliorum, quos sequaces habuit, figmenta ex eo oborta fuisse, quod ipse subiungit, nempe eius portae vetusta adhuc vestigia exstare: nam cùm viderent portae cuiusdam antiquae ruinas Hierosolymae hodie in media ferè vrbe Aeliae exstare, extra quam Christus Dominus passus dicitur à Paulo; ideo Aeliae incolae, siue potiùs peregrini Hierosolymam in Aelia inquirentes, portam Veterem nuncupare coeperunt eam, per quam Christus Dominus in Caluariae locum eductus fuerat; indeque factum est, vt quam Veterem portam modò nominari viderent neoterici, eandem quoque sic dictam olim crederent. Reliqua verò superadiecit vana ac leuis coniectura, quae omnia, quoniam cùm manifestis rationibus, ac alijs sacrae Scripturae testimonijs pugnant, reijcienda omnino videntur. Sed ad vlteriora progrediamur. Hanc portam binis pariter aedificatoribus tribuit Nehemias, vel quòd maiori esset instauranda sumptu, vtpote quae magis fuisset euersa; vel quoniam tenuioris fortunae, atque substantiae aedificatores essent. Ex quo confirmari videntur ea, quae suprà de muri distributione dicta à nobis sunt. Mosollam autem longè diuersus est ab eo, qui iuxta portam piscium aedificauit: hic enim filius dicitur Barachiae, eiusque genealogia vlterius deducitur ab auo: ille autem, qui socius Ioiadae portam Veterem aedificasse commemoratur, filius dicitur Besodiae.

QVARE, ET quando porta ad Caluariam ducens, porta Vetus dici coepta fuerit.

QVARE porta ad Caluariae locum ducens duobus aedificatoribus assignata fuerit. *Sup. cap. 8. huius.*

Et iuxta eos aedificauerunt Meltias Gabaonites, VII.
& Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha, pro duce, qui erat in regione trans Flumen.

Tres hic aedificatores referuntur, Meltias, Iadon, & Maspha, quorum non tantummodo nomina, sed & cognomina, dignitates, ac munera percensentur. Et quidem Meltias Gabaonites dicitur, oriundus nempe, aut ciuis Gabaonitidis vrbis: fuit autem גבעון gibghon Heuaeorum metropolis, quae teste Egesippo quinquaginta stadijs Hierosolyma distabat. Iosephus verò non longè ab Hierosolymis habitasse tradit Gabaonitas; fuitque in tribu Beniamin in monte Silo sita, vt auctor est Borchardus: habuitque sub se ciuitates Caphira, Beroth, & Cariathiarim teste Adrichomio. Verùm in libro Iosue, *De tribu filiorum Beniamin*, datam fuisse filijs Leui ipsam *Gabaon cum suburbanis suis*, testatum accepimus. quare Gabaon nomen vrbis proprium fuisse comperimus. Quoniam autem ea erat metropolis, & caput regionis, regioni quoque ipsi Gabaoniticae nomen indidit.

GABAON vrbs Heuaeorum metropolis in tribu Beniamin. *Egesip. lib. 2. de excid. vrb. cap. 14. Ioseph. 5. antiq. c. 1. Borchard. Adrich. de trib. Beniamin. n. 68. Iosue 21. ℣. 17.*

De Iadon autem Meronathite cognomen viri fuisse probare posset eius nominis interpretatio, quam affert Benedictus Arias, qui Syriacè dominantem significare cognomen illud tradit. Verùm si locus alter Paralipomenon cum hoc conferatur, in quo recensentur viri, quibus varia munera, & & praefecturas commiserat Dauid; & inter bestiarum pastores: *super asinos*, inquit, *Iadias Meronathi-* *1. Par. 27. ℣. 30.*

MEROM nomen loci. *Iosue* 11. ℣. 5. *Iosephi* 5. *antiq.* c. 1.

ronathites: vbi Septuaginta, qui de Merathon (subaudi fuit) legunt, opidum fuisse Meroth haud dubiè intelligetur. Atque adeo si his coniungatur locus ille Iosue, in quo sic habes: *Conuenerunt́que omnes Reges illi in vnum ad aquas Merom.* Quam eandem historiam referens Iosephus: Cumque latè, inquit, per circumquaque sitas regiones rumor de rebus Hebraeorum fortiter gestis spargeretur, deque stupenda multitudine caesorum, excitati sunt in eos Reges Libani accolae, & ipsi Chananaei generis: & quantum Chananaeorum campestria colit, adscitis Palaestinis castra posuerunt ad vrbem Galilaeae Berotham, Merotham legendum putat Masius, nec immeritò propter mox afferendum à nobis eiusdem Iosephi testimonium, non longè à superiore Caedesa, quae etiam in Galilaeorum agro sita est. Hactenus ille. Iterum verò dum duplicis Galilaeae terminos describit; Inferioris quidem, inquit, Galilaeae longitudo à Tiberiade vsque ad Zabulon, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais, protenditur: latitudine autem patet à vico Xaloth, qui in magno campo situs est, vsque ad Bersaben: longitudo verò eius à Thella vico Iordani proximo vsque ad Meroth extenditur. Haec ille. Ex quo Iosephi testimonio quis inficias ibit Meroth vicum fuisse in finibus inferioris Galilaeae? vnde originem duxisse Melriam credimus, quamuis genere fuisset Gabaonita: id enim docet textus, subdens: *Viri de Gabaon; & Maspha.* (Quod est hic nomen viri, inquit Dionysius) *pro duce qui erat in regione trans Flumen.*

Masius.

Ioseph. 3. *belli* c. 2.

MASPHA ducis Mesopotamiae vices gerebat. *Dion. Carth.*

Ducem hunc, cuius meminit, *regionis trans Flumen*, vnum ex ijs esse credimus, ad quos epistolas petiebat Nehemias, dicens: *Si Regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudaeam.* Maspha ergo vices ducis illius gerebat. siue, vt habent, Hebraea לכבא leciffe, solio, aut pro throno ducis: solium enim Hebraica phrasi nonnumquam pro ipsa Regia potestate accipitur, vt apud Isaiam: *Et erit in solium gloriae*, hoc est, Regem gloriosum *domui patris eius.* Sensus igitur loci erit; aedificauit vnà cum Meltia, & Iadon, etiam *Maspha*, qui sedebat in throno ducis regionis trans flumen. Hic igitur princeps prouinciae illius quamuis gentilis esset; tamen vt gratiam Iudaeorum iniret, vel vt Artaxerxis iussa compleret, aedificationi murorum Hierusalem auxilio esse cupiebat: quod per vnum ex suis familiaribus, *Maspha* nomine, exsequutum fuisse tradit Dionysius. Verùm haec interpretatio non videtur contextui, Hebraico praesertim, vndequaque consona: quin potiùs *Maspha* vir dignitate, ac muneris sui excellentia magnus; vtpote qui ducis Mesopotamiae vices gereret; in eiusque throno ius dicens sederet, aedificasse credendus est; non quidem pro duce suo, sed proprio nomine ac sumptibus. Et Vatablus quidem huic nostrae fauere viderur interpretationi, sic scribens: Aedificauit Maspha vsque ad solium ducis regionis, sitae trans Euphratem. Nonne nota erat Hierosolymis domus solij praedicti principis; vt ad eam vsque aedificasse dicatur Maspha? Quare & his tribus aedificatoribus sua spacia insimul contulimus.

Nehem. 2. ℣. 7.

SOLIVM pro Regia maiestate. *Isai.* 22. ℣. 23.

Vatablus.

VIII. *Et iuxta eum aedificauit Eziel filius Araia aurifex.* Hebraicè על ידו החזיק עויאל בן חרחיה צורפים ghal iado hechezic ghuziel ben charhaiah tsorphim, quae verba sic ad verbum in Regio codice conuertuntur: Super manum eius roborauit Huzziel filius Charhoiah aurifices. Vox autem צורפים tsorphim, quam in aurificem conuertit vulgatus, deducitur à verbo צרף tsaraph, quod fundere significat ad purificandum, seu purificare, conflare, igni propriè metalla excoquere, examinare, expurgare; indeque transfertur ad significandum examinare, aut probare: ideoque Deo frequenter tribuitur. Eleganti ergo, ac ingeniosissima allegoria malitiam principum Hierusalem non fuisse consumptam testatur Ieremias, dicens: *Defecit sufflatorium*, quo scilicet insufflabatur ignis conflatorius, *in igne consumptum est plumbum*, quod metallis conflandis admiscere solebant aurifices; tum vt metalla fluerent; tum etiam, vt si quid igne absumendum foret, id ex plumbo viliori metallo absumeretur, non de pretiosiori: *Frustra conflauit conflator* צרף tsaraph tsaroph, purificauit purificator, sudit fusor, siue etiam excoxit aurifex, vel examinator, *malitiae enim*, admixtae scoriae, *eorum non sunt consumptae*. Ex quo sequitur: *Argentum reprobum vocate eos*, &c. Sic etiam in psalmo: *Quoniam probasti nos Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Hieronymus: Igne nos conflasti, sicut conflatur argentum. Fudisti nos, tribulatione excoquendo; purificasti nos, haud secus, quàm igne argentum. Pari quoque ratione apud Isaiam: *Ecce excoxi*, sudi, probaui *te; sed non quasi argentum*, quod diuturniore vstione, flammis, atque ignibus probatur: verùm *elegi te in camino paupertatis*, afflictionis, & miseriae.

AVRIFICES qui dicuntur in fabris. *Ierem.* 6. ℣. 29.

AVRIFICES cur plumbum reliquis metallis in conflando admisceant. *Psal.* 65. ℣. 10.

Isai. 48. ℣. 10.

Quoniam autem duplici ex causa metalla fundere solent aurifices, vel vt nouam aliquam effingant formam, quod munus aurificibus cum alijs plasticis commune est; vel vt purificent, & excoquendo separent à scorijs; & omni impuritate metalli: quod aurifices tantummodo praestare solent; & tum de his, tum de illis artificibus verbum tsaraph dici consueuit. Neque enim libuit chimicos, vel chimericos commemorare: nam, quod circa metalla ipsi praestant, si vtile est, aurificis proprium est: in eo verò, quòd metalla consumant, ignem ipsum malitia superantes, non artifices, sed naturae hostes dicendi. Quod si, vt cupiunt, metallis varias inducerent formas; naturae filij vel imitatores dici merirò potuissent: interim tamen à communi artificum coetu & appellatione omnino arcendi. Quòd autem habent Hebraea in multitudinis numero aurifices, illud innuere videntur, obsetuatum olim fuisse, vt filius patris munus, exercitium, atque artem imitaretur. Quare cùm patris, & filij meminisset, vtrumque aurificem fuisse commemorat: quam quidem laudabilem consuetudinem, & Reipublicae valde proficuam, exsulare ptocul à nostris finibus fastus & ambitio coegerunt. Septuaginta verò, ex aurificibus, interpretati sunt.

CHIMICAE artis professores quae praestent.

CHIMICI naturae hostes, & à coetu mortalium separandi.

AVRIFICUM filij aurifices esse consueuerunt, idquod prohibuit ambitio.

Et iuxta eum aedificauit Ananias filius pigmentarij. Hebraicè pro pigmentario habetur דרקחים darachachim. Septuaginta in Sixtiano codice τῶ ῥωκὰμ tu rocim. In Complutensi τῷ μυρεψῶν ton myrepson, vnguentariorum conuertunt. Et quidem si notionem Hebraicae vocis consideres, aptè Vulgatus, *pigmentarij*, conuertit. Nam in hoc sensu accipitur in libro Paralipomenon ea vox: *Filij autem Sacerdotum*, quidam scilicet ex eis, *vnguenta ex aromatibus conficiebant*: vel vt vertit Pagninus; pigmentarij pigmenti ex atomatibus: vel vt alij: confectores, seu conditores pigmenti ad aromata, hoc est, pigmentorum aromaricorum. Quare cautum est in Exodo, vt oleum sanctum, hoc est, pigmentum illud aromaticum, quo inungebantur sacerdotes, nulli esset commune. *Homo quicumque*

PIGMENTARIJ qui.

1. Par. 9. ℣. 30.

Exod. 30. ℣. 33.

SVB INterminatione capitis cauetur, ne quis vnguento sacerdotali vratur.

cumque tale compoſuerit ירקח iarchach, pigmentauerit, vel confecerit ſimile vnguentum, *& dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Hinc diſcent, quàm ſint diuina lege meritò exterminandi perfidi haeretici, qui omnia ſacra profanare, & proterere conantes; vel ſacerdotalem vnctionem ſine delectu omnibus communicandam perfidè aſtruunt; vel eam impia praeſumptione negant. Nos verò quod ad praeſentis inſtituti noſtri rationem facere arbitramur, illud eſſe affirmamus, voce quidem Hebraea, planè pigmentarij munus ſignificari ſolitum: at quoniam ea numero multitudinis ſcribitur, ideo alij Ananiam filium pigmentariorum conuertunt: alij verò inter quos & Regius codex Septuaginta interpretes imitatus, nomen ipſum Rachachim reliquerunt, quaſi fuiſſet nomen viri proprium, ſiue potiùs familiae. Viri autem cognomen interpretatus eſt Vulgatus noſter, vt aliàs ſolet ipſa Hebraica nomina interpretari; atque adeo *pigmentarij* ſcripſit. Id quod expreſsè tradit Vatablus, non tantùm hoc pigmentarij nomen non muneris eſſe, ſed familiae arbitratus; ſicut, & praeallatum aurificis; nec ſine probabili coniectura: quis enim aurifices, aut pigmentarios inter principes viros commemoratos putet? Nos verò his duobus aedificatoribus totidem ſpacia muri aſſignauimus; & ſicut ipſi dimiſerunt Hieruſalem; ſic & nos huius capitis filum intermittemus: quoniam longiorem exigunt ſequentia tractationem, quàm quae poſſet ad calcem huius capitis coarctari.

Vatabl.

DE MVRO, ET PLATEA LATIORI, *de porta Ephraim: necnon de porta Anguli.* *Cap. XI.*

ET dimiſerunt Ieruſalem vſque ad murum plateae latioris. Hebraicè ויעזבו vaiaghazbu: quae vox à verbo עזב ghazab deducitur, quod relinquere, derelinquere ſignificat, atque etiam roborare, firmare, inſtaurare. Sic in Exodo: *Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Ex Hebraeo ſic Pagninus: deſines relinquere ei, onus nempe: id eſt, non permittes, vt ei onus relinquatur, cui ſuccumbat: ſed relinquendo relinques cum eo, id eſt, rurſum eum adiuuans illi onus impones. Chaldaeus verò paraphraſtes omnia illa verba relinquendi ad odium retulit, dicens: Quando videris aſinum odientis iacentem ſub onere ſuo; & deſieris adiuuare eum: dimittens dimittes odium, quod erat in corde tuo contra eum, & ſubleuabis cum eo. Quod ſi vim verbi ter in eadem oratione repetiti exprimere velis, placet omnino ſententia paraphraſtis: quoniam ſubleuandum iumentum ſupponit Deus: non enim credendum eſt, hominem vmquam tam inhumanum fore, vt propter odia, & inimicitias domini, permittat innoxium iumentum oneri ſuccumbere, ac miſerè perire. *Si videris*, ergo, inquit, *aſinum odientis te iacere ſub onere*, relinques, aut dimittes tantiſper iacere, donec illum dimittendo dimittas cum illo odio habente te, omnem ſimultatem, & odium: tunc enim facilè agnoſces, quid ſit praeſtandum aſino amici tui iacenti ſub onere. Cui interpretationi haud diſſimile eſt illud Euangelij: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus ſueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tum veniens offeres munus tuum.* Vel ſenſus loci eſt: *ſi videris* &c. relinque illi, vel propter illum viam tuam; quem ſenſum tenuiſſe videtur Vulgatus; *non pertranſibis*, dimittens; ſed roborando roborabis illum, cum eo, hoc eſt, *ſubleuabis cum eo.*

Matth. 5. ℣. 23. & 24.

Pro *dimiſerunt* Septuaginta interpretes καταλειπον catelipon ſcribunt, hoc eſt, reliquerunt. In Complutenſi verò codice εθηκαν ethican legitur, hoc eſt, ſtatuerunt; quamuis alij inſtauarauerunt conuertant. Liranus verò eam vocem ſic interpretatur, vt ſignificet, murum eius extenderunt. Quae omnes lectiones in eundem conuenire videntur ſenſum, ac probare, eos omnes, quos hinc vſque commemorauerat aedificatores, murum inſtauraſſe à porta Gregis vſque ad murum plateae latioris; neque vltra progreſſos, quoniam ſubſequens quadringentorum cubitorum murus cum binis hinc inde adiacentibus portis inſtauratione non indiguernnt: quod manifeſtis rationibus mox à nobis probandum eſt: ſi tamen priùs, quae ſit haec latior platea, quique eius muri, oſtenderimus.

Liran.

PLATEA latior quae dicatur.

Vt hinc igitur ordiar, ipſe Nehemias chorum ſecundum deducit *vſque ad murum latiſſimum, & ſuper portam Ephraim, & ſuper portam Antiquam.* Quo loco in Hebraeo eadem prorſus verba leguntur, quae praeſenti loco, quem interpretamur: ſuntque huiuſmodi עד החומה הרחבה ghad hachomah harchabah, vſque ad murum latum: eidemque muro coniungit portam Ephraim, mediam inter murum latum, & portam Antiquam. Ex quo manifeſtum quidem fit, noſtros aedificatores, qui vſque ad murum latum à porta Veteri aedificauerunt, vſque ad portam quoque Ephraim aedificantes peruenisſe. Vulgatus verò hanc noſtram ſententiam confirmare maximè videtur, quaſi paraphraſticè ſubiungens; *murum plateae latioris*, id vnum ſignificare volens, murum quidem latum plateae latiori adiacentem fuiſſe: nec immeritò plateae meminit, cuius aliàs quoque fit mentio, praeſertim apud eundem Nehemiam: *Feceruntque ſibi*, inquit, *tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in atrijs domus Dei, & in platea portae Aquarum, & in platea portae Ephraim.* Et quod ad portae ſitum attinet, apertum ex ſacris litteris eius elicimus teſtimonium, vbi ſic habetur: *Amaſiam verò Regem Iuda filium Ioas filij Ochoziae cepit Ioas Rex Iſraël in Bethſames, & adduxit eum in Ieruſalem; & interrupit murum Ieruſalem à porta Ephraim vſque ad portam Anguli quadringentis cubitis.* Idemque totidem ferè verbis habetur in libro Paralipomenon.

MVRVS plateae latioris idem, qui plateae portae Ephraim. *Nehem. 8. ℣. 16.* *4. Reg. 14. ℣. 13.* *2. Par. 25. ℣. 23.*

Huius

DIMITTERE quomodo accipiatur. *Exod. 23. ℣. 5.* *Pagninus.*

Chaldaeus.

INIMICORUM odia deponenda, maximè, quando illi opera noſtra indigent.

Ioseph. 9. antiq. c. 10.

Huius autem destructi muri causam enarrat Iosephus his verbis. At ille, nempe Ioas capto Amasia, eiusque suasu pacificè admissus in vrbem, dirutis ad trecentorum cubitorum spacium moenibus (manifestum est mendum in cubitorum numero, qui cum binis sacrae Scripturae allatis locis pugnat) curru per id interstitium triumphabundus inuectus est, captiuum prae se agens Amasiam. Et hoc modo factus vrbis dominus, Dei thesauros abstulit; & quidquid auri, vel argenti in Regia repertum est, totum asportauit, ac tum demum dimisso Rege reuersus est Samariam. Haec Iosephus. Ex quibus omnibus testimonijs liquidò constare videtur, portam Ephraim quadringentis cubitis à porta Anguli sepositam, nempe binis muri interuallis, prout suprà ostensum à nobis est. Porro portam Ephraim in aquilonari vrbis latere apertam fuisse ipsimet scriptores, à quibus in multis nobis dissentiendum est, testantur. Nam Borchardus, quem illi sequuntur, sic scribit. Tertia porta contra Aquilonem dicta est porta Ephraim: nam per eam ad montem Ephraim patebat iter. Haec ille.

PORTA Ephraim à porta Anguli quadringentis cubitis distat.

PORTA Ephraim ad Aquilonem spectabat. *Borch. p. 1. c. 7. §. 45.*

Neque verò mons tantùm Ephraim ad Aquilonem situs erat vrbi, sed & tota tribus, prout disertis verbis testatur Benedictus Arias. Duobus inquit, filijs Ioseph, Ephraim, & dimidiae tribui Manasses sors tertia obtigit vltra Iudam, & Beniamin ad Aquilonem. Haec ille. quod & nos alibi latiùs probamus. Cumque medijs terminis ac funiculo, praedictas Iudae, & Beniamin tribus diuidente, ipsam quoque vrbem Hierusalem diuidi ostensum iam satis à nobis sit; manifestum erit, tribum Ephraim ipsi vrbi ad Aquilonem exstitisse, ac propterea portam vrbis, quae ad eam duceret tribum, ad Aquilonem conuersam fuisse necessariò dicendum est.

Benedict. Ariamont. lib. de terrae partit.

Sup. lib. 1. vrb. c. 15.

Quapropter mirari non desino Borchardum ita ab omni non ratione tantùm, verùm etiam veritatis specie deuiasse, vt assereret portam Ephraim contra Aquilonem sitam, diciique à Nehemia portam Equorum: cùm contrà Nehemias vsque ad murum templi aedificasse tradat Thecuenos: indeque fursum à porta Equorum sacerdotes, quemque contra domum suam. Ex quo loco, & alijs, quos infrà afferemus, liquet, portam Equorum templo, & Regiae Salomonis proximam, ad Orientem, non verò ad Aquilonem respexisse; id quod expressis verbis tradit Ieremias, qui aedificandam ciuitatem praenunciat Domino muro circumdante *regionem mortis*, quae in monte Calua riae ostenditur fuisse, *& vsque ad torrentem Cedron, & vsque ad angulum portae Equorum orientalis*: portam autem Ephraim ad Aquilonem, non verò ad Orientem spectasse, ipsemet Borchardus testatur. Qua ergo ratione vel ad Aquilonem, & ad Orientem simul spectet eadem porta, vel vnius nomine compellari possunt, quae nominibus, & loci dispositione à se inuicem sunt longè sepositae?

PORTA Ephraim numquam dicta fuit porta Equorum. *Infrà §. 28.*

Neque verò minùs à ratione alienum est, quod idem tradit, portam Ephraim dici nunc Sancti Stephani, quoniam extra eam lapidatus est ipse protomartyr. Verùm cùm in valle Iosaphat peregrini; immo & Christiani omnes locum venerentur, protomartyris Stephani sanguine ac martyrio sacrum, vallemque Iosaphat nulla ex septemtrionalibus Hierosolymae portis prospicere possit, nulla ratione porta Ephraim eo nomine condecorari potuit. Quare accuratiùs multò, ac veriùs Adrichomius portam Gregis testatur nunc à protomartyre, qui per eam extra ciuitatem eductus est, & non longè ab eadem lapidatus, Sancti Stephani portam dici. Quamuis & hic à veritate deflectat, eam arbitratus portam quoque Vallis nuncupari. Quod verò ad portam Anguli attinet, à Borchardo, Benedicto Ariamontano, Adrichomio, ac alijs in angulo vrbis aquilonari, & orientali supra torrentem Cedron ponitur in eo loco, in quo à nobis turris Hananeel constituta est. id tamen nulla ratione stare potest, cùm iuxta ea, quae à nobis probata sunt, porta Vetus, porta Piscium, turris Hananeel, & Emath inter portam Anguli, & portam Gregis collocandae necessariò sint. Quare si in eodem orientali vrbis latere, in quo est porta Gregis, constituatur etiam porta Anguli; necessariò earum portarum mediae ad orientem statuendae essent: Orientem ergo spectabunt porta Vetus, & porta Piscium; quod nullus ne somniaret quidem. Quare cùm & hoc sit impossibile, id quoque, ex quo illud sequeretur, impossibile esse necessarium est. Quibus adde locum Paralipomenon mox afferendum; in quo Ozias aedificasse dicitur *turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere*. Ex quo liquidò constat, ad idem muri latus portam Anguli, & portam Vallis pertinuisse. Sed porta Vallis paulò pòst probabitur à nobis in Occidentis latere sita: in Occidente ergo statuenda est porta Anguli. Eam vocat Zacharias *portam Angulorum*: in quo vim Hebraicae vocis expressit, quae suprà à nobis ostensa est: ex quo fit non modo in angulo statuendam hanc portam; verùm & forma plurium angulorum exstructam fuisse.

Borchard. Bened. Ariamon. Adrichom.

PORTA Anguli statui non potest in angulo orientali.

2. Par. 25. §. 23.

PORTA Anguli ad occidentale, & aquilonare vrbis latus spectabat. *Zach. 14. §. 10.*

Huius portae antiquam formam tenuisse videtur Herodes in exstruenda ibidem Psephina turri, cuius in haec verba meminit Iosephus: Cùm autem totus admirabilis esset tertius murus, admirabilior Psephina turris ad Septemtrionem, Occidentemque surgebat, in angulo, qua parte Titus castra posuerat: ex ea namque per septuaginta cubitos edita Solis ortu Arabia prospici poterat, & vsque ad mare: itemque ad vltima finium Hebraeorum: erat autem octo angulis, Haec ille. Quae cum alijs de eadem turri testimonijs suprà à nobis relata sunt.

Ioseph. 6. bell. c. 6. PSEPHINA turris in porta Anguli exstructa fuit.

Sed iam tandem ad murum latissimum redeamus oportet, quem medium fuisse inter portam Ephraim, & portam Anguli non dubitamus: quare autem sic dictus, aut quare non fuerit à Nehemiae instauratoribus aedificatus, dicendum est modò. At dirutum eum murum à Ioa Rege Israël, capto Amasia Rege Iuda, pluribus suprà ostendimus: ciuitatem verò absque muro in tot, ac tantis Regnorum ac Regum perturbationibus stare potuisse quis credat? dicendum est igitur ab Amasiae filio Ozia, armorum, bellique gloria praestantissimo, atque Dei ope in Reipublicae ac Regni administratione adiuto, murum quoque Hierusalem instauratum fuisse, vt eriam innuit historia Regum. Neque praeruptum tantummodo murum, atque euersum ab Ozia instauratum credimus; verùm etiam antiquum firmioribus munitum turribus, prout tradit sacra historia: *Aedificauitque*, inquit, *Ozias turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere*. Ex quibus duo licet conijcere: Primùm: murum quidem quadringentorum cubitorum à Ioa Rege Israël euersum, non modò exaedificatum ab Ozia, cui ciuitatis munitio ac firmitas maximè curae fuit, prout allato testimonio comprobatur: verùm etiam firmiorem multò, atque latiorem effectum; quapropter

MVRVS latissimus quare sic dictus, neque instauratus. *Sup. lib. 2. vrb. c. 19.*

2. Par. 25. §. 23.

PORTA, quae nunc dicitur Sancti Stephani, non fuit porta Ephraim. *Adrich. Ierusal. n. 165.*

PORTA Gregis modò dicitur S. Stephani.

propter & muri latioris nomen obtinuerit. Haec autem omnia diſertis verbis teſtatur Ioſephus, de eodem ſic ſcribens, at Ozias *in poſterum ad curam* vrbis ſe contulit: quidquid enim moenium vel vetuſtate labefactum erat, vel ſuperiorum Regum incuria, totum inſtauravit: atque eam etiam partem, quam Iſraelitarum Rex Amaſia patre huius capto diruerat, quando vrbem victor ingreſſus eſt. His addidit non paucas turres centum quinquaginta cubitorum altitudinis, & arces aliquot in locis minùs frequentatis ad tutelam diſpoſuit. Haec ille. Quapropter mirandum non eſt eiuſmodi muri firmitati ac latitudini ceſſiſſe quidem Aſſyrios, quando murum Hieruſalem euertebant, feſſoſque euertendis alijs murorum debilioribus partibus, milites ab huius euerſione abſtinuiſſe. Quapropter cùm tota illa Septemtrionalis muri pars, quae portam Ephraim, & portam Anguli continet, cum interiacentibus binis quadringentorum cubitorum ſpacijs, ac vnica media turri, vſque Nehemiae tempora integra permanſiſſet, inſtauratione non eguit; ſed eò vſque peruenientes inſtauratores, *dimiſerunt Ieruſalem vſque ad murum plateae latioris*, vel latum. Pari quoque ratione neque portae Ephtaim, neque pottae Anguli meminit Nehemias hoc tertio capite: quoniam cùm inſtauratores tantummodo muti commemorare ſtatuiſſet: & eorum ratione turres, ac portas muri, quae muri partes inſtauratae non fuere, meritò praetermittuntur: eae enim inſtauratores ſortitae non fuerunt. Ex dictis ergo liquidò conſtat, quam partem muri hucuſque percenſuerit Nehemias: quoniam Eliaſibo cum ſocijs partem muri orientalis aedificandam diſtribuit vſque ad turrim Hananeel, quae in angulo Orientis atque Aquilonis ſita erat; mox totum aquilonare vrbis inferioris latus, nempe à turre Hananeel vſque ad portam Anguli proſequitur, quod in ſpacia muri viginti totidem turribus diuiſum fuerat, quattuordecim enumeratis inſtauratoribus in vndecim ſortes diſtributis partitus eſt, ptout enumeranti manifeſtum eſſe poterit. Nunc igitur ad occiduum vrbis latus excitandum duce Nehemia deſcendamus.

Ioſeph. 9. antiq. c. 11.

INSTAVRATIONEM MVRI OCCIDENTALIS

à Raphaia principe inceptam, totamque vrbem in plures vicos diſtributam, totidem principum curae demandatam fuiſſe.

Cap. XII.

IX. ET *iuxta eum aedificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Ieruſalem.* Eundem quem ſuptà tenendum probauimus, ſecuti aedificantium ordinem, deflexos nunc credimus aedificatores à porta Anguli proſpectante ad Aquilonem, & Occidentem, atque abſoluto aquilonari muto, occidentalem inſtaurati coepiſſe. Cui quidem muro occidentali Raphaia princeps principium dedit, ab Aquilone tendens in Auſtrum. Et quamuis in muro lato, atque in portis Ephraim, & Anguli nihil prorſus aedificauerint Anania, aut Raphaia: immo verò totus ille muri tractus ab vtroque intactus dimiſſus ſit medius: hic tamen iuxta illum aedificaſſe dicitur; quoniam nihil inſtaurandum praetermiſſum eſt inter ea, quae Ananias, & Raphaias aedificauerunt. Quod autem in Hebraeo habetur, & ſuper manum eorum, vel iuxta eos, idem ipſum innuere videtur: ex vtraque enim lectione colligo eos omnes, quos ab initio narrauerat aedificatores, à porta Gregis aedificaſſe vſque ad mutum latum plateae Ephraim, & portae Anguli; indeque rurſus iuxta hos coepiſſe quidem ſubſequentes aedificatores occidentale vrbis latus inſtaurare: quorum primus, *Raphaia* fuit, *princeps vici Ieruſalem*. Ex Hebraeo ſic vertit Regius codex: princeps dimidiae regionis Hieruſalem. Pari prorſus ratione Septuaginta: Princeps dimidiae regionis Hieruſalem.

PRINCEPS vicorum qui dicatur.

Atque cùm principum variae ditiones, vatiaque nomina percenſeantur in ſacris Biblijs; hoc vno tantùm (quod ſciam) capite, principes vicorum, ſiue dimidiorum vicorum commemorantur. Cuius principatus ratio, vel ex eo tantummodo interpretati poſſe videtur, quod Hebraei tradunt, vocis פלך pelech notionem pertractantes. Primùm enim ea ſignificari putant baculum, ſiue ſcipionem, quo debilis quiſque ſe ſuſtentat. Qua ratione intelligendum putant illud Dauidis maledictum, ſiue illam propheticam maledictionis enunciationem, quae habetur in libris Regum huiuſmodi: *Nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum*: vel vt ipſi conuertunt: Et apprehendens בפלך bapelech in baculo, Hebraiſmumque eſſe putant, ſignificantem, non defuturum de domo Ioab debilem, aut claudum, ſuſtentantem ſe baculo. Rabbi autem Salomon ad colum tranſtulit; quod colus feminarum viliſſimum, & debiliſſimum baculi genus ſit. At vulgatus *tenens fuſum*, vertit, vel ſuſtentans ſe fuſo, quaſi maximam familiae penuriam indicaturae ſint, nobiles quondam, ac delicatae virgines, matronae, atque anus, opipatè olim conuiuantes, & lautè; deinceps verò colo, ac fuſo victum ſibi prae nimia indigentia quaſi mendicantes. Quamuis enim aliàs fuſi vſus, & manuum aſſidua exercitatio eximiae laudi tribuatur mulieri illi forti ac ſapienti, de qua dicitur: *& digiti eius*; vel vt alij reddunt, manus eius *apprehenderunt* פלך pelech *fuſum*, vel colum: non eſt tamen mirandum, ſi hic laudi ttibuatur, quod ibi dedecori adſcribitur: glorioſum enim eſt nobiliſſimae feminae, manuum ſuarum aſſiduae inuigilate exercitationi, vt otium, ac deſidiam deuitet; immo verò & vt domum ſuam augeat, ac ditet: miſerum tamen eſt, atque ignobile, victu, ac veſtitu indigere, ita vt haec neceſſaria vitae ſubſidia cogatur eadem nobilis femina manuum labore ſibi parare, alioquin defectura.

2. *Reg.* 3. ℣. 29.

Prou. 31. ℣. 19.

LAVDABILE eſt nobilibus feminis manuum exercitium: at exercitationis indigere ad ſe ſuſtentandum turpe.

Eſt & alia longè diuerſa vocis notio: accipitur enim pro regione, tractu, pago, ſeu vico: in qua quidem acceptione Chaldaea potiùs creditur eſſe vox, quàm Hebraea: ſiquidem nihil cum ſuperiore commune habet. Quoniam igitut ſaepius hoc capite vocis pelech mentio fit ſub praedicta vici acceptione; ideo Hietoſolymam in vicos diuiſam fuiſſe nonnulli arbitrantur. Quod quidem veritati conſonum videtur ita maximè, vt negati non poſſit.

possit. Quae enim vrbs est, aut quod opidum, quod non in vicos, & plateas vijs publicis diuisum sit? Adde quod in actis Apostolorum vici Hierusalem fiat expressa mentio: *Et exeuntes*, inquit Lucas, *processerunt*, ῥύμλω tymin *vicum vnum*. Quam vocem neotericus quidam sic interpretatur: Est etiam vicus; non quidem pagus, aut opidum, id est, κώμη comi, sed pars vrbis: ciuitas enim distinguitur in vicos, vici in vias, viae in domos. Haec alle. Quod si nil aliud significare velint praedicti auctores, nihil mirandum omnino est, Hierosolymam vicis diuisam; si id omnibus non tantùm vrbibus, aut celebrioribus ciuitatibus commune est; verùm etiam cunctis opidulis, vicis, aut pagis. Verùm cùm ciuitas pariter cum tota Hebraeorum Republicâ à Deo ipso retum omnium opifice, ac totius ordinis patente fundata, & sanctissimis legibus instituta fuerit, atque à sapientissimis ducibus, ac Regibus gubernata: hoc vnum peculiare eximiae laudis insigne sibi iure optimo vindicare videtur Hierosolyma, vt in partes distributa fuerit, non quidem temerè, sed ordine, & numero sibi inuicem, & toti Reipublicae maximè respondentes. Quapropter quemadmodum suprà de murorum in aequas partes diuisione philosophati sumus; sic etiam nunc totam vrbem, eam verò potissimùm partem, quae tempore Dauidis exstitit, in vicos numero conuenientes distributam fuisse, dimensione, aut saltem proportione sibi inuicem respondentes, asserere non dubitamus. Quo autem numero praedicti vici distributi fuerint, apud nullum probatum auctorem reperi: vidi tamen innominatos Hebraeos referri, qui in vicos viginti quattuor vrbem totam distributam scripsissent. Qui numerus haud videtur dissonus; immo verò alijs distributionibus conueniens: binos enim singulis tribubus videretur assignare viculos.

Act. 12. ℣. 10.

VICI VRbis qui dicantur.

IN VICOS mutua consensione sibi inuicem respondentes distributa fuit Hierosolyma.

At quamuis praedictam Hebraeorum sententiam improbate non audeam, cùm nihil certi possim eidem obijcere: tamen quoniam sex tantùm vici commemorantur hoc capite, quorum singulis bini dominantur principes; omnes verò hi vici intra antiquissimae vrbis Salem moenia, atque intra murum illum à Dauide olim circa montem Sion exaedificatum constituantur: ideo has binas vrbis partes in totidem vicos distributas fuisse, duodecimque principum administrationi commissas meritò opinamur: nisi malis extremam vrbis partem, nempe occidentali muro proximam, sex vicis distinctam; interiores verò in totidem ordine, nempe huic parti proximam in sex, subsequentem pariter in sex: atque idem de vltima, & orientali vrbis parte intelligatur; ita vt tota ciuitas in viginti quattuor fuerit distributa vicos, à quadraginta octo regenda principibus. Vix enim credibile fit tam magnam ciuitatem, tam immensae multitudinis capacem in sex tantùm partes vlla ratione distingui potuisse. Sex autem vici hoc ordine percensentur, vt primus Hierusalem dicatur vicus, secundi subticetur nomen, tertius Bethacharam vocatur, quartus Maspha, quinctus Bethsur, sextus Ceilae. Quamobrem autem & vnde talem sortiti sint appellationem, quoniam non eadem omnium ratio est, de singulis proprijs locis quid conijciam, dicere non grauabor.

VICVS Hierusalem quare dicatur.

Primus portae Anguli proximus vicus Hierusalem dicitur, non ob aliam, quod credam, rationem, quàm quòd ea vrbis pars à Melchisedeco primùm aedificata, quasi proprio iure sibi Hierosolymae nomen vindicauit, prout suprà latiùs probauimus. Cuius vici princeps fuit Raphaia, siue vt habent Hebraea, & Graeca, dimidij vici princeps fuit Raphaia. Non enim intelligendus est vnus vicus nulla media via diuisus: immo verò pluribus, & aliqua fortè maxima, ex aequo in duas tributus partes. Ex quo fit, vt Raphaia, qui à vulgato nostro vici princeps dicitur; idem dimidij vici princeps meritò dicatur: quoniam vicus ille, cui praeerat, & vicus dici poterat, & vici Hierusalem medietas.

Sup. lib. 1. vrb. c. 3.

Est & alia vocis pelech haud incongrua acceptio, quam innuit Marinus; nempe quoniam Hebraei voces שבט sebeth, & מטה matteh, quarum quaelibet virgam, seu baculum primaeua sui impositione significare consueuit, transtulerunt ad significandam tribum, seu familiam: pari quoque ratione voce pelech, quae baculum significat, idem ipsum significare voluerint, nempe tribum, cognationem, familiam; quod & nos fusiùs alibi prosequimur. Neque verò coniectura tantùm plures familiarum principes Hierosolymis habitare solitos assequi possumus: verùm id antiquissimis, sanctissimisque monumentis consignatum accepimus. Siquidem in libro Paralipomenon, enumeratis primùm duobus, & quadraginta principibus viris, filijs Beniamin, subditur: *Hi patriarchae, & cognationum principes, qui habitauerunt in Ierusalem*. Ac mox: *In Gabaon autem habitauerunt Abigabaon, & nomen vxoris eius Maacha, filiusque eius primogenitus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab. Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth, & Macelloth genuit Samaa, habitauerunt que ex aduerso fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis*. Eadem prorsus verba repetit sequenti capite. Cumque difficultatem non modicam praesens textus inuoluere videatur, qui eosdem filios Abigabaon Hierosolymis, & in Gabaon pariter habitasse significare videatur, eam soluere agitata vndequaque quaestione conatur Abulensis. Nos verò alijs aliò dimissis eius interpretationibus, eam tantummodo amplexabimur, quae contextui, & alijs sacrae Scripturae testimonijs magis apta videtur. Ea est, sacrum historicum affirmare, aliquos ex his filijs Abigabaon, siue iuxta alterum textum, patris Gabaon habitâsse quidem in Gabaon; alios verò habitasse in Hierusalem. Neque verò difficilis, aut extorta cuiquam, appareret vlla ratione haec interpretatio debet, quam simplici tantùm interpunctione superaddita expresè redderent verba textus. Nam si in nostra, exempli gratia, Latina lectione, in qua consimili virgula omnia haec decem principum nomina distincta sunt, post quartum nomen punctum absolutae periodi nota infigeretur, nullus legentium non intelligeret, priores quattuor principes in Gabaon habitasse; posteriores verò sex in Hierusalem. Et quamuis tam parua distinctio in Latinis sensum hunc redderet, in Hebraeis multò minor id praestaret: siquidem vnica tantummodo virgula litterae subscripta periodos distinguere solet: eamque accentum soph pasuc vocant, cui figura consimilis est accentus alter metegh dictus. quare facillimum fuit in distinguendis periodis scriptores nonnumquam deceptos fuisse, maximè cùm ante Masoretas, sicut punctis carebant Hebraei; ita alijs quoque quamplurimis distinctionibus, & accentibus caruisse credendi sint. Atque adeo sex posteriores principes habitasse

Mar. Marinus in arca Noë.

PLVRES principes Hierosolymis habitasse. *1. Paral. 8. ℣. 28. 29. 30. 31. & 32.*

Abul. sup. p. 1. Paral. 8. q. 7.

habitasse etiam in Hierusalem haud temerè asserimus, Hebraea sequuti, quae sic licet conuertere. Atque etiam ipsi contra fratres suos habitauerunt in Hierusalem cum fratribus suis. Eadem paene habent Graeca in haec verba: Et quidem hi è regione fratrum suorum habitauerunt in Hierusalem cum fratribus suis. Capite autem nono sequenti phrasim illam Hebraicam, quae è regione, vel *ex aduerso fratrum suorum* habet, interpretari videntur Septuaginta, sic scribentes: Et in medio fratrum suorum habitauerunt in Hierusalem in medio fratrum suorum, vel cum fratribus suis, quasi idem significet phrasis haec, atque illa: neque immeritò; nam si Hebraicae vocis נגד neged, quae habetur in Hebraeo, consulatur notio, idem omnino significari comperietur. Significat autem ea vox coram, ante, contra, ex aduerso, vsurpaturque ad significandam cohabitationem, eam etiam, qua vxor velut coram viro suo semper est, & indiuidua cum eo viuit consuetudine. Sic in Genesi ad socerum suum ait Iacob: *Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur* נגד neged *coram fratribus nostris*. Et in Exodo: *Ibique*, inquit, *Israël fixit tentoria* נגד neged *è regione montis*. Verùm ea, quam primò notauimus, huius vocis notio magis innuitur in Genesi, dicente Domino: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium* כנגדו cenegeddo *simile sibi*. Profectò, coram eo, conuertit Pagninus, eius interpretationem subdens, ac si dicat, inquit, R. Dauid, vt sit iugiter ante illum, ministretque illi.

Verum meliùs similitudinem expressit vulgatus, Septuaginta interpretes imitatus, qui κατ' ἀυτὸν cat auton secundum eum, vel ipsum reddunt: vel vt vertit Chaldaeus, adiutorium, quasi eum. Quare ex vi vocis Hebraicae non minùs, quàm ipsius textus probatum satis manet, habitasse quidem hos principes cum fratribus suis in Hierusalem; cum illis, absque dubio, duobus, & quadraginta principibus, quos paulò antè commemorauerat. Qui omnes principes in vnam summam collecti, numerum illum, quem aliqui suprà coniectarunt, quadraginta octo principum scilicet, explent. Ad finem autem praeallati capitis Paralipomenon, quo praedicti quadraginta octo principes habitatores Hierusalem percensentur, alij quoque quamplures referuntur alias incolentes vrbes. Et subditur: *Omnes hi filij Beniamin*: ideoque omnium scriptorum concors sententia est, hos quadraginta octo principes omnes ex tribu fuisse Beniamin. Nos autem pluribus suprà probauimus, vrbem Hierusalem in duas partes ex aequo diuisam; partimque in tribu Beniamin exstitisse; partim verò in tribu Iuda. Quapropter cùm quadraginta octo principes ex tribu Beniamin numerentur in vrbe inferiori; haud temerè quidem asseremus in meridiana vrbis parte, quam superiorem vocat Iosephus, totidem principes habitasse ex tribu Iuda: omnesque Hierosolymitanos familiarum principes sex & nonaginta fuisse.

Huius rei haud leue argumentum esse poterit Romana Respublica, quae politicos olim omnium gentium mores imitata, cùm plures, nouis inductis, iam nunc mutauerit, plures eorum difficultate deterrita abiecerit, plures alios oblita omninò sit; hunc tamen Hierosolymitanorum (sicut conijcimus) petitum retinet, & perpetuò conseruat, vt totam vrbem in tredecim vicos, quos Riones quasi regiones vocat, diuisam totidem principibus viris distribuat; ex eisdem tamen nobilioribus ciuibus electis, quos Caporiones à demandata rionum cura denominat; quasi dicat capita rionum; haud secus omnino, quàm Hebraea saepius eiusmodi *principes* in sacris Biblijs quandoque ראשיבית raasebeth capita domorum, aliàs verò, vt in praesenti שרפלך sarpelech, hoc est, principes, seu *capita* appellare consueuerunt vici, aut *familiarum*: quos omnes, vt dixi, sex & nonaginta Hierosolymis fuisse conijcio. Quocirca si, quae paulò superiùs de Hebraica voce פלך pelech à nobis dicta sunt, in memoriam reuocentur, facilè quiuis intelliget, certum quendam familiarum eiusdem tribus numerum ea voce significari; nec non vicum vnum sic dici, quoniam ab eiusmodi familijs pariter habitaretur. *Num.7. ℣.2.*

Quot autem familiae numero singulis vicis annumerentur, statuere nulla ratione praesumerem, nisi vicos acciperem saepius hoc capite, pro dimidia sui parte singulis principibus subijci. Praeterea etiam cùm in bellica principum distributione pluribus constitutis principibus, ab alijs alios decupla excedi potestatis magnitudine comperiamus, pentacontarchos tantum obseruauimus duplicata ratione à centurionibus superari. Nam in libro Machabaeorum sic scribitur: *Et post haec constituit Iudas duces populi*, nempe *tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones*. Quem locum aptissimè Sanctus Thomas his verbis interpretatur: *Tribunos* autem vocat eos, qui mille viris praeerant; *centuriones*, qui centum; sicut & pentarchos (vitium codicis corrigendum censeo, atque iuxta textum, eiusque interpretationem *pentacontarchos* legendum) & *pentacontarchos*, qui quinquaginta. Haec ille. Ex quibus liquidò constat, centuriones, à tribunis haud secus, quàm à pentacontarchis decanos decupla proportione superari; pentacontarchos verò à centurionibus tantummodo dupla: quod non sine magno consilio in ordinatissima Republica factum fuisse meritò crediderim. Quare eandem quoque rationem obseruatam fuisse iudicamus in diuidendis vicis Hierosolymitanis, quos bifariam partitos agnoscimus: ac propterea Raphaiam in Hebraeo principem dici dimidij vici Hierusalem; sicut & in Latina nostra, *Sellum princeps* dicitur *mediae partis vici Ierusalem*, & *Nehemias princeps dimidiae partis vici Bethsur*; & sic de alijs, prout in sequentibus apparebit. *1. Mach.3. ℣.55.* MILITIAE singuli principes quoto militum numero imperarent. *S.Thom. Aquin. super Machab.*

Quae cùm ita sint, quinquaginta domos singulis principibus dimidiorum vicorum subditas fuisse intelligemus, & vicos singulos centenis constitisse domibus; quarum singulas plures postmodum familiae incoluissent, vt Hierosolymitanorum ciuium numerus, quem suprà tractauimus, compleretur. Quae totius vrbis partitio, & in familias, earumque principes distributio de antiquissimis vrbis Salem, & Sion intelligenda videtur: quibus annumerandae quoque forent Bezetae, Caenopolis, & Ophelis domus, & templi habitationes: quoniam eiusmodi vrbis partes ciuitati, quae iam inde à Dauidis temporibus completa fuerat, superadditae fuerunt: & quarum quaelibet perfectae vrbi meritò posset magnitudine comparari. Namque quod ad templum pertinet, & quomodo illud ciuitati ab Ezechiele exaequari videatur, suis locis opportunè magis à nobis tractatur. *Sup. lib.2. vrb. c.23.* *Ezech. 40. ℣.2.*

Et iuxta eum aedificauit Iedaia filius Haromaph contra domum suam. Ex Hebraeo verti posset, & super manum eorum, vel iuxta eos: X.

idque

EX ADuerso fratrum suorum, vel in medio habitare quid significet.

ADIVTORium, comes viri dicitur vxor, ac semper praesens. *Gen.31. ℣.32. Exod.19. ℣.2.*

Gen.2. ℣.18.

Pagnin. in dictionario. Rab. Dauid in lib. radic.

QVADRAginta octo principes vicum ex tribu Beniamin habitauerunt Hierosolymis, totidemque ex tribu Iuda. *Sup. in hoc capite. 1. Par. 8. ℣.40.*

Sup. lib.1. vrb.c.vlt.

PRINCIpes vicorum Hierosolymitanorum Romae nunc visuntur.

idque significare videtur contextus, pro Raphaia aedificasse artifices, ministrantibus forsan, & portantibus onera ipsismet ministris principis: quinimmo & ipso principe vnà cum seruis ac familiaribus suis vrgendo aedificio operam dante. Quorum omnium memor historicus, subiungit: & ad manum eorum, siue iuxta eos, qui Raphaiae nomine, & sumptibus aedificabant, *aedificauit Iedaia*. Cuius nominis notio si attendatur, & Hebraica phrasis, ex potentia desumptum nomen videtur; significat enim manum Dei, hoc est, virtutem, potestatem, ac vires, quae manu significari consueuere, vt suprà dixi, & eximiam, singularem, magnamque eiusmodi potentiam fuisse, adiuncta vox, Dei, significat; hoc est, qualis Deum ipsum dedecere non posset. *Contra domum suam*: in Hebraeo, & Graeco pariter habetur, & contra domum suam; quasi sensus sit, principem hunc aedificasse quidem muri partem ei proximam, quae aedificata iam fuerat, vel aedificabatur à Raphaia: necnon vsque ad eam partem muri, quae domui habitationis suae ex aduerso stabat: ideoque bina muri spacia ab eodem aedificata fuisse in descriptione assignauimus.

Suprà.

QVARE Nehemias singulis muri partem ex aduerso domus suae aedificandam tribuerit.

Illud etiam prudenter à Nehemia gestum innuitur his verbis, quod & aliàs saepe; vt partes muri aedificandas partitus sit habitantibus ex aduerso earum; quoniam eos crederet tanto maiori studio, ac diligentia aedificationi operam daturos, quanto eius partis munitio, & securitas non totius vrbis tantùm defensioni vtilis; verùm & propriae familiae necessaria ab ijsdem aedificatoribus iudicaretur. Nos verò quò faciliùs, quae à Nehemia recensentur omnia, eo quo percensentur ordine, à lectoribus percipiantur, huiusmodi domos in nostra descriptione proprijs locis notandas curauimus: alias verò singularum familiarum domos, quamuis aliqua probabili coniectura & ipsae notari potuissent, designari nulla ratione iuuimus, ne intuentium oculi earum multitudine offusi, mentem quoque à singularum contemplatione abstraherent, & ab omnium perceptione auocarent. *Et iuxta eum*, Iedaiam, *aedificauit Hattus*, Hebraicè חשוּשׁ chattus, Septuaginta ἀττοὺθ attuth. Quare autem ita nomen viri proprium varient Septuaginta, non facilè statuo; nisi fortè difficilis erat Graecis eiusmodi prolatio, quam ad eorum morem oportuit suauiùs accommodari. Ab hoc autem vnicum muri interuallum credimus aedificatum.

XI. *Mediam partem vici aedificauit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.* Hebraicè מידה שנית middah senit, quae mensura secunda reddi potest: qua etiam ratione pluribus locis paulò inferiùs conuertuntur eaedem voces à vulgato nostro. Atque id quidem non iniuria; nam vox מדה middah mensuram significare solet: differt autem à voce משורה mesurah, quòd haec quantitatis discretae mensura est; illa verò continuae. Sic in libro Paralipomenon: *Et super omne* משורה mesurah *pondus*, numerum posses reddere (vulgatus verò *pondus* vertit, quod libris, quasi discretis ponderibus mensuretur) *atque* ומדה vmidah *mensuram*, quae continuam significat quantitatem apud Ezechielem, vt suis locis vidimus. Quare de mensura muri accipienda vox absque dubio est. Vox autem altera à verbo שנה scana, quod mutare, seu iterare significat, deducitur, vt videre est in libris Regum. Dixit Elias, postquam holocaustum, & ligna aqua perfusa fuerant: *Etiam secundo hoc facite; qui cùm fecissent*, &c. Ex Hebraeo vertit Forsterus: & dixit, iterate, & iterauerunt: & dixit, tertiò facite, & fecerunt. Atque in psalmo: *Et dixi, nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi.* Sanctus verò Hieronymus iuxta Hebraea, & Chaldaica: Infirmitas mea est haec mutatio omnipotentis dexterae Excelsi. Ex quibus hic videtur elici posse sensus: *Nunc coepi*, subaudi, aegrotare; & tamen iam mihi videor videre, quod *haec* est *mutatio*. Propter verbi huius, quod interpretamur, vim, liceret conuertere, iteratio, seu secunda percussio *dexterae Excelsi*: quasi dicat: vix aliquando praesensi omnipotentis dexterae percussionem primam, cùm prae vehementi doloris sensu eam secundam fuisse, quae percussum percuteret, arbitratus sum: siue etiam, sensi duplicis flagelli dolorem: fuit enim haec *dexterae Excelsi* percussio.

MAGNITUDINIS mensuram, & numeri quantitatem, diuersis nominibus significant Hebraei. 1. Par. 23. ℣. 29.

3. Reg. 18. ℣. 34. Forst. in dictionar. Psal. 76. ℣. 11. S. Hieron.

PERCVSsio Dei vehementem incutere solet dolorem ita vt duplex potiùs quàm simplex, videatur esse.

Iuxta quam vocis notionem mensuram secundam, seu iteratam, vnam, aut alteram licebit conuertere: quasi sensus loci sit, vt quoniam singulis aedificatoribus singulae muri mensurae aedificandae tribuebantur à Melchia, & Hasubo iterata mensura, hoc est, duplex muri mensura aedificata dicatur. Quocirca cùm pro mensura vna muri, quantum inter duas turres interiectum erat spacij, accipiamus, nempe ducentos cubitos; ideo quotiescumque aedificantium aliquis *mensuram secundam* aedificasse dicitur, bina ei turrium interualla assignamus. Vulgatus autem *mediam partem vici* aedificatam ab his duobus dicit, illud fortasse significare volens, bina muri spacia dimidio vico ex aequo aduersa fuisse; vico autem integro quattuor. Difficiliùs tamen Septuaginta interpretum lectio exponitur, quae sic habet. Et secundus tenuit Melchias, &c. nisi sensus sit, secundus à praedictis: ac si dicant; post enumeratos tenuit Melchias: quamuis & in alijs codicibus habeatur, & mensuram secundam, quae lectio Hebraicae est magis conueniens; ideoque suscipienda. *Hasub* verò *filius Phahath Moab* dicitur, quasi sit hoc viri proprium nomen: ita enim à vulgato, & à Septuaginta interpretibus legitur. Quod stare optimè poterit cum assidua etiam nostrae aetatis experientia, quae nos docet, nomina pluribus ab euentu, à patria, à domo, & à multis alijs leuioribus etiam causis desumpta hominibus imponi solita. פחת מואב phahath moab autem compositum nomen videtur, quod foueam, seu voraginem Moab licet conuertere: quare à phrasi Hebraica minimè alienum videtur, si filius voraginis, seu vallis Moab dicatur, qui loci sic denominati habitator fuisset, haud secus, quàm *filiae Ierusalem* dicuntur Hierosolymis habitantes.

MENSVram secundam aedificare quid significet.

VARIIS de causis, & euentis hominibus nomina imponuntur.

Luc. 23. ℣. 28.

Et turrim furnorum. Septuaginta: & vsque ad turrim Thanurim, retenta Hebraica voce תנורים thannurim scripserunt. Ex quo licet quidem conijcere, nomen hoc proprium Hierosolymitanae turris ad Occidentem sitae apud omnes fuisse. Quare autem sic dicta fuerit, prudenter insinuauit Latinus interpres, dum vocem Latinam reddit, *furnorum*, turrim eam appellans. Et meritò id quidem: deducitur enim ea vox à radice נור nur, quae profluuium, seu propagationem luminis significat: transferturque ad successionis propagationem significandam: quoniam sicut lucerna deperdito Solis lumini noctu substituitur, eiusque vices gerit; sic etiam filij in demortuorum parentum locum subrogantur, & eorum vices, ac memoriam

TVRRIS furnorum ad Occidentem sita, & quare sic dicta fuerit.

HEBRAICI CHARACTERES TVM VETV





HEBRAEORVM NVMISMATA CVM I

Dequibus à capite Vigesimo sext

ISRAEL SICLVS: SANCTA IERVSALEM

Siclus argenteus ex promptuario Laelij Pasqualini

ISRAEL SICLVS: S

Siclus argenteus ex

SICLVS DIMIDIVS: SANCTA IERVSALEM

Semi siclus argenteus ex promptuario F. Alfonsi Ciacony Ordinis Predicatorum

TEMPVS CIRCVMCISIONIS: EIVS PINGVEDO

Semi siclus aereus P. Hieronymi Pradi

ISRAEL SICLVS: S

Siclus argent

ISSIMI TVM II QVOS ESDRAS INVENIT



NOMEN

CRIPTIONVM INTERPRETATIONE

ffimum agemus.

ITA IERVSALEM

tario Laely Pasqualini

ISRAEL SICLVS SANCTA IERVSALEM

Siclus argenteus apud me

SALEM SCRIPTVRAM AD: TEMPVS VNCTIONIS

Quarta pars sicli argentea ex promptuario Laelij Pasqualini

IEIVNIO REDEMPTVSES: PROPHETA SAMVEL

Quarta pars sicli aerea ex promptuario Laelij Pasqualini

CTA IERVSALEM



ud me

QVIBVS NO

3. Reg. 11. ỳ. 36. moriam conseruant. Sic in libris Regum, vbi praedictus Ahias Propheta decem tribus auferendas dicit à filio Salomonis, subdit: *Filio autem eius dabo tribum vnam*, in quam dominetur, *vt remaneat lucerna*, filius Rex, *Dauid* Dauidi *seruo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem*. Quem locum illustrat ille alter eiusdem libri, in quo enumeratis sceleribus Abiae filij Ieroboam, haec verba subijciuntur: *Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem*. Quid verò lucerna significare velit, ipse testatur, subdens: *& suscitaret filium eius post eum, & statueret Ierusalem*. Ex quibus planus quoque fit psalmi illius celeberrimi sensus, in quo postquam ineffabilis Dei omnipotentis dignatio, amor, & pietas erga Sionem ostensa est, multaque ac paene incredibilia dona promissa, subditur: *Illuc*, in Sione *producam*, proferam, atque omnibus gentibus notum faciam, siue germinare faciam *cornu*, robur, potestatem, ac Regium decus *Dauid*, hoc est, Dauidi, לדוד enim Δαβὶδ το Dauid habetur in Graeco, paraui lucernam filium Regni, successorem, ac heredem, illum inquam, de quo angelus ad Virginem Matrem: *Dabit illi Dominus*, inquit, *Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum*. Hunc ergo Christum Dominum *paraui*, inquit pater, *lucernam Christo meo* Dauidi.

LVCERNA significare solet filiorum successionem.

3. Reg. 15. ỳ. 4.

Psal. 131. ỳ. 17.

Luc. 1. ỳ. 32.

Et meritò quidem Christus Dominus lucerna dicitur, non tantùm, quia heres, ac sustentator est Dauidici imperij, ac nominis; sed quia *erat*, estque, & erit in aeternum *lux vera, quae illuminat omnem hominem*. Pari quoque ratione explicari posse videtur alius locus psalmi: *Quoniam tu illuminas*, lucere facis *lucernam meam*; hoc est, Christum meum iam iam illucescere paras *Domine*. Cuius cùm meminit Regius Psaltes, mox eius videndi maximo desiderio accensus sese continere non potuit, quin prorumperet, dicens: *Deus meus illumina tenebras meas*, quasi sperans, propositа misera, qua offundebatur, tenebrarum caligine ob oculos pijssimi Domini, ac parentis Dei, fore, vt iam tandem aliquando misericordia motus inclinaret caelos, & descenderet. Hinc fit, vt vox תנור tannur, clibanum, seu furnum significet, qui vehementi accensus igni maximè luceat. Atque ideo turrim Tanurim, vel *furnorum* dictam putant Hierosolymis, quòd in ea noctu perpetuus aleretur ignis, qui viam, mare magnum ad Occidentem situm nauigantibus, siue etiam terra iter agentibus dirigeret. Alij verò, quoniam vox Tannur vsu magis recepta ad significandos furnos fuerat, ab eis nomen deductum putant. Quocirca in memoriam reuocare libuit, quod Chimchius annotauit; aliud nempe esse תנור tannur, aliud פורני phurni furnus. Illa enim voce furnus significatur, quo panis buccella tota simul coquitur, non in panes diuisa: hac autem communis etiam nobis furnus innuitur, quo panes plures decoqui solent; sed Haruch, eiusmodi neglecta distinctione, vtramque vocem pro eodem accipit. Vnum tamen ex eorum sententijs astruendum, deceptos eos fuisse, qui sic appellatam putarunt turrim hanc, quòd caminis calcis, aut laterum immineret: vox enim tannur furnos, quibus panis coquitur, significare consueuit. Quod & ex Leuitico probari potest: *Cùm autem obtuleris*, inquit, *sacrificium coctum in clibano: de simila, panes, scilicet absque fermento*. Et iterum:

TANVrim furni ab Hebraeis dicuntur à vehementissimo lumine.

R. Dauid Chimchi.

Leuit. 2. ỳ. 4.

Postquam confregero baculum panis vestri, ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes. Praenimia enim panis indigentia vnus etiam minimus furnus decem familijs sufficiet, cùm aliàs singuli illo etiam maiores singulis familijs vix possent satisfacere. Dicendum ergo turrim hanc *furnorum* dictam propterea, quòd pluribus furnis, quibus panes intra vrbem coquebantur, immineret. Leuit. 26. ỳ. 26.

TVRRIS furnorum dicebatur eo, quod furnis, quibus panis coquebatur, immineret.

Et iuxta eum aedificauit Sellum filius Alohes, princeps mediae partis vici Ierusalem. Hunc arbitror esse eundem vicum, cuius suprà meminit, Raphaiam commemorans reliquae mediae partis principem fuisse: *Ipse & filiae eius*. Filiarum tantummodo hoc loco mentio fit; quoniam cùm filiae nihil possiderent de hereditate paterna, si fratres haberent; ideo instaurationi murorum minùs aptae iudicabantur. At filiae fratribus carentes, ipsae in fratrum locum substituebantur, iuxta decretum Domini, cuius suprà meminimus. Quare & filijs caruisse Sellumum necesse est, & senio confectum prolis futurae spem omnino perdidisse; atque adeo filiabus substantiam suam, dum viueret, distribuisse. Nam si filium aliquem habuisset Sellumus, is paternam possideret hereditatem, non filiae. Quod si nondum spem futurae prolis amisisset; eidem substantiam conseruasset, qua deficiente filias hereditate viuens donarat, prout Dei iussu filiae Salphaat in demortui parentis succesSere hereditatem. Ac propterea Sellumi filias oportuit instaurationi murorum operam dare: quippe, quae cùm virorum gauderent hereditate ac fructibus; eorundem etiam sustinerent vices & onera. Sed ne nimium excrescat hoc caput, hic finis sit. XII. Sup. lib. 1 vrb. c. 15.

DE PORTA VALLIS, DEQVE SERIS, *ac vectibus portarum*.

Cap. XIII.

ET portam Vallis aedificauit Hanun. Cùm celeberrima fuerit, atque insignis Hierosolymis vallis Iosaphat ad Orientem respiciens, mirandum sanè non est, quamplurimos, eosque doctissimos viros deceptos fuisse, arbitrantes portam hanc ab ea valle nomen accepisse: propterea quòd ad eam vallem, ac proinde ad Orientem spectaret. Verùm nulla ratione nomen vallis portae inditum, cogit nos portam hanc ad Orientem statuere, cùm & alia fuerit vallis occidua, monti Caluariae proxima, & triumphali Christi Domini cruce sacratissima; cuius meminit illis verbis Ieremias: *Et aedificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam Anguli: & exibit vltra norma mensurae in conspectu eius super collem Gareb, & circuibit Goatha* געתה gagatha, *& omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuersam regionem mortis vsque ad torrentem Cedron, & vsque ad angulum portae Equorum orientalis*. XIII.

NOMEN huius portae non desumptum à porta Vallis. Ierem. 31. ỳ. 38. & seq.

Quibus verbis, cum sub nomine Goatha Caluariae montis meminisset Propheta, vallis quoque cadauerum eidem monti proximae, nec non regionis mortis meminit.

REGIO mortis quaenam, & vbi sit sita. *Hugo Card. Liran. Dion. Carth.*

Est autem regio mortis, qua morte damnati plectebantur, sita in summitate eiusdem Caluariae montis, prout & Hugo Cardinalis, Liranus, & Dionysius Carthusianus suis scriptis prodiderunt: vnde etiam planè intelligitur, aliam fuisse vallem cadauerum ac vallem Iosaphat, quam torrens Cedron alluebat: haec enim ad Orientem spectabat, vt planè testatus est Propheta: illa autem ad Occidentem, prout etiam modò cerni potest Hierosolymis, vbi sacellum ad radices Caluariae montis versus Sionem montem, maxima sanè veneratione colitur; in quo tradunt crucem Christi Domini vnà cum alijs binis latronum diu sepultas iacuisse; ac tandem ibidem à pijssima Regina Helena, diuino quodam spiritu afflata inuentas. Ex quo certò scimus conuinci neminem posse, vt vallis nomine orientalem dumtaxat, quae Iosaphat dicebatur, intelligat, cùm & alia quoque vallis ad Occidentem sita cognoscatur, à qua nomen portae imponi potuisset. Quare cùm ratio nominis minimè vrgere possit, alia inuestiganda à nobis est, quae situm huius portae validiore ratione stabiliat. Est autem celebre de ea testimonium in libris Paralipomenon:

2. Par. 26. ¥.9. *Aedificauitque Ozias*, inquit, *turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere.* Perspicuum igitur est, portam Vallis in eodem muri latere fuisse, in quo & porta Anguli.

Sup.c.11. huius. Et quoniam pluribus suprà demonstrauimus, portam Anguli ad duplex vrbis latus pertinuisse, aquilonare videlicet, & occidentale; dicendum erit, in alterutro eorum portam Vallis exstitisse. In quo igitur? in aquilonari? at nulla reperitur ad Aquilonem vallis, quae denominet portam.

Sup. cap. 8. huius. Porro cùm iam suprà ostenderimus, ordine progressum Nehemiam in enumeranda instauratione, numquid dices retrogressum historicum, qui bonam occidentalis muri partem aedificatam commemorauerat, vt aquilonarem Vallis portam enumeraret? At iam fuerat totus aedificatus cum suis portis Aquilonaris murus. Quapropter vt ea omnia vitemus incommoda, dicamus oportet, ad Occidentem omnino prospexisse portam Vallis. Adde his etiam, quòd cùm mille muri cubiti interceßisse dicantur inter portam Vallis, & stercoris, illam huic proximam, & ad eandem caeli regionem statuere necessariò cogemur: sed portam stercoris nulla ratio permittet ad Orientem sisti, vt mox probabimus. Non ergo ad Orientem stare vlla ratione poterit Vallis porta.

PORTA Vallis ad Occidentem spectabat.

Et quamuis pluribus argumentis confirmari haec nostra sententia posset: tamen quoniam eorum quamplurima suprà allata à nobis sunt, eisdem supersedendum duximus. Ea vt in memoriam reducat lector, vehementer hortamur, siquidem cognoscere cupit huius portae situm: ibique intelliget, quàm longè à vero aberrauerint, qui hanc portam cum Gregis porta, vel cum porta Fontis confundere non dubitarunt. Quare eorundem scriptorum praetermissis figmentis, ad id, quòd res est, tandem veniamus.

Sup. c.6. & 8. huius lib.

FALSVM est portam Vallis dictam fuisse Gregis, aut Fontis. *Borch. p.1. c.7.§.45. Adricho. de vrb. n.166.*

Hanc portam Vallis esse eam arbitramur, cuius Borchardo, Adrichomio, & alijs quamplurimis attestantibus, adhuc exstant vestigia Hierosoly-

A mis: quamque maxima veneratione colunt Christiani omnes, eò aduentantes; quoniam ex dispositione muri antiqui, & ipsius Caluariae montis, nec non ex veteri traditione apertè intelligunt, per eam Christum Dominum baiulantem *sibi crucem* exiuisse *in eum, qui dicitur Caluariae locum, Hebraicè Golgotha*; eiusdemque portae meminisse Paulum dicentem: *Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Cuius rei haud leue argumentum mihi est Septuaginta interpretum fides, & auctoritas: ipsi enim, vbi nos legimus Nehemiam dicentem: *Et egressus sum per portam Vallis nocte*: Et egressus sum, legunt, in porta τὴ γωλιλὰ tu go-

B lila. Quam vocem vtpote ex Hebraea גלל galal deductam, Caluariae portam licet vertere, prout sufiùs suo loco tractatum à nobis est. Quibus verbis illud omnino significare voluerunt Septuaginta, eam portam Vallis dici, quòd in vallem cadauerum duceret: atque adeo, quòd in valle, quae montem Caluariae ab vrbe separabat, sita esset: eandemque Caluariae portam dici, quòd in montem eiusmodi, cui ex aduerso sita erat, viam aperiret.

PER PORTAM Vallis egressus est Christus Dominus in Caluariae locum. *Ioan. 19. ¥.17. Hebr.13. ¥.12.*

Nehem. 2 ¥.13.

Sup. lib.1. verb.c.9.

Quamuis neque hoc tantùm, quod ad historiae cognoscendam veritatem attinet, significare voluisse videntur Septuaginta; verùm etiam mirabile sacramentum. Egressum enim Nehemiam

C tradunt per Caluariae portam, dum vrbis instaurationem procurat, vt per eandem egressurum indicaret, quem nos egressum iam credimus Christum Dominum, vt in eo haberemus *redemptionem per sanguinem eius, secundum beneplacitum eius*, patris, *quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso.* Neque à praedictis sacramentis alienum est: immo potiùs eisdem valde consonum, portam Vallis aedificatam dici ab חנן chanun, cuius nomen deductum videtur à verbo חנן chanan, quod suprà ostendimus, gratiam, seu miserationem significare. Huius vocis notionem, atque mysterium

D disertis verbis declaratum accepimus ab Isaia, dicente: *Beati omnes, qui exspectant eum*, Dominum; vel vt ex Hebraeo vertunt aliqui; beati omnes, qui inhiant ipsi. *Populus enim Sion*, qui in captiuitatem abductus, & miserae deditus seruituti per septuaginta iam annos fuerat, *habitabit in Ierusalem, plorans nequaquam plorabis; miserans miserebitur tui* חנן יחנך chanon iachnecha, gratum efficiendo gratum efficiet te, conuertit Forsterus, & hoc idem significari arbitratur ab Isaia, quod dixerat praeallato loco Paulus: *In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Tunc ergo nobis ex diabolica seruitute redemptis in felici Hierosolymae pace habitare licebit, cùm hic benedictus

E Hanun gratificans, totusque gratiosus, ac misericors miserebitur nostri, aedificans, seu roborans portam Vallis, egressus per eam ad operandum, & consummandum in cruce omnia, quae redemptioni, & saluti nostrae necessaria fuerant; vtque iam non ampliùs simus *hospites, & aduenae, sed ciues sanctorum, & domestici Dei*; si & nos superaedificari *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV* non renuamus. Quòd enim necessaria quoque sit cooperatio nostra, significare videtur ipse Propheta, subdens:

Isai. 30. ¥. 18. & 19.

Forster. in diction. Ephes.1. ¥. 6.

Ephes.2. ¥.20.

ad vo-

Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi. Quod ipsum innuit noster textus, qui aedificasse tradit portam Vallis, non Hanun tantùm, sed *& habitatores Zanöe*.

ZANOE ciuitas in tribu Iuda. *Iosue 15. 1. Par. 4.*

Fuit autem Zanoë haec ciuitas in tribu Iudа, prout in libris Iosue, & Paralipomenon videre est. quam si interpretari velimus, elongationem, repulsam, siue abominationem, licebit vertere, praeteritorum criminum intellige. Sed historiae filum persequamur. *Ipsi aedificauerunt eam.* בנוהו banuchu, verbo aedificandi vtitur Hebraeus, fortasse, quia non instauratione tantùm indiguerit haec porta, verùm etiam integra aedificatione, vtpote, quae prae alijs euersa fuisset. *Et statuerunt valuas eius.* Haec duo verba quid significent, suprà à nobis dictum est; de binis sequentibus, quamuis saepius occurrerint, nihil hactenus diximus.

Et seras, & vectes מנעליו ובריחיו manghulaiu vbrachaiu. Vox autem prior à verbo deducitur נעל naghal, quod desuper sera obserare, vel sera obstringere significat. Quare vox pro sera, aut pessulo, quo fores tum domorum, tum vrbium obserari solent, accipitur. Sic in Canticis: *Digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui.* Quae verba sic conuertit ex Hebraeo Pagninus: Et digiti myrrham transeuntem ad cardines pessuli. Ex quibus omnibus hoc serae genus quale fuerit, conijcere licet; nempe fuisse ferreum instrumentum oblongum, quod claudit, atque constringit. Eiusmodi instrumentum Hispani vocamus aldaua o cerrojo. Cuius instrumenti mentio fit ab Ecclesiastico: *Ori tuo*, inquit, *facito ostia*, valuas, seu fores, *& seras* auribus tuis, quas non foribus tantummodo indigere significat; verùm etiam fores seris, ne quidquam, quod non deceat, audiatur.

QVID SIT nomine serarum intelligendum. *Cant. 5. ℣. 5. & 6. Pagnin. in dictionar.*

Eccles. 28. ℣. 28.

Quibus verbis multo maior sollicitudo innuitur custodiendis auribus necessaria, quàm linguae. Integrum est enim homini loqui; quod si nolit omnino, tacet. Quapropter si foribus occludat os, non quidem offendet in verbo: at non pari custodia aures in officio continentur; immo verò etiam nolentes saepe audimus, Quapropter valuis aures indigent, quae assidua sollicitudine, & cura, quasi seris occlusae sint. Vox autem altera vectem significat, à verbo ברח barach, quod fugere, aut pertransire denotat. Quare sic dictum putant Hebraei vectem, quasi, quòd ab vna parte in aliam transeundo aufugiat. Ex qua vocis interpretatione, quid ea voce significetur, non est difficile affirmare; nam praeter seras ferreas, quae foribus, vt dixi, affixae sunt, validius repagulum vectis superaddi solet, in portis praesertim vrbis, aut castelli: facto enim in media crassitudine muri oblongo foramine, ex vtraque parte ostij, in illud vectis immitti solet, latitudinem ostij longitudine superans, qui clausis foribus, seraque occlusis traducitur, ita vt muro innixus fores contineat; quò maximae etiam hominum multitudini exteriùs propellenti resistere possit; quod non possent forsan serae praestare, cùm maximo impetu propulsae fores facilè diffindi queant; atque ita clauis serarum exilientibus, viam hostibus patefacerent. Cùm verò in pace fores aperiuntur, vectis primùm intra muri foramen totus includitur. quapropter forsan aufugiens dicebatur. Huius autem vocis frequens fit mentio in sacris, maximè in Exodo: *Facies*, inquit, *& vectes de lignis setim.*

DIFFICILIÙS aures custodiuntur, quàm lingua.

VECTIS quid.

Exod. 26. ℣. 26.

A Et alibi saepe. Ex quibus locis vectes ex ligni materia plurimùm factos fuisse elicitur; idemque ratione probatur: ferrei namque aut ita tenues faciendi forent, vt facilè distorquerentur; aut ita graues, vt magna cum difficultate mouerentur. Fuerunt tamen nonnumquam & vectes ferrei, prout, tamquam quid nouum ac mirandum, refertur in libris Regum: *Ipse* Iair *praeerat in omni regione Argob, quae est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quae habebant* ברית beriach, *seras*, vectes, *aereas*, vel aereos. Et in psalmo: *Quia contriuit*, inquit, *portas aereas, & vectes ferreos confregit.*

VECTES frequenter lignei, nonnumquam tamen ferrei commemorantur.

3. Reg. 4. ℣. 13.

Psal. 106. ℣. 16.

B Quae omnia ideo libenter attulimus, vt perspicuum legenti sit, absolutum omnino commemorari hoc loco portam Vallis, vtpote quae & aedificatione, & foribus constabat, & munitionibus tum aedificij, tum valuarum: his enim *& seras, & vectes*, addita fuisse commemoratur. Atque ex eo, quod superiùs de Eliasibo, & fratribus portam Gregis aedificantibus dictum est, *ipsi sanctificauerunt eam, & statuerunt valuas eius*; certò cognoscant, longè à verò aberrasse eos, qui portam Vallis cùm porta Gregis confundunt; cùm minimè possit intelligi valuas statutas fuisse ab Hanun in eadem porta, cuius valuas paulò antè statuerat summus sacerdos Eliasibus.

C *Et mille cubitos in muro vsque ad portam sterquilinij.* Quinque muri spacia quattuor turribus distincta inter portam Vallis, & portam stercoris interceßisse narrat; quorum singula ducentorum cubitorum fuisse suprà est à nobis ostensum. Neque verò turres huic numero millenorum cubitorum annumerandae sunt: id enim significare videtur, superadditis illis verbis *in muro*, quasi diceret, millenos muri cubitos aedificatos fuisse, atque insuper turres medias, quae murum in aequalia spacia diuidebant. Hic autem millenorum cubitorum muri tractus montem Sionem in angulo ferè aquilonari, & occidentali claudebat interiùs; exteriùs verò idem angulus valle cadauerum claudebatur.

QVINQVE muri spacia mille cubitos complent. *Sup. lib. 2. vrb. c. 10.*

D

DE PORTA STERCORIS, QVAE ET *Essenorum dicta est, & de nominibus vicorum Hierusalem.*

Cap. XIIII.

E ET *portam sterquilinij aedificauit Melchias filius Rechab princeps vici Bethacharam.* In Hebraeo huius portae nomen sic habetur אשפות asphot. Quam quidem vocem Forsterus deductam arbitratur à verbo שפת saphath, quod reponere significat rem aliquam intra certos terminos, aut limites, vt ibi resideat, ac maneat. Quae huius vocabuli deriuatio, quamuis alijs non probetur, quòd eam vocem primitiuam esse Chaldaicam arbitrentur: tamen in vocis inuestiganda notione omnes quidem

XIIII.

Forster. in dictionar.

conueniunt: tradunt enim cum eodem Forſtero, ſignificare repoſitorium ſimi; locum inquam, certis limitibus concluſum, quò proijcitur fimus; fimetum licet Latinè reddere.

PORTA fimetorum quae dicatur.

Quae vocis notio ex locis ſacrae Scripturae, quibus vſurpatur, planè conuincitur. Nam in Threnis: *Qui nutriebantur in croceis*, inquit, *amplexati ſunt ſtercora*: hoc eſt, qui olim pretioſiſſimis, ac pulcherrimis veſtibus coccineis aſſueti fuerant, vt Regij iuuenes, prae nimia penuria, ac rerum omnium egeſtate *amplexati ſunt*, hoc eſt, pro delicijs habuerunt *ſtercora*, maximè exoptabant, ſi in aliquo fimeto cubare illis fuiſſet permiſſum; quod cùm obtinerent, maximo animi affectu complectebantur. Solent enim miſeri peregrini domo, cubiculo, pecunijs, & amicis deficientibus, in dura ac frigida humo via publica cubare compulſi, maximi beneficij loco fimetum ſuſcipere, cuius calore foueantur. Quem morem reſpexiſſe videtur gratulabunda, ac laetitiae plena mater Samuelis Anna: *Suſcitat*, inquit, *de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem*. Eundemque Regius Pſaltes reſpexit morem, eiuſdem Annae verba referens in pſalmo: *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem*. Quibus omnibus locis haec eadem vox reperitur, & in numero multitudinis fimeta dixeris. Perpetuus enim quidam agricolarum vſus iam inde ab antiquiſſimis temporibus obtinuit, vt fimum vrbe egerant, ne odor eius grauis ſit incolis; non longè tamen ab vrbe aſſeruant, donec Decembri menſe in hortos, & campos deferant, vt terram impinguet. Quò autem confuſioni ac litibus omnino occludatur via, vnuſquiſque in loco communi ad id forſan à Praefecto vrbis deſtinato, ſibi locum eligit, quaſi proprium fimetum, quem lapidibus circumdatum nullus ingreditur, fimum inde aſportaturus ſine permiſſu domini ſui. cuiuſmodi loca plurima fuiſſe in vrbe maxima, & agriculturae dedita, non eſt dubitandum. Quae loca portae ſtercoris propter loci propinquitatem nomen dederunt, quam portam fimetorum licebit vertere. Hanc dictionem longè diuerſam eſſe à voce גלל galal, quam ſuprà interpretati ſumus, nemo eſt, qui dubitet: haec enim à conuoluendo deducta, ſtercus, ſeu fimum, quod à conſpectu hominum conuoluitur, propriè ſignificat, rudera poſſes vertere. Vox autem אשפות locum illum propriè ſignificat, quo in agrorum vſus fimus aſſeruabatur. Ex quo apparet, quam ſit infirma ratio eorum omnium, qui portam ſtercoris ad Orientem ſiſtunt, eam vnam denominationis eiuſmodi coniecturam ſequuti, quam tradit Borchardus his verbis. Dicta eſt autem ſterquilinij, quoniam verſus eam, vt demiſſiorem, decurrebant omnes ſordes Hieruſalem in torrentem Cedron. Huic perſimilem notionem affert his verbis Adrichomius: Porta ſterquilinij, ſeu ſtercoris, quae contra Auſtrum portae Anguli Solem orientem, inquit, reſpiciens omnes ciuitatis ſordes, quas pluuia congregare poterat, in torrentem Cedron euomebat. vnde non immeritò ſterquilinij, ſiue ſtercoris nomen accepit. Haec ille iuxta eam, quam ſibi finxit portarum diſtributionem loquitur: quare audiendus minimè eſt ab ijs, qui confundi nolunt.

Thren. 4. ℣. 5.

1. Reg. 2. ℣. 8.

Pſal. 112. ℣. 7.

STERCORA, & rudera diuerſis vocibus appellantur ab Hebraeis. Sup. lib. 1. vrb. c. 9.

PORTA ſtercoris nulla ratione ad Orientem ſtatuenda. Borch. p. 1. c. 7. §. 45.

Adrichom. de vrb. n. 163.

Atque haec abſque dubio tacuiſſet, ſi vim Hebraicae vocis perpendiſſet. Verùm non vocis argumento tantùm, quamuis & illud ſit firmum, ſed multò magis ſacrae Scripturae teſtimonijs confiſi, negamus omnino portam ſtercoris ad Orientem ſitam; primumque ſit ex contextu, quem ſequimur. Cuius argumenti vis oſtenſa pluribus ſuprà fuit, cui addenda videntur omnium rationum pondera, quibus confirmatum etiam eſt, turrim furnorum, & portam Vallis ad Occidentem ſita fuiſſe; id quòd firmiore argumento confirmari poſſe videtur ex ipſa dedicatione muri: cuius cauſa chorus alter ibat *ad dexteram ſuper murum ad portam ſterquilinij, in porta Fontis; & contra eos aſcenderunt in gradibus ciuitatis Dauid. Et chorus ſecundus* ex eodem loco digreſſus *ibat ex aduerſo ſuper murum, & ſuper turrim furnorum*. Ex quibus planè conuincitur, portam ſterquilinij medium tenuiſſe inter ciuitatem Dauid, ſiue malis, inter gradus ciuitatis Dauid, & turrim furnorum. Sed ciuitatem Dauid, & turrim furnorum ad Occidentem ſtatuendam fuiſſe ſatis à nobis probatum eſt. In quo illi quidem ipſi, contra quos diſputamus, vno Adrichomio excepto, minimè diſſentiunt: ergo ad Occidentem, non ad Orientem ſtatuenda eſt porta ſtercoris.

PORTA ſtercoris Occidentem ſpectabat. Sup. cap. huius.

Nehem. 12. ℣. 31. 32. 36. & 37.

Et quamuis eidem Adrichomio concederemus, quod ipſe ſine vlla ratione, aut teſtimonio aſſumit, nempe turrim furnorum in aquilonari parte vrbis collocandam: tamen adhuc noſtrum argumentum conuinceret, portam ſtercoris, quae inter ciuitatem Dauid, & turrim furnorum interiacet, nulla ratione ad Orientem fuiſſe; tum vel maximè, cùm in ſequentibus enarret Nehemias, ſiniſtrum chorum ad turrim Hananeel, & turrim Emath, atque ad portam Gregis, quae omnia ad Orientem ſita erant, ac mox ad domum Dei ſimul cum alio choro aduentaſſe. Nobis verò, quibus indubitatum eſt, non minùs turrim furnorum, quàm gradus ciuitatis Dauid ad Occidentem fuiſſe, pari quoque ratione probatum manet, portam etiam ſtercoris ad Occidentem reſpexiſſe. Adde his etiam non minùs efficax argumentum ex ſuprà interpretato Nehemiae teſtimonio, qui ſic habet: *Et egreſſus ſum per portam Vallis nocte, & ad portam ſtercoris, & tranſiui ad portam Fontis*. Quod teſtimonium qui legerit, negare nulla ratione poterit, portam ſtercoris mediam fuiſſe inter portam Vallis, & portam Fontis; cumque has duas ad Occidentem fuiſſe ſatis apertè probet contextus, noſque ſuis quaeque locis; planè quoque accipiendum eſt, portam ſtercoris occidentalem fuiſſe, nulla ratione orientalem.

Sup. cap. 6. huius lib. Nehem. 2. ℣. 13. & 14.

Neque verò ſilentio praetereundum videtur id, quod ſuprà à nobis traditum eſt de Betiſo, fuiſſe id ſanè nomen proprium vallis cadauerum, quod fimetum vertendum oſtendimus; eique vicinam fuiſſe portam, quam Ioſephus vocauit Eſſenorum. Quare autem ſtercoris porta Eſſenorum quoque dicta fuerit, qui noſſe deſiderat, legat Ioſephum, fuſiùs Eſſenorum mores, ac ſtudia perſequentem. Is enim cùm Iudaeorum varias ſectas enumeraſſet, ſic ſcribit. Eſſenorum verò placitum vniuerſitatis regimen citra exceptionem Deo aſſerit, immortalitatem animis: nec aliud quidquam aequè, ac iuſtitiam, omni contentione expetendum exiſtimat. Quoniam autem celebris eſt, & agitata quaeſtio, an Eſſenorum nomine Chriſtiani commemorati ſint à Ioſepho; cuius quaeſtionis vtramque partem cum ſuis ſectatoribus, atque fundamentis accuratè non minùs, quàm

Sup. lib. 2. vrb. c. 9.

PORTA ſtercoris Eſſenorum dicta, & quare. Ioſeph. 18. antiq. c. 2. DE ESSENORUM moribus.

quàm doctè persequitur Illustrissimus, ac Reuerendissimus Cardinalis Baronius; id primùm à nobis quoque statuendum est, an de Christianis intelligendus sit Iosephus, an verò de alijs Iudaeis, religiosè viuentibus.

Baron. to. 1. annal. anno Christi 64.

Et quidem maximè probare videtur de Christianis loquutum, Hieronymi, Eusebij, Epiphanij, Cassiani, Sozomeni, Nicephori, Bedae, atque Chrysostomi sententia; omnes enim constanter tenent, à Philone tamquam in propriae gentis laudem Christianorum vitam, mores, ac sanctitatem Essenis tribui: idemque pari ratione à Iosepho praestitum conijcere quilibet poterit: id quod mihi maximè probant, quae eodem loco superaddit Iosephus. Ad templum, inquit, donaria mittentes, sacra ibi non faciunt, quòd sanctioribus vtantur caerimonijs. Quapropter exclusi (seducti potiùs legerem) à communi sano, seorsum sacrificant. Haec ille. Quibus apertè testari videtur id, quod primis illis Christianis Apostolorum opera Hierosolymis degentibus contigisse accepimus in actis Apostolorum: ipsos enim Apostolos in templo orationi assiduè vacantes cognouimus, sacrificantes numquam; *Translato enim sacerdotio*, inquit Paulus, *necesse est, vt & legis translatio fiat*. Cùm ergo certò credidissent Apostoli, translatum iam fuisse temporale Aaronicum sacerdotium, in aeternum Melchisedecicum Christi, necesse erat, vt tunc etiam intelligerent translatam vnà & legem, eiusque victimas, & sacrificia minùs placita Deo fore: *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*, quae ibidem persequitur Paulus, hoc idem probans. Quod ita decretum est celeberrima illa, ac sanctissima Apostolorum synodo, cuius sit mentio in actis Apostolorum: *Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes; quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque seruare legem Moysi*. Quibus Petrus, postquam diuino testimonio comprobauerat, fide purificata credentium corda, non lege, sic respondit: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*? Quod non modò de circumcisionis lege intelligendum est, cuius difficultas ac dura seruitus semel tantùm subeunda fuerat (eius enim ictus, plaga, & dolor breui temporis spacio curabatur, & transibat) verùm etiam de tota caerimoniarum lege, quae durissimae seruitutis iugo, assiduis, atque iteratis mandatorum decretis corda obseruantium illam premebat, atque vexabat: Iegis verò se subtrahere oneri Christianis tantummodo licuisse manifestum est; Iudaeis verò nefas exsecrandum fuisset, nulla ratione laudi tribuendum ab Hebraeo.

S. Hiero. de script. Eccles. Euseb. hist. lib. 2. c. 15. & 16. Cass. lib. 2. de inst. coenob. c. 5. Sozom. lib. 1. cap. 12. Nicep. lib. 2. c. 16. Bed. praef. in Marcum. Chrysost. homil. 49. in act. Apost.

IOSEPHVS sub Essenorum nomine Christianorum viuendi rationem indicasse videtur.

Hebr. 7. ℣. 12.

APOSTOLI, & alij Christiani in templo Salomonis post mortem Christi orabant, non tamen sacrificabant.

Hebr. 10. ℣. 4. & 5. Act. 15. ℣. 5. & 10.

Qua ergo ratione credendum est, à Philone sapientissimo, & à Iosepho laudari Essenos, qui legem non obseruarent? Quidam enim, inquit, ipse Philo, nominantur Essaei, à sanctitate dicti, quia summa religione Deo seruiunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam. Haec ille. quae omnia non alijs, quàm Christianis tribui posse videntur. Alia verò quaedam superstitiosa potiùs, & inania figmenta, quae de eisdem recensет Iosephus, in eis rumores potiùs, quàm veritatem collegisse videtur, Rabbinorum inuentis quàm similimos. Et quamuis non negem alios quoque, qui Christiani non fuissent, vel forsan etiam, qui ante Christum vixissent, Essaeos, siue Essenos dictos: illud tamen probare hactenus volui, Christianis potissimùm hoc nomen adscriptum, quorum facta, dum Esseni laudantur, indicata fuisse intelligimus. Quod si id ita est, vt fuisse conijcio, quam aliam Hierosolymae portam potiùs vocarent Essenorum, vel Christianorum portam, praeter stercoris portam? Haec enim viam aperiebat à sacratissimo cenaculi monte, & sacratissimae Virginis domicilio egredientibus ad sanctitatis omnis quasi perennem fontem, quo sanguis Christi manauit, Caluariae montem: vel ab hoc sacratissimo Caluariae monte ad cenaculum Christi regredientibus. Quod si adhuc contendat quispiam, non à Christianis Essenis nomen portae inditum, sed potiùs à Iudaeis, huic etiam eius denominationis rationem reddere non grauabimur.

Philo lib. quòd omnis probus liber.

FVERVNT & alij Essenj, qui Christiani non fuerunt.

Duo enim memoriae prodita accepimus de Essenis. Alterum Iosepho, & Philone testibus, agriculturae maximè deditos Essenos fuisse. Quare mirum non est, cùm omnis agrorum vbertas ab stercoratione nascatur, Essenos agricolas fimetorum curam habuisse, eaque prope portam vrbis, iuxta quam habitabant, constituisse. Alterum est, quod de Essenis tradit Plinius his verbis: Ab Occidente littora Esseni fugitant, vsquequa nocent. Quam, vtpote mendosam, lectionem sic corrigendam putat Caelius Rodiginus. Ab Occidente litora Esseni habitant, hos fugiunt vsquequaque nocentes. Quae lectio veritati, ac moribus Essenorum congruere maximè videtur; cùm iniquorum proprium sit probatae vitae homines fugere: tum etiam quòd in iudicijs diligentissimi, atque iustissimi dicantur à Iosepho Esseni. At non probat eiusmodi lectionem Iacobus Dalecampius; propterea quòd non apta videatur Plinij historiae, commemorata nocentium fuga: ideoque sic legit: Ab Occidente litora Esseni habitant vsquequaque. Vtrum autem sit de eorum censura potiùs eligendum, nihil statuo. Illud tamen assumo, quod vtrique aequè probatur, Essenos occidentalia litora, nempe occidentalem vrbis regionem, scilicet maris litora habitasse. Quare mirandum non est, Essenos, qui occidentalem vrbi regionem incolebant, occidentalem quoque vrbis partem habitandam suscepisse. Sed de porta, eiusque nomine iam satis: nunc de eiusdem aedificatore nonnihil dicendum.

Iosephus & Philo vbi sup. ESSENI agriculturae dediti.

Plin. lib. 5. cap. 17.

Cael. Rodig. lib. 5 antiq. lect. cap. 9. ESSENI ad Occidentem habitabant.

Iacob. Dalecamp. in notat. Plin.

Et portam sterquilinij aedificauit Melchias filius Rechab. Fuit autem celeberrima ac maximo honore veneranda Rechabitarum familia, quam laudat ipse Dominus, exemplum eam toti Israëli proponens: huius enim exprobrat inobedientiam, praedicata illorum obedientia in rebus etiam difficilioribus probata. Cuius rei exstat sacrum apud Ieremiam monumentum, vbi etiam Dei magna promissio eorum remunerat obedientiam his verbis: *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israël: pro eo, quòd obedistis praecepto Ionadab, patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quae praecepit vobis: propterea haec dicit Dominus exercituum Deus Israël; non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus*. Quod vaticinium opere completum fuisse ostendit praesens textus Nehemiae, Melchiam filium Rechab postliminio reuersum portam stercoris, quae etiam Essenorum dicta fuit, aedificasse commemorans: illud fortè significare volens, eosdem, qui olim à primo familiae

XIIII. RECHABITarum familia celebris.

Ierem. 35. per totum. ibid. ℣. 18.

ESSENI ijdem, qui Rechabitae.

parente Rechabitae dicebantur, postmodum propter vitae probitatem, integerrimosque mores Essaeos, vel Essenos, hoc est, sanctos dictos fuisse. Quapropter Melchiae Essenorum principi Essenorum portam instaurare meritò contigit: nisi fortè res aliter se habeat, vt propterea Essenorum porta deinceps dicta sit, quae stercoris priùs dicebatur, quòd à Melchia Essenorum principe constructa fuerit; quò simul & nobilissimae Essenorum familiae nomen, & monumentum in futura saecula perduraret, & minùs grata stercorum appellatio iucundiore Essenorum nomine sublata, obliuione perpetua deleretur. Neque verò huic nostrae coniecturae quisquam opponat diuersos mores, diuersamque victus rationem Rechabitarum, atque Essenorum fuisse, cùm illi religiosiores multò, & paternae disciplinae obseruantiores se praeberent; vtpote qui neque agros colerent, neque vrbes inhabitarent, neque vinum vmquam degustarent: hi contra laxiorem vitae normam sectarentur, qui & agros colerent, & in vrbibus degerent, & laxiorem victus modum tenerent. Namque vt assolet in omnibus ferè congregationibus, rarò, aut numquam priorem vitae rationem, ac instituti regulas posteriores sequuntur; quin & nonnihil deflectunt, & quibus regulis sese aptare vix sustinent, eas sibi ipsi aptare conantur. Quod quidem non coniectura tantùm, atque assidua aliarum familiarum experientia probare licebit, sed luculento Hieronymi de ipsis Rechabitis prolato testimonio. Huius, inquit, Ionadabi filij Rechab, filij sunt, qui in tabernaculis semper habitantes, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitus Hierosolymam intrare compulsi, hanc primam captiuitatem sustinuisse dicuntur, quòd post solitudinis libertatem, vrbe, quasi carcere sunt recluſi. Haec Hieronymus. Qui ex titulo psalmi septuagesimi probat, Rechabitas primo in captiuitatem ductos fuisse: is enim sic habet: Ipsi Dauid psalmus filiorum Ionadab, & aliorum, qui primò captiui facti sunt. Quem titulum de Rechabitis locutum intelligit ipse Hieronymus, Remigius, Augustinus, & alij.

QVARE laxioris vitae Esseni fuerint, quàm Rechabitae.

S. Hieron. tom. 1. epist. 13. ad Paul.

Psal. 70.

S. Hieron. vbi sup. Remig. S. Augusti.

Princeps autem vici Bethacharam dicitur, hoc est, cuiusdam vici ex ijs, quos suprà enumerauimus; qui vicus *Bethacharam* dicebatur. Cuius denominationis ratio ex ipsius nominis interpretatione petenda videtur. Est autem *Bethacharam* iuxta Hieronymum, & alios mox afferendos, domus, seu villa vineae, composita vox ex בית beth, domus, & כרם cherem vinea. Cuius vocis frequens est in sacris libris mentio, qua tradunt Hebraei locum significari, vitibus ordine dispositis consitum. Neque enim vinea, vitis, aut locus, vbi vna, vel duae vites plantatae sunt, meritò cherem diceretur. Atque hoc est, quod Noë dicitur vineam plantasse: fuerant enim sine dubio ante illum, qui vites plantauerant, sed seiunctas à se inuicem more ceterarum arborum, vt fructibus earum vescerentur, non ad exprimendum vinum: at primus Noë simul ordine decussatim cepit vites plantare, quarum plantarium כרם cherem, hoc est, vinea dicitur, ad vinum conficiendum. Neque tantùm de vineis, propter vitium seriem, ac dispositionem; verùm & de quarumuis arborum consimili plantatione vocem accipiendam putant Hebraei, teste Rabbi Dauid: qua ratione interpretantur illud Iudicum: *Comportatae iam fruges, & adhuc stantes in stipula concrematae sunt in tantum, vt vineas quoque, & olieta* ועד כרם זית

VICVS Bethacharam quare sic dictus.

PRIMVS vineae plantator quare dicatur Noë.

R. Dauid. Iud. 15. ℣. 5.

A veghad cherem zaith, *flamma consumeret*: vsque ad vineam olieti, hoc est, vbi sunt multae oliuae ordine dispositae, quasi dicat, & vsque ad olieta ipsa flamma consumeret. Qua ratione interpretantur nonnulli illud Cantici בכרמי becherme, *in vineis Engaddi*; vt non de vineis tantùm sit sermo, vbi vites consitae sunt, sed de pluribus arboribus in quincuncem consitis. Quam phrasim forsan obseruat modò Romanus vsus, qui pomeria, & hortos communi vinearum nomine compellare solet, vigne.

Cant. 1. ℣. 41.

Ex quo fit, vt *Bethacharam* dictam putent nonnulli domum, seu turrim, quam ad vineae custodiam construere solebant Hierosolymitani ciues. Cuius meminit in parabola Christus Dominus, qui vineam omnibus suis partibus ac numeris absolutam significare volens; *& aedificauit*, inquit, *turrim* in medio eius. Quocirca a similitudine forsan consimilis turris aut custodiae, vicus hic Hierosolymitanus, cuius princeps dicitur fuisse Melchias, *Bethacharam* dicebatur, quòd in eminenti aliquo loco exstructus, celsissimis quoque aedificijs munitus fuisset, alijs vicis, aut domibus supereminens, haud secus, quàm vitibus turris in medio vineae constructa ad eiusdem custodiam. Cuius coniecturae haud leue argumentum desumi posse videtur ex Ieremia, subsannante quodammodo Hierosolymitanos ciues, & ab imminenti Chaldaeorum exercitu ineluctabilem futuram cladem denunciante. Is enim sic habet: *Confortamini filij Beniamin in medio Ierusalem;* ad Beniaminitas sermo fit propterea, quòd cùm inferiorem incolerent ciuitatem, ad Aquilonem sitam, ipsi primùm inuadendi, atque oppugnandi forent ab Assyrijs, *& in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem leuate vexillum, quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna.* Duplicis vici Hierosolymitani mentionem fieri hic à Propheta crediderim. Nec me latet Hieronymum vici Thecuae in monte siti, & duodecim millibus ab Hierosolyma separati mentionem fieri à Propheta credidisse, atque alterius, qui Bethacharam lingua Syra, & Hebraica diceretur, inter praedictos in monte quodam siti. At cùm ad incolas Hierosolymitanos toto eo capite Ieremiae sermo fiat, magis aptè Prophetae sensum intelligere posse videbimur, si de vicis Hierosolymitanis locutum accipiamus. Sunt autem fateor Hierosolymitani vici, vicorum, siue opidorum eius nominibus insigniti. quapropter & aliquibus visum est sic denominatos vicos Hierosolymitanos, quoniam consimilium villarum incolae ad sollemnitates Hieroſolymam confluentes, in eiusmodi vicis habitare consueuissent. Verùm quis prohibere posset pari quoque ratione, & causa, vel saltem consimili, eodem nomine, & opidum regionis denominatum fuisse, & vicum Hierosolymitanum? Nam sicut paulò antè ostendimus, opidum in montis cacumine positum, atque in medio lati vinearum campi excelsum meritò *Bethacharam* diceretur, atque à simili dispositione, & situ vicus quoque Hierosolymitanus *Bethacharam* denominaretur, sicut & à tubis Thecua opidum, & vicus Hierosolymitanus.

Matth. 21 ℣. 33.

VICV Bethacharam domu vineae vocatur propter celsitudinem.

Ierem. 6. ℣. 1.

VICI HIEruſalem pagorum eius nominibus distinguebantur, & quare.

Elegantissima ergo verborum ac sententiarum collatione ad bellum hortatur Hierosolymitanos ciues Ieremias: *Confortamini*, estote forti ac constanti animo, tubis eos, qui propè sunt, certiores aduentantis iam hostis facite, idque *in Thecua* tubarum loco: eos autem, qui procul sunt, ad quo-

rum

rum aures tubarum sonus peruenire non possit, erecto vexillo commonefacite, siue vt alij interpretantur, face, vel igne; vtrumque enim significare solet Hebraeis vox משאת masseeth, nempe ignem, vel flammam, & vexillum. Quoniam autem vici Hierosolymitani à vinea denominati meminerat vates, ideo in eadem persistens allegoria, subdit: *Haec dicit Dominus exercituum, vsque ad racemum colligent, quasi in vinea, reliquias Israël*, hoc est tribum Iuda, & Beniamin, Hierosolymis habitantem. *Conuerte manum tuam*, iterum, atque iterum racemos adducens è vitibus sectos, *quasi vindemiator ad cartallum*. Verùm ne diutiùs in re manifesta probanda immoremur, vicum Hierosolymitanum *Bethacharam* dictum statuamus, eiusque principem Melchiam Rechabitam portam stercoris aedificasse.

Ierem. 6. ¥.19.

DE PORTA FONTIS, AQVAEDVCTV, & triplici piscina.

Cap. XV.

XV.

PORTA Fontis quare sic dicta.

GHAIIN Hebraica vox & oculum, & fontem significat.

Lenit. 11. ¥.36. Chaldaeus.

IN SPE, quasi in quodam penu reposita quis inuenit omnium malorum remedia.

Esdr. 10. ¥.2. Pagninus in diction. Forster. in diction. Ierem. 14. ¥.8. Isai. 22. ¥.11. Gen. 1. ¥.10.

PORTAM Fontis aedificauit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha. Hebraicè שער העין sçaghar haghaijn, portam oculi vertunt nonnulli, & meritò: eadem enim vox עין ghaijn oculum propriè significat, translatè verò fontem; quoniam ex eo aqua effluit non minùs, quàm ex oculo lacrymae. Quapropter primam aquarum originem ea vox, non deductiones aquarum significare consueuit. Cuius notionis ratio petita videtur ex Leuitico, dicente Domino: *Fontes verò, & cisternae, & omnis aquarum congregatio munda erit.* Quem locum Chaldaeus paraphrastes sic vertit: Verumtamen fons, & cisterna, vbi aquae congregantur, erunt mundae. Duplex enim vox repetitur in Hebraeo: עין ghaijn, quam interpretamur: secunda verò מקוה michueh, quae collectionem significat tum animi, tum rerum corpore praeditarum. Animi collectionem spem interpretari consueuit vulgatus; quoniam in spe, quasi in quodam penu reposita quis inuenit omnium malorum remedia. Iuxta quam acceptionem intelligi posse videtur locus ille Esdrae, dicente Sechenia: *Nos praeuaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terrae: & nunc si est paenitentia* מקוה michueh, exspectatio, seu spes, vertitur à nonnullis *in Israël super hoc*. Et apud Ieremiam: *Exspectatio Israël* מקוה michueh spes, collectio omnium bonorum, quae cupit, & auersio omnium malorum, quae refugit, *Saluator eius in tempore tribulationis*. Accipitur etiam pro aquarum collectione ab Isaia, dicente: *Et lacum fecistis inter duos muros*. Et in Genesi: *Vocauit*, inquit, *Deus aridam, terram; congregationesque aquarum vocauit maria*. Quare nulla ratione confundi posse videtur huius atque illius nominis notio: illa enim, vt dixi, & fontis origo, A & oculus significari consueuit: hac verò collectio tantummodo.

Quam vtramque acceptionem innuere voluisse videtur Isaias illa figurata quidem, sed appositissima locutione: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Aquarum enim nomine omnium bonorum copiam, & affluentiam ex fontibus, seu oculis Saluatoris, IESV Christi Domini nostri hauriendam praedicit. Quae enim bona omnia simul collecta quasi in immenso mari continentur in Deo, ea adueniente Saluatore in nos emanare coeperunt; eorumque quasi fontes, atque scaturigines sunt clementiae plenissimi oculi, quibus nos intuetur; sicut saepius fecisse refertur in Euan- B gelio. Ex his enim oculorum Christi fontibus aquas misericordiae hausit Matthaeus, qui de seipso sic scribit: *Iesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine, & ait illi: sequere me*. Inde etiam Petrus veram recordationem praeteritorum, veniam, & salutem haurire meruit, dicente Luca: *Et conuersus Dominus respexit Petrum. & recordatus est Petrus verbi Domini; & egressus foras, fleuit amarè*. Hinc tandem vidua mortuo filio vitam, sibi insperatam consolationem, felicemque posteritatis spem hausit. *Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi. noli flere*. Manifestum ergo manet, portam Fontis dici fonti vicinam, quem C fontem Siloë concedunt intelligendum esse Borchardus, & Adrichomius; licet in proprio huius portae loco assignando grauiter peccent; grauissimè verò in eo, quòd nomen huius portae, portae Aquarum tribuendum putant. Nam praeterquam quòd vtraque porta longè diuersam sortitur denominationis rationem; eas diuersissimis locis constitutas olim fuisse conuincit, non tantùm loci, quem interpretamur, contextus: verùm multo magis, & eiusdem Nehemiae historia, quae refert alterum chorum laudantium venisse à porta stercoris; *in porta Fontis. Et contra eos ascenderunt in gradibus ciuitatis Dauid in ascensu muri super domum Dauid, & vsque ad portam* D *Aquarum ad Orientem*.

Isai. 12. ¥.3. OCVLI Saluatoris perennes omnium bonorum fontes sunt.

Matth. 9. ¥.9.

Luc. 22. ¥.61.

Luc. 7. ¥.13. FONS Siloë nomen portae dedit. *Borchard. Adrichom.* PORTA Fontis non est confundenda cum porta Aquarum.

Nehem. 12. ¥.35. & seq.

Ex quibus verbis perspicuum omnino est, portam Fontis longè diuersam fuisse à porta Aquarum; atque adeo gradus ciuitatis Dauid, & domum Dauid medium locum tenuisse inter portam Aquarum, & portam Fontis. Cumque porta Aquarum ad Orientem sita dicatur, & ciuitas Dauid cum domo, quam aedificauit in ea ipse Dauid, ad Occidentem sita probetur, vt vidimus; porta Fontis necessariò ad Occidentem, nulla ratione ad Orientem statuenda est. Ex quo falsitatis conuincitur Adrichomius, vocans hanc etiam portam Fictilis; quoniam haec ad vallem Hennon orientalem spectabat, vt suo loco ostendemus; E porta autem Fontis ad Occidentem. Neque minùs aberrauit à vero, vocans portam Fontis portam Equorum: quoniam porta Equorum in angulo ad Orientem sistitur à Ieremia.

Sup. lib. 2. prb. c. 2. PORTA Fontis in Occidente fuit. *Adrichom. Hieruſal. n. 158.* NON EST eadem Fontis, & Fictilis porta, neque porta Equorum. *Ierem. 31. ¥.10.*

Reiectis ergo tot ac tam varijs plurium portarum in vnam confusionibus, portam, de qua agimus, arbitramur cum eodem Borchardo, & Adrichomio, nec non & Beda, Hugone, Nicolao de Lira, Ariamontano, & alijs, dictam putamus à fonte Siloë, qui non procul ab hac parte manabat. At cùm ij omnes scriptores fontem Siloë ad Orientem manasse arbitrentur, nostrae nos aduersari videbimur sententiae, nisi aliunde probemus, fontem Siloë ad Occidentem statuendum, atque

Borch. p. 1. c. 7. §. 45.

FONS Siloë ab Occidente manabat.

tot

tot scriptorum auctoritati satisfaciamus. Et quidem Iosephum oculatum testem proferre non dubitaui: is enim murum superioris vrbis describens:

Ioseph. 6. belli c.6.

Parte autem altera, inquit, ad Occidentem ex eo loco ductus per eum, qui vocatur Betiso, descendens in Essenorum portam; deinde supra fontem Siloam in Meridiem flexus, &c.

Quibus verbis id manifestè testatum habemus, murum quidem occidentalem vrbis superioris supra fontem Siloam in Meridiem flecti. Ex quo constat, fontem Siloam in angulo occidentali, & meridiano ipsius vrbis Dauidicae promanasse in fine quidem vallis, cuius paulò antè mentionem fecerat idem Iosephus.

IOSEPHVS testitutus.

Vallis autem, inquiens, quae Tyropoeon appellatur, qua valle, sic legendum censui iuxta Graeca, non autem, parte, vt habent mendosi codices, diximus superioris ciuitatis collem dirimi ab inferiori, vsque ad Siloam pertinet: ita enim fontem, qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Haec Iosephus.

In multis praeterea sacrae Scripturae locis, ijs maximè, qui mox à nobis interpretandi sunt, ea commemorantur, quae ex huius fontis tractatione pendent; ideo de eo nonnihil dicendum modò videtur. Et primùm quidem cuiusdam aquaeductus, & piscinae mentio fit in libris Regum, & Isaiae, in quibus Rabsaces missus refertur à Sennacheribo Rege Assyriorum Hierosolymam, ad exprobrandum Ezechiae, de quo cum socijs adueniente subditur: *Et steterunt iuxta aquaeductum piscinae superioris, quae est in via agri fullonis.* Totidem quoque verbis eiusdem aquaeductus, piscinae, atque agri meminit Isaias. Eiusmodi autem enarrationes Hebraicae vocis si pertractemus, non parum lucis obscurae huic tractationi afferri posse speramus. Prima earum considerenda est תעלה teghalath, à verbo עלה ghalah deducta, quod ascendere significat. Eius autem verbi frequens est vsus, & variae significationes, vt omnes hic explicari difficile sit, sed pro locorum indigentia potiùs eius singulas acceptiones singulis locis interpretari visum est. Nunc verò quod nostro huic instituto peculiari ratione tribuendum videtur, illud est, quare sic dicatur aquaeductus. Ratio enim, quam affert Pereirus, oppositum eius, quod probare contendit, magis videtur probare. A superioribus enim, inquit, locis, per aquaeductus aquae decurrunt. Non ergo ascensus, sed potiùs descensus dicendus est, per quem aquae è superioribus locis ad inferiora decurrunt. Quapropter aliam assignemus rationem oportet; quod haud difficile omnino videbitur, si accuratiùs consideremus, duplici ratione, ac modo aquas deduci iam inde à priscis illis temporibus solitas. Aut enim defossis in terra riuulis, siue etiam subterraneis cuniculis aquae pondere pressae mouentur, aut erectis pilis, conuolutisque fornicibus, exstructisque desuper canalibus aquae suspenduntur; imaque vallium superantur. Vtriusque exempla non modica Romae visuntur. Vtroque igitur aquaeductu inter se collato, ille, qui aquas in sublime eleuat, ascendere faciens, seu sublimis, atque excelsus meritò dicetur ab Hebraeis. Et quidem huius sublimis aquaeductus vestigia exstare Hierosolymis, ab aliquibus oculatis testibus accepimus, conspiciique in via, quae Hierosolyma Bethleem ducit. Eiusdemque meminisse credimus Borchardum, sic scribentem. Illo in loco, vbi duae voragines à se inuicem separabantur, quarum vna contra Aquilonem, alia extendebat se contra Orientem; eratque ibi te-

DE AQVAEductu.

4. Reg. 18. ℣.17.

Isai. 36. ℣.2.

Pereir. sup. Isai. 7. ℣.3.

AQVAEductus quare dicatur ascensus.

VARII aquarum deducendarum modi.

AQVAEductus manet in via Hierosolymis Bethleem ducens.

Borch. p.1. c.7.§.45.

studo facta vltra voraginem, contra portam, per quam patebat exitus extra ciuitatem. Haec ille. Quae planè intelligit de occidentali vrbis latere: loquitur enim de situ portae cuiusdam, quam portam Dauid putat appellari, eò quòd turris Dauid, & eiusdem ciuitas in monte Sion huic portae superemineret. Eam autem portam, quam praedicta ratione neoterici portam Dauid nominare consueuerunt, esse arbitramur, quam portam Fontis appellatam credimus. Cui quidem portae testudinem ex aduerso factam testatur Borchardus; ideoque eundem nos sequuti vel propterea maximè, quòd sacrae Scripturae, & aliorum testimonijs concordat, testudinem in nostra descriptione effinximus portae Fontis aduersam, quae duplicis ministerij habebat vsum, vt & vrbe egredientes plano pede supra voraginem deduceret, & aquas eandem voraginem recto tramite percurrentes, suspensasque in vrbem induceret.

QVIS FVErit primus aquaeductus auctor

Quis autem fuerit huiusmodi aquaeductus auctor, aut cuius rei causa exstructus fuerit, non ita facilè statuo; eum tamen antiquiorem fuisse Ezechia affirmare non dubito, cùm habeam eius rei sacrum Isaiae testimonium: is enim sic scribit: *Et factum est in diebus Achaz, filij Ioathan, filij Oziae Regis Iuda, &c. Et dixit Dominus ad Isaiam: egredere in occursum Achaz; tu, & qui derelictus est, Iasub filius tuus, ad extremum aquaeductus piscinae superioris, ad extremum aquaeductus piscinae superioris, in via agri fullonis.* Fuit autem Achaz pater Ezechiae, vt è sacris, atque profanis historijs constat: non ergo fuit eius aquaeductus auctor Ezechias, qui in diebus patris sui iam pridem exstructus fuerat. Quin immo & Oziam proauum ipsius Ezechiae plures aqueductus Hierosolymis exstruxisse, memoriae proditum accepimus à Iosepho; quamuis sacra historia *in solitudine* tantùm commemoret plures effodisse cisternas. Tametsi de Ozia dubitari possit, cùm etiam hoc ipso Rege antiquiorem fuisse hunc aquaeductum coniectare meritò liceat: nam cùm Salomonem plures piscinas Hierosolymis exstruxisse compertum sit, eam quoque, de qua mox agendum nobis est, aedificatam ab eo fuisse, non dubitamus. Ipse etiam Salomon Probaticam piscinam exstruxit, vt aliorum testimonio id probat Adrichomius. Cuius quidem piscinae duplicem fuisse lacum, testatur Sanctus Hieronymus, quorum alterum hibernis pluuijs adimpleri solitum: alterum verò mirum in modum rubentem, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testari confirmat; nam hostias in eo lauari solitas ferunt, vnde & nomen accepit.

Isai. 7. ℣.1. & 2.

OZIAS plures aquaeductus exstruxit.

Ioseph. 9. antiq. c.11. 2. Par. 26. ℣.10. Eccles. 2. ℣.6.

Adricho. descr. n.62. S. Hieron. de locis Hebrai. litt. B.

Quod si ad hostiarum templi purificationem necessaria fuit Probatica piscina, dubitandum non est, eam à Salomone exstructam fuisse, qui omnia, quae ad perfectionem, & ministeria templi necessaria fuerunt, omni studio, ac diligentia perfici curauit. Perennes autem aquas in eam piscinam inductas testari videtur praeallatus Hieronymus, vnicum tantummodo affirmans eius piscinae lacum hibernis pluuijs adimpleri solitum: ratioque ipsa idem videtur suadere. Nam cùm templum omnibus numeris absolutum, & vndequaque perfectum Dei iussu exstruxisset Salomon, cui maxima aquarum copia necessaria fuisset, & ad lauandas hostiarum carnes, & ad purificandos templi ministros, & ad alios paene infinitos vsus, aliaque ministeria; verisimile omnino fit, aquas, quae propter montis, cui templum superstabat, immensam altitudinem in templum ipsum induci

PROBATICA piscina à Salomone exstructa.

non

non possent, ad radices saltem montis in Probaticam piscinam inductas, quò & lauandis hostijs praesto essent, & sine magno dispendio à Nathinaeis ad templum adducerentur. Nulla autem ex alia vrbis parte aquas in vrbem inductas accepimus, praeterquam ab Occidente. Fit ergo manifestum, aquas à Salomone in Probaticam piscinam adductas, à parte occidentali adductas fuisse; ex qua parte vrbis, profunda voragine vrbem dirimi ab alijs montibus accepimus. Ergo aquaeductum fornicibus suspensum à Salomone eonstructum fuisse meritò testamur. Ex hoe aquaeductu non in vnam tantummodo piscinam deriuabantur aquae, sed & in plures alias. Duas potissimùm in sacris commemoratas accepimus: alteram superiorem piscinam; natatoriam Siloë alteram. Prioris fit mentio allatis Isaiae locis, vbi הברכה העליונה habberecha haghalionah dicitur, hoe est, piscina superior. Et quidem vox prior, cuius frequens vsus est, à verbo ברך barach deducitur, quod genu, vel sermonem flectere ad aliquem significat, siue alloqui cum geniculatione, vt fit in salutationibus, gratulationibus, precationibus, ac similibus. Sic in psalmo: *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Quem locum sic vertit Forsterus: Venite prosternamus nos, & curuemus, geniculemur coram Deo factore nostro. Significat autem etiam haec vox benedicere in Genesi: *At ille: seruus, inquit, Abraham sum, & Dominus benedixit domino meo valde.* Et in Numeris: *Dixitque Balac ad Balaam: quid est hoc, quod agis? vt malediceres inimicis meis, vocaui te, & tu è contrario benedicis eis*, ברכת ברך barachta barech, benedixisti benedicendo. Et aliàs saepe. Ex hoc verbo deducitur nomen ברכה berechah, piscinam significans, quam sic dictam arbitrantur nonnulli ob aquas placidè stagnantes; vel quòd in ea genuum remigio natetur. Quam vocem propterea Septuaginta interpretes κολυμβήθρα colymbithra reddunt, hoe est, natatoria.

Decipiuntur autem, qui apud Rabbi Dauid affirmant piscinam pro fonte vsurpari. At veritas, inquit, est, quod est aqua congregata, aut collecta secundum doctores Hebraeos: verum tamen omnino esse arbitramur, quod Foreirus testatur, piscinam sic dictam Hebraeis ab aquarum multitudine, & copia: copiam enim interdum benedictionem vocat Hebraismus. Quam vocis vim vnà cum suprà explicata innuere voluisse videtur Nahum Propheta illis verbis: *Et Niniue quasi piscina aquarum aquae eius.* Quibus verbis antiquam Niniue felicitatem describit, ciuium infinita multitudine plenae, haud secus, quàm aquis piscina, vbi omnes in summa tranquillitate, & pace degebant, sicut stagnantes aquae: at nunc, *ipsi verò fugerunt: state, state, & non est, qui reuertatur.* In quo non minùs quàm in reliquis imitati sunt effusam aquarum multitudinem, quae sua sponte fluentes, nulla ratione, aut vi retrorsum conuerti, aut sisti possunt. Voeatur autem praesens piscina, piscina superior, Hebraicè העליונה haghelionah, voce deducta ab eadem radice, à qua suprà aquaeductum deduci ostendimus. Quae vox quamuis altissimum, summum, supremum verti consueuerit, quamobrem & Deo frequenter tribui solet: tamen si vim vocis attendamus, piscinam aquaeductus licebit interpretari: aut saltem piscinam eam intelligemus, in qua primùm receipiuntur aquae, fornicibus eousque deductae, vt inde postea in alias piscinas inferiores, siue etiam in hortos Regios deriuentur. His omnibus ita expositis, confirmatisque tam aptè inter se plures sacrae Scripturae loci conueniunt, vt vel ijs ipsis dumtaxat, quae diximus, omnia probari videantur. *Sup. cap. 6. huius libri.*

Et quidem primùm proximum fuisse piscinae huie superiori aquaeductum, probat suprà allatum Nehemiae testimonium, quo egressum se testatur, *per portam Vallis nocte, & ante fontem draconis, &c. & transiui*, inquit, *ad portam Fontis, & ad aquaeductum Regis*, Hebraicè ברכת berechath, Graeca κολυμβήθραν colymbithran piscinam, seu natatoriam Regis scribunt. Aptissimè verò vulgatus piscinam *aquaeductum* vertit, id innuens, quod res est, cùm primùm ad aquaeductum venit Nehemias, ad piscinam quoque venisse: neque ita pridem ad aquaeductum venire potuisse, quin & ad piscinam simul veniret. Hunc autem aquaeductum vocat Nehemias praesenti loco, quem interpretamur, *muros piscinae Siloë in hortum Regis.* Nam vox חומת chomath, quem murum meritò vertit vulgatus, id solet frequenter significare, sicut in Exodo: *Erat enim aqua, quasi murus à dextra eorum & laeua.* Vim verò voeis attendentes Hebraei, murum ex lateribus igne coctis ea voce significari contendunt. Quod si admittamus, ex lateritia materia confectum aquaeductum intelligemus, quales ferè erant omnes Romanorum antiquissimi. Lateritium enim opus deducendis aquis magis est idoneum, vtpote, quòd perpetuo aquarum humore, qui manserat in lateribus, nimia siccitas temperatur, magisque ac magis in dies solidatur. Regius verò dieitur aquaeductus, Regia piscina, & vtriusque finis *in hortum Regis*, quasi dicat, confectum aquaeductum, & piscinam, quae aquas in hortum Regis deduceret. Quare facilè intelligemus, Regis nomine, quasi antonomasticè omnium Regum potentissimum, & sapientissimum Salomonem Regem dici solitum, ac Regis nomine intelligi. *Piscinam* autem vocat mox ipse Nehemias, *quae grandi opere constructa est*; quoniam ea maxima quidem & nobilissima fuisse perhibetur. De ea sic scribit Benedictus Arias. Fuit & tertia piscina, quam Nehemias factam appellat in ciuitate Dauid inter occasum, & Aquilonem, quam historici altam pedibus quadraginta, latam verò ducentis, & quinquaginta describunt. Haec ille. *Nehem. 2. ℣.13. & 14.* *Exod. 14. ℣.22.* LATERIbus coctis aquaeductus Hierosolymitanus constructus fuit. REGIS nomine sapientissimus ac potentissimus Regum Salomon intelligebatur. *Bened. Ariamont. in Appar. lib. de Hierof.* PISCINA grandi opere constructa quae.

Cuius sententiae libenter subscribimus, arbitrantes Salomonem, cùm primùm aquaeductum à monte Gihon, occidentali ciuitati Dauid, vsque ad ipsum montem Sion deduxit aquas, in hanc maximam piscinam congregasse, indeque per vtrumque montis latus eas bifariam partitum, & per vallem Tyropoeon ad piscinam Probatieam in ministerium templi bonam aquarum partem deduxisse: reliquam verò per latus meridianum ipsius montis Sion vsque in inferiorem piscinam deriuasse; & huius quidem piscinae, quae orientalis erat ipsi monti Sion, vocaturque ab Euangelistis, *natatoria Siloe*, meminit Isidorus, qui inter admirandas fontium naturas, & vsus hunc commemorat his verbis. Fons Siloa ad radicem montis Sion, non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusque ebullit. Quae descripsisse fertur ex Hieronymo, qui testis est harum rerum omni *Ioan. 9. ℣.7.* NATATORIA Siloë vnde aquas recipiat, deque eius mirabili natura. *Isid. lib. 13. orig. c. 13.*

BERECHA Hebraicum piscinae nomen vnde desumptum.

Psal. 94. ℣.6.

Forst. in dictionar.

Gen. 24. ℣. 34. & 35.

Num. 23. ℣.11.

Rab. Dauid.

Foreir. sup. Isai. 7.

COPIAM alicuius rei benedictionem vocat Hebraismus.

Nahum 2. ℣.8.

PISCINA superior quare dicatur.

omni exceptione maior, cùm propter tanti viri singularem eruditionem, atque praestantiam, tùm, quòd non solùm oculis haec loca perlustrauit; sed etiam in ijs diu habitauit, vt ipsemet haec eadem confirmans testatur, sic scribens. Siloam autem fontem esse, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum concaua, & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus; nos praesertim, qui in hac habitamus prouincia. Haec Hieronymus.

S. Hieron. sup. Isai. 8.

Neque me latent, quae in libro de prophetarum vita, qui sub Epiphanij nomine circumfertur, scripta sunt. Tumulatum enim fuisse tradit Isaiam sub quercu Rogel, iuxta transitum aquarum, quas Ezechias Rex obstruxerat, cùm eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe Deus Siloam, inquit, causa Prophetae absoluit, quòd, priusquam moreretur, pusillum precatus est, vt vndas illic effingere dignaretur. Et confestim demisit illi caelitùs aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam; quod si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam stagnum, piscinasque fabricasset, precibus Isaiae effectum, vt exigua lympha scaturiret, quoad populus in obsidione hostium teneretur, & ne periret vndis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndique, vbinam sedare sitim daretur: ignorabant etenim, vrbe quippe iam potiti, obsidebant Seloam: quandocumque indigetes Iudaei aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire nesciebant; latex namque aufugiebat, eoque ad hodiernum vsque diem eructatur clanculum, quò significet mysterium. Ceterum quandoque Isaiae Prophetae istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam populus accuratè Prophetam istic solo reddidit cum gloria, & honorificè, vt per eiusdem intercessiones in consummationem vsque saeculi aquae eiusmodi fructus impetretur. Haec ille. Quae multa quidem inuoluunt Rabbinica figmenta redolentia, quibus ea ipsa, quae verè sunt miranda, tamen minùs fiunt credibilia. Fontem enim Siloa, & aquaeductus eius vetustiores multo Isaia fuisse, satis iam suprà probauimus, probatque Toletus, dum pluribus confirmare contendit, eundem fontem Siloam dici, & Gihon, hoc vno tantùm nominum discrimine obseruato, quòd ipse fons, aquarumque origo prima גיחון gichòn dicatur, à verbo גוח gauach, quod erumpere, aut irrumpere significat, quòd aquae inde, quasi quodam impetu erumperent: ex fonte autem Gihon aquam leniter fluentem in Siloën descendisse, quae erat natatoria, seu piscina, ex qua postea aqua in hortos deriuabatur; indeque dictam fuisse tradit piscinam שילוח siloach, à verbo שלח salach mitto, missus, vel quod aqua è fonte Gihon mitteretur in eam, vel quia aquae in hortos deriuabantur ex ea. Verùm Marinus nominis שלח selach, quod praesenti Nehemiae loco habetur, notionem inuestigans, sic scribit. Est autem vox aequinoca: nam in singulari significat telum, iaculum, pilum mucrone oblongius, missile propriè ex radicis significatione. Secundò alijs est pomerium, viridarium, quòd arborum rami hac, & illac protendantur. Mihi verò, inquit, potiùs aquaeductum significat, qui à piscina extenditur: atque ea ratione interpretandum putat illud Can-

SILOA quid significet.

Tolet. Ioan. 9. notat. 7.

IDEM fons Gihon, qui Siloa.

FONS Siloa quare sic dictus.

Marin. in arca Noë.

A ticorum: *Emissiones tuae* aquaeductus tui, vel viridaria tua, *paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus*. Postmodum verò ipsum nomen fontis שילוח siloach interpretatus, proprium esse tradit fluuij Hierosolymae vicini, sic dicti, quòd in hortos ad eos irrigandos diffunderetur. Quae totidem paene verbis ex Chimchio desumpta videntur. Subdit tamen ipse Marinus. Est autem fons ille (modò vera sint, quae retulit mihi quidam Hebraeus Hierosolymitanus) bis in die solùm erumpens, quemadmodum & vox ipsa sonat, maximamque aquarum copiam per vnius horae plus minus tempus eijciens, manè, vesperique videlicet, quam excipit aquaeductus non maximus, statimque paene defert in ingentem piscinam, ex qua dein quibusdam riuulis, cùm libet, hortos irrigant. Haec ille.

Cant. 4. ℣. 13.

R. Dauid Chimchi.

B

Quibus omnibus, quod ad intestinam aquarum emanationem attinet, subscribere videtur Iosephus, miraculo tribuens aquarum penuriam, & copiam: is enim ciues suos in obsidione hortabatur, vt scelerum suorum meritam poenam agnoscerent, eiusmodi incursionem esse, quo & Deum placare, & Romanis se dedere non dubitarent: Nam Tito quidem, inquit, etiam nunc fontes vberiores profluunt, qui priùs vobis aruerant. Denique ante eius aduentum scitis & Siloam, & omnes extra ciuitatem fontes adeo defeciisse, vt ad vtrumque aqua mercaretur: nunc autem ita hostibus nostris largi sunt, vt non modò ipsis, & iumentis eorum, sed etiam hortis sufficiant. Haec ille. Quibus duplicis Siloë fontis mentio fieri videtur. Alter enim in Occidente vrbis Dauid emanabat, qui & Gihon dicebatur: alter verò ad Orientem in radicibus ipsius montis Sion, qui in natatoriam Siloë mox effluebat. Quamuis enim, vt dixi, ab eadem origine vterque fons emanaret; tamen, quoniam duplici loco, vtroque opposito, nec parum diffito eius vsu fruebatur populus, mirandum non est, si eodem nomine retento duplicis fontis nota distingueretur. Probat autem hunc inferiorem fontem cum natatoria Siloë à Salomone constructum fuisse, Iosephi ipsius testimonium, qui murum superioris vrbis describens, quo à Dauide olim mons Sion vallatus fuerat: Parte autem altera, inquit, ad Occidentem ex eo loco ductus per eum, qui vocatur Betiso, descendens in Essenorum portam; deinde supra fontem Siloam in Meridiem flexus, atque inde rursus in Orientem versus, qua stagnum Salomonis est, & vsque ad locum pertinens, quem Ophlam vocant, cum orientali porticu templi coniungitur. Haec Iosephus. Quibus primam fontis originem Siloam vocat, eamque Occidentis in angulo sitam fuisse apertè testatur. Natatoriam verò Siloë stagnum Salomonis dici, & in medio orientali tractu montis Sion statuendum tradit. Superiorem verò piscinam, & ipsam quoque à Salomone constructam fuisse tunc perspicuum erit, cùm Isaiam adducemus, eos Dei nomine accusantem, qui aquas ab ea piscina auferre non dubitarunt. Priùs tamen, quid Ezechias circa aquaeductus, & fontem Hierosolymitanos praestiterit, breui pertractandum est.

Ioseph. 6. belli c. 11.

DVPLEX fons Siloë.

Ioseph. 6. bell. c. 6.

C

D

NATATORIA Siloë in medio orientali tractu montis Sion statuenda.

E

Et quidem primùm eius rei fit mentio in libris Regum his verbis: *Reliqua autem sermonum Ezechiae, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam, & aquaeductum, & introduxerit aquas in ciuitatem; nonne haec scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda?* In libro autem Paralipomenon, qui ibi citatur, sic habetur: *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem*

4. Reg. 20. ℣. 20.

2. Par. 32. ℣. 30.

tem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid. Fit autem huius facti mentio in Ecclesiastico: *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & aedificauit ad aquam puteum.* Eius quoque meminit Isaias illis verbis: *Et congregastis aquas piscinae inferioris*, &c. *& lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piscinae veteris, & non suspexiſtis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem eius de longè non vidiſtis.* Quae quidem ferè omnia testimonia, quoniam fusiùs à nobis suprà enucleata sunt; eorum primùm memoriam vt renouet lector, hortamur, hic solùm, quae ex eorum omnium collatione liquidò constare videbuntur, breui sermone perstringamus. Priùs tamen fontem Gihon è monte ab eodem sic denominato Siloa quoque dici, non solùm praeallatis rationibus probari posse videtur; verùm etiam Hebraeorum testimonio Camius pater, apud neotericum quendam Latinè redditus, sic scribit: Gehon est flumen Aegypti, à radice נגח guach, quae effluere significat, eò quòd extra ripas diffluat, humumque inundet. sed & riuus, qui prope Hierusalem eo nomine venit, quem etiam Siloa dicunt. Sanè in Thargum Ionatha Siloa legitur, vbi in Hebraeo est Gehon; fortè Gehon ex eo dictus, quòd in hortos transcurreret, irrigandi eos causa. Hactenus ille.

Huius riuuli mentio fit in annalibus Hebraeorum, videlicet in Sederolam Rabba his verbis: Sub aduentum Sennacherib Regis clausit Ezechias aquas Gehon, id est, obstruxit fontem torrentis Siloa. Quod idem Iosephi testimonio comprobari facilè potest. Nam cùm in libris Regum iuberet Dauid duci Salomonem in Gihon, & vngi in Regem: eum locum referens Iosephus, sic scribit: Sadocum accersit pontificem, & Banaiam praefectum satellitum, quibus mox venientibus iubet, vt assumpto Nathane propheta, & cohorte Regia, impositoque filio Salomone in mulam Regiam, extra vrbem illum deducerent ad fontem, qui vocatur Gihon, vnctumque sacro oleo Regem declararent. Haec ille. Chaldaica verò paraphrasis, quae non modicae auctoritatis est, saepius eodem capite pro *Gihon* vertit Siloach, quod vtique sentiret vtroque nomine eundem fontem denominari consueuisse. Quocirca aptissimè intellexisse videntur interpretes locum illum Isaiae: *Pro eo, quòd abiecit populus iſte aquas Silõe, quae vadunt cum silentio*, hoc est, placidissimum, & iucundissimum Salomonis imperium, quod ab aquis Siloa, ad quas vnctus fuit, initium sumpsit: siue propiùs accedendo ad textus finem, quia abiecit populus iste *onus* Christi *leue*, & *iugum* eius, *suaue*, quod quasi computruisse videtur Isaiae aetate *à facie olei*, quae omnia Salomonis Regno, nomine, vnctione, & fonte aptissimè praesignantur: *propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes*, hoc est, durissimum iugum, grauissimamque seruitutem. Septuaginta interpretes locum hunc Nehemiae sic reddunt: Et murum piscinae codiorum Caesariaei Regis, τῶν κωλίων τῆ κεφᾶ τὲ βασιλέως ton codion ti cura tu basileos, vellera Caesariaei Regis possent conuerti. Et quamuis in Complutensi codice iuxta Latinam nostram, & Hebraicam lectionem legatur, *piscinae Silõe in hortum Regis*: tamen fortasse sic denominare voluerunt Septuaginta interpretes, vellera, vel cincinnos Regis Salomonis, vt eos ostenderent ad fontem Siloam vnctos. Vnctio enim Regibus, atque sacerdotibus in caput effundebatur, vt de

priori exemplum est in libris Regum, de secundo in psalmis. Hunc ergo fontem vnctionis suae gratissima memoria carissimum, magno sumptu exstructo firmissimo, & nobilissimo aquaeductu, deduxit Salomon in ciuitatem: ita tamen, vt in eodem loco, vt assolet, aliquam aquae partem effluere permitteret, exstructis ad aquas excipiendas aptissimis receptaculis, quibus animalia adaquari possent: alijs verò, quibus vestes lineae lauabantur. Id quod significare voluisse videtur Isaias antè citatus, aquaeductum commemorans *in via agri fullonis* exstitisse, Hebricè כובס cobbas; quae quidem vox à verbo deducitur כבס cabas, quod lauare, lauando dealbare significat, vt in Genesi: *Lauabit in vino stolam suam.* Et in libro Regum: *Vestesque suas non lauerat à die, qua egressus fuerat Rex.* Id quod precabatur à Deo Dauid: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Inde deductum est nomen כובס cobbas, lauans, lotor, fullo, candidator. Apud Marcum vim huius vocis licet considerare, dicentem de Christo Domino transfigurato: *Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix, qualia γναφεὺς* gnapheus, *fullo non potest super terram candida facere.*

Ex quo facilè percipi potest, discrimen inter vocem Rogel, quam suprà interpretari sumus, & vocem cobbas, quam nunc interpretamur. Quamuis enim vtramque eadem Graeca voce γναφεὺς gnapheus, & Latina, fullo, iuterpretemur, longè diuersam sortiuntur apud Hebraeos notionem. Illa enim fullonem significat, qui varijs coloribus vestes inficere solet, quas cùm infecit, lauat, vt color purus maneat, neque inficiat tangentes: haec autem fullonem significat, qui vestes vsu sordidas lauat, vt mundet, candidasque efficiat.

Sed ad institutum nostrum venientes, dicimus, postquam erectis pilis, ac fornicibus ad radices vsque montis Sion aquae peruenerunt, exstructam ibi fuisse ingentem piscinam; tum vt maximam aquarum copiam vrbs ad omnes euentus congregatam haberet; tum etiam, vt stagnans aqua sidentibus sordibus, quas fortè terrenas glebas pertransiens contraxerat, purior inde, & ad inferiorem piscinam, quae *natatoria Silõe* dicebatur, à dextro montis latere deduceretur; à sinistro verò per mediam vallem Tyropoeon in Probaticam piscinam. Et ne vmquam hostium incursibus, aut quocumque alio casu via à superiore Dauidis arce ad aquas ex praedicta superiore piscina hauriendas intercipi posset, per intima montis, gradus quosdam in ipsa rupe excidit Salomon, quorum meminit Nehemias, eundem Sellumum commemorans, *portam Fontis*, & *muros*, qui superstabant aquaeductui *piscinae Siloë*, ex qua deducebatur aqua *in hortum Regis*, aedificasse, & *vsque ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid*, ad vsque piscinam factam, cuius mox meminit. Vbi notandum etiam videtur de piscina quidem inferiore, quae *natatoria Siloë* dicitur Euangelistae, loquutos fuisse Hieronymum, & Isidorum suprà relatos, dum tradunt non perenni fluxu aquam effundere solitam, quod an miraculo tribuendum sit, an verò Salomonis industriae, & prudentiae, vt admirabile quiddam eo fonte praestaret, non facilè statuo, aliorum iudicium exspectans.

Illud tamen etiam nunc dicendum fuit, de huius fontis turre locutum fuisse Christum Dominum apud Lucam, dicentem: *Sicut illi decem, & octo,*

ecles. 48. 19.
Isai. 22. ℣. & seq.
ap. lib. 2. rb. cap. 19.
= ONS Gihon Siloa quoque dicitur.
Ioan. Druſ. o. obſeruat. ap. 18.
Sederolam Rabba c. 23
3. Reg. 1. ℣. 33.
Ioſeph. 7. ntiq. c. 11.
Iſai. 8. ℣. 5. & 7.
AQVA Siloë placidiſſimum Salomonis imperium: hoc verò ſuaue Chriſti iugum ſignificat.
Matth. 11. ℣. 30.
Iſai. 10. ℣. 27.
REGVM, & ſacerdotum capita iungebatur.

1. Reg. 10. ℣. 1.
Pſal. 132.
FONTEM Siloë vnctionis ſuae gratiſſimam memoriam in vrbem deduxit Salomon.
Iſai. 7. ℣. 3.
Gen. 49. ℣. 11.
2. Reg. 19. ℣. 24.
Pſal. 50. ℣. 4.
Marc. 9. ℣. 3.
Sup. lib. 2. vrb. c. 17.
ROGEL, & cobbas Hebraicae voces fullonem ſignificantes, inter ſe quantum differant.
GRADVS ciuitatis Dauid, quibus vſibus deſeruirent.
Ioan. 9. ℣. 11.
Sup. hoc cap.
Luc. 13. ℣. 4.

octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem? Cuius loci facilis erit sensus, natatoriae Siloë situm, & dispositionem in nostra descriptione contemplanti. Nam cùm vrbis moenia, & turres natatoriae imminerent, celsissimo interiecto praecipitio, turris eius aliqua vetustate, aut alio quouis casu corruens, demissis, & allisis ad saxa praecipitij ruinae saxis, facilè potuit tot incautos homines in imo existentes opprimere. Neque verò propterea, quòd hi cum reliquis Hierosolymae habitantibus comparentur, ideo intra vrbem oppressos credendum est: satis enim contextui fiet, si ciues Hierosolymitani fuisse credantur, qui propè portas vrbis, & sub ipsis moenibus interfecti sunt. Sed ad Ezechiam veniamus. Is quoniam veniente Sennacheribo contra Hierusalem, nulla ratione putabat se posse subsistere, nisi aliquo stratagemate potentissimi hostis manum debiliorem efficeret; omnes fontes, qui extra vrbem manabant, obturare decreuit: neque hoc tantùm, sed & sibi ipsi prouidit. Veritus enim, quod res erat, facili negotio aquaeductum illum Salomonicum posse ab hostibus aliqua ex parte subuerti, vt aquarum beneficio, quo priuaretur obsessa ciuitas, gauderent obsidentes hostes: ideo obturasse ibidem dicitur *superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter* antiquum aquaeductum, fodiens ferro rupem *ad Occidentem vrbis Dauid*: eodem inquam loco, quo priùs effluebant, hoc vno tantùm diuerso, quòd Salomonis aquaeductus sublimior in plures vrbis partes aquas inducebat: Ezechiae verò inferior aquaeductus, idemque occultissimus in pauciores vrbis partes, easque inferiores tantùm aquas inferebat. Quò factum est, vt in superiorem piscinam aqua non ampliùs ascendere posset; tum etiam, vt in inferiorem tantummodo Caenopolim aquam conuehere sineretur, ibique inter duos muros lacum, piscinam, seu puteum exstruxerit Ezechias. Postquam autem magna affectus ignominia Sennacheribus reuertit in terram suam, & Ezechias, & habitatores Hierusalem optata potiti sunt quiete, conijci facilè potest, instauratum saltem ex parte Salomonis aquaeductum, vt & ad ministeria templi aquae in Probaticam piscinam effluerent, & horti Regij, alijque omnes in valle eadem Iosaphat consiti, pristinae restituerentur vbertati, & pulcritudini aquarum beneficio. Quod non coniectura tantùm, sed & testimonio Iosephi comprobari posse crediderim, qui cùm tres turres, Hippicos, Phasaelon, & Mariamme in celso montis Sion colle exstructas, vt vidimus, fuisse dixisset, sic deinde scribit: Simonis autem manus iuxta monumentum Ioannis aditum clauserant vsque ad portam, qua in Hippicon turrim aqua inducebatur. Haec ille.

Quibus verbis nullius alterius portae, quàm Fontis meminisse credendus est. neque enim alio, quàm Salomonis aquaeductu in celsissimam Hippicon turrim aqua deduci potuisset. Cuius tamen beneficio ipsamet Herodis Regia, eidem colli, tribus enumeratis turribus, proxima aedificata, cisternis signorum aeneorum plenis, quibus aqua effundebatur, abundare potuisset, prout ab ipso Iosepho refertur. Sed iam satis de aquaeductibus, & piscinis Hierosolymitanis egisse videmur; nunc tandem de portae Fontis aedificatore breuissimè dicendum est. Fuit Sellumus Hebraicè dictus שלון sallun, quam vocem interpretantur collectanea nominum in biblijs Regijs, quasi sit manens, vel qui manet pacificus, aut abundans. Princeps autem dicitur vici Maspha, Hebraicè המצפה hammitspah, quam vocem omnes sine controuersia speculam, seu locum altum vertunt, ex quo speculator à longè prospicere potest. Quo satis apertè innuitur, vicum hunc Hierosolymitanum, cuius princeps dicitur Sellum, in latere montis Sion occidentali situm, excelso aliquo loco fuisse, ex quo totum montem Gihon, & Caluariae, cum reliquis occidentalibus vrbis partibus, qui excubias ageret, speculari facilè posset. Sed ad vlteriora sequenti capite progrediamur.

IVRRIS Siloë, quae decem, & octo homines occidit, quo loco vrbis exstiterit.

2. Par. 32.

Ibid. ℣. 30. QVID praestiterit Ezechias circa aquaeductus, & quo consilio *Eccles.* 48. ℣. 19.

AQVAEductus Salomonis instauratus.

Sup. Lib. 2. vrb. c. 4. Ioseph. 6. bell. c. 8.

Ioseph. 6. belli c. 6.

VICVS Maspha, quare sic dictus.

DE SEPVLCRIS, DAVIDIS, ET ALIORVM

Regum Iuda: nec non de combustione in eorum funeribus vsitata.

Cap. XVI.

XVI.

POST *eum aedificauit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiae partis vici Bethsur, vsque contra sepulcrum Dauid.* Inter praeclara Hierosolymorum magnificentiae, opum, atque gloriae monumenta haud exigua fuerunt, quae defunctorum corporibus debito honore prosequendis exstruxerunt antiqui, quorum vestigia, quae ad nostra vsque tempora manent, spem futurae resurrectionis, quae in illorum sanctissimis Patriarchis maximè viguit, & cum ipsa Republica, quamdiu exstitit, perdurauit, testatam futuris saeculis relinquerent. Quocirca nulla ratione assumptae prouinciae de edendis vrbis commentarijs satisfeciisse videremur, nisi & sumptuosissimis eius aedificijs, templo, Regijs, atque alijs innumeris eius generis sepulcrorum quoque exstruendorum mirabilem apparatum, & singularem, ac paene incredibilem pompam saltem adumbraremus. ea enim exprimere ad viuum nulla ratione nos posse speramus. Quamquam hoc ipsum in alium proprium locum conijcere, absoluto hoc instaurationis libro, iam pridem decreueramus. Verùm breuitati studentes, ac maximè experientia docti, quod quò in plures partes tractatio diuiditur, eò euadit maior, magisque eius euulgatio differtur: ideo quae proprio commentario fusiùs tractare decreueram, ea omnia in vnam summam collecta, huic capiti, quo de Dauidis sepulcro, eiusque situ ac forma tractandum fuerat, reliqua omnia addenda curaui.

NOBILISsima Patriarcharum monumenta fidem resurrectionis, quae in ipsis vigebat, testantur.

DEFVNctorum corpora debito cuiusque honore sepelire sollemne Hebraeis fuit. *Eccles.* 38. ℣. 16.

Ac primùm quidem sollemne fuit Hebraicae genti defunctorum corpora debito sepulturae honore pro cuiusque dignitate donare: id quod Ecclesiastici quoque praecepto commendatum habuerant: *Fili*, inquit, *in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare. Et secundum iudicium* eius addunt Graeca: quare iuxta ritum

funerum

funerum vertunt nonnulli: *contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* Quapropter in Scripturis sacris ab angelis ipsis maximè commendari Tobiam accepimus, propter singularem operam, sepeliendis mortuorum corporibus impensam. Fuit etiam eisdem Hebraeis sollemne in speluncis cadauera deponere: idque faciebant, tum quòd speluncae aptissimae viderentur, & quasi defossa mortuorum habitacula, sicut viuentium super terram erecta desuper domicilia; ideoque domus sepulcri dicebatur, prout suprà vidimus: tum etiam, quoniam montana illa regio natiuis, atque artificiosis speluncis abundabat. Eius rei perspicuum habetur exemplum in Genesi. Mortua Sara vxore dixit Abraham ad filios Heth: *Si placet animae vestrae, vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui; pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri.* Cuius sepulcri, & speluncae saepius in sacris litteris fit mentio. Est & aliud exemplum in libro Iosue, quo facilè probari posset, quòd speluncae, quasi quaedam à natura effossa sepulcra sint, quibus facilè mortuorum corpora humari possint. Adonisedechum enim, & alios quattuor Reges interfectos fuisse refertur à Iosue, atque suspensos super quinque stipites: *Cumque occumberet Sol, praecepit socijs, vt deponerent eos de patibulis: qui depositos proiecerunt in speluncam, in qua latuerant, & posuerunt super os eius saxa ingentia, quae permanent vsque in praesens.* Quo loco inimicos Reges naturae debito sepulturae officio donatos fuisse commemoratur; caruisse tamen honore amicis exhiberi solito; illi enim proiecti dicuntur in speluncam, cùm hi contra honorificè deponerentur, ac pro vniuscuiusque gradu componerentur.

Duplici itaque amicitiae, ac pietatis sensu erga parentes, & cognatos vita functos se maximè tangi profitebantur Hebraei, qui maximi beneficij loco ducebant, ad patres suos apponi morientes; quo priuari, extremum, ac maximum supplicium arbitrabantur. Quapropter prope sepulcra patrum suorum habitare omni ope, ac studio contendebant, quasi illud innuere vellent, quod maximè pictatem redolere videbatur, vt quibus naturae participatione, ac sanguine maximè coniuncti essent, ab eisdem nullo vmquam tempore, aut viuentes, aut morientes separarentur. cuius rei exstant in canonico iure plura testimonia, sanctiones, & exempla. Vtriusque affectus passim reperies exempla. In libris potissimùm Regum ac prophetarum tot reperiuntur prioris testimonia, ac tam manifesta, vt ea referre non minùs superuacaneum, quàm laboriosum videatur. Posteriorum verò, vnius tantummodo Nehemiae ad Artaxerxem verba exemplo sunt, quae suprà à nobis interpretata satis id probant: moeroris enim ac consternati animi potissimam causam assignat, *quia ciuitas domus sepulcrorum patris mei deserta est.* Hinc factum est, vt quam quisque speluncam à natura ipsa oblatam domi inuenire non poterat, eam labore, & industria domi, aut foris effodere conaretur. Quò autem suae familiae magis esset vicinus, in proprio fundo, vel horto sepulcrum sibi quisque parabat: ac propterea tot monumentis circumdatam vndequaque Hierosolymam testatur Iosephus; Tullonis, Herodis, Helenae, Ioannis, Anani, & aliorum monumenta commemorans. Quapropter peregrinis Hierosolymis morientibus inueniendo sepulcro maximè laborabant incolae. Eorum quippe indigentiae prouidere voluisse videntur pij, scilicet, illi sacerdotum principes, qui impijssimum illud sanguinis pretium, emendo agro figuli *in sepulturam peregrinorum*, erogare decreuerunt; Deo namque sacratam pecuniam, quam ipsi coëmendo sanguini vnigeniti Filij Dei dicauerant, propterea pollutam ducentes, in alios, quàm in pios vsus consumendam minimè ducebant.

Ex praeallatis igitur clarè patet, id, quod & innumeris paenè sacrae Scripturae testimonijs probari posset, Hebraeos corpora defunctorum sepulcris integra condere consueuisse, cremare numquam. Ex quo maximè pendet huius argumenti tractatio. Romanis enim defunctorum corpora comburentibus, exstantia aedificia, vrnae, pyramides sepulcra fuerunt: Hebraeis contrà speluncae, ac cryptae, quibus aliquando pyramides imponebant, prout Simon feciisse traditur in libris Machabaeorum. Et quamuis haec ita sint, non defuerunt tamen, qui nostra hac tempestate putarunt etiam cum aromatibus comburi solita apud Hebraeos mortuorum cadauera. Id quod probari putant lectione vulgata, Hebraea, Septuaginta interpretum, & Chaldaica paraphrasi apud Ieremiam; habueruntque eius sententiae antesignanum Tostatum Episcopum Abulensem. Quò autem magis firma permaneat nostra sententia, alia quoque oppositae sententiae argumenta in vnum cogere non dubitabimus.

Et quidem primùm citato Ieremiae loco sic habetur: *Attamen audi verbum Domini Sedecia Rex Iuda: Haec dicit Dominus ad te; non morieris in gladio; sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum, Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te.* Hoc ipsum probari videtur testimonio libri Regum, qui cum Saulis, & filiorum eius cadauera suspensa commemorasset in muro Bethsan, viros fortissimos de Iabes Galaad ambulasse tota nocte refert, & subdit: *Tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi; & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes.* Idemque probari videtur in libro Paralipomenon; nam de Ioramo: *Mortuusque est*, inquit, *in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius.* Et quamuis haec ita sint: nihilominus tamen arbitramur testatum omnino fuisse apud omnes, non apud ipsos Hebraeos tantùm; verùm & apud Ethnicos, exteraque nationes, Hebraeos numquam corpora mortuorum honoris ergò combussisse. Cuius rei testis est Tacitus, qui quamuis erroris sui tabe ipsa sinet rerum historias commaculare non desinit; ipsam tamen, quam inquirimus, veritatem illibatam dimisit. Is enim de Hebraeis sic scribit: Necare quemquam ex agnatis nefas, animasque praelio, aut supplicijs peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere quàm cremare è more Aegyptio; eademque cura, & de infernis persuasio. Hactenus Tacitus.

Quibus sepeliendorum cadauerum curam fidei adscribit immortalitatis animorum. In quo nec latum quidem vnguem à veritate deflexit, eo excepto, quòd animas tantùm praelio, aut supplicijs peremptorum immortales credidisse putarit Hebraeos; cùm è contrà omnium hominum animas sine vlla differentia immortales crediderint.

Tob. 12. ℣. 12.

IN SPELuncis sepelierunt mortuos Hebraei.

Sup. cap. 4. huius lib.

Gen. 23. ℣. 8. & 9.

Iosue 10. ℣. 27.

DVPLICI amoris affectu defunctos parentes prosequebantur Hebraei, idum cum eis sepeliri, & prope eorum sepulcra habitare maximè curabant.

13. q. 2. cap. Ebron, & seq.

Sup. cap. 4. huius. Nehem. 2. ℣. 3.

QVARE IN proprijs sepulchris vel hortis sepulcra sibi pararent Hebraei.

QVO consilio agrum Acheldema emerint sacerdotes. *Matth. 27. ℣. 7.*

HEBRAEI numquam defunctorum suorum corpora combusserunt. *1. Mach. 13. ℣. 27. & 28*

Abulen. 1. Reg. 31. q. 9. Andr. Capell. in Iere. c. 34. ℣. 4. & 5.

RATIOnes, quibus probari videtur Hebraeos combussisse cadauera.

2. Par. 21. ℣. 19.

CONFIRmatur nostra sententia Taciti testimonio. *Corn. Tacit. l. 21. annal.*

diderint. In eo etiam veritatis scopum non attigit, quòd animarum immortalitati tantùm tribuit sepeliendorum corporum sollicitudinem: cùm non minùs ipsorum corporum resurrectionem, quàm animorum aeternam durationem professi sint ea cura antiqui illi Hebraeorum parentes. quae vel ex ijs maximè, quae ad finem primi tomi notata sunt, perspicuè testata illis esse potuerunt.

CVRA SEpulcri corporum resurrectionem testatur. *Pradus in Ezech. 26. sub finem.*

Neque verò argumenta, quae oppositam videntur probare sententiam, quidquam contra nos probant: nam ea omnia scripturae loca, quae combustionis in funeribus meminere, sic sunt omnino intelligenda, vt Regalium funerum pompam exprimant, quam disertis verbis enarrat Paralipomenon liber, de Asa Rege Hierusalem vita functo, sic scribens: *Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid: posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quae erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione magna.* Hebraicè וישרפו לו שרפה גדולה עד למאד veijsrephu lo serephah gedolah ghad limod, & combusserunt ipsi (subaudi aromata) combustione magna vsque ad valde, hoc est, maxima. Itaque aromata, & vnguenta partim comburebantur, quò minùs offendere posset adstantes grauis aliquis odor è cadauere efflatus: partim verò vngendo, & à corruptione praeseruando corpori deseruiebant. Idemque testatur Chaldaeus, qui praeallatum de Saule locum sic vertit: Et acceperunt corpus Saul, & corpora filiorum eius de Bethsan, & venerunt ad Iabes, & cremauerunt super illos, sicut cremant super Reges ibi: & acceperunt ossa eorum, & sepelierunt sub arbore. Quocirca mirandum est, Abulensem, virum quidem singularis eruditionis, & iudicij, ita coactum huiusmodi testimonio, vt cùm Saulis, & filiorum eius corpora combusta legeret, & eorum ossa sepulta, ossa primùm à carnibus separata fuisse putarit, carnes seorsim igni traditas, ossa sepulcris. Quod quidem factum, tamquam humanae naturae detestandum sub grauissimis inflictis poenis prohibuit Bonifacius Papa VIII. detestandae feritatis abusum illud semper fuisse contestans, ac subdit: Quod non solùm diuinae maiestatis conspectui abominabile plurimùm redditur; sed etiam humanae considerationis obtutibus occurrit vehementiùs abhorrendum. Haec ibi.

2. Par. 16. ℣.14. COMBVstio in Regum funeribus, qualis fuerit.

SENTENtia Tostati refellitur.

In extrauaganti Detestandae de sepulturis. ABOMInabile diuinis oculis est fidelium corpora in frusta secare.

Quòd si diuinis oculis abominabile semper fuit, ossa humana carnis tegumento nudare, numquid permissum vlla ratione credendum est populo illi, cuius maxima versabatur cura *solummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis*? Perpendant igitur attentiùs, quae de cadaueribus mortuorum contrectandis decreta sunt in libris Numerorum: *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus.* Et iterum: *Omnis qui tetigerit humanae animae morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israël, quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum.* Quòd si, qui leui quodam contactu mortuum tangebat, tanta inficiebatur labe, vt nisi quàm citissimè expiationis aqua lauaretur, immundus perpetuò maneret, tam immensam (vt ita dicam) contrahens spurcitiam, vt & ipsum tabernaculum Domini pollueret; quid, & quantum labis contraheret, si morticini membra omnia incideret, atque omnia ossa nudaret, & reliqua perageret, vt ea praestaret, quae praestari

Heb. 9. ℣.10.

Num. 19. ℣.11. & 13 CONTActus cadaueris viuum polluebat, & morte multabatur, nisi purgaretur.

A solita Tostatus affirmat? Neque verò in tot se coniecisset angustias Abulensis, si phrasim sacrae Scripturae frequentem diligentiùs obseruasset, qua corpus ossis nomine appellatur. Idque propterea factum esse credunt Hebraei, quòd vox עצמותיהם ghetsmothehem, quam, *ossa eorum*, ibi conuertit vulgatus, à radice עצם ghatsam deducatur, quae roborare, seu fulcire significat. Posset itaque vox prior fulcimenta vrit, propriè ossa significans, quae corpus fulciunt: aliquando corpus ipsum, quasi dicas, fultum. Nisi verò & illud intelligamus significare voluisse hac denominatione Hebraeos, quod res est, corpus fulcimentum aequè atque ossa denominari, eò quòd ossa tamdiu firma

CORPVS ossium nomine appellatur, & quare.

B permaneant, quamdiu in corpore sint; ab eo verò separata putredini subijciantur, & in puluerem redigi facillimè possint. Cuius denominationis occurrunt exempla in Genesi: Hoc *nunc os ex ossibus meis*, hoc est, corpus de corpore meo. Et in Threnis, vbi nos legimus: *Rubicundiores ebore antiquo*, sic vertit Pagninus ex Hebraeo, rubuerunt עצם ghatsam corpore prae gemmis, aut rubinis, aut quàm gemmae. Et iterum accedens ad Dauid omnis Israël, dixit: *os tuum sumus, & caro tua.* Vbi R. Dauid ita scribit: Quamquam memorauit carnem cum osse עצם ghatsam, tamen memoratum non est appropriatum ossi tantùm, sed corpori, id est, corpus tuum, & caro tua: & caro memorata capitur etiam pro corpore, & idem geminatur secundum morem scripturae. Qua etiam ratione interpretanda putat eiusmodi alia plura scripturae loca. Quocirca locus etiam Regum sic interpretandus est, vt referat Saulis corpora, combustis de more aromatibus, sepulta quidem fuisse in nemore Iabes. Tandem locum Ieremiae sic legimus in Hebraeo ישרפו לך isrephu lac, comburent tibi, phrasim intellexit Vatablus, adolebunt tibi, inquit, subaudi aromata; magis clarè Clarius: Nam comburent super sunus tuum more Regio aromaticas & odoriferas species, & alia odoramentorum genera. Et planè vox Hebraica לך lac in dandi casum frequenter conuertitur, in accusandi raro aut ferè numquam. Septuaginta interpretes omnem volentes submouere aliter opinandi occasionem, κλαύσονταί σε clausontae se, plorabunt te, scripserunt, vt in Sixtiano emendatissimo codice habetur. Quo verbo totum id quod in curandis Regum funeribus praestari consueuerat, indicatur; haud secus, quàm Latinae vulgatae editionis, *comburent te*: nam sicut Septuaginta plorandi verbo reliqua comprehendi voluerunt; sic etiam Vulgatae auctor, magis tamen Hebraea imitatus, verbo comburendi ea omnia, quae funeribus exhibebantur, significare voluit, haud secus quàm Sanctus Euangelista Ioannes, sepultum, ait dominicum corpus fuisse *cum aromatibus, sicut mos est Hebraeis sepelire.* Illis

OSSA DVM corpori coniuncta sunt fulcimenta dicuntur, ab eo separata non item. *Gen. 2. ℣.23. Thren. 4. ℣.7. Pagnin. in dictionar. 1. Par. 11 ℣.1. Rab. Dauid apud Pagn.*

E igitur omissis, quae veritati minimè consona sunt, integra corpora proprijs sepulcris solita fuisse ab Hebraeis honorificè condiri non dubitamus.

Et quoniam de Regum Hierosolymitanorum sepulcris agendum nobis nunc est, ea plurima fuisse in vrbe, & circa eam constructa, ipsamet historia sacra clarè tradit. Primum, & omnium celeberrimum fuit Dauidis sepulcrum, quod, quoniam & Salomoni filio commune fuit, illius nomine censetur à Dione mox afferendo. Quod sepulcrum in ciuitate, quam sibi habitandam elegerat Dauid, extitisse manifestum est: exstructa namque in ea magnificentissima habitatione, eam ciuitatis partem suo nomine condecorauit, prout haec omnia in libris

DAVIDIS sepulcrum Salomonis quoque dicitur.

bris Regum, ac Paralipomenon testata conspiciuntur. *Habitauit autem*, inquit, *Dauid*. De cuius habitationis Regia sic scribit Iosephus: Ejectis deinde ex arce Iebusaeis, & instauratis Hierosolymis, Rex eam vrbem Dauidis appellauit, ac per omne Regni sui tempus domicilium inibi habuit. Et post pauca: Per idem tempus Iramus legatione in hoc missa, in amicitiam, ac societatem Dauidis est receptus; misitque ei dono materiam cedrinam, & architectos, ac fabros, qui Regiam ei Hierosolymis exaedificarent. Dauid autem superiorem vrbis partem, & arcem in ea conditam in vnum corpus redegit. Haec Iosephus. Iam igitur Regiam, quam sibi viuens delegerat habitandam Dauid, perpetuam quoque sepulcri mansionem fecit, exscindens intra pomerij septa speluncam, & in ea magnificentissimum sepulcrum, quod non tantùm eorum testimonio, qui Hierosolymis nostra tempestate commorati sunt, testatum accepimus; verùm firmiore, & sanctiore sacrae Scripturae. Nam commemoratis gradibus ciuitatis Dauid, mox meminit noster textus sepulcri Dauidis; cùm tamen alibi sic habeat: *Ascenderunt* cantores *in gradibus ciuitatis Dauid in ascensu muri super domum Dauid.*

Ex quorum locorum collatione liquidò constat, eodem prorsus loco domum, & sepulcrum Dauidis situm fuisse, quippe quod intra ipsius Regiae septa includeretur: id quod significare voluisse videntur Septuaginta interpretes, vsque ad hortum sepulcri Dauid, scribentes. Cuius quidem sepulcri structura, opes, ac magnificentia qualis fuerit, vel ex eo maximè conijci posse videtur, quod Iosephus scribit: Sepeliuit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnificè, praeter sollemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis diuitijs, quarum magnitudinem facilè sit coniectare ex hoc, quod dicemus. Nam post annos mille trecentos Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine Pio, Demetrij filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicauimus. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes Rex alia cella aperta, magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen, qui Regum cineres continebant, neuter eorum peruenit: singulari enim arte ita erant sub terram conditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent. Iterum tamen eadem de Hircano referens, plusquam tria millia talentorum pecuniae ablata fuisse commemorat, numeratáque Antiocho trecenta talenta ex eis. Herodis quoque audaciam ac temeritatem inhibitam miraculo fuisse narrat, dum scribit: Herodes multum pecuniarum domi, foristque profundens, audito, quòd Hircanus, qui ante eum regnauerat, recluso Dauidis sepulcro, tria millia talentorum argenti extulisset, superesseque multo plura, quae possent quantumuis magnis sumptibus sufficere, multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc verò noctu apertum sepulcrum ingreditur, cùm priùs accuratè cauisset, ne hoc resciret populus, assumptis tantùm amicorum fidissimis; depositas tamen pecunias non inuenit, sicut Hircanus, sed mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus, ad diligentiùs scrutandum interiùs processit vsque ad conditoria corporum Salomonis, & Dauidis, vbi duos satellites amisit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progressos temerè. Quo casu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum se in aditu sepulcri monumentum è candido marmore condidit sumptuosis impendijs. Eius operis & Nicolaus illius temporis scriptor meminit; sed non item de descensu Regis, praeter decorum id factum existimans, idque more suo fecit: Viui enim Regis haec auribus dedit, captans gratiam, & ea tantùm attingens, quae ad gloriam illius pertinere visa sunt. Haec Iosephus. Quorum fidem penes eundem exquirat prudens lector: nobis enim nulla adhuc occurrere potuit sufficiens ratio, quae sapientissimum Salomonem inducere posset ad sepelienda tot talentorum millia cum mundo pretioso, & aureis ornamentis. Quòd verò ad occultationem Regiorum corporum attinet, id quidem verisimile videtur. Nam ne aliquando loco mouerentur, diligentissimè cauebatur ab antiquis: id quòd maximè videtur absconditis ibidem thesauris repugnare, quorum causa facilè quiuis conijcere posset, mortuorum Regum cineribus minimè mortales parsuros esse. Occultandi autem sepulcri huiusmodi ratio esse potuit: nam cùm in ipso natiuo saxo excideretur ea tempestate sepulcra, facilè conijci potest id praestitum, vel apertis innumeris vijs, quae multitudine ac similitudine in errorem inducerent ingredientes, prout in arenarijs Romanis cryptis vnusquisque experiri poterit: vel quod magis aedificij ratio postulat, occlusis ostijs, adpactis arte eiusdem rationis, colorisque saxis, ita vt nullum apparere posset eius vestigium, commissuris oculos fallentibus. Qua etiam ratione facilè respondetur dubio illi, quod mentem alicuius posset agitare, qua nempe ratione post tot clades vrbi illatas, post tot eius euersiones vsque ad Petri Apostoli tempora eiusmodi sepulcrum perduraverit. Nam idem Apostolus sic ad populum Hierosolymitanum loquutus est: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus; & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Quinimmo & vsque ad Hieronymi tempora perdurasse probatur, eodem sic scribente, Paulae, & Eustochij nomine ad Marcellam. Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare? &c. in Dauid orare mausoleo? Neque verò huiusmodi testimonio, alijsque quamplurimis vsque ad nostra tempora permanere confirmantibus aduersari credendus est Dio Cassius à Xiphilino relatus. Is enim in excursionibus ab Aelio Adriano in Iudaea factis infinitam hominum multitudinem interijsse testatur, ita vt omnis paene Iudaea deserta fuerit. Id eis, inquit, antequam bellum gereretur, fuerat denunciatum ex eo, quòd monumentum Salomonis, quod illi summa reuerentia colunt, sua sponte diuisum corruerat. Haec ille. Quae quidem Dionis verba, nisi apertum mendum contineant, ita accipienda sunt, vt aliqua ex parte corruisse putetur, ita vt ex quamplurimis, in quae diuisum erat, delubris, aliqua sua ponte ea tempestate corruisse credantur. Priscis autem illis hominibus sepulcrum dirutum fuisse malum omen testatur Liuius, id quod Alexander conciso sermone retulit. Hannibali, inquit, cùm ex Italia Africam peteret, sepulcrum diruptum auspicium ferale.

Iam verò de forma huius sepulcri agendum videbatur, nisi priùs examinandum foret, an omnes Hierosolymitani Reges hoc sint tumulati sepulcro. Nam si & alia fuissent Hierosolymis Regum sepulcra, cùm hoc fuisse credatur omnium celeberrimum, & maximum, ex eorum collatione non parum lucis huic nostrae accederet tractationi. De Dauide, Salomone, Roboamo, Abia, Asa, & Iosaphat prioribus Regibus dubitandum non est, eos in Dauidis sepulcro tumulatos, cùm eos omnes in ciuitate Dauid sepultos testetur Scriptura sacra, de pluribus eorum subiungens, *cum patribus suis*. In idem quoque sepulcrum illatus fuit Ioiada Pontifex, cuius rei historiam retexit liber Paralipomenon, rationem pariter reddens, quare tanto honore dignum duxerit eum populus. *Senuit autem*, inquit, *Ioiada plenus dierum, & mortuus est, cùm esset centum triginta annorum. Sepelierunt-*

SEPVLcrum Dauidis quamdiu durauerit. *Act. 2. ℣.29. Hieron. ad Marcell. to. 1. epist. 17.*

Xiphilinus ex Dione in vita Adria.

DIO ASSErens Salomonis sepulcrum Adriani temporibus corruisse, quomodo sit intelligendus. *Tit. Liu. 3. decad. l.10. Alexan. ab Alex. 5. genial. c.13.*

SEPVLcrum dirutum omen antiquis.

AN ALIA fuerint Hierosolymis Regum sepulcra. *3. Reg. c.2. ℣.10. & c. 11. ℣.43. & c. 14. ℣. 31. & c.15. ℣.8. & c.22 ℣. 51. 2. Par. 24. ℣.15. & 16.*

lieruntque eum in ciuitate Dauid cum Regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israël, & cum domo eius.

IDEM POpulus, qui Ioiadam sacerdotem, Regio sepulcro dignum, eodem Reges impios indignos duxit. *Ibid. ℣. 25. 2. Par. 21. ℣. 20. de Ioramo.*

Idemque populus, qui Ioiadam sacerdotem propterea, quòd populum tyrannide Attaliae liberatum legitimo donauerit Rege, Regio dignatus est sepulcro, eodem impios Reges meritò priuauit. Quapropter & in eodem capite de Ioa iniquo Rege, ipsi potissimùm Ioiadae ingrato subditur: *sepelieruntque eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulcris Regum.* Idemque paulò supetiùs dictum fuerat de Ioramo, & de alijs quoque iniquis Regibus alibi subditur. Ex quo liquidò constate videtur, alia quoque fuisse sepulcra in ciuitate Dauid praeter sepulcra Regum: quod qua ratione factum fuisset, conijci facilè potest. Aut enim ingredientibus Dauidis Regium sepulcrum, primo quasi ingressu nobile aliquod receptaculum exstructum fuit, quod Regiae proli excipiendae deseruiret, in cuius postmodum adytis penitioribus Regum corpora conderentur, quod historiae magis videtur consentaneum, & sepulcri schemati mox commemorando: siue etiam in aliquo loco separato exstructum in eadem ciuitate Dauid aliud sepulcrum fuisse credatur excisum, illud quidem similiter in petra: quod facilè intelligi potest, cùm totus ille collis Iebusaei, natiuo ac perpetuo saxo constare cernatur. Quocumque autem modo id accidisse putetur, facilè intelligitur, illud quod de Rege Asa in libris Regum, & Patalipomenon scribitur. Illuc enim: *Et dormiuit*, inquit, *cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid patris sui.* Hic verò: *Et sepelierunt eum*, inquit, *in sepulcro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid.* Nam & intra idem Dauidicum sepulcrum potuisset aliquod aperite delubrum, & introgressus in medium rupis fodere sibi sepulcrum: vel in alio loco sepositio, intra moenia tamen ciuitatis Dauid. quod exigunt illa verba, quae cum cum patribus suis sepultum fuisse testantur. Verùm & alia quoque fuisse Hierosolymis sepulcra Regia, probare videtur locus Paralipomenon, qui sic habet: *Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Ierusalem: neque enim receperunt eum in sepulcra Regum Israël.*

SEPVLcrum aliud Regium in ciuitate Dauid. *3. Reg. 15. ℣. 24. 2. Par. 16. ℣. 14.*

ALIA quoque fuerunt Hierosolymis sepulcra Regia extra ciuitatem Dauid. *2. Par. 28. ℣. 27.*

Quibus verbis aliud fuisse sepulcrum extra ciuitatem Dauid, manifestè probatur, cuius causa forsan ager ille dictus fuit Regalium sepulctorum, in quo Ozias leptosus sepultus fuit. Fuisse autem eum agtum extra ciuitatem, ratio planè probat. Namque cùm ptimùm Ozias, qui alio nomine vocabatur Azarias, leptosus compertus est, eiectus de templo, immo & extra commune ciuium consortium, *habitauit in domo separata plenus lepra.* Qua etiam ratione de eius obitu ac funere ibidem sic scribitur: *Dormiuitque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro Regalium sepulcrorum, eò quòd esset leprosus.* Atque idem referens Iosephus, hoc ipsum, quod nos probare contendimus, manifestè testatur. Et cùm aliquamdiu priuatus extra vrbem vixisset, filio Ioathamo Rempublicam administrante, moerore tandem confectus obijt, anno aetatis sexagesimo octauo, Regni quinquagesimo secundo; sepultusque est in suis hortis in monumento solitario. Quibus valde consonant, quae in glossa habentur: *In agro*, inquit, non in Regalibus sepulcris, non in ciuitate Dauid: indeque probat non minùs, quàm Oziam leprosum, à Catholicorum consortio haereticos separandos esse, atque schismaticos. Illud verò, quod de eodem sub Azariae nomine habetur in libris Regum; nempe sepultum eum fuisse *cum maioribus suis in ciuitate Dauid*, intelligendum est, intra pomeria, vel prope ciuitatem. Consimilem enim verborum phrasim intellexisse

2. Par. 26. ℣. 21. & 23

Iosephus. 9. antiq. c. 11. Glossa super citat. Paral.

HABERETIci à Catholicorum consortio remouendi, vt Ozias leprosus à templo. *4. Reg. 15. ℣. 7.*

IN CIVItate, nonnumquam pro eo, quod est circa ciuitatem, vsurpatur.

videtur vulgatus, qui: *Cùm autem esset*, inquit, *Iosue in agro vrbis Iericho.* In Hebraeo autem habetur: cùm esset in vrbe Hiericho. Neque alia ratione intelligi posset locus, cùm mox subdat: *Iericho autem clausa erat, atque munita timore filiorum Israël, & nullus egredi audebat aut ingredi.* Quocirca Iosue in agro, seu (quod aiunt) territorio Iericho fuisse intelligendus est. Pari ratione Ozias in agro Ierusalem, siue ciuitatis Dauid sepultus fuisse intelligetur. In eodem verò agro, in quo Ozias sepultus est, sepultum quoque crediderim Manassen, & Amon: sic enim scribitur in libro Regum: *Dormiuitque Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suae in horto Oza*, Hebraicè עזא ghuza. De Amon verò ibidem sic: *Sepelieruntque eum in sepulcro suo in horto Oza.* Idem enim Rex Ozias, qui & Azarias Latinis dicitur, עזיהו ghuzijahu, & עזריה ghozariah, & עזא ghuza dicebatur, vocibus, forma, ac significatione paululum, ac ferè nihil immutatis. In qua denominationis varietate immutatos ab eodem Rege mores, & consuetudinem fuisse significatur: felicissimumque Regni initium, miserrimum finem, detestandumque exitum consequutum. Qui enim ptiùs dicebatur vel עזיהו ghuzijahu, voce composita à עזז ghazaz, & יה iah Dei nomine, quam vocem fortitudinem, seu tobur Dei licet vertere: vel dicebatur עזריה ghazarijah à radice עזר ghazar, & eodem Dei nomine composita, quam adiutorium Dei, siue adiutum à Deo licet interpretari: post miserum tamen vitae exitum vocabatur עזא ghuza, à voce forsan עז ghez, quae capram, seu hircum significat, quasi emissum. Semper enim ferè hircus peruersorum est symbolum: sicut & apud Matthaeum videre licet.

Ioſue 5. ℣. 13.

Ioſue 6. ℣. 1.

4. Reg. 21. ℣. 18. & 26.

TRINOmius Ozias quare fuerit.

HIRCVS damnatorum symbolum. *Matth. 25. ℣. 32. & seq.*

Iam verò quòd ad horum sepulcrorum formam spectat, quod memoriae proditum accepimus, id omne subiungam. Et primùm Serlius inter antiqua monumenta commemorat se à Marco Grimano, quondam Aquilciensi Patriarcha, tunc verò S.R.E. Cardinali, accepisse formam cuiusdam antiqui monumenti, quod manu excisum durissimo saxo, in quodam Hietosolymitano monte adhuc exstare cernebatur, in quo, vt ipse arbitrabatur, Regum Hierusalem corpora condebantur. Quoniam verò praedicto Cardinali partium commensuratio memoria excidetat, ideo quadam vsus probabili coniectura, totius fabricae ichnographiam efformauit, iuxta quam singula delubra lata fecit; ita, vt minimùm longitudinem corporis humani capere facilè possint. In qua quidem figura tria ptimùm licet visere receptacula, suis quaeque testudinibus obtecta: mediana verò propter eius nimiam amplitudinem suis aptis pilis in medio dispositis fulciebantur. Erant autem in priore aedificii parte delubra quattuor, in media decem & octo, in interiore duo tantùm. Cuius medio ex aduerso ingredientium porta quaedam clausa apparet, quae aditum olim in interiores cryptas apetuisse creditur, in quibus Dauidis, & Salomonis corpora condebantur, prout omnia ex allatis Iosephi testimoniis constare facilè poterunt. De aliis verò sepulcris Regum, quae in horto Oza exstitisse diximus, sic scribit Ioannes Zuallardus, in libro, quem Italica lingua Romae edidit de peregrinatione Hierosolymitana. Quod ad sepulcra Regum Iudae, de quibus suprà meminimus, attinet, antiqua sunt in monte Sion, partim verò prope portam Ephraim extra ciuitatem. Horum autem ingressus difficilis est; intra quandam enim vineam foramen quoddam est, quo patet introitus, vix hominem capiens. Intrinsecus autem exstat satis magnum,

Seb. Serl. lib. 3. de architect.

SEPVLCRI Dauidici forma.

DE SEPVLcrorum Regiorum forma, dignitate, ac capacitate. *Ioan. Zuall de viaggio Hieruſ. lib. 4. in fin.*

magnum, sumptuosumque aedificium, quadrato schemate, monachorum peristilijs, quae vocant *claustra*, persimile. Octo & quadraginta cellulae in eo visuntur, in quibus totidem sunt pulcherrima sepulcra, varijs sculpturis ornata. testudinatum opus, excisumque candido natiuoque saxo, alabastro persimili. Valuae autem cellarum singulae dimidij pedis, & eò amplius crassitudine ex eodem perpetuo saxo, non aliunde adducto excisae, prout ex cardinibus, quibus voluuntur, conijcere licet. Opus verè singulare, magna industria, admirabile visu, dignumque Regijs sepulcris. Neque verò crediderim huic simile, aut vetustius toto orbe terrarum reperiri posse. Haec ille.

Quibus plenam habemus fidem vel propterea maximè, quòd singularis amici nostri Doctoris Dominici Danesij Politiani, quem ille peregrinationis socium, scripturae ducem feliciter sortitus est, testimonio nobis maximè confirmantur. Illud tamen annotare non piget, quod horum sepulcrorum situm confirmare videtur, nempe à Iosepho speluncas Regias ea vocari, propter rationes initio huius disputationis à nobis allatas. Is enim tertium murum describens ad Septemtrionem, ad turrim Psephinam eum venisse tradit, contra monumentum Helenae, quae Adiabenorum Regina fuerat, Izatae Regis filia, & per speluncas ἀπηλαίων spilaeon Regias in longum ductus, &c. Quibus verbis perspicuè tradere videtur, in media regione aquilonari vrbis inferioris ex aduerso muri tertij exstructa fuisse Regia sepulcra in petra excisa: id enim propriè significare videtur vox Graeca. Sed de sepulcris hactenus.

Dominicus Danes.

Ioseph. 6. belli c.6.

DE VICIS BETHSVR, ET CEILAE, & de domo fortium.

Cap. XVII.

XVI.

POST eum aedificauit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiae partis vici Bethsur vsque contra sepulcrum Dauid, & vsque ad piscinam, quae grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium. Quoniam de Dauidis sepulcro, ac piscina satis dictum est; nunc, quòd ad aedificatores spectat, agendum videtur. Et quidem primùm post Sellum instaurasse dicitur Nehemias: qui quamuis idem prorsus nomen obtineat ac Nehemias libri, quem interpretamur, scriptor; longè tamen ab eo diuersus est. Hic enim filius *Helciae* dicitur: ille verò *filius Azboc*, qui *princeps* fuisse dicitur *dimidiae partis vici Bethsur* בית-צור bethsur, quam eandem esse arbitrantur vocem Bethsot, vtpote eisdem litteris scriptam; eamque domum rupis, vel fortitudinis, siue domum plasmationis, aut domum obsidionis, vel vinculi interpretantur. Quae omnes interpretationes ex multiplici significatione vocis צור tsur deducuntur. Quae verò ad huius loci rationem magis conuenire videtur, ea est, qua petram significat: & quia petra firma esse solet, propterea firmitatem denotat: siue contrà, quia firmitatem, ideo petram significat. Iuxta quam agnominationem perpulcrae intelligentiae locorum sacrae Scripturae facilè eruuntur, vt videre est apud Iob, dicente ad eum Baldad: *Numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur* צור tsur *rupes de loco suo*? Rabbi Dauid sic exponit: Num *propter te* (id est, propter iram, & indignationem tuam) *derelinquetur terra* (id est, iudicium terrae) & transferetur Deus è loco suo, hoc est, è loco iudicij sui? Quae interpretatio maximè probatur ingenioso viro Didaco à Stunica, quatenus Deum petrae nomine intelligendum tradit; quoniam frequentiùs multo tsur Deum, quam veram rupem significat in sactis litteris. Cuius rei non pauca adducit testimonia, & exempla; sensumque huiusmodi ex praedictis verbis elicit, quasi Baldad Iobum reprehendat, quod non aliam speraret à Deo huic vitae requiem, quàm sepulcri. *Numquid*, inquit, *propter te*, exemplo tui, qui à Deo derelictus, spem omnem abiecisti, *derelinquetur terra* à sanctis, & pijs viris, & transferetur petra de loco suo? quoniam non ampliùs illis petra refugium, auxilium, & securitas futura sunt: quasi dicat. Quid abijcis spem tuam, quam in Deo tutissimam ponere debuisses? numquid terra desinet esse viuentium habitatio, vel petra desinet esse firma? Sicut enim haec impossibilia sunt; sic etiam impossibile omnino est, Deum non esse firmissimum tutamen ae refugium, omnium sperantium in se.

Iob 18. ℣. 4.

R. Dauid in lib. radic.

Did. Stunica in Iob.

PETRA frequenter Dei symbolum.

Iuxta quam notionem domus petrae vocati potuisset vicus ille Hierusalem; propterea quòd firmissimae atei Dauidis in solidissima, ac celsissima rupe exstructae proximus esset, eiusque praesidio defenderetur. Eius porro vici princeps Nehemias tandem *vsque ad domum fortium* aedificasse dicitur. Septuaginta ipsam Hebraeam vocem reddere voluisse videntur: Bethangarim enim in aliquibus codicibus legimus: alij verò codices ἀγαβαεὶμ agabarim, magis accedentes ad Hebraea, legunt. Complutensis verò εἰκὼ τῶν δυνατῶν icu ton dynaton domum praepotentium, seu fortium, iuxta Hebraica legit, quae sequitur vulgata nostra Latina; Hebraicè הגברים haggibborim, quae vox heroas significat, viros heroicos, gigantes, praepotentes, praeualidos; eos nempe, qui alios excellunt virtute, potentia, robore, vel auctoritate. Sic in Genesi: *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt* הגברים haggibborim heroës, *potentes à saeculo, viri famosi*, viri nominis vertunt ex Hebraeo nonnulli, hoc est, nominati, qui in omnium oculis, & ore versantur.

VICVS Bethsur sic dictus, quia arci proximus, ab eaque tutus.

DOMVS fortium, quae sit, & qui fortes dicantur.

Gen. 6. ℣. 4.

Quoniam autem nusquam aliàs, quod sciam, huius domus fit mentio (quamuis ex ordine aedificantium, quem sequimur, constet, eam in australi latere ciuitatis Dauid exstructam fuisse) quare sic diceretur, coniectura potiùs, quàm ratione aliqua firma statuendum est. Fortium dictam putarunt aliqui, eò quòd domus esset emeritorum militum, in qua nempe fortissimi quique milites senio, ac longa belli exercitatione confecti, publicis sumptibus alerentur. dignum sanè Dauidica, ac Salomonica prudentia institutum. Siue etiam domus fortium dicebatur, eò quòd habitarent in ea Dauidis fortes, quos recenset historia Regum. Vel fortium domus dicitur propterea, quòd in ea Hierosolymitana iuuentus militaribus exercitationibus assueseeret, in quibus vires suas vnusquisque periclitaretur, & augeret, fortiumque meritò diceretur, quòd ea domus fortes recipe-

EMERITORUM militum domus.

2. Reg. 23. ℣. 8.

NEHEMIAS nomine idem, re diuersus ab alio aedificat. *Nehem. 1. ℣. 1.*

Collectanea nominum Hebraic. in Regijs bibliis.

PETRA pro firmitate, aut rupe.

ret, eosque honoribus ac muneribus alliceret, ignauos ac debiles arceret, eosque maximo dedecore, atque ignominia afficeret. Quarum interpretationum posteriorem sequitur Hugo. Vtramque duplici verbo significauit Dionysius ex Lirano. *Domus*, inquit, *fortium*, in qua sortes Regis Dauid, seu agonistae solebant manere. Illud verò addit: non inquit, quòd domus illa adhuc stetit (staret, potiùs legendum) sed vsque ad locum, vbi aliquando stabat, porrigebatur aedificatio huius. Haec ille. Nec tamen video, cur domus haec cum alijs quamplurimis exstare non potuerit vsque ad instaurationem Nehemiae.

Hugo Card.
Dion. Carth.

Illud tamen defendi nulla ratione potest, quod Adamus Reisnerus de hac domo tradit, nempe domum hanc dictam Mello, quòd sortibus inibi habitantibus Dauid, cibaria, vestes, ac munera in magna copia mitterentur, & quasi in completa magnitudine; ac propterea dictam esse ciuitatem Mello, hoc est, plenitudinem, מלא pliroma, abundantiam, copiam, satietatem. Verùm quoniam is sacrae Scripturae testimonia, quae ad ea probanda adducit, suo more aliter citat, quàm habeantur in vulgata nostra lectione, eaque perperam interpetatur, ideo audiendus minimè est, quoniam verum eorundem testimoniorum sensum longè aliter se habere suprà ostendimus.

Adamus Reisn. lib. 2. Ieroſol. c. 7.

Sup. lib. 2. vrb. cap. 8.

Quapropter quae mihi probatur sententia, ea est, quae affirmat, domum hanc fortium dici, quòd ea esset propria habitatio illorum sexaginta fortium, quorum meminit Canticorum liber, sic scribens: *En lectulum Salomonis sexaginta ex fortibus Israël circumdant eum.* Quae verba sic scribens: *En lectulum Salomonis sexaginta fortium ambiunt ex* גבורי migibbore *fortissimis Israël.* Qui profectò tum ad tutelam, tum ad pompam excubias Salomoni obseruasse credendi sunt: in quo assistentes Deo angelos imitari voluisse videntur, iuxta illud, quod habetur in psalmo: *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius*, qui adstatis Regi saeculorum, *ad audiendam vocem sermonum eius*, quemadmodum principum ministri adstant dominis suis, quamcumque dominicae voluntatis vel minimam significationem exspectantes, vt ea accepta, mox in omnibus obsequantur.

DOMVS fortium Salomonis, quare dicatur.

Cant. 3. ℣. 7.

Psal. 102. ℣. 20.

XVII. *Post eum aedificauerunt Leuitae, Rehum filius Benni.* Leuitas aedificasse dicit, non quidem alios praeter eos, qui sequuntur, sed ijdem ipsi, nempe Rehum, & Hasebias. *Post eum aedificauit Hasebias, princeps dimidiae partis vici Ceilae in vico suo*, קעילה cheghilah. Fuit autem sic denominata ciuitas quaedam tribus Iudae, vt videre licet in historia Iosue, quam insigni atque insperata victoria de Philistaeis à Dauide parta, celebrem fuisse accepimus in historia Regum. Quapropter mirandum non est, si eius facti memoriam perpetuis futuris saeculis manere volens Dauid, vicum quendam vrbis, quam ipse primus condidit in monte Sion, Ceilae nomine insigniuerit, quem in duas partes diuisum tenuerunt eius principes *Hasebias*, & *Bauai*.

VICVS Ceilae.

Iosue 15. ℣. 44.

1. Reg. 23.

XVIII. *Post eum aedificauerunt fratres eorum Bauai filius Enadad princeps dimidiae partis Ceilae.* Fratres dicuntur origine, & ministerio, non cognatione; quemadmodum & initió huius capitis Eliasib aedificasse dicitur, *& fratres eius sacerdotes*, hoc est, originem à primo gentis sacerdote ducentes, eiusque muneris officio fungentes. Pari quoque ratione *Bauai* & *Azer* fratres dicuntur Rehumi, & Hasebiae, hoc est, Leuitae; non tamen ab eodem patre geniti, cùm Bauai Henadadi, & Azer Iosue filij dicantur: illi contrà: nam Rehumi pater Benni dicitur, Hasebiae verò reticetur.

ORIGINE, aut ministerio coniuncti meritò fratres dicuntur.

QVID SIT MENSVRA SECVNDA, ET ASCENSVS *firmissimi anguli, ac de domo Eliasibi sacerdotis magni.* *Cap. XVIII.*

XIX. MENSVRA secunda dicitur, quae dupla est.

ET *aedificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha mensuram secundam contra ascensum firmissimi anguli.* Hebraicè מדה שנית midah senith, mensuram secundam. Deducitur autem ea vox, quam *secundam*, vertit Vulgatus, à verbo שנה sanah, quod mutare, commutare, aut iterare significat. Ex quo nomine deducitur, significans secundum, vtrumque, duplum. Prioris significationis exemplum est in Genesi, dicente ad Noë Domino שנים senaijm, duo: *Bina de omnibus ingredientur* in arcam. In secunda notione reperitur in Exodo: *Ad deos* iudices praepositos שניהם senehem, amborum ipsorum *vtriusque causa*, negotium, lis *perueniet*. Et in Genesi: *Iccirco vocatus est locus ille Betsabee*, hoc est, domus, septum, propter totidem agnas, super quibus firmatum est iuramentum, quia ibi שניהם senehem ambo ipsi, *vterque ipsorum* iurauit. Duplum verò significat ea vox in Deuteronomio: ibi enim cùm leges futuri Regis praescriberet Dominus, subdit: *Postquam autem sederit in solio Regni sui, describet sibi* את משנה התורה & mischneh hattorah, duplum *deuteronomium legis huius*, hoc est, duplicem legem, duplex legis exemplar: alterum secum asseruandum; alterum in archiuijs, prout locum interpretatur R. Dauid. Alij inquit, exponunt secundam legem, aut iteratam, δεύτερονόμιον deuteronomion. Sic etiam apud Ieremiam. Et reddam primùm משנה mischneh *duplices iniquitates, & peccata eorum*, hoc est, duplum iniquitatis, & peccati eorum. Iuxta quam vocis notionem singulas muri partes, in quas primùm diuisus fuerat instaurandus murus, singulis aedificatoribus obtigisse, credendum est, Azerum eiusmodi mensurae duplum aedificasse. Et sanè cùm probabili coniectura existimemus, mensuram vnam dici spacium muri, quod inter duas interiacet turres, quod Hispani vocamus, vna cortina del muro, quotiescumque mensuram secundam, vel iteratam quisque aedificasse dicitur, nos duplam interpretantes, duo muri spacia inter tres turres comprehensa eidem assignamus aedificata; totidemque aedificasse credimus Azerum: vel quia minore impendio instaurari possent, vtpote minùs à Chaldaeis euersa, vel (quod magis crediderim) propter Azeri diuitiarum copiam, ac liberam, seu potiùs liberalem aedificandi voluntatem. Quod & significare videtur textus, eum principem Maspha fuisse testatus. Quem vicum Hierosolymitanum intelligendum arbitramur, ac iuxta reliquorum morem pro dimidia sui parte Azeri fuisse conijcimus, cùm

Gen. 6. ℣. 20.

Exod. 22. ℣. 9.

Gen. 21. ℣. 31.

Deut. 17. ℣. 18.

DEVTERONOMIVM secunda lex dicitur.

Rab. Dauid in lib. radic.

eius

eius quoque princeps dicatur fuisse *Sellum*, prout suprà vidimus; vbi etiam, quare sic dictus fuerit vicus, ostendimus.

Sup. c. 15. huius.

QVIS DICATUR ascensus firmissimi anguli.

Ascensum verò *firmissimi anguli* tribus vocibus expressit Hebraeus, עלת המשק המקצע ghaloth hanesech hamichetsoagh, quorum prior à radice עלה ghalah deducta videtur, quae ascendere propriè, phrasique Hebraea significat id, quod eminet, aut alijs praestat, vt alias etiam notauimus. Inde deducitur nomen עליון ghilion, excelsum, seu altissimum significans; Deoque frequenter tribuitur, vt in Genesi: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Et in psalmo: *Et intonuit de caelo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam*. Iuxta quam notionem interpretatus videtur vocem ghaloth vulgatus, Septuaginta interpretes imitatus, qui turrim ascensus legunt, hoc est, celsissimam turrim, & quae reliquis omnibus emineret: quod non de loci, in quo erat, celsitudine intelligendum est, sed de aedificij altitudine. Nam cùm mox post Azer aedificatorem huius turris aedificasse dicatur in monte Baruchus, necessariò intelligendum videtur, turrim hanc in valle exstructam fuisse; verùm tanta aedificij altitudine, quae celsiores montis turres facilè superaret. quod ex testimonio Taciti suprà à nobis allato confirmari etiam posset. Atque huius rei gratia nomen, quasi proprium huius turris fuit עלת ghaloth ascensus, quam vocem altitudinem, vt dixi, possemus reddere.

Gen. 14. ℣. 18. Psal. 17. ℣. 14.

ASCENsus, siue ascendens celsissimam turrim significat.

Corn. Tacit. l. 21. annal.

Secunda verò vox à verbo נשק nasach, deducta videtur, quod osculari propriè significat: quoniam verò osculantes ore occurrunt, ideo occursum quoque significare nonnumquam solet. Ex qua verbi huius duplici acceptione orta est multiplex illa psalmi interpretatio: Nam in Hebraeo habetur נשקו בר nassechu bar, Septuaginta: Apprehendite disciplinam. Hieronymus: purè. Rab. Abraham filium intelligit Messiam, hoc est, Christum, cui dictum fuisse arbitratur, *filius meus es tu*. Et consuetudo, ait, gentium obtinuit, vt ponant manum suam sub manu Regis fratres, sicut fecisse legimus fratres Salomonis: at seruorum mos est, vt ponant manum suam sub femore domini sui, vel vt osculentur Regem. & haec consuetudo est vsque ad hanc diem in Aethiopia. R. verò Dauid eodem modo interpretatur. Osculamini, inquit, hunc filium, cui Deus dixit, filius meus es tu: quemadmodum seruus osculatur manum domini sui. Porro iuxta hanc quidem vocis notionem interpretari videntur nostrum textum Septuaginta, qui mensuram secundam turris ascensionis contingentis angulum, legunt. Est tamen eius vocis longè diuersa notio; significat enim armorum omne genus: defensiua potissimùm, quae ex pluribus partibus constant, vt facilè humano corpori aptentur; partes verò sibi inuicem occurrunt, & firmissimè connectuntur, ne per medium earum hostili ferro pateat aditus. Quam quidem armaturae vim exprimere voluisse videtur Dominus de Behemot ad Iobum loquens, sic enim ait: *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* neque defensiua tantum arma, verùm etiam alia omnia significat apud eundem Iobum ea vox, dicente etiam Domino, dum equi fortitudinem, & generositatem describit: *In occursum pergit armatis* נשק nesech armorum, se abalança por las picas, verteret Hispana phrasis: iuxta quam vocis notionem, ascensum armaturae, vel armorum angulo legit ex Hebraeo Regius codex. ascensum armamentarij angularis, Vatablus.

Rab. Dauid in comment.

EADEM voce arma significant.

Iob 41. ℣. 6. & 7.

Iob 39. ℣. 21.

Vatabl. TVRRIS armorum dicebatur haec, quae armamentarium Dauidis fuerat. *Isai. 22. ℣. 8.*

Quapropter eam turrim armamentarium olim Dauidis fuisse facilè conijci potest, quod transtulit postmodum Salomon in domum saltus Libani, vtpote domui suae magis propinquam. Et huius armamentarij meminit Isaias: *Et videbis*, inquit, *in die illa* אל נשק el nesech ad arma, *armamentarium domus saltus*. Cuius vocis vim expressisse videtur vulgatus; firmissimum eum angulum vocans, quia arma roboris ac firmitatis symbola aedificio turris adscripta eam firmissimam fuisse significant; & qua armati milites tueri se facilè possent.

Tertia verò vox significat iuxta R. Dauidis sententiam angulum, in quo scilicet absciditur superficies, & desinit, cuius sunt plurima exempla in sacris, de quibus paulò inferiùs agemus. Erit ergo turris haec celsa in angulo quidem, quem inibi constituit murus, constituta, celsissima & firma. quoniam autem contra eam aedificasse dicitur Azer, eam exstantem à muro fuisse, quales in angulis murorum maximo vsui esse solent, credimus, vtpote quae vtriusque muri ad angulum conuenientis faciem intueri, constituti milites & speculari, & tueri facilè possent. Eius formam facilè quis in nostra descriptione poterit contemplari; binaque muri spacia circa praedictam turrim ab Azero exstructa fuisse intelliget.

XX. DOMVS Eliasib in monte exstructa.

Post eum in monte aedificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam ab angulo usque ad domum Eliasib sacerdotis magni. Hunc locum diuersa ratione conuertit ex Hebraeo Regius codex. Post eum, inquit, ascendit & se roborauit Baruch, siue excandescens instaurauit. Quod propterea factum fuisse arbitramur, quod vox ההרה heherah, quae habetur in Hebraeo, vel à radice הרר harar, ex qua montis nomen desumitur, deduci potest, vel à verbo הרה harah, quod concipere significat. Quapropter iuxta priorem sensum magis videtur cohaerere, quod vertit vulgatus *in monte*; id quod ipsa, quae hodie exstat Hierosolymis montis dispositio, facilè probat, sic intelligendum esse, cùm, vt suprà annotauimus, monticulus quidam, seu collis in angulo orientali, & meridiano montis Sion intumescebat, super quo domus Eliasibi exstructa fuerat. At verò, qui Hebraea sequuntur, verbum in secunda notione interpretantes, patriae suae zelum, quo incitatus fuit ad strenuè laborandum in aedificatione muri, concepisse mente Baruchum, significare voluerunt eiusmodi interpretationibus. Quapropter & duplicem mensuram, hoc est, bina muri spacia aedificasse dicitur *ab angulo*, hoc est, ab eo spacio, quod angulum contingebat, quod, vt paulò superiùs dixi, aedificatum ab Azero fuerat, *vsque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni*. Quibus verbis perspicuè testatum accepimus, portam domus Eliasib ab angulo fortissimae turris sexcentis cubitis, hoc est, ternis muri spacijs minimum separatam fuisse.

PORTAE in angulis quare non exstruantur.

Et quoniam portae, vel ostij domus primùm meminit, ac mox totius domus in sequenti versu: portam verò in angulo apertam fuisse ratio ipsa structurae prohibet, quae angulos omnes tamquam animalis ossa firmissima, atque integra manere suadet: iccirco portam in medio occidentali domus latere apertam fuisse conijcimus, ad quam peruenisse dicitur murus à Barucho aedificatus, cùm primùm ad eam muri partem peruenit, quae

angulo

angulo primo domus obiecta etat. Quod si vim vocis פתח petach, quam portam meritò vertit vulgatus, attentiùs consideres, ea quidem primacua institutione significat aperturam: atque ideo frequenter tum pro apertura ostij, domus, vel vrbis, vel cubiculi; tum etiam pro oris apertura accipitur. Sic in Prouerbijs: *Aperientur labia mea, vt recta praedicent*. Ex Hebraeo Forsterus sic vertit: Apertio labiorum meorum rectitudines. Inde etiam factum est, vt iterum in Prouerbijs codices Latini varient: aliqui enim legunt, *qui exaltat* os, alij *ostium suum*, *quaerit ruinam*. Nec dubium, quin vtraque lectio in idem recidat: exemplo enim ostij praecelsi, minitantis ruinam, similem minitari os exaltatum intelligimus. Posset tamen petach etiam significare aperturam domus, qua separatur à proxima. Mos enim olim obtinuit, vt domus à domibus intercedente pedali apertura separaretur: cuius rei exempla nonnulla Romae visuntur sub Capitolio, atque etiam prope templum S. Clementis. Quare apertura domus pro eodem vsurpabitur, atque principio, vel fine domus. Nec mirum, si pari quoque ratione apertura domus intelligatur praeallato Prouerbiorum loco pro ipsa domo, & sensus sit, *qui exaltat* aperturam suam, hoc est, domum suam à proximis separatam, *quaerit ruinam*.

Prouer. 8. ℣. 6 Forsterus.

Prou. 17. ℣. 19. ORIS exaltationem ruina consequitur.

XXI. *Post eum aedificauit Merimuth filius Vriae filij Haccus mensuram secundam à porta* מפתח mipetach, ab apertura *domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib*. Magnificentissimis quidem palatijs, domibusque quamplurimis, Regia dignitate & structura Hierosolymis fuisse, diuersis Iosephi, & aliorum historijs accepimus; idque ratione comprobari facilè posse non dubito, cùm totius architecturae primum ac maximum exemplar assiduè contemplari liceret, ac potentissimos suos Reges, Dauidem, Salomonem, atque alios exstruendis magnificis aedificijs maximè delectatos, prout etiam in sacris litteris testatum accepimus. Est autem omnibus inferioribus quasi à natura inditum, Regis, ac ducis sui imitari studia, aemulari conatus. Quocirca & plura palatia, aulasque Regijs non absimiles Hierosolymae, cùm ipsa floruit, exstructas fuisse non est dubitandum. In reditu verò Babylonicae captiuitatis quamuis plurima ex antiquis aedificijs permanerent, prout mox videbimus; tamen denuo etiam insignem hanc Eliasibi sacerdotis magni, cuius initio huius capitis meminit, domum exstructam fuisse duplici huius textus argumento comprobari facilè potest. Primum est, aedificatam eam in monte, qui hodie quoque Hierosolymis visitur, valli Hennon imminente, vnde & domui non parum dignitatis accesserat; tum quòd vrbi ipsi, ac valli conspicua esset; tum vel maximè, quòd iucundissimo prospectu hinc vrbis ac templi; inde verò hortorum, & amoenissimae vallis incolas suos reficeret ac recrearet. Secundum argumentum est, quo palatij magnitudo probatur: *mensuram* enim *secundam*, hoc est, duplam, prout interpretati sumus, aedificasse dicitur Merimuth, hoc est, quadringentos minimùm cubitos, qui omnes domui Eliasib obiecti erant, faciem meridianam domus tantumodo prospectantes. Quae quàm magna mensura sit, sequenti parte constabit. Sed iam ad vlteriora progrediamur.

MENSVRA secunda quot cubitos contineat.

QVI SINT SACERDOTES DE *campestribus Iordanis, deque flexura, & angulo.* *Cap. XIX.*

ET *post eum aedificauerunt sacerdotes, viri de campestribus Iordanis*, sicut suprà Leuitas aedificasse tradidit. Ac propterea nos deinceps enumeratos omnes aedificatores de genere fuisse Leuitico intelligimus, ita vt nunc post Leuitas aedificasse tamen commemoret sacerdotes, non diuersos ab ijs, quos mox recensebit. Assignat autem duas sacerdotum classes: alios enim ex campestribus Iordanis originem duxisse significat: non enim in ea regione habitasse credendum est, cùm proprias domos Hierosolymis incoluisse dicantur, & contra eas murum aedificasse. Alios verò sacerdotes deinde commemorat, quibus cùm nullam aliam assignet regionem, Hierosolymam natiuum fuisse solum conijci potest, vel propterea maximè, quòd propria circa templum ministeria exercuisse dicantur, vt mox videbimus. Illud autem, *viri de campestribus Iordanis*, in Hebraeo sic legitur, אנשי הככר anse hachichar, quam vocem intactam reliquere Septuaginta interpretes, ἄνδρες ἐκ περιχώρου andres eccherar scribentes, hoc est, homines chechar. Quae quidem Hebraea vox planitiem, regionem planam inter alia propriè significat.

XXII.

SACERdotes de campestribus Iordanis quare dicantur.

CAMPESTria Iordanis, quae dicantur.

Quoniam verò in omni Palaestina, quae regio erat montosa, erat regio circa Iordanem plana; ideo ea regio hoc nomen quasi proprium sibi vindicauit. Nam in Genesi cùm iurgium vitare conaretur Abrahamus, inter se & Lot fratrem suum, data illi optione eligendi, quamcumque circumcirca regionem, quam ipse libenter ei cederet, subditur: *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem* כל ככר col chiccar, omnem planitiem posses vetere cum Chaldaeo paraphraste; quae etiam verba ibi saepius repetuntur. Iterum verò eius vocis notionem innuere videtur angelus, ad Lot de Sodomis eductum, dicens: *Ne stes* בכל הככר becol hachichar, in omni planitie, sicut etiam vertit Chaldaeus: *in omni circa regione, sed in monte saluum te fac*. Vbi opponere voluisse videtur montem regioni illi planae. Et de his quidem campestribus Iordanis, ac de ipso fluuio sic scribit Adrichomius. Vniuersa verò Iordanis longitudo, qua ab ortu suo sub monte Libano, vsque ad defertum Pharan se exstendit, centum circiter milliaria conficit, qui toto hoc decursu ex vtraque sui parte latis, amoenis, argillosis, & vberrimis campis cingitur; illique vtrimque multis, & altissimis montibus sibi inuicem succedentibus, & cohaerentibus circumdatur. Atque his quidem Iordanis campestribus, quae ab Hebraeis Hieronymi aetate Aulon vocabantur, nobiles visebantur vrbes, Tiberias, Scythopolis, Salem, Iericho, & aliae multae. Sed & innumeri hic erant pagi, prata virentia, peramoena praedia, horti, arundineta, carecta, arbusta, & sal-

Gen. 13. ℣. 10.

PLANITies ea regio dicitur.

Gen. 19. ℣. 17.

Adrichom. in theat. terrae sanctae Neph. n. 59

REGIONIS circa Iordanem magnitudo, & vbertas.

& saltus, in quibus morabantur leones, timidi damae, ceruique fugaces: denique omne ferarum genus. Hactenus ille. Et quidem huius regionis, quae omnibus naturae humanae praesidijs, ornamentis & oblectamentis abundabat, meminit Nehemias, indeque oriundos sequentes sacerdotes aedificasse.

XXIII. *Post eum*, Merimuth, quem suprà commemorauerat; est enim ea repetitio eius, quod priùs dixerat. *Post eum aedificauit Beniamin, & Hasub contra domum suam: Et post eum aedificauit Azarias filius Maasiae filij Ananiae contra domum suam.* Inter domum Eliasibi summi sacerdotis, & templum habitasse tradit sacerdotes; siquidem eos contra domos suas aedificasse refert, & bina quidem B spacia muri tribus sacerdotibus assignare videtur, binis vnum: nisi textus prior pars distributiuè sit interpretanda, quasi sensus sit, aedificasse quidem Beniaminum, & Hasubum, vnumquemque contra domum suam singula spacia, quod magis probo: quoniam distributioni turrium, & montis dispositioni magis videtur conuenire, vt intuenti descriptionem nostram liquidò constare poterit.

INTER domum summi sacerdotis, ac templum habitant reliqui sacerdotes.

XXIIII. *Post eum aedificauit Bennui, filius Henadad mensuram secundam à domo Azariae vsque ad flexuram, & vsque ad angulum.* Hebraicè עד המקצוע ועד הפנה ghad hamichtsogha veghad happinnah, ad verbum conuertitur à vulgato, *vsque ad flexuram, & vsque ad angulum.* Binae hoc loco C facies, quas licet in qualibet muri flexura considerare, duplici voce significantur. Nam si murus rectà tendens aliò directus reflectebat, fit angulus exterior, & interior, absque dubio Hebraeis dictus מקצע michtsoagh, exterior verò פנה pinna. Quare verò sic dicantur, non facilè statuitur: prior enim vox ab ea radice deducitur, quae abscindere significat. R. Dauid propterea recessum sic vocari putat, quòd in eo velut abscindatur superficies, & desinat. Immo verò si abscissio dicendus est murorum recessus, propterea sic dictum putarim, quod vtriusque muri vtraque superficies ad eandem lineam terminata, ibi videatur abscindi, & ne vlteriùs progrediatur, impediri. Exterior au- D tem anguli acies פנה pinnah dicitur, cuius vocis radix aliquibus est sine vllo etymo פנן panan, pluribus verò est פנה panah, quae prospicere significat; sicque dictum angulum putant, quod prostet, ac diuersa loca prospiciat. Eam vocem vsurpauit Latinus ad significandas auium pennas, qua voce Cicero pinnatum cupidinem, & pinnatam caudam dixit, siue etiam piscium quasi pennas. Plinius: Pinnis, quibus in mari vtuntur, inquit, humi quoque vice pedum serpunt. Verùm non eam significationem ex Hebraeo mutuati sunt; sed illam tantùm, quae murorum exstantes, siue etiam vallorum acutas summitates significat. Prioris E exemplum apud Liuium exstat: Muri pinnae aliquot locis decussae. Posterioris apud Virgilium:

---- Primasque, inquit, *in litore sedes*
Castrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.

Et Lucanum:

---- à summis perduxit ad aequora castris
Longum Caesar opus, fonteſque, & pabula campi
Amplexus fossa, denſas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque exstruxit brachia terrae.

Verùm vtriusque Hebraicae vocis mentio fit in libro Paralipomenon, vbi sic habetur: *Aedificauitque Ozias turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas.* Cuius loci attenta consideratio non parum lucis afferre posse videtur quamplurimis eorum, qui pertractati à nobis iam sunt. Hebraicè sic habetur: על שער הפנה ועל שער הגיא ועל המקצוע ghal saghar hapinnah veghal saghar hagai veghal hamichtsoagh. Quae ad verbum sic vertit Regius codex: super portam Anguli, & super portam Vallis, & super angulum. Septuaginta verò & super angulos reddunt. Verùm cùm portam Anguli portam *pinnae* vocet textus, eam exstantem, & prominentem intelligimus in angulo Aquilonis, & Occidentis, Angulique dici eam portam cognoscimus, quòd egredientibus vrbem duplici quasi facie prospectans occurreret. Tandem vsque ad angulum aedificasse dicitur. Habetur autem ibi vox michtsoagh, recessus nempe, & sinus. Quoniam verò eadem quoque vox suprà lecta fuit, vbi, *ascensum firmissimi anguli* conuertit vulgatus, eam turrim in recessu muri exstructam fuisse intelligendum est, prout in nostra descriptione clarè patet. Porro, quia celeberrima ea turris fuit, ideo recessus nomine ea intelligenda videtur; atque adeo ab Ozia totum murum occidentalem vrbis vnà cum parte meridiani turribus exstructis munitum fuisse cognoscimus.

QVEM murum aedificauerit Qzias.

PORTA Anguli quare dicatur.

Iam verò quoniam perspicuum est, quid flexurae, quid anguli nomine significetur; ad nostri textus interpretationem accedamus. Ac primùm quàm accuratè sacer historicus murum, ac singulas eius partes describat, perpendat lector oportet. Nam cùm natatoria Siloë in ipso orientali latere montis Sion excauata fuerit; montis dispositionem sequutus murus, necessariò debuit ad interiora reflecti, tribus ad minimum angulis constitutis: ex quibus bini extremi recessus, medius verò aciem versus vrbem conuertit; eorumque omnium meminit textus, *flexuram, angulum, flexuram* commemorans, prout ex allatis, & capite sequenti afferendis intelligitur, & omnia in descriptione nostra planè conspiciuntur.

EXACTE murum, ac singulas eius partes percenset sacer historicus.

FLEXVRA muri ab Hebraeis dicitur michtsoagh, hoc est, abscissio, propterea quòd vtraque superficies ad eam abscindi videatur.

ANGVLI acies pinna dicitur, eò quòd in diuersa prospiciat.

Cic. 3. de Nat. & in 2. Tusc.
Plin. lib. 9. c. 13 & 37.
LATINAE vocis pinnae variae acceptiones.
Tit. Liu. 10.
bell. Maced.
Virgil. 7. Aeneid.
Lucan. lib. 3.
2. Par. 26. v. 9.

DE TVRRIBVS REGIAE SALOMONIS, *deque platea, & porta Aquarum.* *Cap. XX.*

XXV. PHALEL *filius Ozi contra flexuram, & turrim, quae eminet de domo Regis excelsa, id est, in atrio carceris.* Cùm murus orientalis montis Sion à rectitudine, vt dixi, deflecteret, primùm flexuram constituit, in medio angulum, ac tandem vt ad prioris partis rectitudinem rediret, iterum flexuram constituit, contra quam aedificauit Phalel. Hanc autem flexuram turri excelsae, prominenti in domus Regias, aduersam fuisse commemorat. Et quidem hanc fuisse Regiam Salomonis, praeter loci ac situs dispositionem, quae alijs quoque sacrae Scripturae testimonijs comprobatur, duplici item ratione ex nomine desumpta confirmari posset. Prima, quam paulò superiùs attuli,

REGIS nomine Regum sapientissimus, ac potentissimus Salomon intelligebatur.

attuli, Regis nomine Regem potentissimum, & sapientissimum intelligi Salomonem. Altera, eaque potissima ratio est, quia cùm plures Regis Salomonis successores in eius domo habitasse compertum sit, meritò domus Regis diceretur, vel Regia, quam tot incoluerant Reges. Hanc igitur domum Regio sumptu, & magnificentissimo apparatu è pretiosissima materia, marmore candido, ac cedrinis lignis pro dignitate exstruxit Salomon ad Meridiem templi, statuens eam in ciuitate Dauid, eiusque vniuersa supellex aurea exstitit. Huic pari sumptu, & consimili magnificentia domum alteram coniunxit; eamque filiae Pharaonis, quam vxorem duxerat, habitandam dedit. In medio vtriusque domus exstitit celebris illa Basilica, iuxta Hebraicam phrasim *domus* dicta; *saltus* verò *Libani* dicebatur, quoniam quadraginta quinque columnis cedrinis ex Libano monte allatis vtrimque sulta cum suisset, Libanum ipsum, eiusque siluam referre videbatur. Horum autem aedificiorum si vel materiae excellentiam, & copiam, vel operis magnitudinem, vel architecturae praestantiam, vel supellectilis opulentiam percensere vellem, tempus potiùs, papyrus, & calamus me deficerent, quàm vt minimam partem attingere possem. Quoniam autem nonnullis sacrae Scripturae locis aliqua eorum commemorantur, de quibus pro cuiusque opportunitate agendum nobis est, eò lectorem remittimus; nunc enim ea tantùm, quae huius loci sunt, breui sermone percensere decreuimus.

REGIAE Salomonis, locus, & praestantia.

QVATERNIS angularibus turribus Salomonis Regia ornabatur, & muniebatur.

Ac primùm totum praedictum aedificium, siue tria illa magnificentissima aedificia, vnico, ac perpetuo muro cincta; quaternae verò turres in quattuor angulis erectae non minùs ornamento, ac decori, quam munitioni erant. Primam harum turrium, quae in angulo meridiano, & orientali ipsius domus exstabat, commemorat nunc historicus sacer, eamque eminere dixit, hoc est, extra perpendiculum, & lineam muri ipsius domus Regiae exstare. Domum autem totam excelsam fuisse significat Latina lectio, quod verum omnino est: at Hebraica, & Graeca magis significare videtur, turrim ipsam excelsam fuisse, vtpote quae supra omnia etiam celsissima domus aedificia sese efferret. Atque eiusmodi quidem turres in arcibus, atque alijs munitissimis praesidijs non tantùm antiquitas; verùm etiam nostra haec aetas aedificare consueuit. Ex quaternis verò turribus binas anteriores, quippe muro obiectas, commemorat Nehemias, alteram quam vidimus, alteram mox videbimus. Eis autem binas similes, & omnino pares in postico domus exstructas fuisse probat ipsa architecturae ratio, cuius studiosissimum fuisse Salomonem in ea construenda, perspicuè suis locis probamus. Addit insuper textus, turrim *in atrio carceris* exstitisse: nec mirum; erat enim ipsi Regiae publica custodia proxima, in quam citissimè conijceretur, quicumque vel in Regem, vel in Regiam domum, vel familiam peccaret: nisi fortè malis ipsam turrim custodiam fuisse, quòd vsus non renuit, annuunt Hebraea, & significare videntur Graeca, ὁ τῆς ἀυλῆς τῆς φυλακῆς ho tis aulis tis phylacis scribentes: quae turris erat habitatio carceris: vox enim חצר chatsar, quae habetur in Hebraeo, & ἀυλῆς aulis, quae habetur in Graeco, & atrium, & plura alia significat. Quam custodiam expertus fuit Ieremias, eò quòd in Regem peccasse credebatur, verbo Domini futuram illi calamitatem praedicens. Sic enim ab eodem Ieremia scribitur: *Et Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda. Clauserat enim eum Sedecias Rex Iuda, dicens; quare vaticinaris, dicens*, &c. *Et Sedecias Rex Iuda non effugiet de manu Chaldaeorum.*

PVBLICA custodia Regiae proxima, vel in ipsis Regiae turribus.

Ieremi. 32. *v.* 2. 3. *& 4.*

VERBA Domini Regi annuncians, quasi reus laesae maiestatis concluditur Ieremias.

XXVI. *Sup. lib.* 2. *vrb. c.* 7.

Nathinaei autem habitabant in Ophel vsque contra portam Aquarum ad Orientem. Quoniam pluribus suprà à nobis de Ophel Nathinaeorum habitatione actum est, nunc tantummodo dicendum videtur de ea parte muri, quae ab eis exaedificata fuit; nempe ab vltima muri flexura vsque ad *portam Aquarum*, quae sita erat *ad Orientem*: contra portam verò aedificasse dicuntur, quòd portam, vtpote quae integra permansserat, minimè aedificauerint, seu muri tractum ipsi portae à dextro latere aduersum. Et quidem hanc portam quamuis nulla ratione potuerint, qui reliquas ferè omnes peruerterunt, loco dimouere; quòd disertè testetur sacra Scriptura ad Orientem sitam fuisse; tamen cum omnibus ferè alijs, quas proprijs locis statuere nequiuerunt, eam sine delectu confuderunt. Atque adeo Adrichomius eandem putat esse portam Fontis, Aquarum, Fictilis, & Equorum dictam. Modestiùs Borchardus, qui eam portam Fontis etiam dici contendit propter fontem Siloë, cùm paulò superiùs portam Gregis, quam Vallis quoque dictam putauit, portam Fontis draconis dicendam statuisset. Verùm cùm iam suprà satis probauerimus, portam Fontis ad Occidentem statuendam, Aquarum verò ad Orientem, priusquam progrediamur, vt eam confusionem remoueat, lectorem hortamur. Etenim haec vna ratio praeter allatas conuincit, portas Hierusalem non esse confundendas, quòd portam, verbi gratia, Fontis aedificauit Sellum, portam Aquarum Nathinaei; à porta verò Equorum aedificare coeperunt sacerdotes. de porta namque Fictili infrà differendum nobis est. In hoc tamen omnes conueniunt: sic enim dictam putant, quod interiacentis vallis (Ariaemontani verbis vtar) exitum excipiebat, qua torrens in valle conceptus ad ortum effluens educebatur. Quae autem fuerit eiusmodi interiacens vallis, non facilè statuunt. Nobis verò facillimè id statuetur, si huius portae situm, quem praesens textus indicat, attentiùs perpendamus. Is enim duplicis turris meminit Regiae Salomonis, earum alteram vidimus, alteram mox videbimus: atque in earum medio portam Aquarum commemorat. Quapropter portam Aquarum orientem Solem hinc, illinc verò orientalem faciem Regiae Salomonis spectasse cognoscimus.

Adrichom. de vrb. n. 158.

PORTA Aquarum cum alijs confusa à scriptoribus. *Borch. p.* 1. *c.* 7. *&* 45.

PORTARVM Hierusalem nomina non sunt confundenda.

Ariasmont. Appar. biblico Hierus.

PORTA Aquarum quare dicta.

Probabimus tamen infrà latiùs, Regiam Salomonis non in ima valle Tyropoeon, sed in quodam colle montis Sion exstructam fuisse. Ex quo liquet, non aquas, aut torrentem vallis Tyropoeon excepisse hanc portam; sed illius innominatae, ac minùs profundae vallis, quae medium montem Sion diuidebat, collem Iebusaei à colle domus Eliasib, cuius paulò antè meminimus, diuidens.

Quid verò significare voluerint Septuaginta interpretes hoc loco, non facilè intelligo: sic enim legunt: & Nathinim erant habitantes in Ophel, vsque ad hortum portae Aquae ad Orientem: nisi fortè alicuius horti Aquarum portae proximi meminisse voluerunt. Huic portae adiacebat celebris quaedam ciuitatis platea, media inter Regiam Salomonis, & portam Aquarum: quapro-

PLATEA portae Aquarum.

quapropter ea platea portae *Aquarum* dicebatur. Eius meminit Nehemias, rationem quoque reddens eiusmodi denominationis: ait enim: *Congregatusque est omnis populus, quasi vir vnus ad plateam, quae est ante portam Aquarum.*

Nehem. 8. ℣. 1.

Cuius plateae capacitatem probare videtur alter eiusdem Nehemiae locus, referens celebraturos denuo mense septimo sollemne tabernaculorum festum, fecisse tabernacula sua *in platea portae Aquarum*, sicut & in alijs quoque patentibus vrbis locis fecisse leguntur. Hanc verò portam, orientalem dictam fuisse, cognoscimus in libro Paralipomenon: erat enim Regiae orientalis. Quapropter de Ezechia ipso *anno, & mense primo Regni sui* domum Domini, eiusque portas, ac ministeria instaurante sic legitur: *Adduxitque sacerdotes, atque Leuitas, & congregauit eos in plateam orientalem.* Nam propter huius plateae celebritatem, quasi antonomasticè dicebatur *platea portae ciuitatis*; in quam conuocasse dicitur idem Ezechias principes exercitus sui, vt eos Sennacheribi Assyriorum Regis timore liberaret. Iam verò ad instauratores conuersi, *Nathinaei*, qui *habitabant in Ophel*, aedificauerunt iuxta Phadaiam, *vsque contra portam Aquarum ad Orientem, & vsque contra turrim, quae prominebat.* Haec est turris altera, quae pari ratione, sicut prior, prominebat, magnaque, & eminens vocatur sequenti versu; erat enim priori omnino similis.

Ibid. ℣. 16.

2. Par. 29. ℣. 3. & 4.

DENOMInationes variae plateae portae Aquarum.

2. Par. 32. ℣. 6.

B

Post eum, qui vltimus ex Nathinaeis exstruxerat, *aedificauerunt Thecueni*, absque dubio sacerdotes. nam ratio id videtur aperte conuincere, quoniam plebem Thecuenam iuxta Sadocum aedificasse testatus est; *optimates* verò *colla sua non* supposuisse *in opere Domini*. Superest tandem, vt sacerdotes hic aedificasse dicantur mensuram secundam, hoc est, bina muri spacia, quae inter portam Aquarum, & Equorum intercedunt à turri magna, & eminente. Hebraicè המגדל הגדול hamigdal hagadol, quarum vtraque vox, & quae turrim significat, & quae eius magnitudinem denotat, ab eadem radice deducitur. Quare turrim, turrim illam, quae eminebat, posses conuertere; ideoque eximiam fuisse hanc turrim, ac memorandam intelliges. *vsque ad murum templi*, Hebraicè העפל haghophal, & Ophel conuertunt Septuaginta. Quae lectionis diuersitas, vt aliàs dixi, non vitio vertenda est, sed notanda mysterio: indicat enim nobis vicum illum Nathinaeorum, qui propriè vocabatur Ophel, templo ita fuisse proximum, vt, cùm primùm ad illum peruenit muri instauratio, ad murum quoque templi simul peruenerit; quod in ipsa descriptione patet, ac sequentibus etiam, quibus contra gazophylacia sua aedificasse dicuntur sacerdotes.

XXVII.

℣. 5.

BINIS muri spacijs Aquarum ab Equorum porta distabat.

LECTIONis in biblijs diuersitas non vitio vertenda, sed notanda mysterio.

C

D

E

DE PORTA EQVORVM, AC *sacerdotibus contra gazophylacia sua aedificantibus.*

Cap. XXI.

SVRSVM autem à porta Equorum aedificauerunt sacerdotes. Portam Equorum, Dionysius Carthusianus, & Adrichomius cum alijs sic dictam putant, quòd homines ad illum vsque locum equitare poterant: sed inde dimissis equis in templum pedites procedebant; & ab illo loco incipiebant habitacula sacerdotum. quam sententiam ex Lirano desumpsisse se putant. Verùm enimuero quamuis hoc ipsum astruat idem Liranus; is tamen Ieremiae testimonio coactus, qui ciuitatem denuo aedificandam praedicit, *vsque ad angulum portae Equorum orientalis*, duas commemorat eiusdem nominis portas loco valde diuersas, vnam ciuitatis Orientem spectantem, sic dictam, quòd per eam educebantur equi, vt in torrente Cedron adaquarentur: alteram verò ad Occidentem templo proximam, sic dictam, quòd ad eam vsque equitantes ad templum licebat accedere. Verùm haec omnis difficultas, quae Liranum coëgit multiplicare portas, reliquos ad veram loci intelligentiam accedere non passus est; eaque in eo sita videtur, quod refert historia libri Regum, & Paralipomenon: Regnante enim Athalia, quae occiso semine Regio, Hierosolymitanum imperium inuaserat, Ioiada sacerdos, Ioam filium Regis ab internecione furto sublatum constituit Regem, eumque vnctum in templo, atque coronatum, populus fastis acclamationibus venerabatur. *Quod cùm audisset*, inquit, *Athalia, vocem scilicet currentium, atque laudantium Regem, ingressa est ad populum in templum Domini: Cumque vidisset Regem stantem super gradum, &c. scidit vestimenta sua, & ait; insidiae, insidiae. Egressus autem Ioiada Pontifex ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio, &c. Et imposuerunt ceruicibus eius manus; cumque intrasset portam Equorum domus Regis, interfecerunt eam ibi.* Quibus verbis probari putant praedicti scriptores, portam Equorum domus Regiae dici, quoniam media existeret inter domum Regiam, & templum; ex quo diuinant quidem denominationis eius rationem, ab expulsis ab ea equis *Equorum* dici. Verùm contrarium omnino habetur in historia Regum, quae eadem referens, sic habet: *Imposueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, iuxta palatium, & interfecta est ibi.*

XXVIII.

Dion. Carth. sup. Nehe. Adricho. de vrb. n. 66.

PORTA Equorum non ab equis dimissis sic dicta.

Liran. sup. Nehem.

Ierem. 31. ℣. 40.

4. Reg. 11. 2. Par. 23. ℣. 12. & seq.

PORTA Equorum, quare ab introëuntibus equis sic dicta.

4. Reg. 11. ℣. 16.

Quibus verbis planè testatum habemus, ab introëuntibus per portam equis, *Equorum* dici, non ab expulsis; quod & ratio probare videtur: ex ea enim, quam ipsi afferunt, non *Equorum* dicenda esset, per quam equos non licebat inducere. Ratio autem, ob quam *domus Regiae* dicebatur porta, ea tantùm assignatur, quòd eidem esset proxima, non quòd à templo in Regiam duceret:

PORTA haec domus Regiae dicebatur, non alia ratione, quàm quòd ei esset proxima.

ceret: quis enim crederet milites, ac centuriones in tanto vrbis tumultu Reginam, in propriam domum occidendam duxisse, quam praesidiariorum militum multitudo, ministrorumque caterua muniret, aut saltem acclamationibus tumultuque, ciuium multitudinem in Regiam conuocaret, qui omnes repentino spectaculo facilè perturbarentur? Quare cùm disertis verbis situm huius portae describat Ieremias propheta, ambigendum non est, eam ad ciuitatem quidem venientibus, ab eaque in torrentem Cedron egredientibus aditum aperuisse; quod testatus est Hugo Cardinalis, sic scribens: Hanc portam significat Ieremias esse in orientali plaga ciuitatis, scribens typicè de Ecclesia: *Et aedificabitur ciuitas Domino*, &c. Haec ille.

Hugo Card. PORTA Equorum ciuitatis porta fuit. *Ierem.* 31. ℣.40.

Et quidem Ieremias ibi sub ciuitatis nouae antiquioris vestigijs insidentis typo, Ecclesiam Christi demonstrans, aedificandam praedicit, circumdante muro *vniuersam regionem mortis*, eam nempe, in qua

----mors mortua tunc est,
In ligno, quando mortua vita fuit.

Vsque ad torrentem Cedron, & (interpretatiua particula est non coniunctiua) hoc est, *vsque ad angulum portae Equorum orientalis*. Ea verò omnia, quae à nobis de hac porta dicta sunt, mirificè confirmat Iosephus, omnia etiam, quae praeallatis sacrae Scripturae testimonijs de ea dicuntur, concordans. Is enim historiam occisae Athaliae refert, eamque Gotholiam vocat, vim Hebraicae aspirationis ע ghain exprimens, & sic scribit. Tumultus hic & acclamationes praeter spem ad aures Gotholiae venientes effecerunt, vt vehementer perturbato animo cum satellitio prosiliret à Regia. Venientem deinde in templum, ipsam quidem sacerdotes admittunt, sed armatos eam sequentes arcuerunt illi, qui ad hoc ipsum templo à Pontifice circumdati fuerant. Ceterum Gotholia, postquam puerum vidit in suggestu stantem, redimitumque corona Regia, discissa veste sua, magno clamore iubet interfici insidiatorem, & occupatorem tyrannidis. Ioadus contra accitis centurionibus, iubet mulierem arripi, ducique in torrentem Cedronis, atque illic poenas luere; neque enim fas esse templum veneficae supplicio pollui. Mandauit etiam, si quis ei conetur ferre suppetias, & ipsum pariter interimi. Illi igitur, quibus hoc demandatum est, eductam extra portam mulorum Regis illic interficiunt. Haec ille. Quibus verbis portam mulorum Regis vocat eam, quam sacra Scriptura Equorum appellat, non ob aliam rationem, vt credo, quàm quòd eidem portae proximum fuisset equile Regis; idque propterea in vico Ophel intra palatium Regis, & portam Equorum in nostra descriptione constituimus. Neque quemquam moueat Ioiadam audire praecipientem extra septa templi educi Athaliam, vt interficeretur extra, centurionesque, & principes exercitus, cùm primùm ea introiuisset portam Equorum, quasi iussa Ioiadae principis exsequentes, interfecisse *eam ibi*, quòd putet templum, eiusque septa vsque ad portam Equorum extendi: quoniam totus ille vicus Ophel, cui porta Equorum in angulo constituta terminus est, ad templum quodammodo pertinere videtur, tum propter loci maximam propinquitatem; tum etiam propter Nathinaeorum habitationem, qui inter templi ministros computabantur. Quod comprobare etiam videtur noster textus, qui vt paulò superiùs vidimus, murum templi vocare videtur eundem, quem Hebraeus vocauerat murum Ophel.

Ioseph. 9. antiq. c.7.

PORTA mulorum Regis vocatur à Iosepho eadem haec porta, quoniam equili Regis erat proxima.

SEPTA templi quousque extendantur.

Addo his etiam, quòd duplici ratione templi septa consideranda sunt; alia quae mundos, puros, ac sanctos admittebant: longè verò ab his remota, quae immundos arcebant. Cuius rei manifestum exstat apud Iosephum testimonium, sic scribentem: Templum autem, aramque cingebat ex pulcherrimo saxo lorica gratissima, vsque ad cubitum surgens, quae populum à sacerdotibus segregabat, Gonorrhaeos, hoc est, semine fluentes, itemque leprosos tota ciuitas arcebat, &c. Haec Iosephus. Propterea què meritò conquerebatur Dominus de Regibus Hierusalem, quasi polluerint templum Domini, polluentes domum Regiam, eò quòd intra septa templi computanda videbatur ipsa domus Regia, quatenus ab ea quoque arcenda foret effusi sanguinis pollutio, prout omnia suprà latiùs pertractata à nobis sunt. Quem obseruandi templi morem adhuc tenere videntur Turcae Hierosolymis degentes, qui templum, quod olim à Christianis aedificatum, in ipso prioris templi loco, suis sacrilegis superstitionibus destinatum tenent, pollui putant Christianorum, quos tamquam pollutos auersantur, contactu, aut visu; ideoque minimè permittunt per vallem Tyropoeon, ad portam Equorum descendere: prout mihi referebat quidam è nostris, qui nunc primùm Hierosolyma venit. Praedicta verò omnia maximè textui nostro aptari posse videntur, qui sic habet: *Sursum autem à porta Equorum* (non iam legendum iuxta mendosos codices, ad portam Equorum; nam, vt dixi, cùm in ima valle Tyropoeon constituta porta fuisset, ad eam vndequaque venientibus descendendum erat; indeque egredientibus ascendendum) *aedificauerunt sacerdotes, vnusquisque contra domum suam*. Sacerdotes quidem hos Hierosolymitanos fuisse praeter rationes quas dixi, probare videtur situs muri, quem aedificandum susceperant. Nam vt in descriptione apparet, totus erat ipsi templo ab Oriente aduersus, muniens Nathinaeorum habitationem, atque adeo decuit eam munitionem per ministros templi instaurari, quae ipsorum officinas, & exedras ambiebat: id quod significare videntur illa verba: *Vnusquisque contra domum suam*; quam non quidem habitationis domum, sed ministerij fuisse probant tum latissima vocis בית beth significatio, quam aliàs ostendi; tum etiam quòd murus hic vicum Ophel ambiens, Nathinaeorum habitationem circumdabat, non sacerdotum: Neque verisimile apparet sacerdotum nobilissimum genus cum seruis ac infimis templi ministris permixtum cohabitasse. Sacerdotes autem aedificasse intelligimus non alios ab ijs, qui sequuntur, sed eosdem; quod probant repetita illa verba, *contra domum suam*, vel *contra gazophylacium suum*.

SEPTA templi alia, quae mundos admittunt, alia, quae immundos arcent. *Ioseph. 6. belli c.6.*

QVAM obseruandum sit Domini templum Hebraeorum, & Turcarum exemplo. *Sup. tom. 2. Ezech. 43. ℣.8.*

PORTA Equorum in ima valle Tyropoeon constituta.

CONTRA domum non habitationis, sed ministerij aedificauerunt sacerdotes.

Post eos, Thecuenos, *aedificauit Sadoc filius Emmer, contra domum* ministerij *suam* sui, hoc est, in qua templo ministrans manere solebat. Nam vt suis locis ostendemus, quamplurima erant in templo gazophylacia, in varios vsus varijs ministris distributa. *Et post eum aedificauit Semaia filius Secheniae custos portae orientalis*. His verbis manifesta omnino fiunt, quae diximus: portae siquidem templi orientali ex aduerso aedificat Sechenias, eius custos. Neque verò qui murum à Sechenia aedificatum aduersum fuisse portae orientali audit, exactam inquirat rectitudinis oppositionem; satis enim historiae factum fuisse videtur, si intelligat in media orientali facie templi apertam orientalem portam, gazophylaciaque hinc inde exaedificata, Sadocumque primum huius muri aedificatorem in hoc latere meridiano portae orientalis

XXIX.

SITVS, ac dispositio gazophylaciorum templi.

orientalis gazophylacium obtinuisse; eumque primam muri mensuram aedificasse: sequentem verò mensuram à Sechenia, portae orientalis custode aedificatam: reliquos autem sacerdotes, qui reliquas muri partes aedificarunt; ex altera parte, nempe aquilonari portae, gazophylacia sortitos fuisse: quorum omnium exempla ac plenam intelligentiam in nostris descriptionibus templi exquirat Lector.

XXX. *Post eum aedificauit Hanania filius Selemiae, & Hanun filius Seleph sextus*, filiorum ordine; vtpote qui quinque habuerit fratres se maiores, *mensuram secundam*, duplicem, duo nempe muri spacia. *Post eum aedificauit Mosollam filius Barachiae contra gazophylacium suum.* Sed de templi gazophylacijs, eorumque vsu, & forma superiùs pluribus à nobis pertractatum est, atque iterum infrà tractabitur. Nunc verò ad subsequens caput veniendum.

DE NATHINAEORVM, AC SCRVTA VENDENTIVM *domibus*. *Cap. XXII.*

POST eum aedificauit Melchias filius aurificis vsque ad domum Nathinaeorum, & scruta vendentium. Melchiam sacerdotem fuisse probant, quae paulò superiùs ipse Nehemias dixerat; sacerdotes nimirum aedificasse, vnumquemque contra domum, vel gazophylacium suum. nam cùm muri mensura, quam aedificauit Melchias, gazophylacijs templi adhuc fuerit aduersa, eum quoque sacerdotem fuisse facilè licet conijcere. Neque verò quidquam aduersum probat, eum aurificis filium dici: non enim despectui habebatur olim nobilissima eiusmodi ars. Nam vt suprà vidimus: *Eziel aurifex*, & *Ananias filius pigmentarij* inter principes viros aedificasse commemorantur. Adde his etiam, quòd quemadmodum pigmenta templi, vt ibidem ostendimus, alijs quàm sacerdotibus, conficere non licebat; sic etiam aurea, & argentea vasa templi conflare, aut instaurare, sicut neque manibus contrectare, alijs quàm sacerdotibus minimè licuisse: quare eorum aliquos eius artis peritos necessariò fuisse credendum est. Hoc eodem argumento probat è recentioribus quidam, nullum aurum, vel metallum Domini domui adhiberi solitum fuisse, nisi priùs à fabris in igne conflatum, probeque purgatum, & examinatum fuisset. Quo significabatur, inquit, sanctos Dei homines antè in diuini sermonis igne à peccatorum scorijs expiari, eorundemque fidem in variarum afflictionum fornace multis probari modis, & examinari oportere, quàm aeternae requietis templum inire, aut solidis in caelo gaudijs perfrui queant. id quod ea, quae adijciam, ostendunt testimonia: affertque Malachiae, psalmi, Zachariae, Ecclesiastici, Pauli, ac Barnabae, Iacobi, nec non Petri testimonia, quibus suam conatur probare sententiam, ac subdit: Quisquis verò non à foederis angelo intrinsecus expurgabitur, nec variae fese tentationi subijcere volet, sed illicitos carnis ardores per omnem licentiam sequitur, crucemque perpetuò declinat, is nec Dei voluntatem verè cognoscere, nec iustitiae facere sacrificia, neque caelestia regna penetrare vmquam poterit. Nam & omnis homo, vt Dominus ait, igne saliendes, & omnis victima sale est salienda: quique Christum in gloriam rectà sequi desiderat, is cruce

up. lib. huis cap. 10.

ACERotes aurifices fuerunt, et sacra vasa ceratis manibus conficerentur.

autè legendus Adamus Reis. Hierosol. ab. 4. c. 19.

Malach. 3. v. 3. Psal. 65. v. 10. Zachar. 13. v. 7. & 9. Eccles. 2. v. 5. Hector. 14. v. 21. 1. Pet. 1. v. 7. Iacobi 1. v. 12.

A in humeros suos sublata, ponè eum sequatur necesse est. Haec ille.

Quae quidem verba, vt omnia eiusdem scriptoris, attentiùs legenda, maiorique cum attentione perpendenda censuerim: mollitus enim, vt prophetae verbis vtar, est *sermones* suos *super oleum, & ipsi sunt iacula.* Disputationem eam de purgatorio inscripsit & negare volens sanam Ecclesiae Catholicae de purgatorio doctrinam, detorquere conatur sacrae Scripturae testimonia, de vero ac sensibili purgatorij igne loquentia, quo defunctorum animae expurgantur in futuro saeculo, ad diuini sermonis ignem, afflictionum fornacem, & crucem portandam, qua in praesenti vita purgantur fidelium animi. Cuius B me sententiae occulta venena satis detegere, ac eisdem antidotum adhibere posse putaui, si sacrosancti Concilij Tridentini decretum referrem, quod sic habet. Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris concilijs, & nouissimè in hac oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuuari, praecepit sancta synodus Episcopis, vt sanam de purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus, & sacris concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique praedicari diligenter studeant.

Psal. 54. v. 22.

Conc. Trid. sess. 25.

Vsque ad domum autem *Nathinaeorum* aedificasse C dicitur *Melchias*, hoc est, vsque ad finem habitationis Nathinaeorum, id est, donec extendebatur Ophel. Nam cùm paulò antè idem Nehemias commemorasset, Thecuenos vsque ad Ophelis murum aedificasse, Ophelemque Nathinaeorum habitationem fuisse facilè cognoscamus; omnes deinceps commemoratos sacerdotes murum Ophelis, & domus, seu domorum Nathinaeorum, Melchiam verò vsque ad Ophelis terminum aedificasse comperiemus. Nec me latet, non defuisse sollertem quendam virum, qui arbitraretur domum Nathinaeorum Probaticam piscinam hic accipiendam, eamque sic dictam, quoniam in quinis eius porticibus frequenter, aut ferè semper Nathinaei versabantur, victimas templo inferendas abluentes. Verùm quamuis piscinam ea ratione sic quoque denominari potuisse non renuam; tamen hoc loco sermonem de ea fieri, non satis admittere videtur aedificij ratio, ac vrbis dispositio; nimis enim longè aberat à muro, quem aedificauit Melchias, Probatica piscina, quae ipsi septemtrionali lateri templi obiecta erat: murus verò hic totus orientali templi lateri aduersabatur.

QVANtum extenderetur Ophel.

D

Hanc ipsam interpretationem, quam nos sequimur, probare videtur textus, domum Nathinaeorum domui, vel potiùs domibus coniungens *scruta vendentium*, qui Hebraicè הרכלים harochlim dicuntur: quam vocem, vtpote à radice רכל rachal deductam in negotiatores, siue aromatarios nonnulli conuertunt. sic autem dictos putant, quoniam merces deferant, institores propriè, qui ex vno in alterum locum vendenda transferant. Aben Hezra à miscendo רכיל rachil appellatos putat: nam רוכל rochel est, qui res multas commiscet. Eandem vocis interpretationem sequutus videtur Hieronymus in Canticis, pigmentarium eius vocis loco substituens: sic enim habet: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, & turis, & vniuersi pulueris* רוכל rochel *pigmentarij?* Pagninus vertit, negotiatoris, aut aromatarij. Septuaginta: Euaporans myrrham, & tus ab omnibus pulueribus vnguentarij. R. Abraham, mercatoris: R. Selomon, vendentes omnes species aromatum, quas contundunt, & in puluerem redigunt. Eandem verò vocem, quae

SCRVTA vendentes, pigmentarij, & negotiatores ijdem dicuntur.

Aben Hezra sub finem Nehem. & Prouer. 11. v. 13. S. Hieron. sup. Cant. 3. v. 6.

sequenti Nehemiae versu habetur, *negotiatores* vertit vulgatus. Quapropter vestibula, vel domunculas significare voluit historicus, institorum, atque aromatariorum, nec non plurium aliorum, mercimonia vendentium, quae circa forum pecuarium exstructae fuerant. Eiusmodi enim domuncularum in loco tam celebri, in quem aduenae, atque indigenae sacrificiorum causa frequenter conueniebant, necessarium est, fuisse quamplurimas. Earum autem potissimùm meminit, quae muro aquilonari Ophelis adiacebant; siquidem & ad finem domus Nathinaeorum, & negotiatorum simul pertinuisse aedificationem dixit.

DE PORTA IVDICII ET CVSTODIAE, *deque absoluta muri instauratione.* *Cap. XXIII.*

CONTRA portam Iudicialem, & vsque ad cenaculum anguli. Duo item alia signa hic proferuntur, & celebres notae, quibus aedificatus à Melchia muius facilè cognoscetur. Sensus enim indicat peruenisse murum Ophelis vsque ad terminum, portae Iudicialis aduersum, *& vsque ad cenaculum anguli*. Ex quibus verbis facilè conuincitur id, quod & alijs rationibus confirmabitur, longè à verò aberrasse eos omnes scriptores, qui leui quadam ducti coniectura constanter affirmant, portam illam occidentalem Caluariae proximam, per quam egressus est Dominus crucifigendus, Iudicialem dici. Nam praeterquam, quòd iudicium illud iniquissimum atque impijssimum, quo Christus vitae Dominus & auctor morti adiudicatus est, non in ea porta, sed in domo Pilati factum fuit, nulla ratione intelligi potest *inter cenaculum anguli*, Iudiciali portae aduersum, & portam Gregis aedificasse *aurifices*, *& negotiatores*, prout mox dicitur, si porta Iudicij in Occidente, & Gregis in Oriente constitutae credantur. Quae rationes manifestè probant, portam Iudicialem & templo, & portae Gregis vicinam fuisse.

PORTA Iudicialis non fuit Caluariae proxima.

Quòd si locus alter Nehemiae post pauca tractandus huic adiungatur, eandem hanc portam Custodiae quoque dici facilè cognoscetur, eiusque situs sine vlla dubitatione intelligetur. Is enim chorum alterum cantorum veniisse enarrat *super portam Piscium, & turrim Hananeel, & turrim Emath, & vsque ad portam Gregis. & steterunt*, inquit, *in porta Custodiae*, alterum chorum spectantes, *steteruntque duo chori laudantium in domo Dei.* Quibus verbis illud manifestè testatum habemus, portam Custodiae mediam inter portam Gregis, & domum Dei fuisse; quòd cùm nostro quoque textu manifestè ostendatur, portam Iudicij cenaculo anguli, & portae Gregis fuisse propinquam; cenaculum autem anguli mox ostendendum sit ad templum pertinuisse, eandem portam Iudicij, atque Custodiae dictam, non est ambigendum. Neque verò diuersa nomina diuersas conuincunt portas, cùm diuersarum portarum ibidem nullus sit locus; atque etiam quoniam diuersa agnominatio eidem portae conuenire meritò ostendetur.

PORTA Iudicij, quae & Custodiae dicebatur, templo proxima, & ad Orientem sita *Nehem.12. ℣.38.*

Et quidem primùm hoc loco, portam Iudicialem eam vocat. Hebraicè dicitur מפקד mipachad, quae vox à verbo פקד pachad, deducitur, quod latissimè significatione patet; nulloque alio Latino verbo magis aptè conuerti potest, quàm visitandi; tribuique solet superiori cùm inferiores visitat, in bonum, vt prouideat, & misereatur; siue in malum, vt indicet, & damnet. Quare significat requirere, recensere, censere, rationem habere, deponere, aut custodire. Ex innumeris paene exemplis, quae adduci possent, pauca afferam, & ea tantummodo, quae è re nostra maximè erunt. Primùm sit ex Iobi historia, in quo interpretando maximè digladiantur Hebraei propter verbi praedicti latissimam notionem. Loquitur autem Eliu Iobum reprehendens, quòd se iustificare contenderit, neque dignum se agnouerit tribulatione quam patiebatur, & subdit: *Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde*, Hebraicè אין פקד אפו aijn pachad apho, ad verbum, non, nequaquam, nihil visitauit furor eius, non cognouit enim valde. Quamplurimis verò praetermissis huius loci interpretationibus, illa R. Abraham Perutsolis magis ad nostram interpretationem facit. Dixit, inquit, Elihu de clamore Iob super malis, quae cadunt in specie humana, & nunc, quia nihil est, & parua res est furor, quo Deus visitat mundum, respectu multitudinis bonorum, quae Deus facit, & cognouit Iob &c. Vel dixit de malis, quae vsu veniunt, de quibus conqueritur. Et nunc quia nihil est (aut minimum, quod Deus ira sua animaduertit in Iob propter opiniones suas falsas) contra Deum: & non cognouit Iob multitudinem peccati sui, quod admodum grane est: vel cognouit Iob plagas, quas luere deberet ob magnitudinem rebellionum suarum in suis opinionibus, & verbis labiorum suorum. Targhum: Et nunc ac si non esset visitatio irae eius, non cognouit multitudinem valde. Septuaginta: Et nunc, quoniam non est, qui consideret iram illius, & non nouit in delicto valde. In Sixtiano verò codice sic: Et nunc, quia non est visitans iram suam, neque cognouit delictum aliquod vehementer. Olympiodorus, & Chrysostomus haec verba superioribus connectunt, vt sensus sit. Quid ita ò Iob erga tantam maiestatem vis iudicio contendere? si neque satis pro dignitate illum laudare potes, etiam in his supplicijs, quibus nunc te affecit? Augustinus verò coniungit cum sequentibus. Cognouit, inquit, ad vindictam: vnde est; *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Et in eodem loco: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Cognouit ergo delicta. Nam ideo patiuntur homines tribulationes in hoc saeculo, sed non vehementer, quia partibus corrigens das locum paenitentiae. Hactenus Augustinus.

VISITARE siue in bonum, siue in malum.

Iob 35. ℣.15.

R. Abrah. Perutsapud Pagnin.in dictionar.

Olympiod. Chrysost.

S. Augustin. not.in Iob.

Quae omnes loci interpretationes in duas longè diuersas discedunt vias. Altera est, quae Iobum negare videtur iram Dei visitasse, hoc est, iudicasse, perpendisse, aut cognouisse, quam aequè procedat: altera, quae Deum negat iuxta iram suam visitasse. Illam ingredi videntur Graeci, hanc cum Hebraica lectione vulgatus, & Latini: tamen ex omnibus eadem verbi notio eruitur, nempe visitare, iudicare, censere, vel cognoscendo, vel vt animaduertat. Quocirca & apud Ieremiam: *Super terram dominantium ascende*; rebellionum terram alij conuertunt, ascende vastator, & super habitatores eius פקד pechod, visita. Forsterus, & alij interpretantur, quasi sit loco nominis; & contra habitatores visitationes, reddentes. Et appellatur sic terra Babylonis (inquit R. Dauid) eò, quòd venerat tempus visitandi illam; concordatque interpretatio haec ijs, quae sequuntur: *Dissipa, & interfice*, &c. Quibus omnibus testimonijs facilè intelligitur, quid significare volueri. vulgatus, portam hanc Iudicialem vocans, nempe fuisse illam, in qua, vel iuxta quam fontes visitari, iudicari,

Forster.in dictionario. Rab. Dauid.

Ierem. 50. ℣.21.

PORTA Iudicialis quare sic dicta.

PORTA vsurpatur pro iudicijs, quae in portis exercebantur. Iob 31. ℣. 21.

LEVARE manum dem quòd iurare. Gen. 14. ℣. 22. & 23. Exod. 6. ℣. 8.

VIOLATI iuramenti poena, memorum amittere, quo iuramentum praestitum est. ℣erem. 52. ℣. 11.

Nehem. 3. ℣. 26.

℣erem. 32. ℣. 12. & 2. Par. c. 33. ℣. 1. & c. 37. ℣. 21.

CVSTODIAE porta, & non carceris quare dicatur.

Iud. lib. 2. Verb. cap. 9.

QVARE dicta sit haec porta Custodiae, scire difficile.

iudicari, & plecti consueuerant. Mos enim antiquis fuit in portis vrbis iudicia exercere; indeque orta est celebris illa phrasis, quae portae nomen pro iudicijs vsurpat, vt Iob: *Si leuaui super pupillum manum meam*, ad plectendum eum interpretantur nonnulli. Ego potiùs iurantis signum esse crediderim, phrasi etiam Hebraeis frequenti; qua vsus est Abrahan: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum*, hoc est, testem inuoco, vel per Deum iuro, *non accipiam ex omnibus, quae tua sunt*. Et Deus ipse in Exodo eadem vsus est dicendi ratione: *Et induxerim*, inquit, *in terram, super quam leuaui manum meam*, iurans, *vt darem*, me daturum *eam Abraham*, &c. Sensus Iobi est: Si iuramento pupilli causam peruertere conatus sum, *etiam cùm viderem me in porta*, in iudicio, vel apud iudices, *superiorem* potentia, auctoritate, & aestimatione, *humerus meus à iunctura sua cadat*, &c. poenas debitas luens violati sacramenti, quod leuata manu praestitum fuerat. Neque verò iudicium tantummodo significat praeallatum Hebraeum verbum; nonnumquam enim & carcerem, seu custodiam, conuertitur à vulgata. Nam apud Ieremiam adductum legimus Sedeciam in Babylonem, & positum בבית הפקדת bebith happechuddoth, in domo iudicij, vel visitationis liceret reddere; sed meliùs Latinus interpres, *in domo carceris*, legit.

Vox autem altera מטרה matarah, pro qua vulgatus Custodiae pottam legit, id propriè significat; deducitur enim à verbo נטר nathar, quod custodire, obseruare, seu detinere significat. Quapropter pro hac eadem voce paulò superiùs carcerem subsituit Latinus interpres, *in atrio carceris* scribens. Et iterum: *Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iudà*, & aliàs saepe. Ex quibus quidem omnibus locis probat bene Forsterus, non esse locum subterraneum, aut in lacu, seu turri angustum, aut compedem, seu vinculum, sed locum sub dio, muris tamen conclusum, quibus detineri possent serui, aut alia ratione detinendi. Et quamuis ab aliquibus reprehendatur, arbitrantibus ea voce carcerem quemcumque significari posse; tamen non ita passim aliud carceris genus indicare consueuit, cùm pro huiusmodi carcere frequenter accipiatur. Quibus addendum videtur id omne, quod suprà de Bethiso diximus: erat enim illud taetrum, & obscurum barathrum, in quo morti addicti detinebantur. At non ab eiusmodi careere, sed ab alio minùs graui denominata videtur haec porta; quapropter meritò *Custodiae*, & non carceris dicitur à Nehemia.

Sed cùm iam satis de situ, ac nomine portae constet; quare sic dicta fuerit, non ita facilè. Non enim defuit, qui arbitraretur iuxta hanc portam fuisse custodiam, vel carcerem vulgi, cùm apud Regiam fuerit magnatum & nobilium custodia, in qua, vt vidimus, Ieremias inclusus detinebatur. Et quamuis huiusmodi custodiarum multitudo, & diuersitas facilè suaderi posset exemplissimarum vrbium, qualis Hietosolyma fuit; nihilo minus tamen Custodiae portam dici putarunt alij, quòd in ea manerent custodes. quid autem in ea porta custodirent, nullus, quod sciam, tradit. quocirca diuinandum potiùs nobis est, quàm coniectandum.

Et quidem si portae huius situs, quae Ophelem, Nathinaeorum habitationem tantummodo claudit, & eorundem Nathinaeotum origo consideretur, facilè quiuis eos custodiendos intelliget, & eorum portam meritò Iudicij, vel Custodiae

A dictam fuisse. Nam cùm ij natione Gabaonitae, subuertendi essent à Iosue & populo Israëlis, id sibi metuentes, atque remedium prouidentes, excogitato stratagemate, iuramentum à Iosue, atque principibus extorserunt, de sua incolumitate asseruanda. Qua fraude comperta *vocauit Gabaonitas* Iosue, *& dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis; procul valde habitamus à vobis, cùm in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra liga caedens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Quo loco Hebraei, Septuaginta interpretes, & Chaldaeus paraphrastes addunt: non deerit ex vobis, vel de stirpe vestra seruus, illud quod Latinus interpres voce maledictionis intelligendum duxit. Quare cùm seruos audiamus Gabaonitas (qui ijdem Nathinaei dicebantur) ad aquae, & lignorum comportationem destinatos, eorumque propriam habitationem Ophelem fuisse, si conijciamus ea, quae à Iusto Lipsio de ergastulis eruditè satis collecta sunt, ergastuli quoddam genus Ophelem fuisse facilè intelligemus: recipimus enim, quam ipse adfert, ergastuli definitionem & etymon. Ergastulum τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται topos en ho hi desmotae ergazontae, locus, in quo vincti operantur. Illud tamen admittere nulla ratione possumus, Isidorum reprehendi, quòd dixerit ergastulis noxios deputari ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores, exsules, qui marmora secant. Nam quamuis aliquando innoxij empti serui ergastulis deputarentur; negari tamen non potest, noxios vt plurimùm ergastulis addici. Quod autem subdit Lipsius contra Isidorum: de gladiatoribus planè falsum, qui in ludis bene & commodè habiti, in ergastulis numquam, falsum hoc magis. Nam quamuis gladiatorum detestandum scelus ab effrenata oculorum immanitate, daemonis astu inflammata, muneribus, honoribus, ac monumentis collatis, in animos etiam ingenuorum hominum effusum sit; tamen prima fui institutione ex damnatis, quos noxios fuisse necessarium est, gladiatores adsciti sunt, iuxta ea, quae

D Alexander ex Virgilio, & eius interprete Seruio commemorat. Eius verba referre non pigebit: Gladiatores in defunctorum, inquit, illustrium memoriam eadem causa institutos, quòd cùm hostes bello victi, seruique ad sepulcra summorum ducum olim saeuè iugularentur, & sanguinem effunderent; idque posteris saeuum, & inhumanum videretur scelus, cautum fuit, vt saeua illa desita consuetudine, serui, libertique, & damnati capite, ac gladiatores bustuarij, qui venalem habent sanguinem, vsu armorum, & astu eruditi, conducti pretio per lanistas, digladiarentur. Haec ille.

Quibus accedant, oportet, quae ab ipso Iusto iustè referuntur: Serui, inquit, aut vendebantur in E ludum, aut damnabantur. De venditione Tertullianus: Olim captiuos, vel malo ingenio seruos emercati. Et Suetonius Vitellio: Asiaticum ob nimiam contumaciam, & ferocitatem grauatus, circumforaneo lanistae vendidit, dilatumque ad finem muneris repente furripuit; adeoque id increbuit, & ob leuem saepe eausam, vt Hadrianus Imperator, lenoni, & lanistae seruum, vel ancillam vendi vetuerit, causa non praestita, ait Spartianus. De damnatione passim historiae, & legum libri, vbi damnati ad gladium leguntur, vel ad gladij ludum. sic enim etiam loquebantur. Hactenus ille. Ex quibus testimonijs liquidò constare poterit, non esse falsitatis accusandum Isidorum. Nam quam-

NATHINaeorum origo.

Iosue 9. ℣. 22.

Iust. Lips. elect. lib. 2. cap. 15.

OPHEL quasi quoddam ergastulum fuit.

ERGASTVlum quid sit.

GLADIAtorum alij qui ergastulis detinebantur.

Alexan. ab Alex lib. 6. geni. c. 19. Virgil. 10. Aeneid.

SERVI iugulari soliti ad summorum ducum sepulcra.

Iust. Lips. lib. 2. Satur. cap. 3.

DAMNATI ad gladium, vel ad gladij ludum, qui-

uis non omnes gladiatores ergastulis detinerentur, & quamuis non omnes serui, qui eisdem detinebantur, secandis marmoribus exercerentur; satis tamen est, vt vera sint, quae dixit Isidorus, gladiatores aliquos ab ergastulis educi solitos, vt eiusmodi exercitationibus occuparentur. Id quod luculentissimo Plauti testimonio comprobari facilè potest. Is sic inquit: *Ducite,*

Plaut. in Captiu.

Vbi ponderosas, crassas capiat compedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias.

Quae omnia propterea dixerim, quod plerumque contingat, vt, quoniam pij viri vetitatis studio, nonnumquam Sanctorum in leuioribus causis dicta non admittunt, liberam sibi inde arripiant impij licentiam, sanctissimos viros, Ecclesiae clarissima lumina, scientiarum omnium culmina, etiam in grauioribus tractationibus, quae ad eos potissimùm spectant, audacter ac temerè reprehendendi. Sed ad institutum nostrum redeamus. seruos ergastulis detineri solitos vidimus ad operandum. At quaenam illis opera potissimùm credita? Agricultura, Lucano teste

SERVI ergastulis detinebantur, vt agriculturae, vel aquae conuehendae operam darent.

Lucanus.

----vincto fossore coluntur
Hesperiae segetes.

Tertull. lib. 2. aduersus Marcion.

Ideo Tertullianus allusione docta Adamum testatur in ergastulum terrae laborandae relegatum. Deinde etiam de aqua conuehenda meminit Plautus, minas referens Olympionis villici aduersus Chalinum, sic inquiens:

Plautus in Cassina.

Posti id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora vna, & vna semita,
Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia.
Quae nisi erunt semper plena, ego te impleboflagris.
Ita te aggerunda curuum aqua faciam probè,
Vt postilena possit ex te fieri.

Hoc verò conferendae aquae munus Nathinaeis cum seruitute perpetua denunciatum à Iosue vidimus, eorumque habitationis locum Ophelem fuisse iam satis agnouimus. Quocirca nulla alia re à Romanorum ergastulis Ophelem diuersum fuisse cognoscemus, quàm quòd illis vincti Ophele tantummodo inclusi detinerentur: quamuis & plura ergastulorum genera fuisse, non videtur dubitandum: alia, quibus duriore seruitute premerentur; alia verò, quibus faciliori detinebantur inclusi, prout ex allato Tertulliani testimonio probari etiam poterit. Quapropter Custodiae portam, quae Ophelis erat, Iudicij etiam dici potuisse cognoscimus, quoniam in ea seruorum causae agerentur. Quamuis & aliud ergastulum seuerum magis iuxta hanc portam exstitisse nihil prohibet, quo fontes ex ijsdem Nathinaeis detinerentur, & ad iudicium vocati damnarentur: atque adeo à praedicto carcere porta haec Custodiae diceretur.

OPHEL ab ergastulis Romanorum quantum differat.

CVSTODIAE porta dicitur, & Iudicij, qua Ophele detenti custodiebantur.

Et vsque ad cenaculum anguli, Hebraicè עלית הפנה ghalijath hapinna. Vtramque vocem superiùs interpretati sumus. Priorem que *ascensum* conuertit ibi vulgatus; idemque significat, ac cenaculum, sublimem inquam, ac excelsam habitationem. Quamuis enim locum cenae cenaculum vocare consueuerant priùs Latini, postquam verò in superiore parte cenitare coeperunt, superiorem vniuersam domum cenacula compellauerunt, Varrone teste. Cui adstipulatur Festus: Cenacula, inquiens, dicuntur, ad quae scalis ascenditur. Quare meritò Hebraicam vocem עלית ghalijoth, quae sublimem, excelsum propriè significat, cenaculum vertere frequenter Latini consueuerunt. Ea verò Hebraica vox alteri coniuncta, quae anguli aciem propriè denotat, celsum angulum significabit:

Sup. c. 18. huius lib.

M. Varro. Fest. Pomp. CENACVlum quid significet.

A nosque propterea angulum substructionis templi accipimus, qui Aquilonem, & Orientem spectabat, cui coniungi necessum fuit tractum muri, in quo aperiebatur porta Custodiae, vt ea ratione venientibus super murum binis cantorum choris, stantibusque in porta Custodiae, aditus in templum pateret, iuxta dedicationis historiam. Haec verò porta Ophelis potiùs, quàm vrbis dici potuisset: per eam enim in campum egredi non dabatur, sed è ciuitate egressos in Ophelem ducebat, & ex Ophele in nouam ciuitatem, quae vt vidimus, vocabatur Bezeta.

OPHELIS haec porta dici potuisset.

Et inter cenaculum anguli, in porta Gregis, aedificauerunt aurifices, & negotiatores. Quò autem hunc vltimum versiculum meliùs interpretemur, ordinem naturae teneamus oportet, ac ptimùm, qui sint aedificatores; mox quantum aedificauerint, breuitet ostendamus. Primùm igitur *aurifices* (sic enim legendum cum Sixtiano codice, & Hebraeis, non artifices, vt mendosi legunt) Hebraicè צרפים tsorphim, quam vocem fusores, qui igne metalla excoquunt, aut expurgant, conuerti solitam suprà ostendimus. Quapropter *aurifices* meritò eam interpretatur vulgatus, vtpote metallorum expurgatores. Septuaginta χαλκῆς chalcis legunt, quae vox à voce χαλκὸς chalcos aes significante deducta videtur, aerarios licebit conuertere. Latinus verò eius interpres vniuersaliorem vocem reddidit, fabros sctibens; cùm aerarij tantùm fabri intelligi debeant, iuxta Hebraicam, & Latinam versionem. *Negotiatores* Hebraicè רכלים rochelim; eandem vocem paulò superiùs scruta vendentes reddidit vulgatus, & meritò iuxta ea, quae ibidem ostendimus. Septuaginta ῥωποπῶλαι ropopolae, iuxta vocis acceptionem, ῥωποπῶλαι ropopolae, vel ῥυποπῶλαι rypopolae legendum videbatur. Significat autem ea vox idem ferè, ac Hebraea, quam suprà tractauimus, vtpote deducta à verbo ῥωπίζω ropizo, quod miscellaneam condituram facere significat. Quare ea vox minutarum, & omne genus retum venditorem indicabit, seu pigmentarium. Atque ideo non minùs hoc loco, quàm superiore Latinus Septuaginta interpretum translator, scruta vendentes scripsit. Fuisse autem huiusmodi aurifices, & negotiatores in foro pecuario, suprà etiam notaui. Quapropter ad ipsos potissimùm spectare videbatur, vt reliquum muri vsque ad portam Gregis instaurarent. Et hoc est, quod vltimo loco tractandum suscepimus. *Inter cenaculum anguli, in porta Gregis.* Ex Hebraeo sic conuertit Pagninus: Et inter cenaculum anguli ad portam Gtegis, vsque ad, Vatablus, & meritò: nam praepositio Hebraea ל lamed vtrumque significare consueuit: Septuaginta sensum reddiderunt; καὶ ἀνὰ μέσον τῆς πύλης τῆς προβατικῆς cae ana meson tis pylis tis probaticis, & inter medium portae Gregis, hoc est, quantum supererat aedificandum inter aedificata à Melchia, aurificis filio, & portam Gregis, id omne aedificauerunt *aurifices, & negotiatores*. Haec in seipsam conuersa muri exacta commemoratio à potta Gregis incipiens, & in eandem rediens, manifestè testari videtur, Nehemiam instaurationem muri ordine prosequutum, vniuersumque tum demum absolutum fuisse, cùm *aurifices*, & *negotiatores* instaurantium vltimi, aedificium coniunxere cum porta Gregis, à priori instauratore Eliasibo aedificata. Atque hac ratione tam arduum, tam magnum opus, & sua difficultate, & hostium insidijs maximè praepeditum, Deo bene iuuante, ac Nehemiae

XXXI.

AVRIFICES qui dicantur.

Sup. c. 10. huius libri. v. 8.

FABRI qui propriè sint.

NEGOTIATORES ijdem qui scruta vendentes.

QVANTum aedificauerint aurifices, & negotiatores.

ORDINE processisse Nehemiam in enumeranda instauratione probatur.

miae ducis assidua sollicitudine, populique deuotione cooperante tandem absolutum est, die vigesima quincta mensis Elul, qui est anni sextus, partimque nostro respondet Augusto, exactis duobus & quinquaginta diebus, prout ab ipso Nehemia testatum est. Ex quo fit manifestum, die quarta mensis Hab, qui est anni quinctus, surrexisse Eliasibum sacerdotem magnum, vt vnà cum fratribus suis sacerdotibus muri instaurationem à porta Gregis aggrederetur. Hic autem idem mensis, quinctus etiam videtur esse ab obtenta facultate instaurandi; quia vt suprà vidimus, in mense Nisan, qui est anni primus, data est Nehemiae potestas murum aedificandi: quo absoluto & nos hoc caput absoluemus.

TEMPVS, quo instauratio coepta, & absoluta est. *Nehem. 6. ℣.15.*

Sup. cap. 3. huius lib.

DE PORTA BENIAMIN SVPERIORE, *& inferiore, ac de duplici Ieremiae carcere. Cap. XXIIII.*

VIDIMVS instaurantium ordinem, muri aedificati seriem ac dispositionem; quà rectà tendat, vbi à rectitudine deflectat, flexus, recessus, ambages, portas, munitiones, ac turres, Nehemia referente, audiuimus. Quibus nos quoque lectori feciisse satis arbitrari potuissemus, nisi longè diuersa nos, atque Nehemiam, obligatio teneret. Is enim non totius vrbis singulas partes percensere, sed quas vnusquisque aedificantium instaurasset, ordine prosequi decreuerat; quò factum est, vt nonnullas vrbis portas, & partes silentio praetermiserit; quoniam vt dixi, euersae minimè fuissent, ac propterea instauratione minimè indigerent: nos verò contrà, quoniam totius videndae vrbis, ac singularum eius partium studio tenemur; iterum perlustrare murum cogimur, vt quae à Nehemia praetermissa videntur, inuestigemus.

IN QVO differat instituum nostrum à Nehemiae narratione.

Planè scio portam Beniamin nonnullis sacrae Scripturae locis eommemorari, neque vnicam tantùm, sed duplicem. Earum porro tractatus, & intelligentia mihi non grauis, lectori grata, & nostrae huic disputationi necessaria videtur. Legimus autem apud Ieremiam haec verba: *Percussit Phassur Ieremiam prophetam, & misit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin superiori in domo Domini*. Quae non inconcinnè interpretatur Liranus, superiorem portam eam dici arbitratus, eò quòd duplex fuisset porta sic nominata: sed vna, inquit, erat in loco superiore, in quo erat cippus ille. In domo autem Domini dici putat exstitisse, quoniam erat ea porta intra sepia, ad templum pertinentia. Et quidem manifestum omnino fit, portae cuiusdam meminisse eo loco Ieremiam, quae templo fuisset vicina. Longè autem ab hac diuersam fuisse aliam huius nominis portam, in qua comprehensus fuit iterum ipse Ieremias; mox ostendemus, si priùs huius superioris situm, denominationem, rationes inuestigemus. Quòd templo fuisset ea porta proxima, probat, praeterquam quòd in domo Domini dicitur exstitisse, ipse contextus, atque rei euentus, quem sigillatim percenset Ieremias: *Venit autem*, inquit, *Ieremias de Topheth, quò miserat eum Dominus ad prophetandum, & stetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem populum*, &c. *Et audiuit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Ieremiam prophetantem sermones istos, & percussit Phassur Ieremiam*, &c.

DE PORTA Beniamin superior. TEMPLO proxima fuit. *Nicol. de Lira.* PORTA Beniamin duplex. *Ieremiae 19. ℣.14.* *Ieremiae 20. ℣.1.*

Quibus verbis manifestè ostenditur, Ieremiam prophetam, qui ab impio templi principe, eò quòd prophetaret, supplicio adiudicabatur, in templo comprehensum, quod erat prophetis audiendis potissimùm destinatum, atque in neruum missum, quod templo ipsi erat proximum: neque tantùm loci propinquitate ad templum pertinere videbatur; sed quoniam ditioni sacerdotum subijceretur, vt in eiusmodi neruo delinquentes in templum, detinerentur, ac nerui grauissima custodia, quasi supplicio quodam plecterentur. quod vel ipsemet Phassur significare voluisse videtur. Nam *cùm illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Ieremiam de neruo*. haud quidem iniquissimi facinoris conscientia tactus, quod si fuisset, sequentia Prophetae verba illum ad salubre paenitentiae consilium adduxissent; sed fortè veritus, ne grauissimi nerui perpessioni succumberet Ieremias, atque ipse Phassur tamquam homicidij reus, dignitate, sacerdotio, facultatibus priuaretur, ac vita. Theodoretus in tantum videtur huic sententiae subscribere, vt locum hic commemorari arbitretur subterraneum, cuiusmodi multa habebat templum à Salomone aedificatum. Verùm quamuis Graeca voce, quae *neruo* Latinae, substituitur, eiusmodi subterraneus locus significari aptè posset; tamen sontium locum, & supplicium in templo exstitisse nulli rationi videtur eondecens, multoque minùs sacris illis ministerijs, quae in templi crypto, porticibus exercebantur quamplurimis, prout suis locis ostendimus. Quocirca nulla ratione arbitramur huic disputationi nos posse satisfacere, nisi priùs breuiter, quid neruo significetur, perstringamus.

TEMPLVM prophetis audiendis potissimùm destinatum erat. NERVVS pro delinquentibus in templum, maxmè si in templo peccabant. *Ibid. ℣.3.* *Theodoret. sup. Ierem.* INTRA templi sepia non erat carcer, aut delinquentium neruus.

Quoad primum, Hebraicè habetur על המה פכת ghal hammah pechet super, vel in neruum, aut carcerem posses conuertere; quoniam ea vox eorum ferè omnium sententia, qui Hebraea interpretantur, quid propriè significet, non agnoscitur: manifestum est tamen, eam à verbo הפך haphac deduci, quod omnem verbi, verto, cum suis compositis omnibus significationem amplectitur. Eius rei exemplum vnum, aut alterum subiungam: *Subuerti vos*, inquit Dominus apud Amos, *sicut subuertit Deus Sodomam, & Gomorrham*; vel vt alij interpretantur, ad instar subuersionis Sodomae, & Gomorrhae. Sic etiam in Deuteronomio: *Ita vt vltrà non seratur; nec virens quidpiam germinet in exemplum*, ad instar, *subuersionis Sodomae, & Gomorrhae*, &c. Quocirca Hebraeorum nonnulli interpretes eum locum coniectant hammapechet, hoc est, subuersionis dici, eò quòd subuertendi in eum demitterentur; quasi fuerit quoddam carceris genus, in quo morte multandi tantummodo propter eius grauitatem detinerentur. Verùm Septuaginta interpretes longè diuersam sequuti videntur vocis notionem: nam ipsi, quos imitatur Theodotio, cataractem scribunt, quam vocem non in aliam videtur licere conuertere, quàm in abruptum, seu praecipitem locum, prout eam interpretatus est vocem

NERVVS quid Hebraeis significet. *Amos 4. ℣.11.* *Deut. 29. ℣.23.* NERVVS in cataractem, hoc est, praecipitium conuertunt Graeci.

vocem Theodoretus. At Hieronymo teste Symmachus, βασανιστήριον basanistirion, siue πρεβλωτήριον strebiotirion conuertit, quod vtrumque tormenta significat. Quas voces optimè interpretatur Hieronymus: vtraque enim ex aequo significat locum, quo homines torquentur, cruciantur, constringuntur; eiusmodique tormentis interrogati examinantur. Assentiuntur his quoque Rabbini. Chimchius scripsit fuisse instrumentum, è duobus confectum lignis, inter quae erat locus colli, vt ibi vincti collum tenerent; subditque vulgò vocari cepz, Hispanis dicitur cepo. Solent in illud manus, nonnumquam pedes etiam simul immitti, quò maiori crucietur incommodo, qui in illud conijcitur. Subiungit verò praeallatis Graecorum testimonijs Hieronymus. Nos autem neruum diximus more vulgari; quod tormenti genus etiam in actibus Apostolorum legimus, quando Apostolus Paulus, & Silas in custodiam carceris dati sunt. Hactenus ille. Locus autem, quem citat, sic habet: *Misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno*; Graecè εἰς τὸ ξύλον is to xylon, in cippum, posses vertere, si Latina fuisset ea vox.

S. Hieron.

Rab. Ioseph Chimchi.

NERVVS Rabbinis est idem, quod vulgò dicitur Hispanis cepo.

Act. 16. v. 24.

NERVVS Latina vox, quare vinculum significet. *Festus.*

Habemus igitur manifestè testatam Hieronymi mentem, qui cùm neruum conuertit, vinculum significare voluit. Quare autem vinculum significet neruus, Latina vox testatur. Festus sic appellari putat vinculum ferreum, quo pedes, aut etiam ceruices impediuntur. Quare autem ferreum vinculum neruus diceretur, conijciendum nobis est, cùm nullibi legatur, quòd viderim: id autem propterea sic denominari coeptum arbitramur, quod eiusmodi vincula ex duratis neruis primùm fierent; neque id sine exemplo; siquidem testudinis musici instrumenti manubria ex neruis confecta olim fuisse, quae antiquissimis marmoreis monumentis efformata conspeximus, planè testantur.

His igitur sic statutis, loci sensum, ac portae situm perscrutari non erit difficile. Coniectus namque primùm in neruum fuisse credendus est Ieremias. Neruum autem in ipso templo exstitisse nullus credet, qui sceleribus maximè templum coinquinari, ac deinde sceleratis audierit. Neruus verò sceleratorum proprium supplicium constitui sanè potuisset in taetro & profundo aliquo carcere: qua etiam ratione sententiam Graecorum non abijciemus. Illud tamen nonnihil illis obesse videtur, quòd in porta Beniamin fuisse dicatur; quoniam cùm haec vrbis fuerit porta, vt mox ostendemus, facilè credendum est, eam reliquis portis, ac turribus vrbis similem fuisse. At omnes turres vrbis, prout suprà vidimus ex Iosepho, vsque ad viginti cubitos altitudinis erant plenae, & solidae, nihilque in eis reliquum fuerat inane, quo detinerentur custodiendi: non ergo fuit locus subterraneus, immo potiùs sublimis, & pensilis. Nisi fortè & hoc Hebraicae denominationi tribuendum videretur, vt tametsi locus totus credatur sublimis; tamen quòd à superiore tantùm parte haberet ingressum, lumineque careret, haud secus quàm in profundum puteum, aut taetrum barathrum detrudi viderentur, siue subuerti, qui in eum locum custodiendi immittebantur.

NERVVS sceleratorum non fuit in templo, quod sceleribus maximè polluereretur. NERVVS quomodo in profundo carcere esse potuisset.

Sup. lib. 2. vrb. cap. 20.

QVARE carcer diceretur subterraneus.

Neque ideo praedictis obstat, portam Beniamin dici domus Domini: id enim eius nobis locum proprium ostendit. Oportet tamen priùs in memoriam reuocare, quae priori libro diximus de prima vrbis Hierosolymae fundatione, & de tribuum Beniamin, & Iuda in media vrbe communicatione. Nam cùm Dauid montem Sion totum muniuisset, in eius aquilonari vrbis parte absque dubio portas aperuit; ex ea enim parte, vt ostendimus, maximè portis indigebat; à Meridie verò propter praeruptas rupes, inutilis fuisset portarum vsus. Vna autem ex ijs portis, antequam templum à Salomone aedificaretur, porta Beniamin meritò dicebatur; quoniam viam euntibus ad eam tribum aperiebat; tribus namque Beniaminiticae fines à medio monte Moria ad Aquilonem protendebantur. Hanc autem pottam in media ferè latitudine vrbis exstitisse conijcimus, ad eum nempe locum, quo pontem Xystum exstitisse probauimus. Postquam autem templum à Salomone exstructum fuit, cuius fines ad eam vsque portam extendebantur, vt in descriptione patet, iam tum illa porta non ampliùs ad inferiorem vrbem ducere potuit, sed ad templum tantùm, & à templo ad superiorem vrbem. quare domus Domini porta dicta & habita potiùs, quàm vrbs fuit. Deinde verò posteaquam vrbs tota protuberans ad Aquilonem maximè excreuit, aedificata Caenopoli, eiusdem nominis porta alia in angulo, Aquilonem & Orientem prospectante, aperta fuit in turri Hananeel. Huius autem portae, eiusque denominationis habemus auctorem Benedictum Ariamontanum, qui eius mentionem à Nehemia factam non fuisse putat, quòd fortassis suo tempore concluса fuerat. habemus etiam Borchardum Adrichomium, & alios.

A MERIdie portas non habuit vrbs.

TRIBVS Beniaminiticae fines vbi incipiant.

PORTAE superioris situs, & vsus.

PORTA inferior, eiusque situs probatur. *Bened. Ariamont. in Hieruf. Borch. p. 1. c. 7. 8. 45. Adrichom. de vrb. n. 155.*

Quòd si hoc ita est, vt fuisse credimus, & inox probaturi sumus, ex harum portarum situ facilè quis intelliget, cur ea, quae domus Domini dicitur porta, dicatur etiam superior; nempe, quia & superioris erat vrbis, & loco, ceteris ferè omnibus Hierosolymae portis eminebat. Atque hoc tam perspicuo sacrae Scripturae apud Ieremiam testimonio probata satis manere videtur porta superior.

QVARE sit dicta porta superior.

Ierem. 20. citato.

De inferiore verò exstat apud eundem Ieremiam illustre pariter testimonium huiusmodi: *Egressus est Ieremias de Ierusalem, vt iret in terram Beniamin, & diuideret ibi possessionem in conspectu ciuium. Cumque peruenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos portae per vices, nomine Ierias*, &c. *& apprehendit Ieremiam prophetam, dicens: ad Chaldaeos profugis.* Quae quidem facti commemoratio nulla ratione videtur superiori portae aptari posse. Primùm, quia egressus dicitur Ieremias de Hierusalem ad portam Beniamin; at quam diximus, porta superior in media vrbe constituta, qualibet sui parte in vrbem ducebat, vel ad inferiorem, vel ad superiorem. Hocque ipsum confirmari videtur Iosephi testimonio, qui in itinere comprehensum Ieremiam tradit. ex quo conijcere licet, non in media vrbe comprehensum fuisse. Quibus addendum videtur, quòd nullum ne suspicionis quidem leue indicium dedisset Ieremias in superiore porta comprehensus, quòd fugeret ad Chaldaeos; posset enim si ab vrbe superiore descendebat, fingere se ire in templum, cùm, vt dixi, illac tantummodo duceret via per portam Beniamin descendens. Quòd si à templo egrediebatur in superiorem vrbem, nulla erat ex illa parte via ad Chaldaeos ducens, cùm contrà aquilonares inferioris

Ierem. 37. v. 10. & 11.

PORTA inferior alia probatur fuisse à superiore.

Ioseph. 10. antiq. c. 10.

vrbis portae omnes ad Chaldaeos ducerent, illa propiùs, quae ad oliuarum etiam montem spectabat, quem tum Chaldaei, tum plures alij vrbis oppugnatores Iosepho teste subiere. Comprehensus igitur Ieremias in porta Beniamin inferiore, quam portam Anguli dici falsò putarunt nonnulli, vt suo loco vidimus, sistitur ante principes, qui *irati contra Ieremiam, caesum eum miserunt in carcerem*: non iam in illum eundem portae Beniamin superioris: immo verò in eum, quem suprà ostendimus domui Regiae fuisse proximum. Fuisse autem diuersum ab illo probant longè diuersa verba, quibus hic & ille carcer describitur. Hic enim *ingressus* dicitur Ieremias *in domum laci, & in ergastulum*; ibi verò in neruum tantummodo coniectus. Fuisse autem Regiae vicinum huiusmodi ergastulum, probat eiusdem loci historia, quae sic habet: *Mittens autem Sedecias Rex, tulit eum*, Ieremiam, *& interrogauit eum in domo sua absconditè*. Quod non facilè praestare potuisset Rex, nisi Regiae proximus esset locus, quo detinebatur Ieremias.

Ibid. ℣.14. DE CARCERE, in quem missus fuit secundò Ieremias.

Quibus sic stantibus, silentio minimè praetermittendum videtur, Ieremiam & à sacerdotibus dira passum, & à principibus populi, & apud templi principem, grauissimis constrictum vinculis, pernoctasse; cùm tamen diu apud principes saeculi infixus fuerit in limo profundi; vt non tantùm manifestissimis prophetijs Christum Dominum, eiusque acerbissimas perpessiones referat; verùm consimilia passus, Christum Dominum repraesentet, apud Caipham Pontificem noctu quasi in carcere ac vinculis asseruatum, acerbissimisque doloribus affectum; apud Pilatum verò praesidem, tot ac tam magna tormenta passum, vt vel singula singulis aquarum guttis collata, immensum complerent mare, in quo natare facilè potuisset, in eiusque profundi limo demergi, vt ab eodem Domino luculentissimo psalmo testatum est.

IEREMIAS à sacerdotibus dira noctu passus, diu à principibus populi, Christi symbolum fuit.

℣sal.68.

Ad finem tandem huius capitis reddenda videbatur ratio, propter quam huius inferioris Beniaminiticae portae numquam meminerit Nehemias, instaurationem commemorans. Verùm ipsamet interrogatio proposita, & apta videtur esse responsio, & omnis eiusmodi dubitationis solutio; quoniam, inquam, instaurationem commemorat, vt aliàs dixi, atque adeo eas tantummodo retulit muri partes, portas, ac turres, quae instauratae fuerunt; reliquas non item. Quapropter significare voluisse videtur Nehemias turrem Hananeel cum porta Beniamin, quae in ea fuerat priùs, apertaque semper fuit, integram permansisse; ideoque vsque ad turrim Hananeel aedificauerunt cum Eliasibo sacerdotes; turrim verò, aut portam, quae aedificata permanserat, minimè aedificauerunt.

QVARE Nehemias portae Beniamin non meminit.

DE PORTA FICTILIS, EIVSQVE MVLTIPLICI *denominatione. De valle Topheth, atque agro Acheldema.* *Cap. XXV.*

PORTAM Fictilis vnus tantummodo Ieremias commemorat, & semel tantùm. Verùm quò huius portae faciliùs haberi ratio posset, diuina quadam prouidentia actum est, vt ex Hebraea, Latina, & Chaldaea lectione diuersae admodum notiones, ex singulis singulae deducerentur. Quò factum est, vt pluribus portae signis vnà collatis, portae situs, & ratio perspecta habeatur. Locus autem Ieremiae sic habet: *Haec dicit Dominus: vade, & accipe lagunculam figuli testeam à senioribus populi, & à senioribus sacerdotum; & egredere ad vallem filij Ennom, quae est iuxta introitum portae Fictilis.* Et quidem primùm hanc fuisse portam ciuitatis in extimo muro apertam, vtpote quae in vallem Ennom viam aperiret, planè ex ipso contextu apparet, ita vt interpretatione non indigeat. Atque idipsum Hebraea phrasis magis continere videtur, quae sic habet: אשר פתח שער החרסות aser petthach scaghar hacharsioth, quae, nempe vallis, ostio portae hacharsioth solaris, vel Fictilis, subaudi, proxima erat. Cumque tota valliis Ennom in longum muri orientalis vrbis ducta, omnibus eius portis proxima fuisset, manifestè intelligemus, prophetam mitti ad eam partem vallis, quae huic portae erat magis proxima. Ex quo etiam manifestum fit, non esse portam hanc cum alijs confundendam. Quo autem loco statuenda sit, vel ex eo primùm haberi posse videtur, quòd ad prophetandum contra vallem Topheth mittitur propheta, quam sordibus abominationum suarum repleuerant Reges Iuda, populi, sacerdotumque seniores impijssima, & ferarum immanitatem superantia peragentes sacrificia Baalim. *Et aedificauerunt*, inquit, *excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: quae non praecepi, nec locutus sum, nec* eorum similia *ascenderunt in cor meum.* Quasi quid exsecrandum commemorans Deus, eius omnem suspicionem, immo & memoriam longè à se repellit, ac si vulgò Hispanè diceret; quemauan, dios nos guarde sus hijos viuos. Ad eum ergo locum, quo huiusmodi exsecrandi sceleris auctor Baal residebat in saltu, se missum fuisse significare voluit ipse Propheta, cùm subdit: *Et non vocabitur amplius locus iste Topheth*, &c. Id quod probare videtur Sanctus Hieronymus, qui iussum fuisse testatur prophetam egredi ad vallem filij Ennom, in qua erat delubrum Baal, & nemus, & lucus Siloë fontibus irrigatus. Quibus Hieronymi verbis, quasi digito nobis portae Fictilis situs ostenditur. Nam siluam, & lucum inferiorem oportet semper esse fonte, quo irrigatur. Statuamus ergo ob oculos dispositionem, & accliuitatem vallis Ennom, & comperiemus eam descendere ab Aquilone in Meridiem, id quod Nehemias apertè testari videtur,

Ierem. 19. ℣.1. & 2.

PORTA Fictilis in exteriore vrbis muro aperta fuit.

LOCVS portae Fictilis ex propinquitate vallis Topheth probatur. *Ibid. ℣.5.*

VALLIS Ennom ab Aquilone descendit in Meridiem.

S. Hieron. sup. Ierem.

tur, dum tradit ascendendum fuisse aedificatoribus à porta Equorum ad portam Gregis, nempe à Meridie in Aquilonem. Atque iterum manifestè saris: nam cùm egressus fuisset *per portam Vallis nocte*, indeque ad portam Fontis venisset; cumque totum montem Sion ab Occidente in Orientem per Meridiem circumdedisset, vallem Ennom ingressus, vtique à Meridie Aquilonem versus ascendit *per torrentem*, vt rediret ad portam Vallis, prout suprà omnia perpendimus.

Sup. cap. 6. huius lib. Beda lib. de locis sanctis cap. 6.

Exstat autem venerabilis Bedae locuples de hac re testimonium huiusmodi: Iuxta murum templi, vel Hierusalem, Gehennon occurrit, quae est vallis Iosaphat à septemtrionali plaga in Austrum porrecta; per quam torrens Cedron, si quando pluuiarum aquas recipit, decurrit. Haec vallis, & parua campi planities irrigua, & nemorosa, plenaque delicijs, locum quondam Baali sacrum habuit. Haec ille. Quibus & illud manifestè testatum habemus, torrentem Cedron iuxta decursum vallis ab Aquilone Meridiem versus defluxisse. Et cùm non viuis, ac perpetuis aquis affluaret torrens, sed tantùm hibernis, ac pluuialibus, hoc etiam testimonio, Hieronymi sententia confirmatur, attestantis, aquis Siloë irrigari siluam, aut nemus Topheth, in quo fanum Baali exstructum fuerat. Quocirca necesse est eam siluam inferiorem multò fuisse ipso fonte, & natatoria Siloë, nempe magis ad Meridiem in valle Ennom. Verùm cùm omnes orientalis vrbis portae ad Aquilonem fontis Siloë constitutae, vt vidimus, longè ab eo fonte distent, multò magis eos distare necesse est à loco Topheth, quem exstitisse ad Meridiem fontis probatum est; quemque iuxta introitum portae Fictilis constitutum fuisse tradit Ieremias. Quo quidem validissimo argumento falsitatis conuincuntur chorographi illi omnes, qui portam Aquarum etiam portam Figuli dictam fuisse arbitrantur. necessarium ergo est, aliam à praedictis aperire, quae ipsi fonti Siloë proxima sit.

VALLIS Topheth ad Meridiem statuenda, fons Siloe versus Aquilonem.

His ergo ducti rationibus, inter flexuram, & angulum, quem recessus natatoriae Siloë constituit in muro, portam Fictilis aperuimus. Quam propter saepius allatam rationem cùm non commemorasset Nehemias, illam tamen praetermissam fuisse, vel ipsius verba commonstrant, dum ait: *Post eum* Azariam, *aedificauit Bennui filius Henadad mensuram secundam, à domo Azariae vsque ad flexuram, & vsque ad angulum*; atque cùm nullum alium interponat aedificatorem, subdit: *Phalel filius Ozi contra flexuram, & turrim, quae eminet de domo Regis excelsa*, &c. Necessarium autem fuit inter angulum, & secundam flexuram spacium aliquod interceßisse, sicut inter priorem flexuram, & angulum duplex interceßit mensura; quod spacium quoniam instauratione non indiguit, ideo fuit praetermissum, atque in eius medio porta Fictilis aperta fuit. cuius praeterea situm maximè confirmabunt, quae de eiusdem portae nominibus tractanda suscipimus.

QVARE portam Fictilis non commemorauerit Nehemias. *Nehem. 3. ℣. 24.*

HEBRAICUM portae Fictilis nomen.

Et quidem primùm Hebraicum nomen חרסות charsioth à radice חרס cheres deduci videtur, quae Solem significat, sic dictum, vt aliqui putant, ab ardore, & exsiccatione. Eius fit mentio in libro Iudicum: *Reuertensque de bello*, Gedeon filius Ioas, *ante Solis ortum*; Septuaginta ab ascensione ares: Pagninus: desuper existente Sole, hoc est, antequam Sol occideret. Idem tenere videtur Chaldaeus, vsque non intrare Solem, vertens. Vatablus, à loco accliui ad orientalem plagam; quamuis in scholijs Hebraica videatur Latinis conciliare, ante ascensum Solis scribens, hoc est, antequam Sol ascenderet supra horizontem. Fit eiusdem vocis mentio apud Isaiam: *Ciuitas Solis*, inquit, *vocabitur vna*. Et Iob: *qui praecipit Soli*, inquit, *& non oritur*: Hinc deductam putant vocem חרסות charsioth, quasi dicas solarem, siue orientalem. Nonnulli Hieronymum hanc vocem in Fictilis conuertisse arbitrati sunt, eò quòd sumeret ס samech pro ש sin sinistro. Verùm cùm hos omnes perspicaces censores alucinari putemus, si cum vno Hieronymo conferantur, qui Hebraicae litteraturae peritissimus, & sacrorum librorum sollertissimus fuit interpres, nihil temerè, aut sine magno consilio hac in parte actum fuisse ab Hieronymo statuimus: immo verò ex consimilium vocum notionibus rem ipsam, quam significare voluerat textus, mirificè expressit. Nam praeterquam, quòd praedictae duae litterae Hebraeis commutari frequenter soleant, vtpote quae consimilem in pronunciatione sonum reddant, ipsa etiam ratione, atque exemplis mox afferendis facilè constare poterit, quàm accuratè Hieronymus *portam Fictilis* conuertit: חרש chares enim cum ש sin siboleth, hoc est, habente punctum in sinistro cornu, significat testam, fictile, igne, vel Sole coctum. In hoc enim congruit haec vox cum superiore חרס cheres, quasi diceret Hispana phrasis, asoleada. Quòd autem vox חרש cheres cum ש sin Solem etiam significet, manifestum est ex Iobi testimonio, qui cete magnum longa oratione describens, sic post multa: *Sub ipso*, inquit, *erunt radij* חרש cheres *Solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum*. Quo in loco vtriusque vocis acceptionem in vnum coniungere voluisse videtur Rabbi Dauid, qui sic interpretatur: margaritae splendidae sicut Sol. Rabbi Leui: Petrae acutae similes testis acutis ob suam ariditatem, super quas tota sua mole dormiet, & non laedetur. Targhum: Frustra acuta, vt testae. Quam quidem sententiam, quae Hebraeorum, atque Graecorum communis videtur, tenet etiam vulgata nostra lectio, non qualescumque acutas significans, sed acutissimas, verubusque simillimas, pluresque seriatim dispositas, quas eleganti translatione vocauit radios Solis. Septuaginta interpretes propriè obeliscos posuerunt, qua ratione ostendit Iob durissimam, ceti cutem, qui super acutissimas testas, solaribus radijs quàm simillimas, siue etiam super aureis tribulis versetur, aut molliter cubet, haud secus quàm super molli luto; id enim significant sequentia; *& sternet sibi aurum quasi lutum*.

Vatabl.

Isai. 19. ℣. 18.

Iob 9. ℣. 7.

HIERONYMI ac vulgatae defensio.

Iob 41. ℣. 21.

SOLIS radij acutis verubus conseruntur.

Rab. Dauid.

Rab. Leui.

Targhum.

His ergo sic statutis, examinandum nunc venit, quare sic diceretur ea porta. Liranus quorundam sententiam citat, asserentium, portam eam Fictilis dictam, quòd iuxta eam figuli habitarent. Quam rationem quoniam veram ducimus, explicabimus, cùm primùm reliquas portae denominationes percensuerimus.

QVARE sic fuerit denominata porta Fictilis.

Liranus.

Quòd ad Graecos attinet, Hieronymus sic de eis scribit: Pro porta Fictili Aquila, Symmachus, & Theodotio ipsum verbum posuerunt Hebraicum חרסית charsith, pro quo Septuaginta iuxta morem suum pro aspiratione ח cheth litterae addiderunt χ chi Graecum, vt dicerent Charsith, pro Harsith. Haec ille. Quocirca cùm Graeci nullam superaddant voci interpretationem, hoc tantùm significare volunt, nomen charsith vel charsioth vsurpa-

GRAECI ח chet Hebraicum in χ conuertunt.

vſurpatum ab eis, quaſi portae proprium fuiſſe, ideoque non interpretandum rati ſunt. Longè tamen aliter Chaldaeus paraphraſtes, qui ante portam קילקלתא chilchelatta ſcribit: eam aurem vocem Latinus Chaldaei interpres portam ſtercoris conuertit, neque immeritò; eadem enim apud eundem Chaldaeum in ſtercoris, neceſſariò vertenda eſt, in libris Regum, & pſalmorum, vbi habetur, *de ſtercore erigens pauperem*. Significat autem ea vox non tam ſtercora, quàm luſtramenta, ſordes, puluerem, paleas, ea inquam omnia, quae voce Hebraica גלל galal ſignificari ſuprà diximus.

CHALdaeus hanc portam ſtercoris vocare videtur. 1. *Reg.* 2. *v.* 8. *Pſal.* 112. *v.* 7. *Sup. lib.* 1. *cap.* 9.

Ex qua Chaldaei interpretatione originem ſumpſiſſe putamus conſtantem illam chorographorum noſtrae aetatis ſententiam, qui ferè omnes portam ſtercoris ad Orientem ſiſtunt; verùm vt larè ſuprà probauimus, porta quidem ſtercoris ad Occidentem ſtatuenda neceſſariò fuit; atque longè diuerſa ratione ſic fuit denominata porta ſtercoris, ac porta Fictilis. Illa enim, vt oſtendimus, propriè à ſtercore denominabatur, proprer fimeta, quae iuxta eam aſſeruabantur; haec autem non item, ſed propter ſordes, quae per hanc porram egerebantur, vel inibi proiectae conſpiciebantur. Ideoque Rabbi Salomon porram Fictilis ſic dictam putat, quòd prope portam illam proijcerenrur fragmenta vaſorum fictilium. quod non leui quidem coniectura à Rabbino rradirum puramus. Sed eadem vox Chaldaica, quae ſordes, ac luſtramenta ſignificat, paululum immutata קילקלתא chilchiltha, phialam ſignificat, habentem os anguſtum, ſic dictam abſque dubio propter ſonum, quem edir, quando ei liquor infundirur; differrque nonnihil ab Hebraica voce בקבק bachbuch, quae *lagunculam* ſignificat apud Ieremiam, quem interpretamur. nam cùm vtraque vox vas ſignificet anguſtum habens orificium, haec tamen Hebraica vas denotat paulò latius habens gurtur, quod dum infunditur, edit ſonum illum bachbuch; conſimili forſan onomatopoeia idem vas Italis dicitur bocal. At Chaldaica vox vas ſignificat os habens arctius, quod dum infunditur, edir illum alterum ſonum chilchiltha, Hiſpanis dicitur botija. Huiuſmodi verò teſtaceum vas praecipitur accipere à ſenioribus Ieremias, veniresque ad portam Fictilis, iuxta quam nempe eiuſmodi vaſa fiebant, confractaque paene innumera conſpiciebantur (vt prope figulorum officinas frequenter aſſolent) vt inibi confracta inter confractorum aceruos laguncula ruinam Hieroſolymitanorum ciuium, ac eorum miſeram cladem portendat; locuſque ille non ampliùs vocetur *Topheth*, *& vallis filij Ennom*, *ſed vallis occiſionis*; ſiue vt Septuaginta conuertunt, πολυάνδριον τῆς σφαγῆς polyandrion tis ſphagis, hoc eſt, locus plurium ſepulcrorum occiſionis, vel occiſorum.

Rab. Salom. apud Liran. A PROIEctis iuxta hanc portam fictilium vaſorum teſtis, porta Fictilis dicebatur.

CONFRActio lagenae quid portendat. *Ierem.* 7. *v.* 32.

Iam verò ſi praedicta omnia, quae de porta Fictilis dicta à nobis ſunt, in vnam ſummam colligantur, eadem quoque facilè nobis oſtendent locum illum celeberrimum, qui ager priùs dicebatur figuli; poſtea verò, quàm pretio ſacratiſſimi & inaeſtimabilis ſanguinis Chriſti emptus, & peregrinorum ſepulturae deputarus fuit, ager ſanguinis, ſiue Acheldema dici coepit.

VAE DIctus de porta Fictili, agro figuli, & de achelDema contenient.

Et primùm vt qua ratione haec duo cohaereant, ſibique inuicem reſpondeant, facili negotio cognoſcamus, teſtimonium Hieronymi examinandum eſt, quod ſic habet: Tapheth legimus in Ieremia Aram-tapheth; eſt autem in ſuburbanis Aeliae vſque hodie locus, qui ſic vocatur, iuxta piſcinam Fullonis, & agrum Acheldema. Qui locus ſcriptorum incuria ita eſt deprauatus, vt quid ſignificare voluerit Sanctus Hieronymus, vix poſſit ex eo percipi. Quare corrigendus priùs videtur iuxta ea, quae in eodem traduntur Ieremiae loco, quem citat. Ibi enim dum verba textus refert, ſic ſcribit: *Et aedificauerunt excelſa*, ſiue aram *Topheth*, *quae eſt in valle filij Ennom*. In commenrario verò ſic habet: Excelſa autem, quae Hebraicè appellantur במות bamoth, ſiue Aram *Topheth*, *quae eſt in valle filij Ennom*, illum locum ſignificat, qui Siloë fonribus irrigatur, & eſt amoenus, atque nemoroſus, hodieque hortorum praebet delicias. Hic autem gentilitatis error omnes prouincias occupauit, vt ad capita fontium, lucoſque amoeniſſimos victimas immolarenr, & omnis prauae religionis ſuperſtitio ſeruaretur. Topheth lingua Hebraea interpretatur latitudo. Quibus verbis ab amoenitate, ac loci delicijs deductam Topheti denominarionem ſignificare voluiſſe ſuſpicor Hieronymum, quaſi diceret, cordis latirudinem, quòd tantae amoenitatis, & pulcritudinis conſpectu hominum corda dilararentur. Verùm cùm vocis תפת topheth radix certò ſtatui vix poſſit, eius quoque certam notionem ignorari neceſſe eſt: ramen quid alij ſentiant, dum refero, quid quiſque ſequatur, ſibi integrum erit ſtatuere.

S. Hieron. ſup. Ierc. 7.

TOPHETH Hebraica vox quid ſignificet.

Putarunt quamplurimi radicem eſſe propriam, vel à תפה thaphah deduci, ſignificareque infernum, quò ſeducti decidunt: alij à radice יפת iaphath deducunt eam vocem, & portentum, rem mirabilem, inſolitam indicare volunt. Poſſet tamen & à radice יפה iaphah deriuari, & pulcritudinem referre. Semel legirur haec vox apud Iob: *Poſuit me*, inquit, *quaſi prouerbium vulgi*, *& exemplum coram eis*. In Hebraeo habetur תפת לפנים topheth lepanim, portentum faciebus, hoc eſt, omnibus me proſpicientibus admirabilis videbar, vel prae nimia pulcritudine, vel prae maxima dolorum, ac miſeriarum, quibus premebar, copia. Eam ſententiam tenuiſſe videtur Hieronymus, qui Toph gehennam, ſiue operculum oris accipiendum tradit. Atque hac rarione intellexiſſe arbitror locum Iobi Chaldaeum, qui in gehennam conuerrit Topheth: non enim credendum vlla ratione videtur, ſollertem inrerpretem in re tam manifeſta alucinatum, vt Tophetum apud Iob gehennam verteret ex eo, quòd amoeniſſimus quondam locus, poſtquam à Ioſia Rege conraminatus fuit, coeperit pro inferno, & poenarum loco vſurpari: ea enim omnia quamplurimis retro ſaeculis anreceſſit Iobus, & vocis in eo ſenſu vſurpatio. Sed quoniam vim vocis, quam ſuprà oſtendimus, expreſſit Chaldaeus; propterea forſan gehenna pro inferno coepir vſurpari, vel quod locus in ea Topheth infernum ſignificaret, quem tunc maximè expreſſir, cùm vt ex Hebraeorum placitis tradit Hieronymus, omnis populus Iudaeorum ibi perierit, offendens Deum; vel quando viuentes filios (horrendum ſpectaculum) ignibus exurendos tradebant parentes, quaproprer & gehenna ignis dicta fuit: vel quando poſt contaminatum à Ioſia locum, ſordibus, ac beſtiarum putidis cadaueribus horrendum praebere coepit atque abominabile ſpectaculum. Quocirca non paraphraſtem rantummodo egiſſe videtur hoc loco vulgatus; verùm ſollertiſſimum interpretem: nulla enim alia Latina voce aptiùs explicari potuiſſe videtur Hebraica

Iob 17. *v.* 6.

S. Hieron. de nomin. Hebr. ex Ierem.

4. *Reg.* 23. *v.* 10. QVARE gehenna pro inferno vſurpetur.

S. Hieron. Ierem. 7.

S. Hieron. de locis Hebraicis.

Topheth,

Topheth, quàm voce, *exemplum*, quasi dicat, & ego qui olim pulcritudinis, & felicitatis fueram, nunc verò positus sum poenarum, ac miseriae *exemplum*, tamquam quidam infernus. Sunt tamen alij, qui à radice תפף taphaph deducunt eam vocem, hoc est, tympanizationem; quòd in abominando illo Baalis cultu tympana pulsarentur, ne parentum commota viscera à tam nefario cultu deficerent, si filiorum eiulatum, ac gemitus, quos in flammis edebant, audirent.

Iam verò, cùm locus Topheth, qualis fuerit, manifestum sit, vicinumque eum fuisse portae Fictilis, perspicuè tradat Ieremias: atque cùm hunc eundem locum agro acheldema proximum collocet Sanctus Hieronymus; de huius loco quid idem sentiat, videndum modò est, vt his omnibus rationibus simul collatis, firmus, ac sine vlla dubitatione maneat portae Fictilis locus. Is verò sic habet: Acheldema חקל-דמא, ager sanguinis, qui hodie quoque demonstratur in Aelia ad australem plagam montis Sion, & hactenus iuxta Iudaeorum consilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit. Haec ille. Neque verò ad vsque Hieronymi tempora ager ille solùm notus fuerat Hierosolymae ad Austrum extitisse; verùm nostris quoque temporibus à peregrinis inuisitur, atque eotum testimonijs probantur ea, quae Adrichomius in hunc modum scribit: Acheldema ager erat figuli ad australem plagam montis Sion situs, à tergo habens montem eiusdem nominis mediocriter altum, iactu lapidis à piscina superiori distans, qui Iudaeorum consilio triginta argenteis, quibus Iudas Christum vendidit, in sepulturam peregrinorum emptus est. Cuius medium Imperatrix Helena quatuor muris, longitudine septuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum fecit includi, ac superiùs testudine (quae septem foraminibus, per quae defuncta Christianorum peregrinorum corpora dimittuntur, patet) concamerari. Hactenus ille. Quae autem subdit de eius terrae miranda vi, ac de ea in Romanum, quem vocant, campum sanctum asportata, respuente incolarum, admittente peregrinorum tantùm corpora, non referimus, quoniam alios exquirant eiusmodi commenta lectores ab ijs, quos Romae degere aliquando licuit, atque assidua experientia oppositum doceri. Reliquum est, vt eius nominis, quo hic ager vocatur, notionem, vsum, atque qua occasione in eum fuerit destinatus, breuiter attexamus.

S. Hieron. de locis Hebrai. de act. Apostol. AGER acheldema.

Adrichom. Hierosol. n. 216.

AGER Acheldema quare dictus.

Haec omnia disertis verbis tradit sanctus Euangelista Matthaeus. Is enim, postquam triginta argenteos pacti iniquissimi pretij, à Iuda Christi traditore paenitentia ducto in templo proiectos retulisset, sacerdotesque quadam religiosa superstitione ductos non licuisse sibi arbitratos fuisse, quos acceperant argenteos, in corbonam mittere, quia *pretium sanguinis* esset: *Consilio autem inito*, inquit, *emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: & acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Matth. 27. ℣. 7. & seq.

Quòd si quae diximus de porta Fictilis, in memoriam reuocemus, eadem omnino huic agro conuenire facilè iudicabimus. Hic enim Maldonato teste sic potuit vocari, vel quia alicuius figuli fuit, vel quia ex eo figuli ad fingenda vasa terram effodiebant; aut quia in eum testarum fragmenta proijciebant, ita vt culturae inutilis esset, solisque mortuis sepeliendis commodus esse posset. Haec ille. Neque incredibile videtur, immo valde vero simile, eundem agrum & figuli fuisse, & proiectis testarum fragmentis omnibus viuentium vsibus paene inutilem. Ex quo etiam responderi facilè posset quaestioni illi, quae negotium aliquibus faceſſit, qua nempe ratione ager tam magnus, Hierosolymae vicinus, triginta argenteorum minimo pretio potuerit aestimari? Nam si agri magnitudo, eiusque inutilis vsus, atque pretium attendantur, inuenientur longè diuersa ea omnia fuisse à communi vulgi existimatione: ager enim minimus est, cuius medietatem metitur Adrichomius septuaginta duorum pedum longitudine. Vsus eius, vt dixi, omnibus humanis vsibus inutilis. quem arbitramur consimilem omnino fuisse monti illi, qui prope portam S. Pauli Romae visitur, vulgoque mons dicitur testaceus, quòd totus testis figulinis constet. qui mons quamuis intra vrbis moenia constitutus, nullis tamen vsibus seruit. Pretium item, quamuis coëmendo sanguine Christi infinitis partibus minus fuerit; agri tamen comparatione magnum fuit. Nam vt nos suo loco notabimus, triginta sicli, quales ibi sunt intelligendi, quindecim argenti vncijs pondo aequales sunt; aequiualentque centum viginti Hispanis argenteis, totidemque Romanis Iulijs, aut eo amplius. Quòd si ad ea tempora aestimationem referas, maximum quidem fuisse facilè cognosces ex eo, quòd Ieremias agrum quidem fructiferum emit ab Hanameel, filio patrui sui, decem & septem siclis: sic enim interpretatur eum locum Hieronymus. Quocirca dicendum videtur, non emisse quidem sacerdotes agrum iusto pretio, sed maiori: pecuniam enim, quam in corbonam mittere non licebat, satis prouidè administrasse putabant, si arrepta occasione coëmendi agri illam profunderent. Sed nunc tandem vt capitis finem initio coniungamus, portam Fictilis propterea dici facilè potuisse putamus, quòd agro figuli fuisset proxima, interiacente tantummodo valle Topheth.

Maldon. in Matth.

DE PRETIO agri an conueniens fuerit.

TRIGINTA sicli, quibus Christus fuit venditus, quantum valeant.

Ieremi. 32. ℣. 9.

PORTA Fictilis dicta, quòd agro figuli esset proxima.

TRIBVS VRBIS LATERIBVS DVODENAS *tantùm apertas fuisse portas, quaternas singulis: necnon de vijs Hierosolymitanis.*

Cap. XXVI.

EX ijs, quae superioribus capitibus firmissimis testimonijs, aut probabilibus coniecturis adducta sunt, facilè cuiuis constare potest, portas quidem, quae in exteriore murorum ambitu apertae, vrbem muniebant, eamque totam ciuium, & alienigenarum vsui percommodam reddebant, duodecim tantùm

tantùm fuisse, neque plures sacris litteris, aut probatis scriptoribus commemorari, neque in pauciores redigi sacro textu permitti. At quoniam his multò plures à quamplurimis commemorantur, praesertim ab Adrichomio; ne quisquam eorum scripta legens, aut incuriae, aut insciti ae nos arguat, earum singulas breui percensere conabimur, atque ostendere, quid de eis sentiendum sit.

Et quidem, si, quod sentio, liberè dicam, eiusmodi portae omnes vel duodenario portarum numero includuntur, vel ad eas sunt referendae; reliquae autem, quae ad has non possunt reduci, partim fictae, partim ad exteriorem vrbis ambitum non pertinent, sed interioribus muris continentur; partim verò ex Aelia in antiquam Hierosolymam falsò transferuntur: aliae verò tamquam vrbis portae referuntur, cùm templi, aut Regiae, aut Pontificiae domus portae fuerint.

Atque vt à porta Dauid, quae nostris chorographis celeberrima est, initium sumam, illa nusquam reperitur in sacris: quam enim Borchardus, & Adrichomius sic dictam putant, portam Fontis olim vocari satis suprà probauimus. Porta negotiatorum aut nulla fuit, aut porta Gregis sic dicta fuit, propter rationes suo loco allatas. Porta turrium muliebrium, & porta, quae contra monumentum Helenae commemoratur à Iosepho, eaedem omnino sunt cum porta Ephraim, & Anguli, vt ex ijs, quae de Helenae monumenti situ suprà à nobis tradita sunt, constare cuiuis poterit. Porta Iebus nulla vmquam apud probatos auctores legitur. Porta aurea orientalis, quam maximè celebrant nostrae aetatis scriptores, nulla vmquam fuit olim sic dicta, vel in templo, vel in vrbe. Quòd verò tradunt per eam ingressum fuisse Christum Dominum in die palmarum, falsum omnino est; repugnat enim Sophoniae vaticinio, per Gregis turrim, ac portam, ingressurum eo die Christum Dominum enuncianti, vt suo loco ostendemus. Id verò quod tradunt, auream portam compendiaria via à templo ad Oliueti montem duxisse, non auderent asserere, si attentiùs Iosephum legissent, asserentem, templum ab orientali sui parte, quae Oliuarum montem prospicit, trecentos, & eo ampliùs cubitos erectum fuisse, atque adeo iter illud, quod vix oculis quis posset emetiri, deficiente visu, vt ait idem Iosephus, prae nimia altitudine, hoc ipsi Christum Dominum super asinam, & pullum eius humano more vectum, emensum fuisse arbitrantur. Quapropter nulla fuit compendiaria via, quae à templo rectà duceret in montem orientalem, sed per portam Gregis ingressos ducebat recta via ad aquilonarem periboli templi, indeque per orientalem viam ad speciosam templi portam, per quam introisse arbitramur in templum Christum Dominum. Scio tamen auream eiusmodi portam Hierosolymis maxima veneratione in huius ingressus Christi memoriam coli, quam arbitrantur ad instar prioris aedificatam loco eodem, per quam aditus hodie à monte Oliueti in templum patere potuisset.

Quòd verò ad similitudinem prioris attinet, architecturae ratio, atque columna illa Gothorum merè in medio portae erecta, nil tale probat, nisi quis crederet nouam Gothorum aedificandi rationem iam inde ab Herode originem ducere. Quòd ad locum, & situm spectat, meminisse oporteret eiusmodi propugnatores, inter murum quidem vrbis orientalem, & templum, Ophelem, latam Nathinaeorum habitationem, interceßisse, prout Nehemia, & Iosepho referentibus latè suprà probatum à nobis est. Quocirca necessarium est, eiusmodi scriptores locum attentiùs considerare, atque diligentiùs perpendere, quaenam porta olim eo loco aperta fuerit. Si enim eam fuisse portam templi dixerint, speciosam eam vocare cogentur; si autem vrbis (vtriusque enim esse nulla ratione potuit) vocent Gregis; nam auream neque hanc, neque illam vocare licebit.

Porta Genath, & horti Regis, eadem fuit cum porta Gregis, vt suo loco ostendimus. Portam verò palatij Pontificis finxit in muro australi vrbis Adrichomius, nescio qua fretus coniectura: ea enim, quam pro se afferre videtur ex Nehemia, dicente Barnchum aedificasse *vsque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni*, potiùs subuertit, quam astruit eiusmodi portam; siquidem domus porta non potuit in muro vrbis aperta esse. Posticum verò ex ea parte nulla ratione haberet domus Pontificis, cùm propter praecipitia, & inaccessam viam inutile omnino esset & inaccessum.

Porta media in muro Bezetae aperta fuit ex aduerso portae Piscium, quam secundam quoque portam dici probauimus. Porta verò Iudicij, vel Custodiae Ophelis potiùs fuit, quàm vrbis, vt vidimus. Porta ferrea, ex propinquo Sancti Petri carcere, quem suprà iuxta montem Caluariae exstitisse probauimus, vbi fuerit, manifestum cuiuis esse poterit. Quoniam verò in superiorem vrbem conscendere volebat S. Petrus, è carcere eductus ab Angelo, (ibi enim fidelium Ecclesia in cenaculo Christi conueniens, assiduè pro eo orabat) ideo portam ferream vrbis superioris fuisse conijcimus, apertamque in turri Hippicos. Cuius portae mentionem fecisse Iosephum putamus, haec scribentem: Cùm autem ab excursibus paululum quieuissent, obseruato Romanos per opera, & castra esse dispersos, quia labore, & formidine Iudaeos discessisse arbitrarentur, excurrunt omnes, quà turris erat Hippicus, porta latenter, ignemque operibus injiciunt: Haec ille. Reliquae omnes portae quae à praedictis scriptoribus commemorantur, vel templi portae fuerunt, vt porta fundamenti, porta Regis, porta Seir, porta sacra, porta sublimissima, porta noua, & aliae huiusmodi: vel certè commentitiae sunt; neque eiusmodi portae vmquam Hierosolymis visae.

Iam verò quoniam portarum distributionem & ordinem in vnam summam redigere paramus, illud in primis referendum est, quod aliàs saepe notauimus, australem vrbis tractum perpetuo muro clausum fuisse, neque vllam olim in ea vrbis regione portam apertam commemorari: immo verò rationes, & testimonia non parua reperiri, quae nostram tuentur sententiam. Celebre est illud Iosephi, saepius à nobis allatum. Ciuitas enim, inquit, trino muro circumdata erat, nisi quà vallibus inuijs cingebatur: ex ea enim parte vnius muri habebat ambitum. Quibus verbis partem eam vrbis vallibus inuijs cingi testatur, quae & vnico tantùm muro eingebatur: at ea pars meridiana est, vt pluribus locis probatum à nobis est: ex ea ergo parte nullius portae fuit vsus; si enim vlla fuisset, non valles inuiae dicerentur, in quas paterent à portis quaedam viae. Est etiam non leuis huius rei coniectura, nullam à Nehemia vmquam commemorari portam inter Fontis occidentalem portam, & Aquarum orientalem, cùm difficillimum creditu foret, si portae in ea regione exstitissent, sicut in alijs, nullam earum dirutam à Chaldaeis fuisse.

Nam

PORTAE Hierusalem duodecim tantùm fuerunt. *Adrichom.*

PORTA Dauid nulla fuit.

PORTA negotiatorum eadem, quae Gregis.

PORTA turrium muliebrium & porta Ephraim. *Ioseph. 6. belli c. 2. Sup. lib. 2. verb. c. 17.*

PORTA Iebus nulla.

PORTA aurea in Aelia tantùm.

VLLA uit recta via templo duens in monem Oliuaum, propter mmensam empli altiudinem.

PORTA aurea, quae Hierosolymis hodie icitur, nullam videtur imilitudinem habere priorum.

PORTA Genath eadem, quae Gregis.

PORTA palatij Pontificis nulla fuit eiusmodi in muro vrbis. *Adrichom. Hierusal. n. 161. Nehem. 3. ℣. 20.*

PORTA media in muro Bezetae fuit.

PORTA Iudicij, vel Custodiae Ophelis, non vrbis fuit.

PORTA ferrea fuit muri superioris vrbis non inferioris. *Sup. lib. 2. verb. c. 9.*

Ioseph. 6. belli c. 7.

MVRVS australis nullam habuit portam.

Ioseph. 6. bell. c. 6.

NVLLAM ex instauratis portis credimus à Nehemia non commemoratam.

Nam si destructa fuisset, & instauranda foret, atque adeo commemoraretur à Nehemia, à quo nullam ex instauratis praetermissam credimus. Illud tamen validum esse putamus nostrae sententiae argumentum, quòd cùm duodecim vrbis portas sigillatim enumerauimus, singulisque propria loca ordine adscripserimus; nulla tamen ex omnibus ijs portis ad Austrum prospexit. quare tribus alijs vrbis lateribus omnes portas apertas fuisse constabit. Earum verò distributio & ordo, si ab orientali latere incipiamus, & ab eius meridiana parte, huiusmodi est, vt prima occurrat porta Fictilis, secunda Aquarum, & deinceps reliquae. Quae omnes portae, quoniam satis suprà probatae sunt, omnino sunt silentio praetermittendae: si tamen priùs iuuandae memoriae causa, vtque omnes vno intuitu conspici possint, earum nomina, ordinem, ac regiones subiecta tabula proponamus.

ORIENtali, aquilonari, & occidentali vrbis lateribus omnes eius portae fuerunt apertae.

Suprà suis quaeque capitibus huius libri.

TABVLA DVODECIM portarum Hierusalem.

Ab Oriente
1. Porta Fictilis.
2. Porta Aquarum.
3. Porta Equorum.
4. Porta Gregis.

Ab Aquilone
1. Porta Beniamin inferior.
2. Porta Piscium.
3. Porta Vetus.
4. Porta Ephraim.

Ab Occidente
1. Porta Anguli.
2. Porta Vallis.
3. Porta Stercoris.
4. Porta Fontis.

AD QVAS regiones ducerent viae per portas vrbis egredientes.

Per has quidem duodecim portas in omnes terrae Israëlis partes exitus patebant hac ratione. Per portam Fictilis in vallem Gehennon, agrum Acheldema, & in omnes australes regiones, vsque ad Sinai montem. Per Aquarum portam in hortos Regios, & alios vallis Iosaphat, indeque aequabilis, planaque via in Bethaniam ducebat. Per portam Equorum in torrentem Cedron, cui erat proxima, equi Regis deducebantur. Per portam Gregis in vallem Iosaphat, in montem Olueti, & in Bethaniam, Ierichuntem, desertum, & omnem orientalem regionem vsque ad Iordanem. Per hanc viam egressus Sedecias, comprehensus est à Chaldaeis, & per eandem descendens *homo quidam, incidit in latrones*. Per portam Beniamin in Anathot desertum, ac alias vrbes eiusdem tribus. Via item extra hanc portam ducebat in Galilaeam, Caesaream Philippi, & Damascum, in qua Dominus Saulum, Christianorum persequutorem ac hostem, Apostolum, eorundem Christianorum principem, ac parentem effecit Paulum. Per portam Piscium in mare Galilaeae, Iordanem ac totam orientalem, & aquilonarem regionem. Per portam Veterem iter patebat ad omnes aquilonares regiones. Per portam verò Ephraim in eiusdem denominatinis montem, in Sichem, Samariam, & Galilaeam. Per portam Anguli in Arabiam, quae inde quoque Ioscpho teste conspiciebatur, via patebat. Per portam Vallis in Caluariae montem egressus est Christus Dominus. Per eam quoque in Silo, Bethoron, & Gabaon ibatur. Per portam Stercoris ad Ioppen, mare, ac omnes occidentalis regionis partes. Ac tandem per portam Fontis iter in agrum fullonis, in Bethleem, Hebron, Gazan, & Aegyptum patebat. Viae autem, quae ab hac porta Meridiem versus tendebat, meminit Sanctus Euangelista Lucas in actis Apostolorum, sic scribens: *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum ad viam, quae descendit ab Ierusalem in Gazan*. In qua via mirabilem Aethiopis eunuchi potentis Candacis Reginae conuersionem, ac baptismum contigisse memorat.

Act. 8. ℣. 26.

Neque verò difficilis erat viarum in eiusmodi regionis partes ducentium descensus, vel earundem in vrbem ascensus: immo verò arte quadam & magnifico sumptu ad omnes iter agentium vsus viae erant accommodatae, & aptissimè dispositae. De quibus haec Iosephus, Salomonem commendans. Diuina autem, inquit, quadam diligentia, ac prouidentia rebus in omnibus vtebatur; & cùm esset elegantiarum amator, ne viarum quidem curam praetermisit, sed & harum, quotquot Hierosolyma Regiae sedem ducebant, nigra silice constrauit; tum vt vltrò citroque commeantibus essent faciles, tum ad ostentandam hac quoque parte principatus sui magnificentiam. Haec ille. Ex quibus facilè etiam conijci potest, quantam idem Salomon adhibuerit diligentiam, & operam in sternendis vijs, ac plateis Hierosolymitanis; quas quidem vias candido saxo sternere permisit populo Agrippa, non vtique quod credam denuo, sed vt antiquum Hierosolymae splendorem aliqua ex parte instaurare posset. Id quod ex ipsa Iosephi historia haec referenti conijci facilè potest. Iam absolutum erat &, inquit, templi aedificium: Populus igitur cùm videret esse in otio circiter octodecim opificum millia, solitorum hactenus in templo ex operarum mercedibus victum quaerere; nolensque sacram pecuniam repositam habere, nequando praeda Romanis fieret; simulque opificibus inde prouisum cupiens, quòd vel vna hora operato statim merces repraesentaretur; suasit Regi vt orientalem instauraret porticum. Ea templi extima claudebat, profundae valli & angustae imminens; ac proinde subnixo muro quadringentos alto cubitos, saxis constructo quadratis valde candidis; eratque cuiusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex verò altitudo; opus Salomonis Regis, qui primus vniuersum templum condidit. Rex autem, cuius curae Claudius Caesar fabricam templi commiserat, reputans quodcumque opus demoliri facilè, reparari difficilè, maximè talem porticum, egentem & tempore longo, & pecunijs plurimis, non annuit populi precibus; sed vrbem candido saxo consternere si liberet, non vetuit. Quibus quidem verbis manifestè testari videtur Iosephus, Regem populo instaurationem vrbis exoptanti, eiusdem vias candido saxo sternere permisisse. Verùm de instauratione, portis, ac vijs iam satis. Ad muri dedicationem explicandam accedamus.

Ioseph. 8. antiq. c. 2. al. 7.

VIAE extra vrbem nigra silice stratae.

VIAE Hierosolymitanae candido saxo stratae.

Ioseph. 20. antiq. c. 8. alias 17.

EX CAPITE DVODECIMO LIBRI NEHEMIAE QVI ET ESDRAE SECVNDVS DICITVR.

ARGVMENTVM.

Muro absoluto, binis cantorum choris à porta stercoris, duplici via, ad domum Domini venientibus eius dedicationem factam fuisse percensetur; nec non aedificati, muri ordine portas.

XXVII. IN *dedicatione autem muri Ierusalem requisierunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ierusalem, & facerent dedicationem & laetitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalterijs, & citharis.*

XXVIII. *Congregati sunt autem filij cantorum de campestribus circa Ierusalem, & de villis Netuphati.*

XXIX. *Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaueth: quoniam villas aedificauerunt sibi cantores in circuitu Ierusalem.*

XXX. *Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitae, & mundauerunt populum, & portas, & murum.*

XXXI. *Ascendere autem feci principes Iuda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinij.*

XXXII. *Et iuit post eos Osaias, & media pars principum Iuda,*

XXXIII. *Et Azarias, Esdras, & Mosollam, Iudas,* C *& Beniamin, & Semeia, & Ieremias.*

XXXIIII. *Et de filijs sacerdotum in tubis, Zacharias* A *filius Ionathan, filius Semeiae, filius Mathaniae, filius Michaiae, filius Zechur, filius Asaph,*

Et fratres eius Semeia,, & Azareel, Ma- XXXV.
lalai, Galalai, Maai, Nathanaël, & Iudas, & Hanani in vasis cantici Dauid viri Dei: & Esdras scriba ante eos in porta Fontis.

Et contra eos ascenderunt in gradibus ciui- XXXVI.
tatis Dauid in ascensu muri super domum Dauid, & vsque ad portam Aquarum ad Orientem.

Et chorus secundus gratias referentium ibat XXXVII.
ex aduersò, & ego post eum, & media pars populi super murum & super turrim furnorum, & vsque ad murum latissimum,

Et super portam Ephraim, & super portam XXXVIII
Antiquam, & super portam Piscium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & vsque ad portam Gregis: & steterunt in porta Custodiae,

Steteruntque duo chori laudantium in domo XXXIX.
Dei, & ego, & dimidia pars magistratuum mecum.

Et Sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, XL.
Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis.

EXPLANATIO EIVSDEM PARTIS CAPITIS DVODECIMI NEHEMIAE.

DEDICATIO MVRI QVID SIT, ET QVA RATIONE FIERET. Caput XXVII.

ABSOLVTA muri aedificatione, ac singulis eius portis enumeratis, naturae ordo postulat, vt muri dedicationem à Nehemia instauratore factam breui perractemus. Et quoniam iterum singularum vrbis portarum, ac totius muri fit ordine commemoratio, fiet etiam, vt dedicatione percensita, ea omnia, quae de portis, ac totius muri dispositione diximus, magis ac magis stabiliantur. Ac primùm quid dedicatio sit, & qua ratione fieret, quoniam ad ea nos deducit textus, quàm breuissimè perstringemus.

XXVII. *In dedicatione autem muri Ierusalem:* Hebraicè ובחנכת vbechanuccath. quae vox imbuere significat, prima rudimenta dare, erudire, docere, atque etiam dedicare. Cuius verbi expressa vis mirificè illustrat celeberrimum illum prouerbiorum locum, qui sic habet: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Hebraicè sic: חנך לנער על פי דרכו chanach lannaghar ghal pi dareccho. Imbue (erudi, doce) puerum secundum modum eius. R. Dauid exponit: incipe docere puerum à pueritia eius secundum viam (aut modum) eius, id est, paulatim paulatim, vt ferre possit. Rabbi Ionas interpretatur, dedica. Iuxta Hebraea in Regio codice sic: Initia puerum super os viae suae, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Et sensus est, puerum in ipso ingressu viae suae, hoc est, cùm primùm ad annos iudicij peruenerit, imbuendum disciplina, ac bonis moribus dedicandum Deo: eos enim mores, quos in primo vitae exordio imbiberit, tenebit diu. Significat ergo verbum Hebraicum, dedicare, hoc est, renouare, vti, vel frui. Quocirca praecipitur parentibus, alijsque, quibus puerorum cura demandata est, vt primos eorum fructus (id enim significat Hebraica phrasis, os viae, siue initium viae, siue vitae, instituti, aut exercitationis) in bonos vsus conuertant. Hispanè dicerem, haz del vna buena estrena, honestis disciplinis ingenium, bonis moribus animum imbue. maximopere enim conducere honestae educationi solet, perpulcras, honestasque rerum imagines puerorum oculis, cùm primo iudicij diluculo aperiuntur, obijci, quantùm contrà, turpes nocent. Est etiam huius verbi vsus in Deuteronomio: *Quis est homo*, inquit, *qui aedificauit domum nouam, & non dedicauit eam?* Hispanè y no la ha estrenado? *Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Hispanè y otro la estrene. Graeci, nomen à praedicto verbo deductum ἐγκαίνια encaenia vocant: eiusque fit mentio in Euangelio Ioannis: *Facta sunt*, inquit, *encaenia in Ierosolymis.* Quo loco Cyrillus; sunt autem encaenia, inquit, sollemnitas ipsa dedicationis templi: Graecè enim καινὸν caenon dicitur nouum; & quandocumque nouum quid fuerit dedicatum, encaenia vocantur: atque encaeniare Graecè, innouare, vel inchoare Latinè dicitur. Haec Cyrillus. Eadem totidem ferè verbis asserit Augustinus, subditque: iam & vsus habet, hoc verbum, si quis noua tunica induatur, encaeniare dicitur. Illum ergo diem, quo templum dedicatum est, Iudaei sollemniter celebrabant. Hactenus Augustinus. His ergo sic statutis, quidnam muri dedicatio significet, manifestò cognoscitur. Modus autem, quo eiusmodi dedicatio muri facta fuit, sequentibus ostenditur.

Ac primùm quidem venerabilis Beda: Iamdudum aedificata erat, inquit, ciuitas, sed non decebat eam dedicari, priusquam habitatoribus aggregatis, & ministri templo idonei, & portis, ac vestibulis essent custodes deputati. Ea propter: *Requisierunt*, inquit, *Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ierusalem.* Quae Leuitarum multitudo dedicationis festiuitati conducere non parum videbatur: illúd verò maximè, quod sequitur: *& facerent dedicationem, & laetitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalterijs, & citharis.* Tres potissimùm dedicationis enumerat comites, laetitiam, gratiarum actionem, & canticum, pluribus instrumentis musicis associatum, quorum quolibet deficiente perfecta minimè foret dedicatio.

Quod ad primum, laetitia necessaria est; qua enim ratione accepti à Deo beneficij quis memor esse poterit, quin laetetur? Est enim collatum à Deo beneficium, quasi eius beneuolentiae, & amoris erga nos argumentum, cuius fauorabilis beneficentia laetitiam parit. Teste enim Athanasio, Deus ipse est fons, & origo laetitiae. propterea que maxima perfundendum laetitia Messiam Regem praedixit in psalmo Propheta: *Domine*, inquiens, *in virtute tua*; in verbo sibi vnito, interpretatur Remigius, *laetabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer*, salutem humani generis sibi impositam. *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum*

Prou. 22. ℣. 6.

PVERORum educatio maximè commendatur. Rab. Dauid in lib. radic. R. Ionas.

DEDICARE est vti, vel frui re aliqua noua.

OS QVID significet.

Deut. 20. ℣. 5.

Ioan. 20. ℣. 22. Cyril. lib. 1 in Ioan. c. ENCAE nia quid sint.

S. Augustract. 28. Ioan.

QVA RA tione facta fuerit ded catio.

LAETITI gratiarum actione, cantico de dicatio cel brabatur.

DEVS fons, & or go laetitiae

S. Athana in vita A tonij. Psal. 20. ℣. 2.

SPES IN Deo sita maximè laetificat. Psal. 5. ℣.12.

rum eius non fraudasti eum: quidquid ore petijt, vel corde expetijt, obtinuit, quae est omnis laetitiae ratio. nec immeritò votorum adepta possessio laetificat, & ipsa spes in Deo sita laetificare maximè potest, id quod clarè testatur idem Psaltes: *Et laetentur*, inquit, *omnes qui sperant in te, in aeternum exultabunt, &*, id est, quia *habitabis in eis*.

Hac igitur potissimùm ratione in memoriam collati à se beneficij laetitiam exigit Deus, vt dum laetatur, profiteatur homo à Deo se illud accepisse: immo verò propterea tantummodo laetatur; omnem enim aliam laetitiam longè à se repulisse testatur Sanctus Iob, dum protestatur, & iurat: *Si laetatus sum super multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea*. haec faciat, subaudi, mihi Deus, & haec addat. Atque adeo tantopere sunt inter se connexa & colligata dedicatio & laetitia, vt non dicat sacer historicus fecisse dedicationem, in, vel cum laetitia, quasi quoddam dedicationi adueniens, sed *dedicationem, & laetitiam*; haud secus quàm si dedicare murum, ac laetari, synonyma fuissent. Laetitiam consequitur gratiarum actio, quae Hebraeis dicitur תודות hodoth, in confessionibus vertunt nonnulli: ea enim vox à radice ידה iadah deducitur, quae confiteri, gratias agere, laudare significat. Quae omnia huius verbi significata, quid facere consueuerit Regius Psaltes singulis quibusque noctibus, innuere videntur: ait enim. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuae*. Sed & illud potissimùm, quod hac etiam voce Hebraica significari putant nonnulli, quasi ea à radice ידד iadad deducatur, quae amare, diligere significat: & meritò; non enim alia potiùs ratione gratias agere, vel collaudare Deum possumus, quàm si eum diligamus. Ab hac etiam voce deductum putant Iudae patriarchae nomen יהודה iehudah, indeque fit, vt verbum idem apud Esther significet, iudaizare, hoc est, ad ritum, & legem Iudaeorum se conuertere: sic enim habetur: *in tantum vt plures alterius gentis & sectae* מתיהדים mithiahadim, iudaizarent, *eorum religioni, & caerimonijs iungerentur*. Quapropter & ipso Patriarchae & tribus nomine innui quodammodo videbatur, IESVM Christum Dominum nostrum, qui est vera salus, & omnis confessionis, & amotis fundamentum, de ea tribu nasciturum, vt verè natus est.

GRATIARUM actio laetitiam consequitur. Psal. 118. ℣.62.

INTERpretatio nominis Iudae patriarchae. Esther 8. ℣.17.

Et in cantico. Vnius tantummodo cantici fit mentio, quasi vnicum fuisset iam olim compositum, quo in dedicationibus vti consueuerint: sicut enim singulis quibusque sollemnitatibus, ac festis singula adhibebant cantica, vt aliàs ostendimus; ita etiam in domorum, vel priuatarum vel communium dedicatione quauis omnes vtebantur cantico, id quòd non coniectura Rabbinotum tantùm affirmare non veremur; sed quoniam titulus ipse psalmi, quem nos legimus, idem significare videtur. Sic enim habet: שיר חנכת הבית לדוד sirchanuccath habaijtha le dauid, canticum dedicationis domus Dauidis. In nostra Latina vulgata sic legimus: *Psalmus cantici in dedicatione domus Dauid*. Quo loco Genebratdus: Dauid, inquit, construitur cum psalmus cantici; *domus* enim hic aderit, siue tabernaculum significat: congruitque eius interpretatio cum Chaldaeo paraphraste, qui sic vertit: canticum pro dedicatione domus sanctuarij Dauidis. Constans ergo sententia tenet, psalmum quidem à Dauide compositum pro dedicatione domus; an verò sit pro domo Domini,

QVALE canticum in dedicationibus adhibebatur. Psal. 29. ℣.1. Genebrard. in psalm. Chaldaeus.

non satis videtur probari, maximè, cùm praecedens eiusdem Dauidis psalmus in eiusmodi templi dedicationem compositus videatur; tum quòd totus is de sacrificiorum oblationibus, ac Dei magnificentia loquitur; tum etiam, quòd id quoque eius psalmi titulo significatur, qui sic habet: *Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi*. quocirca psalmum praeallatum potiùs arbitramur occasione domus suae in ciuitate Iebusaei denuo dedicandae compositum à Dauide fuisse; cuius exemplo reliqui in cuiuscumque domus dedicatione vti eodem psalmo consueuere. Neque mirandum est, si quamplurima hoc psalmo referantur ad Christum; quae enim alia laus, quae gratiarum actio posset Deo patri gratior cantari ea, quàm qua Christi Domini mors, & resurrectio significaretur? quinimmo ideo hunc psalmum concinebant, vt & in ipsa domus dedicatione profiterentur, se spe resurrectionis Christi maximè teneri, qui est omnium, eius fide, & caritate viuentium, laetitia & canticum. Notat autem ea omnia aptissimè Remigius: hic psalmus, inquiens, continet vocem capitis, congratulantis de resurrectione in se iam completa in re, & in membris per speciem. Vnde Apostolus: Qui *Dominum suscitauit* à mortuis, *& nos suscitabit per virtutem suam*. Constructa est domus Domini, quando in vtero Virginis natura nostra assumpta est à verbo Dei; dedicata autem est, quando innouata, facta est immortalis & impassibilis. Et haec domus constituitur in nobis, cùm verbum fidei accipimus: dedicatur autem nunc in spe, & tandem in re, cùm mortale hoc induet immortalitatem: cùm iam nihil aliud in nobis erit, nisi laus Dei. Hactenus Remigius.

PSALMO hoc dedicatorio multa de Christo continentur, & quare. Remigius psal. 29. ℣.1. 1. Cor. 6. ℣.14.

Canticum verò non sola voce, sed & manibus associandum dicit, dum varia instrumenti genera cantico accommodata fuisse commemorat. Sunt autem ea מצלתים metsiltaijm, cymbalis, נבלים nebalim, nablis, *psalterijs* וכנורות vbechinnoroth, & cinnaris, *& citharis*. de quorum singulis vnà cum reliquis aliàs agendum nobis est. Congregatos autem dicit cantores de villis, quas circa Hierusalem aedificauerunt, vtique intra ipsam vrbem, ad celebrandam dedicationem.

CANTIcum manuum pulsatione associandum testatur.

Et mundati sunt sacerdotes, & Leuitae, & mundauerunt populum, & portas, & murum. Multis quidem, ac varijs antiquae legis ritibus, ac caerimonijs testatur Deus, quàm sibi sint omnia immunda inuisa, quamque facilè sit, humanas res omnes immundas fieri: *Quidquid tetigerit immundus*, inquit in Numeris Deus, *immundum faciet, & anima, quae horum quidpiam tetigerit, immunda erit*, &c. Dixerat autem paulò superiùs: *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiae*. Quapropter Deum arbitrantes Iudaei corporea tantummodo immunda auersari, traditionibus suis varia baptismata sanxerunt, quae enumerat Sanctus Euangelista Marcus: *Pharisaei enim*, inquit, *& omnes Iudaei, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, & à foro, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quae tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & aeramentorum, & lectorum*. Quocirca Venerabilis Beda: spiritualia enim, inquit, prophetarum verba carnaliter accipientes, quae illis de cordis, & operis castigatione praecipiebant, dicentes: *Lauamini, mundi estote*. Et, *mundamini, qui fertis vasa Domini:*

XXX.

QVAM sint Deo inuisa omnia immunda. Num. 19. ℣.22. & ℣.20.

PHARIsaei decipiebantur, arbitrantes corpora tantùm munda à Deo expeti, non autem corda. Beda. Marc. 7. ℣.3. & 4. Isai. 1. ℣.16. Isai. 52. ℣.11.

istí de corpore solo lauando seruabant. Haec ille. Verùm non ita antiqui illi sacerdotes, Nehemia, & Esdra praecipientibus, sed cum cordibus quoque mundati credantur, & mentibus, *mundati sunt* corpore, *& mundauerunt populum, & portas, & murum*. Cuius purificationis ritus percenset Dionysius his verbis: Porro sacerdotum tamquam superiorum purgatio fiebat per corporum, & vestium lotionem, per orationes, ieiunia, continentiamque ad tempus ab vxorum amplexu, & per aspersionem aquae lustrationis, ac per sacrificia quaedam. Interdum tamen ad purgationem eorum non concurrebant haec omnia. Leuitae autem faciliori ritu mundabantur, quàm sacerdotes; quemadmodum in Paralipomenis legitur; videlicet per aspersionem aquae lustrationis, orationes, & lotiones, & alia quaedam; non tamen in omnibus fiebat mundatio vno modo. Sacerdotes verò & Leuitae sanctificabant populum sacrificando, & orando pro ipso, aspergendoque ipsum aqua praefata, de qua in Numeris scribitur. murum verò sanctificabant aquae istius aspersione. Haec ille. Sed de his nos latiùs, cùm de sacrificijs agemus.

PVRIFIcatio sacerdotum, Leuitarum, ac populi, nec non & muri quomodo fieret.

Dion. Carth. in Nehem. 12.

2. Par. 29.

Num. 19.

DEDICATIONEM MVRI PROCESSIONE *quadam, à principibus Sacerdotum, Leuitarum, ac populi factam.*

Cap. XXVIII.

XXXI. QVAM latus fuerit murus, super quo totus ferè populus in ordinem redigi potuerit.

Ascendere autem feci principes Iuda super murum. omnes quidem simul, quos mox in duos diuisit choros. Ex quo facilè cuiuis constare poterit, quanta fuerit latitudo muri; super quo non solùm ordinatè dispositus, ita vt vnus alium sequeretur, procedebat populus; verùm etiam super ipso muro ferè totus cum suis principibus existens, in suas classes distribui, atque disponi potuerit. id quod probari videtur ex eo, quòd cùm hic principes Iuda super murum ascendisse testetur, mox ad dexteram quidem abisse commemoret mediam partem principum Iuda. His quoque verbis palam fit, totam hanc dedicationem factam fuisse à sacerdotibus, Leuitis, & populo, ambulantibus super murum. Quapropter meritò Liranus quosdam interpretes reprehendit, arbitrantes duos choros sic diuidi, vt vnus iret super murum circumeundo ciuitatem, alius super terram iuxta murum exteriùs ambularet. Sed hoc non videtur, inquit, verùm, quia infrà de secundo choro dicitur, quòd media pars populi erat supra murum. Et per hoc intelligendum est, quòd vterque chorus laudantium, qui erat de sacerdotibus & Leuitis, ibat supra murum, & vna pars populi erat cum eis super murum; & alia super terram. Quibus verbis manifestè conuincit, eiusmodi interpretes à vera sacrae Scripturae historia deuiasse.

Nicol. de Lira. hic.

SVPER murum ambulabat vterque chorus non super terram.

Verùm maior quidem reprehensionis nota ipsi Lirano inurenda videtur, qui eos, quos à vero aberrasse cognouit, sequutus postmodum fuerit, asserens & ipse, mediam populi partem ambulasse super terram. Nam sicut principes Iuda, vtique omnes, ascendere fecit Nehemias, super murum: & asserens mediam eorum partem dextrum chorum cantorum sequutam, illud profectò significare videtur, reliquam principum partem reliquum quoque chorum subsequutam fuisse; ita etiam cùm mediam partem populi iuisse ex aduerso super murum testatur, subintelligendum significat, ex aduerso quidem iuisse reliquam partem populi, quae priorem comitabatur chorum.

Et statui duos magnos choros laudantium. Hebraicè תודה thodoth vox deducitur à radice ידה iadah, quam paulò superiùs interpretati sumus, conuertendamque probauimus laudem, & confessionem. *Duos, laudantium*. Septuaginta interpretes duos pro laudatione legunt, & subaudiendum quidem videbatur, quod vulgatus dixit, *choros*, classes, vel ordines intellige. hosque duos choros conflatos agnosces ex principibus, sacerdotibus, Leuitis, ac populo, singulis ordinibus in duas partes distributis.

QVOMODO diuisi intelligantur duo chori, & quibus constarent hominum classibus.

Et ierunt ad dexteram super murum ותהלכת vethahaluchathr: & in processionibus, conuertit Regius codex. Et ambulatores ad dexteram super murum, Pagninus interpretatur, Rabbinos sequutus. Vatablus, euntes ad dexteram: in scholijs verò: & progressiones, siue progressus, aut processiones, subaudi, primi chori, progressae sunt ad dexteram, &c. quasi dicat, chorum alterum iussum procedere ad dexteram. Haec ille. Quae omnes versiones in idem recidunt, & significatione vocis Hebraicae probantur, quae à radice הלך halach deducitur, ambulare, ire, vel abire, atque procedere significante: idemque Latina voce, processio, significari videtur, iuxta loquendi antiquissimum Romanorum principum morem. Atque hic obiter notandum videtur, quàm sint nostrae aetatis nouatores reijciendi, qui antiquissimum, quem sancta mater Ecclesia morem in processionibus tenuit, damnare non verentur: praesenti enim veteris testamenti exemplo processionum series, ordinum distributio, cantorum, & instrumentorum concentus, in Dei laudem destinata, omnia aptissimè, piè, sanctèque instituta fuisse probatur. Vt verò maior historiae intelligentia habeatur, obseruandum est, quòd cùm, vt suprà probauimus, decem passuum milliaribus totus muri ambitus contineretur, ne tam longum iter procedere cogeretur promiscuè populus super murum obambulans, duplex quodammodo processio facta sit, distributis vt vidimus, sacerdotibus, Leuitis, principibus cum populo in duos choros, atque ita muro bifariam etiam partito, ab eius medio, in duas partes abierunt chori; alter nempe ad dexteram, reliquus ad sinistram, donec emensa ab vtroque aequali muri parte vterque simul in domo Domini conueniret. *Ierunt igitur ad dexteram* illi, qui ad primum chorum pertinebant, *super murum ad portam sterquilinij*, super murum portae stercoris legunt Septuaginta, Hebraea לשער leseaghar, portae stercoris in dandi casu posses vertere; sensusque id innuere videtur, in porta stercoris laudantium diuisionem factam fuisse; iuisseque eorum alterum partem ad dexteram, nempe ad Meridiem. Iam verò hortandum hic lectorem duximus, vt descriptionem nostram Hierosolymae ob oculos ponat, si sequentia facillimè intelligere cupiat, quibus perceptis, eundem obnixè precamur, vt aliorum attentiùs contempletur imagines, vt quid, aut quantum haec nostra studia ab alijs distent, iudicare possit. Quare autem à porta stercoris tantae laetitiae ac

Bibl. Regia tom. 1. Appar. Pagninus in diction. Vatabl.

ANTIquissimus processionum vsus, *L. Sancin. de consulib. lib. 12.*

QVA DE causa in duas partes partiti sint murum instauratores.

AD DEXteram processit primus chorus, hoc est, versus Meridiem.

QVARE à porta stercoris tantae sollemnitatis festum, & pompa primùm processerit.

sollemnitatis festum aggrediantur, si quis causam interroget, nullam aliam certiorem iudicarem ab ea, quam paulò superiùs significabam, nempe eiusdem portae situm. Nam cùm Nehemias decreuisset duos laudantium choros simul tandem ad portam Custodiae venire, vt in domo Domini starent, necessarium fuit, muro in duas partes aequales diuiso, aequale eius spacium vtrique choro distribui. Atque huius diuisionis medium fuit vtique in porta stercoris, prout ex ijs, quae de eadem porta diximus, atque ex ipsa descriptione patebit. *Ad dexteram* autem iuisse hunc primum chorum testatur Nehemias: nam cùm vterque chorus domum Dei, ad quam ire decreuerat, rectà prospiceret, primus eorum ad dexteram, montem Sion, & superiorem vrbem lustrauit: alter verò montem Salem, & totam inferiorem vrbem; porta enim stercoris, vt vidimus, proxima fuit turri Hippicos, ad quam Ioseph teste inferioris vrbis murus muro superioris coniungebatur.

XXXII. CARDINALIBUS numeris pro ordinalibus vtuntur frequenter Hebraei.

Et iuit post eos, Hebraicè אחריהם achadehem, quae vox à radice אחד achad deducta est, quae vnum significat, & passim primum; cardinalibus namque numeris pro ordinalibus saepe vtuntur Hebraei. posset verti, *iuit* primus eorum *Osaias*, vel *iuit* vnus eorum, hoc est, inter eos, *Osaias*, *& media pars principum Iuda*. Vel sensus est; *iuit post eos*, hoc est, ordine procedebant, sibi mutuò succedentes. Quem interpretandi modum admittit Hebraea phrasis, similisque videtur illi, quae habetur in Iob אחד באחד יגשו echad bechad ijgasu, vnus cum vno accedent, hoc est, *vna alteri adhaerebit*. Sic in praesenti vnus ipsis procedet associatus, hoc est, *post eos*, qui primi processerunt, procedent sequentes, quos sequentur reliqui, nempe *Osaias*, *& media pars principum Iuda. Et Azarias, Esdras*. Non hunc esse erediderim Esdram sacerdotem, sed alium principem tribus Iuda eiusdem nominis cùm illo, quem paulò inferiùs commemorat, chorum sacerdotum praecessisse, eumque vocat Esdram scribam: *& Mosollam*. Hic terminatur versus apud Hebraeos, subsequentia ad alium videntur pertinere, qui sic habet: *Iuda, & Beniamin, & Semeia, & Ieremias*. Et quidem siue superioribus annectatur, siue ab eisdem separetur, hic sensus eruendus videtur, vt quoniam in superioribus principum tantummodo tribus Iudae mentionem fecerat, inter eos quoque principes Beniamin computati hic intelligantur; nam diuisa in duas partes ciuitas ab his duabus tribubus incolebatur, id quod initio huius disputationis ostendimus. Quapropter quotiescumque prineipes populi referuntur, principes vtriusque tribus commemorati credendi sunt, vt ex ijs, quae suprà de militia populi Israëlitici attulimus, videre quiuis poterit.

Iob 41. ℣. 8.

XXXIII. PRINCIPES populi, pro Iudae, & Beniamin principibus accipiendi sunt.

Sup. lib. 2. verb. c. 23.

Et Ieremias. Non hunc esse putamus prophetam, cuius scripta habemus: nam praeterquam quòd huius, atque illius nomen non eodem apud Hebraeos modo scribitur; temporum etiam ratio nullo modo credere permittit, Ieremiam vsque ad huius instaurationis tempora superuixisse.

XXXIIII. FILII sacerdotum ijdem, qui sacerdotes dicuntur. Num. 10. ℣. 8.

Et de filijs sacerdotum, hoc est, de sacerdotibus: sacerdotium enim hereditario iure transibat in filios, vt suis locis à nobis tractatur. *In tubis*. Fuerunt enim sacerdotum propria instrumenta tubae, iuxta praeceptum Domini: *Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris*. Sacerdotum verò commemoratio interpretatione non indiget, vsque ad illud.

XXXV. VASIS nomen quid significet in sacris litteris. Actor. 9. ℣. 15.

In vasis cantici Dauid viri Dei. Vasis nomen latiùs Hebraeis patet, quàm alicui nationi, vel linguae; significat enim supellectilem, arma, vasa, & quodlibet instrumenti genus. Sic in actis Apostolorum de Saulo ad Ananiam Christus Dominus: *Vade*, inquit, *quoniam vas electionis*, hoc est, electum instrumentum, aut organum *est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israël*. Hac etiam ratione *vas interfectionis* dicitur ab Ezechiele securis, vel aliud quodcumque instrumentum ad interficiendum aptum. Sic & in psalmo: *Vasa mortis*, dicuntur sagittae, lethale vulnus infligentes. Quapropter & in alio psalmo: *Nam & ego confitebor tibi*, inquit, *in vasis psalmi veritatem tuam*. Quem locum Chaldaeus sic vertit: sed & ego confitebor coram te, instrumentis musicis, & laudatorio annunciabo veritatem tuam. Quapropter vasa cantici, omnibus consentientibus, interpretibus instrumenta musica significant. Quare verò Dauidis dicantur, non omnes conueniunt. Vatablus enim sic dicta putat, quòd eisdem vteretur Dauid in canendis psalmis. Magis tamen probarem Dionysij ex Lirano sumptam sententiam, quae sic dicta arbitratur ea instrumenta, quòd à Dauide instituta fuerint ad decantandos psalmos, & eantica. Dicitur autem Dauid vir Dei איש האלהים is haelohim, quae voces omnes magnum, insignem, eximiumque virum significare possent: sed illud potissimùm, fuisse diuino afflatum spiritu, quo suadente eiusmodi instrumenta musica diuinis laudibus decantandis aptissima instituerit.

Ezech. 9. ℣. 1. Psal. 7. ℣. 14. Psal. 70. ℣. 22.

INSTRVMENTA musica, quare Dauidis dicantur. Vatabl. Liran. Dion. Carth.

VIR DEI quare dicatur Dauid.

Et Esdras scriba ante eos, praecedens, inquam, sacerdotes, atque cantores *in porta Fontis*. Septuaginta interpretes: super portam ad lauandum, conuertunt, quasi rationem reddentes, quare porta ea Fontis denominaretur; nempe, quoniam per eam egrediebantur ad lauandum in agro Fullonis, vt suprà ostendimus. Quam verò portam Fontis appellent, manifestè testari videntur Hebraea, quae portam oculi, vel Fontis scribunt; aduersam eam quidem portae Aquarum orientali.

PORTA Fontis porta ad lauandum quare dicatur.

XXXVI. ASCENDERE contra eos, quid significet.

Et contra eos ascenderunt in gradibus ciuitatis Dauid in ascensu muri super domum Dauid. Septuaginta ante eos reddidisse videntur: nec mirandum sanè; vox enim Hebraica נגדם venegdam vtrumque significat, ante, coram, & contra. Sic in libris Regum: *Ego autem*, inquit, *faciam verbum istud* נגד neged coram, *in conspectu omnis Israël*, & ונגד veneged coram, *in conspectu Solis*. Quare loci sensus erit, qui praecedebant sacerdotes, ascenderunt coram eis, ante eos, vel in conspectu eorum. idem prorsus significare nonnumquam solet Latina vox, *contra*. *ascenderunt in gradibus ciuitatis Dauid*. Horum graduum situm, & vsum suprà ostendimus.

2. Reg. 12. ℣. 12.

Verum non paruam difficultatem inuoluit, quanam ratione super murum progrediens chorus, super gradus ascendisse dicatur, vel quomodo murus ipse vrbis ascendere potuerit super domum Dauid, quae in celsiore parte montis Sion exstructa fuerat, cùm contrà murus non ad celsissima montis ascenderit, sed per medium, eius inferiores partes ambiens & muniens, vtpote debiliores. quae quidem difficultates omnes ab vnica tantùm Hebraica particula על ghal ortae cùm sint, ea exposita, & peculiaris huius tèxtus phrases, & genuinus loci sensus facilè percipietur.

Ea vox, quae frequenter solet conuerti in Latinum super, saepe etiam significat idem, quòd iuxta prope,

Gen.14. ℣.6. Gen.16. ℣.7. Psal.133. ℣.1.

prope, secus, apud. Sic in Genesi: *Vsque ad campestria Pharan, quae est* על ghal super, iuxta, *in solitudine*. Atque iterum: *Cum inuenisset eam*, inquit, *Angelus Domini* על ghal *iuxta fontem*. Atque in psalmo על ghal: *Super*, hoc est, iuxta *flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus*. Hanc eandem phrasim tenuisse videtur Sanctus Ioannes Euangelista: *IESVS ergo*, inquiens, *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*, hoc est, iuxta, ptope fontem, quemadmodum interpretatur eum locum Maldonatus. Sensus ergo loci erit: ascendetunt על ghal, iuxta, prope gradus ciuitatis Dauid; non enim super eos conscendisse credendi sunt: vel sensus est, ascendisse ascensum muri, qui murus à porta stercoris, quae in inferiore parte montis Sion apetta erat, per totum occidentale latus montis Sion domui Dauid obiectus sursum erigebatur. Vox enim מעלות maghaloth ab eadem radice deducta, à qua superior patticula & gradus significat, & quemcumque ascensum. Reliquam textus partem facilius interpretabimur: nam vbi nos legimus; *in ascensu muri super domum Dauid*, ex Hebraeo vertit Regius codex; in ascensu ad murum desuper domum Dauid; cumque declinationibus careant Hebraei, neque hoc loco legatur particula, accusandi casum denotans, possemus & nos vertere desuper domus Dauid, vt sensus sit, ascenderunt ad murum, cui supereminebat domus Dauidis, vel propter littetam ל lamed, posses vertere, in ascensu ad murum, qui tendebat aduersus domum Dauid. *Et vsque ad portam Aquarum, ad Orientem*. Cùm potissimae murorum partes portae sint, vel celeberrimae aliquae turres, nullaque fuisset porta, vt diximus, in toto australi vtbis tractu, illum breui enumerat binis rantummodo assignatis eius terminis, occidentali, qui domui Dauid erat obiectus, & Aquarum porta orientali. Neque in porta Aquarum stetisse credendus est hic primus chorus, cùm paulò inferiùs is cum secundo in domo Domini stetisse dicatur. Quapropter audiendus minimè videtur Liranus, qui leui quadam coniectura suasus, asserit, hanc fuisse orientalem portam templi, cùm ex eodem Nehemia suprà ostensum sit, portam Aquarum inter duas turres domus Regiae, eidem ex aduerso exstitisse. Quibus adde, quòd antequam in domo Domini fuisse dicantur duo chori, in porta Custodiae stetisse dicuntur, ad quam relicta Aquarum porta tandem peruenerunt.

Gen.14. ℣.6. GRADVS ciuitatis Dauid, qui dicantur.

QVOMODO murus ascendisse dicatur super domum Dauid.

POTISSIMAE murorum partes portae sunt, vel turres.

Liran. PORTA Aquarum non fuit templi, sed vrbis porta.

XXXVII. *Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso*, hoc est, à sinistris, vt intuenti descriptionem nostram perspicuum erit, in eaque turres, ac portas, quas enumerat; turris enim furnorum, quam mox commemorat, in inferiori erat ciuitate; at porta Fontis, & domus Dauid in superiore. Harum autem medium locum tenebat porta stercoris. Quare cùm portam Fontis euntibus ad dexteram primùm occurrisse dicat, euntibus verò ex aduerso, turris furnorum prima conscendatur, planum omnino fit, quid significare voluerit voce illa, *ex aduerso*, nempe ad sinistram & aquilonarem vrbis partem.

EX ADuerso, quid significet.

Et ego post eum. Chorum autem, quem principes Iuda, sacerdotes, ac Leuitae praecedebant, sequebatur pro sua singulari animi modestia Nehemias, quem *& media pars populi* sequebatur, reliqua populi parte alterum subsequente chorum. *Super murum*. Non ergo super terram: id quod suprà ostensum à nobis est. Notat autem hic Vatablus, chorum hunc secundum progressum fuisse

Vatablus Nehem.12. n.13.

A ordine oppositio ab eo, qui descriptus fuerat capite tertio: & quidem meritò; nam ibi, vt vidimus, dum instaurationem enumerauit Nehemias, portam Gregis, turrim centum, turrim Hananeel, portam Piscium, portam Veterem, murum latissimum, & turrim furnorum percensuit: hic verò in dedicatione contrà, turrim furnorum, murum latissimum, portam Vererem, portam Piscium turrim Hananeel, turtim centum, & portam Gregis. Ex quo fit, vt cùm instauratores ab Oriente per Aquilonem progressos ad Occidentem deduxerit Nehemias, in dedicatione ab Occidente per eundem aquilonarem tractum ad Orientem vsque laudantium chorum perduxisse credendus sit.

SECVNdum chorum Nehemias deducit ordine oppositio illi quo instauratores percensuerat.

B Qua ratione manifestum omnino fit, id quod alijs quoque rationibus probatum à nobis est; portam quidem stercoris ad Occidentem spectasse, & reliquarum ordinem, ac situs instaurantium enumerato ordine comprobari. *Super murum*. Itaque procedebant, *& super turrim furnorum, & vsque ad murum latissimum*. longiorem tractum praetergressum se esse Nehemias, huiusmodi enunciatione ostendere consueuit. *Vsque ad portam Aquarum ad Orientem. & vsque ad murum latissimum*. Hoc enim tractu comprehendi portam Anguli, vel ex ipsa sequenti porta Ephraim, quae, vt vidimus, quadringentis tantummodo cubitis à porta Anguli distabat, interiacente muro latissimo, comprobari videtur.

PORTA stercoris ad Orientem spectauit.

C *Et super portam Ephraim*, quam omnes ad Aquilonem statuunt; neque enim aliter possunt, cùm ad eam caeli regionem, Hierosolymae, sita fit ea tribus. *Et super portam Antiquam*; eandem portam quoque Veterem dici, suprà probauimus, cùm in Hebraeo eodem vtrobique nomine denominetur. *Et super portam Piscium, & turrim Hananeel, & turrim Emath*. Eandem hanc etiam turrim *centum* dici in capite tertio, ostendimus suprà; cùm idem Hebraeis sit *Emath*, atque Latinis *centum*. *Et vsque ad portam Gregis, & steterunt in porta Custodiae*.

XXXVIII. *Sup. c.10. huius libri.*

Sup.cap.7. huius lib.

XXXIX. PORTA Custodiae non fuit in atrio templi. *Liran. Dion.Carth. Adrichom. Hierosol. n. 65.*

Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei. Huius quidem contextus ratio ita planè conuincit portam Custodiae templo fuisse proximam, vt Liranum, ac Dionysium quodammodo coëgerit asserere, portam hanc templi atrio proximam fuisse. Atreptaque inde occasione Adrichomius, nouam finxit portam in turri magna, quam Custodiae portam vocauit; neque vllam eiusmodi denominationis rationem inueniens, quandam formauit, quam vtinam perpendisset, huiusmodi; sic dicta, inquit, quòd aliqui Regis stipatores Rege templum ingresso, custodiam ibi agerent. Haec ille. Quibus nihil vero consonum videtur contineri. Primùm enim, turrim, quam ipse magnam appellat, eam purat esse, quam Nehemias turtim magnam, & eminentem vocat, quam nos ibidem ostendimus turrim fuisse domus Regiae, non autem muri ciuitatis. In assignanda verò denominationis ratione, aliquos dixit Regis stipatores in ea manere solitos. In quo, artificio quodam, & astu locutus videtur: nam negare non poterat, aliquos cum Rege ingredi consueuisse; ex quo necessarium foret, non omnes manere potuisse in porta Custodiae; verùm, quoniam pluribus sacrae Scripturae, atque Iosephi testimonijs legerat stipatores Regios vnà cum Rege templum ingredi solitos, aliquos cum Rege templum ingredi consueuisse, vel inuitus fateretur necesse fuit. Quare omnes simul ingressos fuisse permittat (id

Nehem. 3. ℣.27. Ibid.c.20. huius lib.

quod

quod nos quoque sentire decreuimus) donec aliquo testimonio, aut ratione probet aliquos in ea porta mansisse,& qua de causa. Neque minùs quidem à vero aberrant, qui portam Iudicialem cum porta Veteri confundentes, eam ad Occidentem statuunt. Nam cùm pluribus à nobis probatum suprà sit, eandem portam templo orientali proximam,& Iudiciariam,& Custodiae dictam, eam ad Occidentem non existitisse fateantur necesse est.

Et ego, & dimidia pars magistratuum mecum. Reliqua magistratuum pars cùm Esdra scriba in domo Domini pariter steterat, vt cum canticis, gratiarum actione, & sacrificijs accepti beneficij memores, Deo optimo ac maximo bonorum omnium largitori, breuissimo temporis spacio murum instauratum, perfectumque fuisse acceptum referrent. Atque haec de instauratione, ac dedicatione muri dicta sufficiant.

Multa praeterea agenda supererant, quae ab huius instituti scriptoribus sollerter inquiruntur ac pertractantur: quae omnia quò magis planè demonstrarentur, eò magis totius vrbis faciem ob oculos legentium proponerent. Verùm quoniam, quae de antiquissima, ac nobilissima vrbe dici possent, omnia nec dicere proposuimus, neque consequi nos posse sperabamus; sed illa tantummodo praelibare, quae perspecta à sollerti lectore cùm fuissent, aditum ad omnia sacrae Scripturae loca, quae de vrbe loquuntur, facilè intelligenda patefacerent; nec non Iosephi historias legenti perspicuum fieret, quae quibusque locis contigissent: ideo ijs tantummodo disputatis, quae propter varias scriptorum opiniones, vel propter ipsius rei difficultatem, quodammodo sepulta videbantur, nobilioribus insinuatis potiùs, quàm pertractatis, alijs in ipsa tantùm descriptione notatis, reliquis omnibus consultò praetermissis, modum huic nostrae disputationi adhibuimus, quò latior posterioris saeculi secundioribus ingenijs scribendi campus relinquatur: nobis verò si Deo iuuante vita superstes fuerit, addendi potiùs occasio detur, quàm detrahendi.

Illud tamen praetermittendum nulla ratione videbatur, quod iure optimo postulare videntur, qui vrbis sanctae studio tenentur, haec legentes, nempe vt sacratissima eius loca percenseremus, ac IESVM Christum Dominum nostrum Bethania Hierosolymam venientem comitaremur, in eaque cum discipulis suis cenantem veneraremur, in hortum, domum Annae, Caiphae, Pilati, Herodis, atque iterum in Pilati domum redeuntem sequeremur; indeque in Caluariae locum egredientem, ibique cruci affixum, ac sepultum, debito prosequeremur affectu ac veneratione; & tandem in Olineti montis caeumiae super caelos caelorum conspiceremus ascendentem: verùm quoniam huius Euangelicae historiae filum vix tenere possemus, nisi & temporum ratio, vnà cum loeorum disputatione perspecta haberetur; ea verò maximè ex ijs pendeat, quae septima huius Apparatus parte de sacris ferijs disputanda à nobis sunt; ideo benignum precamur lectorem, permittat eiusmodi sacrorum vrbis locorum tractationem vnà cum mystica vrbis, ac templi explicatione in extremam Apparatus partem commodiùs reijci. Nunc hanc nostram disputationem tragica miserandae, perpetuoque duraturae florentissimae vrbis ruina claudamus.

PECCATO SVO IN IESVM CHRISTVM *Dominum, omnium grauissimo, grauissimum supplicium promeruit Hierosolyma.* *Cap. XXIX.*

INnumerabiles propemodum, easque grauissimas calamitates perpessa est Hierosolyma: ea verò reliquarum omnium maxima fuit, quam in fine praecedentis libri retulimus, quamque Ieremias propheta toto Threnorum libro non satis deploraste videtur, eodem attestante, quia: *magna est enim velut mare* immensum, prope infinitam aquarum multitudinem continens, *contritio tua*. Verùm si eiusmodi calamitates, ac ruinae cum hac vltima à Romanis illata conferantur, haud secus ab ea superabuntur, quàm ab interitu aegritudo quaeuis, à naufragio quodlibet maris periculum, ab vniuersali totius vitae conflagratione quaelibet peculiaris membri alicuius vtio. Vt propterea hanc vastitatem exaggerans Christus Dominus, vtpote quae vna vniuersalem orbis euersionem ad viuum exprimere potuisset, prophetice dixerit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet*. Neque immeritò; nam si *pro mensura peccati* statuendum praecepit aequissimus legumlator Deus *plagarum* modum, numquid non eandem quoque aequitatis rationem Deum ipsum iudicem tenuisse credendum est? immo verò maximè. Cùm enim omnia omnium hominum scelera vnicum Iudaeorum scelus maximè superet: auctorem siquidem vitae Christum IESVM interemerunt, non mirum est, sed quodammodo necessarium, plagarum modum, quo peccatorum hoc maximum vindicatur, omnes alias plagas longè superasse. Quod ipsum, prout à nobis proponitur, argumentum latè prosequitur Amos propheta, idque sibi quasi totius suae prophetiae scopum ab initio proponit. Atque ideo eiusdem prophetiae interpretationi accuratiùs insistere operaepretium duxi, quò legentibus palam fiat, quaenam fuerit euersionis causa, quantumque fuerit, & quàm acerbum supplicium, quod numquam sit finem habiturum. Quoniam verò eiusmodi prophetae testimonijs vehementer vrgeri se sentiebant Hebraei, & quasi cognoscere cogebantur impietatem suam, qua Christum Dominum verum Deum, ac sibi promissum Messiam occiderant; ideo singulas eius partes singulis excogitatis figmentis, atque effugijs, à vero prophetae sensu detorquere conati sunt. Quapropter eorum praetermissis eauillationibus, & erroribus, planum prophetiae sensum eiusdem prophetae collatis testimonijs comprobare conabimur.

Thren. 2. ℣.13.

VLTIMVM vrbis excidium cum alijs confertur.

Matth. 24. ℣. 21.

Deut. 25. ℣.2.

Amos Propheta in omni sua prophetia exaggerare contendit immane illud Iudaeorum scelus, quo Christi Domini, ac Saluatoris nostri sanguinem vilissimo pretio impiè vendiderunt, & mereati sunt, eius effusionem sitientes. Collatione autem facta huius sceleris cum quamplurimis alijs non Israëlitarum modò, sed & gentium, id maximè

SCELVS Christi vendiditi exaggerat Amos propheta.

ximè consequi se posse sperabat, vt ab eisdem praecaueretur, ac postquàm admissum fuisset, cognosceretur, quò eius auctòrès in debitam paenitentiam inducerentur. Id autem maximè praestat gradatione quadam, minora priùs referens, maiora subiungens, ac tandem eorum omnium maximum breuissima oratione perstringens. Vsus est autem saepius illa phrasi communi: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quattuor non conuertam eum.* Vbi eruditè satis notat Ribera, non ad certum aliquem peccatorum numerum referenda esse tria illa peccata, quibus quartum peccatum praefertur; sed certo illo numero, indefinitum omnis generis peccatorum numerum intellexisse prophetam; idque probat Chrysostomi testimonio, qui de muliere, quae fermentum in farinae satis tribus absondit, loquentem Matthaeum sic interpretatur, quasi tria sata pro multis posuerit. Consueuit enim, inquit, hoc numero pro multitudine vti scriptura. Atque idem ipsum alijs quoque sacrae Scripturae testimonijs comprobari posse videtur, in quibus Hebraica vox שלש scalos Latinè ternarius reddita multitudinem significat, vt videre est apud Ezechielem: *Duplicetur*, inquit, *gladius ac triplicetur*. quem locum semel atque iterum R. Dauid: duplicetur gladius tribus vicibus, R. Selomo: duplicetur ter: Pagninus, gladius, gladius, gladius conuertit. Et sunt qui exponunt, magnus erit gladius, quasi dicat, potentissimus ad percutiendum. Ex eadem enim voce deducitur שליש scalis, magnum, ducem, principem significans, quasi dicas, triarium, vel triplo maiorem reliquis. Sic in libris Regum: *Respondens vnus* השלישי hascalis, dux, princeps, *de ducibus, super cuius manum Rex incumbebat*. Et in Prouerbijs: *Ecce*, inquit, *descripsi eam tibi* שלישים scalisim, *tripliciter*, magna, mirabilia carmina interpretatur R. Dauid Chimchius, exponiquè posse tradit, semel, secundo, & tertio, hoc est, triplicia, vel triplicata, trifariam, id est, multifariam, saepius iterata. Rab. Abraham verba ducalia, hoc est, magna, R. Leui, verba glorioſa ad dirigendum te.

Quae omnia loca cum suis interpretationibus probare videntur Hebraica phrasi ternarium pro magno quodam, atque indefinito numero vsurpari. quapropter cùm trium scelerum meminit Amos propheta, omnis generis scelerum meminisse videtur: eorum tamen, quae frequenter, & à multis admitti consueuerunt; reliqua enim, quae hunc ordinem transcendunt, in quartum deducuntur gradum. Exquirit tamen idem Ribera diligenter, quaenam sit huius locutionis ratio; earum autem quas affert, illam maximè probauerim, quae astruit numerum ternarium primum esse, qui ad multitudinem perueniat; tria enim plura dicuntur, duo non item. quapropter non videtur à ratione omnino alienum, primum numerum multitudinis pro numero eiusmodi absolutè vsurpari. Verùm quòd ad locum Amos, quem interpretari conamur, spectat, apertiorem sensum esse crediderim, qui in ipso, vt mox videbimus, contextu innuitur, nempe quòd omnia scelerum genera ad tria potissimùm reduci posse videantur. Aut enim peccatori ipsi ea perpetranti aduersantur, aut proximo, aut Deo. Prioris generis sunt peccata, quae carnis dicuntur, attestante Paulo, quia *omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* In secundo gradu numerari potest omnis iniustitia, & potissimùm fratris odium. In tertio idolatria, quae maximè Deo viuo & vero aduersatur. Sunt autem se excedentia ex genere suo peccata eo ordine, quo à nobis constituta sunt. atque haec sunt tria peccata Damasci, Gazae, Tyri, Edom, filiorum Ammon, Moab, Iudae, & Israëlis. Singulis verò quartum quoddam adiungit, quod vltra humanum consuetumque peccandi modum, & peccatorum numerum excresceret: vindictamque à Deo ita efflagitare sua acerbitate videretur, vt non esset ampliùs differenda. Quapropter singulis quibusque quartis peccatis statim affuisse diuinam vltionem commemorat, vt ea ratione quartum Israëlis peccatum reliquis omnibus peccatis, eiusque vindicta reliquorum vindictis collata magis ac magis innotesceret. Breuiter igitur quartum quodque cuiusumque gentis peccatum percenseamus, Damasci primum.

Eò quòd, inquit, *triturauerint in plaustris ferreis Galaad*. In quo excessisse videntur terminos belli, ac quodammodo iuris gentium; siquidem non contenti victoria de hostibus Galaaditis parta, ipsam quoque eorum ciuitatem, ac totam circumquaque regionem deuastarunt, demolitique sunt, haud secus quàm spicarum manipulos solent ferrea dentataque plaustra saepe saepius desuper conuoluta triturare. Quod immane scelus robustorum, ac principum caedes, populi seruitus, & pulcherrimarum vrbium combustio vindicatura consequitur.

Eo tamen scelere maius multò fuit peccatum Gazae: accipitur autem ea ciuitas pro vniuersa Palaestinorum regione, quo scelere omnis generis peccata cumulauerunt: *Eò quòd transtulerint captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumaea*. Neque enim contenti sunt, iniqua vrbium Iuda, Israëlisque vastitate, ac seruitute filiorum eius: verùm quotquot ex eis, iniuria nullo iure, detinebant vendiderunt Idumaeis, genti immani, ac crudeli, magisque ab Israëlitarum finibus remotae, quasi perpetuam illis seruitutem exoptantes. Vocat autem perfectam captiuitatem omnes captiuos nemine dempto: Idumaeos verò gentes longinquas, iuxta Ioëlis vaticinium: *Et filios*, inquit, *Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filijs Graecorum, vt longè faceretis eos de finibus suis*. Quod scelus similis omnino praecedenti vindicta consequitur; additque ad explicandum sceleris excessum; *conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum*.

Maius autem eo scelere fuit omnino Tyriorum scelus; siquidem eiusdem Gazae sceleris participes, *concluserunt captiuitatem perfectam*, hanc addentes praeuaricationem: illi enim *transtulerunt*, hi quasi pactione facta de non dimittendis captiuis, *concluserunt captiuitatem perfectam in Idumaea*: cùm tamen omni iure humano, naturali, ac diuino tenerentur fraterni foederis atque amicitiae eisdem, quos captiuos abduxerant, iura seruare, & *non* sunt *recordati foederis fratrum*. quod vehementer exaggerat eorum immanitatem. Huius sceleris vindictam vno verbo perstringit Amos: eam tamen latè persequitur Ezechiel, vt suprà vidimus.

Scelere autem Tyri maius multò fuit scelus Edom: eius autem regionem Graeca voce Idumaeam dici testatur Ribera, & ab Esau Iacobi fratre originem duxisse. Hi ergo Idumaei vrbium vastatione minimè contenti, vt Damasceni, neque hostium seruitute vt Gazaei, neque foedere iunctorum fratrum perpetua captiuitate vt Tyrij, omnem

Amos 1. ℣.3. *Rib. ibid.*

TRIA scelera Damasci non certum aliquem peccatorum numerum significant, sed innumera.

S. Chrysost. hom. 47. in Matth. 13.

TERNARIus pro indefinito numero.

Ezech. 21. ℣.14. *Rab. Dauid in lib. radic. & in comment.* *R. Selomo.* *Pagnin. in dictionar.*

4. Reg. 7. ℣.2.

Prou. 22. ℣.20.

R. Dauid.

R. Abrah. *R. Leui.*

TERNARius, quia primus est numerus ad multitudinem pertinens, multitudinem significat.

QVOD omnia peccata ad tria potissimùm genera reducantur, ideo tria scelera vniuersa significant. *1. Corin. 6. ℣.18.*

PECCATA in seipsum, in proximum, & in Deum admittit peccator.

QVARtum scelus quod dicatur.

Amos 1. ℣.3.

GAZA pro vniuersa Palaestinorum regione accipitur. *℣.6.*

CAPTIVItas perfecta quae sit. *Ioël. 3. ℣.6.*

Amos 1. ℣.8.

CONCLVdere captiuitatem quid sit.

Tom. 2. cap. 27. & 28. Ezech.

EDOM Graecè Idumaea dicitur. *Rib. ibid.*

omnem eorum peccandi licentiam longè superarunt, *eò quòd persequutus sit in gladio*, hoc est, cum gladio, vsque ad mortem *fratrem suum* vterinum Iacobum, filios eius iniurijs, odio, ac nece prosequutus, *& violauerit misericordiam eius*, homini cuicumque, non tantùm fratri, debitam; vel quam ipse Edom, vt homo, humanitatem à se abijcere non debuisset, *& tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem*. Huius sceleris vindictam igne factam fuisse testatur, qui iuxta comburendorum dispositionem diutiùs ac magis comburit.

Scelere autem Edom multò maius fuit scelus filiorum Ammon: *eò quòd secuerit praegnantes Galaad ad dilatandum terminum suum*. Quò enim B ampliùs euadere possent fratrum odia, & amor propriae ditionis, quàm vt nondum viuentes perimat, nondum natos odio prosequatur, patrata immaniſſima maternorum viscerum sectione? Hoc verò scelus, non vt reliqua, ignis tantummodo hostilis, vindex consequitur, sed quasi maior quidam è viscecribus terrae exhalans, vel ab ipso caelo delapsus. Id quod significare voluisse videtur Dominus, subdens: *& in turbine in die commotionis.*

Neque verò hic sistitur effrenata hominum peccandi libido; multò magis extenditur, multò latiùs extra honesti fines excurrit ac diuagatur. Maius his multò fuit Moabi scelus: *eò quòd incenderit ossa Regis Idumaeae vsque ad cinerem*. Quis enim C tantus excogitari posset vindictae ardor, qui non hostis morte sedetur? quae tanta irae ac furoris incendia, quae non effuso inimici sanguine exstinguantur? quodnam tam immane ac dirum hostilis memoriae odium, quod hostis sepulcro, eius carnibus consumptis, atque in puluerem redactis, aridisque perspectis demortui ossibus, nullam viuentis similitudinem conseruantibus, non quiescat? non deponatur? non abijciatur? Et tamen vlteriùs multò processit Moabitarum ira, furor, atque odium, ossa defuncti Regis comburentium, nec desistentium, donec in aridissimum cinerem conuerterentur. Eiusmodi autem sceleris, ignem, interitum, ac mortem vindices fore praedicit Dominus.

Haec autem omnia gentium scelera quamuis immania sint; non tamen excedunt secundi ex praenotatis generibus gradum: quapropter ijs omnibus multò maius fuit Iudae scelus, non in homines admissum, sed aduersum Deum ipsum, rerum omnium opificem ac Dominum: *eò quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quae abierant patres eorum*. Cuius sceleris vindictam subdit, dicens: *Et mittam ignem*, Nabuchodonosoris, *in Iuda, & deuorabit aedes Ierusalem*. Eius vindictae suprà latè meminimus, ostendentes propter idololatriam illatam fuisse.

Ea autem omnia, quae hactenus dixerat propheta, quasi quaedam enumeratio sunt grauissimorum scelerum, vt ea omnia ostendat à peccato Israëlis longè lateque superari: *Haec* enim, inquit, *dicit Dominus: super tribus sceleribus Israël, & super quattuor non conuertam eum; pro eo*, inquam, *quòd vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis*. De iusto hoc vendito quisnam fuerit, dubitant quamplures. Hebraei quidem, ne tam manifesto prophetae testimonio cogantur fateri, Christum Dominum ab eis venditum, & cruci adiudicatum, verum fuisse Messiam, in lege, prophetis, & psalmis sub iusti nomine saepe pro- A missum, de alio, aut alijs iustis locum interpretantur, ita vt de Christo Domino intelligi nulla ratione posse astruant, de quo sanè intelligendus est. Id quòd à nonnullis quoque Catholicis, ac pijs viris, Hebraeorum placita sectantibus negatur, non aliam ob causam, quàm quòd de Israële propheticus hic sermo loquatur; nec tantùm, sed & tota prophetia ad Israëlem videatur dirigi. Nam cùm ea Hebraeorum natio, quae Christum Dominum vendidit, & morti adiudicauit, Israëlis nomine non censeatur, sed potiùs Iudae & Hierusalem, de alia, quàm de Christi venditione locutus illis videtur Propheta Amos. Quibus tamen non obstantibus, Rabbi Samuel Iudaeus, Galatinus cum Hadriano Fino maximè hoc testimonio arbitrantur tueri se posse Christianorum partes, aduersus Iudaeos: neque immeritò; id enim conuincere videtur ipse prophetae contextus, quòd hi ipsi scriptores contendunt.

DE CHRISTO Domino intelligendam hanc prophetiam tradunt Hebraeorum aliqui. *Rab. Samuel epist. ad Rab. Isaac cap. 6. habetur tom. 4. biblioth. sanct. Galat. lib. 4. de arcan. cap. 24. Hadri. Fin. lib. 6. flagel. cap. 47.*

Ratio autem ea dubitandi non ita vrget, vt propterea verum loci sensum abijciamus, aliaque admittamus, quae illi admittunt, vim omnem prophetici sermonis non exprimentia; immo potiùs, quae ea verba maximè extenuant. Quamuis enim negandum non sit, prophetas plerumque post diuisionem Israëlitici populi sub Roboamo, & Hieroboamo, Israelis nomine compellare consueuisse decem tribus, Iudae verò nomine binas; non tamen semper in eo distinctionis rigore versantur, sed plerumque etiam Israëlis vel Iudae nomine totam Iacobi progeniem; omnes, inquam, circumcisione signatos vocare voluisse probantur; vt propterea prudens lector, ac sapiens prophetarum interpres, non illa distinctionis tantùm ratione arbitretur se posse verum prophetarum sensum agnoscere, nisi diligenter etiam contextui, antecedentibus, inquam, ac subsequentibus conetur plenè satisfacere. Eius rei possem quamplurima exempla proferre: vno tamen aut altero contentus ero: quae quoniam huic nostro quàm simillima sunt, haud dubium quin ea tantùm cuilibet sanae mentis satisfacere queant. Et primùm Isaias sic suam inscribit prophetiam: *Visio Isaiae filij Amos, quam vidit super Iudam, & Ierusalem*: cum tamen in ipso prophetiae exordio ad Israëlem prophetiam suam dirigere videatur, inquiens: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*. Vbi Hieronymus: pro Iuda, inquit, in quo significantur duae tribus, Septuaginta, & Theodotio posuere, Iudaeam, quae totam terram duodecim tribuum ostendit. Haec ille. Qui quamuis principaliter de duabus tribubus loqui prophetam arbitretur; non tamen propterea negare potest, & de omnibus multa locutum fuisse. Eam verò Septuaginta interpretum versionem pro viribus conatur defendere Leo de Castro, ex plurium, grauissimorumque Patrum sententia probans, Septuaginta interpretes diuino spiritu afflatos multa addidisse, multa immutasse in sacris litteris; sicut & hoc loco fecisse videntur iuxta Eusebij Caesarienſis sententiam, qui omnem nationem Iudaeorum, inquit, reprehendit hoc loco, siquidem ait: *Israël me non cognouit*: ideoque de duodecim tribubus, quae hoc nomine significantur, egisse prophetam contendit. Atque iterum idem Eusebius ab ipso quoque Moyse vniuersam prouinciam prophetico spiritu denominatam Iudam, ait, eò quòd ante tempora Christi Iudaea vocanda esset. Quapropter iuxta

PROPHETAE saepe non semper Israëlis nomine decem tribus intelligunt.

ISRAEL pro tota Hebraeorum natione.

Isai. 1. ℣. 1.

Ibid. ℣. 3.

S. Hieron. sup. Isai.

Leo de Cast. sup. Isai. 1.

Euseb. lib. 2. demon. 36.

Euseb. lib. 3. demon. c. 2.

Mosis

Mosis prophetiam mirandum non est, si Septuaginta interpretes Iudam hoc loco Iudaeam conuerterint, vt ostenderent, sententia spiritali hoc vaticinium ad vniuersam prouinciam Iudaeam pertinuisse. Exstat tamen aliud Isaiae testimonium, *S. Hieron.* eiusdem Sancti Hieronymi interpretatione confirmatum, quo sine vlla controuersia Israëlis nomine totus Hebraicus populus intelligitur. Nam cùm beneficia retulisset, quae toti populo sub allegoria vineae contulerat Dominus, subdit: *Isai. 5. ℣. 7.* *Vinea enim Domini exercituum domus Israël est, & vir Iuda germen eius delectabile.* Non enim aliam constituit vineam Iudae, neque alijs palmitibus conferebatur Israël, quàm eisdem filijs Israël. Quamobrem meritò totam hanc Isaiae prophetiam ad hanc vltimam, de qua agimus, Israëlis auersionem retulit Foreirus illis verbis: Facilè iam fuerit intelligere, quando Respublica Hebraeorum haec perpessa sit. non quòd similia ante aduentum Domini non experti fuerint; sed vix haec de altera vastatione intelligi possunt, quàm de vltima. & cùm id aliquibus rationibus ex ipso contextu desumptis confirmasset, subdidit: Quando quaeso sic patuit Israël hostium incursionibus, vt ardere tota Respublica, & conflagrare visa fuerit? Quando sic concidit fortitudo bellica, & contritae sunt vniuersae vires Iudaeorum? Quando sic ruptus & diruptus fuit murus ciuitatis sanctae, & templum & totum ipsum Regnum, vt omnino spes etiam restitutionis, & instaurationis interierit? Quando, inquam, nisi post occisum Dominum? In superioribus enim captiuitatibus non eradicabatur penitus vinea, adhuc remanebant vites, & forma Reipublicae aliqua ex parte apparebat. A mille & quingentis annis ne speciem quidem Reipublicae habent. Olim calamitas, quae accidebat, putatio quaedam esse videbatur, vt vberiores postea fructus ederet: at Titus, & post ipsum Hadrianus omnia funditus euerterunt. Haec ille.

Forei. in Isai.

IN QVO differat vltima à reliquis vrbis vastationibus.

Quibus probare contendit, Israëlis nomine totam Hebraeorum Rempublicam intelligi, quae tunc demum quasi inutilis vinea non derelicta modò, non saepe destituta tantùm, sed omni humano, ac caelesti auxilio priuata, quasi effossis singularum vitium radicibus, omni spe futurae instaurationis caruit, cùm Hierosolyma funditus euersa, & Regnum ab Hebraeis ablatum, & datum fuit genti facienti fructus eius. Nam quamuis decem illae tribus, quae sub Osee Rege in captiuitatem abductae sunt, tunc demum perijsse videantur, cùm abductae fuerunt; siquidem nusquam ampliùs omnes redijsse simul legantur: tamen magna ex parte redierunt in patriam, quando à Cyro Rege omnibus volentibus in patriam redire permissum fuit: quapropter multos redijsse cum duabus tribubus compertum est.

4. Reg. 17.

QVOMODO totus Israël vltima vastitate concidisse probetur, non autem priùs.

Verùm enimuero etiamsi neque vnus quidem ex decem illis Israëlis tribubus redijsset: tamen manente Hierosolyma, & Hebraeorum Republica, captiuis ipsis, ac per orbem dispersis Israëlitis spes aliqua superesse videbatur, recuperandae pristinae libertatis, ac in patriam remeandi: at postquam Hierosolyma euersa, eiusque Regnum, sacerdotium, ac dignitas paene interijt, spes quoque Israëliticae restaurationis penitus interijsse videbatur. Quapropter de Israële, eiusque triplici peccato, & de quarto, quo iustum vendiderunt, sermo est Amos prophetae: non verò tantùm de Iudaeorum sceleribus, quamuis illi quidem praecipuam huius sceleris sensere vindictam. Sunt tamen praeterea non contemnenda argumenta, quae hanc nostram videntur confirmare sententiam: illa sequenti capite cum alijs, quae ad hunc locum faciunt, proponemus.

DVM VENDIDIT CHRISTVM DOMINVM

Israël sibi extremum excidium comparauit.

Cap. XXX.

PRIMVM omnium non refert Amos propheta occisum Christum, sed venditum, quamuis grauius certè peccatum fuerit occidere, quàm diuendere; eoque maius, quò maius hoc quàm illud inferebat damnum iusto. At ne fortè excusarent se Iudaei, dicentes; nos non occidimus eum, sed Romani; ideo venditionis, cuius nullam possent afferre excusationem, meminit Propheta, non occisionis. Ipsi namque, Augustino teste, Romano Iudici eum occidendum tradiderunt, vt quasi ipsi à morte eius viderentur immunes. Huc accedit, quod manifestis rationibus probare contendit idem Augustinus, grauioris culpae reos fuisse Iudaeos ipso Pilato; hic enim quamuis inuitus occiderit Christum, reus quidem fuit, quia fecit; illi verò inexcusabilis culpae labe foedati, qui inuitum coegerunt vt occideret. quapropter & voce Domini Saluatoris maius fuit Iudaeorum peccatum peccato Pilati: ait enim: *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Sic enim interpretari locum hunc libet, cum Patribus, Cyrillo, Chrysostomo, Augustino, cum Euthymio, & alijs expositoribus.

QVARE Amos non commemoret occisum Christum, sed venditum.

S. Aug. sup. Psal. 65. ℣. 2.

Ioan. 19. ℣. 11. Cyril. lib. 12. cap. 22. S. Chrysost. hom. 83. S. August. tract. 116. Euth. & alij sup. Ioan. 19.

Et quamuis reos quidem Christi mortis fuisse Iudaeos ipsa veritas exponat: tamen ne illi, qui veritati semper restiterunt, excusationem aliquam sui sceleris adinueniant, venditum, vt dixi, Christum ab eis commemorat propheta, non occisum. Et ne vlla ratione possent hoc etiam scelus à se repellere Iudaei, dicentes, nos non diuendimus eum, sed Iudas, qui non fuit de tribu Iuda, sed de tribu Ephraim; illis opponemus prophetam vsum fuisse Hebraico verbo מכרם michram, quod vulgatus vertit, vendiderunt. de quo verbo Galatinus affirmat, esse quidem commune ad significandum tam emptionem, quàm venditionem. ex quo fit, vt non minùs ea voce Iudaei comprehendantur ementes, quàm Iudas vendens. Possent tamen, etsi immeritò, adhuc etiam excusationem quaerere Iudaei, dicentes, se minimè emptionis reos, cùm & Euangelista testetur Iudam ad principes sacerdotum accessisse, qui ex tribu Leui omnes erant, non de Iuda; vt cum eis de pretio vendendi Christi ageret: & pro se afferre Sanctum Lucam Euangelistam *cum principibus sacerdotum, & magistratibus*

QVA RATIONE probetur mortis Christi omnino reos fuisse Iudaeos.

Galat. lib. 4. cap. 24.

QVOMODO Israëlitae vendiderint Christum.

Luc. 22. ℣. 4.

ibus Iudam locutum fuisse testantem, nec non Matthaeum referentem, *triginta argenteos* accepti pretij, relatos fuisse à Iuda paenitentia ducto, *principibus sacerdotum & senioribus*, quasi eisdem, à quibus eos acceperat. Adhuc tamen possent conuinci Iudaei, quia inter illos principes ac seniores absque dubio connumerati videntur duo & septuaginta illi seniores, quos in australi parte templi concilia celebrare consueuisse tradit liber Paralipomenon; inter quos & Iudaei annumerabantur: tamen quia neque omnes illi erant de tribu Iuda; immo verò ex omnibus duodecim tribubus, seni ex singulis assumpti, prout nos latè suo loco probabimus: ideo firmioribus argumentis perfidos vrgeamus. Ac ne huiusmodi excusationibus excusarent se in peccatis Iudaei, seque ab hoc scelere venditi Christi innoxios fuisse credentes, ac propterea & à paena tantae impietati debita immunes fore putarent, vt eas omnes excusationes vnico verbo excluderet propheta, eiusmodi peccatum Israëli adscribit; non quidem quatenus excludit Iudaicam tribum, sed quatenus eam includit & reliquas; vt ostendat nullam ex duodecim tribubus poenas euasuram, cùm nulla reperiatur, quae tanti sceleris particeps non fuerit & rea.

Matth. 27. ℣. 3.

1. Par. 26. ℣. 15.

DIVENDI- i Christi omnes Israëlitas reos fuisse ostendit prophe- a, quo ne- hinem pro- et tanti sce- eris paenas uasurum.

Et quidem, quòd ad Iudam Iscariotem tanti sceletis spectat auctorem, fuisse eum ex tribu Ephraim, non autem ex Iuda, non tam propria sententia, quàm Isaiae vaticinio probat Sanctus Hieronymus, qui dum illa verba interpretatur: *Vae coronae superbiae, ebrijs Ephraim, & flori decidenti, gloriae exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimae, errantes à vino*: triplici via incedendum sibi proponit. Primùm iuxta historiam, deinde iuxta tropologiam, & ad extremum iuxta vaticinium prophetale. Et primùm, nomine Ephraim decem tribus intelligi probat ex eo, quòd Ieroboamus primus earum Rex, quique eas deficere fecit, à Roboamo Salomonis filio, ex tribu fuit Ephraim. Et post multa subdit: secundum prophetiam illud possumus dicere, quòd coronam iniuriae vocet scribas & Pharisaeos, qui Dominum blasphemabant; & appellantur mercenarij Ephraim propter Iudam, qui de tribu Ephraim, & de vico eiusdem tribus Iscarioth, Dominum pretio vendidit. & post aliqua de valle pinguium explorata, quae Hebraicè Gethsemani dicebatur, in qua Iudas Dominum tradidit, subdit: Ebrius autem fuit proditor non vino, sed auaritia, & furore aspidum insanabili, & diaboli cibo, qui post buccellam intrauit in eum, & penitus deuoratus est, quia oratio eius versa est in peccatum, & ne paenitentia quidem eius fructum salutis habuit. Verbum Hebraicum שוברי siccore ambiguum est, & vel ebrios, vel mercenarios sonat, ceteriqúe ebrios, soli Septuaginta Μισθωτὰς misthotus, id est, mercenatios transtulerunt. Haec Hier onymus.

..Hieron. ip. Isai. 28. r. 1.

VDAS roditor ex ribu E- hraim.

EBRII icuntur ercenarij.

Hieron. nomin. ebr. Matthaei.

Quibus minimè aduersatur, quòd idem alibi nomen Ischariot interpretatur memoriale Domini, & subdit; quòd si voluerimus legere Issacharioth, est merces. Potest autem dici & memoria mortis. Haec Sanctus Hieronymus. Qui quidem non propterea significare voluit Iudam fuisse ex tribu Issachar, quòd eum Issachariothem vocet, vt quidam sunt arbitrati: immo verò non fuisse probate videtur, ostendens mutandum valde nomen fuisse, vt ad eam tribum aliqua saltem vocis similitudine significatetur pertinuisse.

Earum verò vocum discrimen, magis apertè constabit, si consulantur Hebraea. Siquidem longè aliter scribitur אישקריות iscarioth, & יששכר issachar, fuisse autem illi voci non huic affine Iudae nomen, probat Graeca scriptura, qua Ἰσκαριώτης iscariotis scribitur per κ cappa, quae Hebraico ק coph respondet, non autem per χ chi, quod solet Hebraico כ caph respondere. Multoque minus aduersatur Sancti Hieronymi sententiae subtilis illa nominis אישקריות iscarioth in duas voces diuisio, quasi dictum sit ab איש is vir, & קריות carioth quasi sit vir Cariothensis; falsò enim argumentantur, qui quòd apud Iosue vicum Carioth legant in tribu Iuda, inde denominari Iudam arbitrentur, cùm contrà & apud Amos prophetam, & apud Ieremiam celebris vrbs quaedam huius nominis commemoretur in regione Moabitarum, propter eorundem scelera subuertenda. Et hanc quidem vrbem in sortem venisse tribus Ephraim, atque ab ea denominatum fuisse Iudam, satis probat Sancti Hieronymi manifestissimum testimonium, cùm oppositam sententiam antiquorum nullus tenuerit.

I S C A- rioth & Issachar longè diuersae voces.

I S C A- rioth vicus tribus Iudae, & ciuitas insignis Moabitarum. *Iosue 15. ℣. 25. Amos 2. Ierem. 48.*

Sed iam tandem illud probandum superest, quod sublatis aliarum sententiarum fundamentis, facilè à quocumque cordato viro concederetur, nempe iusti nomine Christum Dominum hoc loco intelligendum. Et primùm ex innumeris propè sacrae Scripturae locis constare id quidem potetit: illis tamen consultò praetermissis, quoniam & suprà allata à nobis nonnulla sunt; vnicum tantùm prophetae testimonium lubet nunc afferre, quod se solo possit hanc nostram stabilire sententiam. Habetur autem apud Zachariam, estque huiusmodi: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ECCE REX TVVS venit tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae*. Quem locum de Christo Domino intelligendum testantur cum sanctissimis Matthaeo, & Ioanne Euangelistis omnes Ecclesiae Catholicae doctores; nec tantùm; verùm & ipse Hierosolymitanus populus sic eundem locum intellexisse videtur; siquidem venientem Christum Dominum pauperem, sedentemque super asinam & pullum eius, tamquam Regem ex Dauidica familia promissum venerati sunt, attestante S. Marco, quia clamabant, dicentes: *Benedictum quod venit Regnum patris nostri Dauid*. Quapropter eodem testimonio conuincendos fore Iudaeos putat non semel, sed saepius Eusebius. idemque Sanctus Chrysostomus, atque alij doctores sentiunt. Quibus omnibus rationibus perspicuum fit, nomine, iusti, Christum Dominum intelligi, ita vt nulla ratione id negari possit, etiamsi neque in Hebraeo, neque in Graeco addatur articulus, eximium aliquem, iustum, denotans. Quapropter cùm defectus articuli nihil prohibeat, iusti, nomine apud Zachariam Christum intelligi, permittant follertes articulorum indagatores, & apud Amos iusti, nomine Christum quoque intelligi: tum vel maximè, quòd mirabilis quidam consensus obseruari facilè possit inter Zachariam & Amos, cùm eundem, quem iustum vterque propheta vocat, pauperem pariter fuisse commemoret. Quibus addenda videntur, quae sequuntur apud vtrumque prophetam. Amos enim perituram tandem concludit Israëlem, stridente subter eos Domino, *sicut stridet plaustrum onustum feno*, & quae sequuntur. Apud Zachariam verò: *Et disperdam*, inquit, *quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissi-*

I V S T I nomine Christum Dominum intelligi. *Sup. lib. 1. verb. c. 14.*

Zachar. 9. ℣. 9.

Matth. 27. ℣. 5. Ioan. 12. ℣. 15.

Marc. 11. ℣. 10.

Euseb. lib. 9. demon. 4. & lib. 9. demon. 17. S. Chrysost. homil. 67. in Matth.

IVSTI NOMINE Christus designatur, quamuis ea vox neque apud Hebraeos, neque apud Graecos articulo notetur.

CONSENsus Zachariae & Amos. *Amos 2. ℣. 13. Zach. 9. ℣. 10.*

& dissipabitur arcus belli, &c. Cuius loci contextum significare voluisse videtur Christus Dominus, cùm sicut refert Sanctus Lucas, eodem die, & hora, qua descendebat IESVS de monte Oliueti: *coeperunt omnes turbae descendentium gaudentes laudare Dominum*, &c. *dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in caelo, & gloria in excelsis.* Quibus verbis quasi testari videbatur Euangelista opere completam priorem, quam attulimus, prophetiae partem; subditque: *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem*, quasi memor eorum, quae mox sequebantur in eadem prophetia, *fleuit super eam, dicens; quia si cognouisses & tu*, &c. *& ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt*, ex quacumque tribu fuerint, eo maximè tempore, quo ex omnibus tribubus venerant omnes viri religiosi ad diem festum, vt propterea Sanctus Ioannes Euangelista turbam multam commemoret, *quae venerat ad diem festum*. quibus verbis maxime congruere videntur vtriusque prophetae verba. Quod enim Zacharias Ephraim & Hierusalem dixit; hoc est, duodecim tribus, & totam Hebraicam familiam, idem ipsum vnico verbo vocauit Amos, Israël, & Christus Dominus filios Hierusalem. Suprà enim ostendimus omnium tribuum communem habitationem fuisse Hierosolymam.

Luc. 19. ℣. 37. & 38.

Ibid. ℣. 41. 42. 43. & 44.

QVARE Christus Dominus in die palmarum fleuerit super ciuitatem.

QVARE Israëlis nomine omnes tribus intelligantur.

Lib. 2. huius. cap. 22.

Iam verò quamuis satis firma videatur nostra sententia; non tamen stare diu posse videbitur, nisi & aliorum sententiam examinemus, & quibus partibus deficiat, ostendamus. Sunt fateor, qui nomine iusti huius iustitiam accipiendam arbitrantur, quam vendidisse intelligendi sunt iniqui Iudices, minimis etiam munusculis corrupti. Alij verò iustum indefinitè pro quouis iusto accipiendum putant, vel pro iustis, idque Chaldaei testimonio confirmari putant, qui, vendiderunt pro argento iustos, vertit; notarique existimant Israëlitarum iniquitatem, atque auaritiam, cuius causa iura, substantiam, ac vitam iustorum, & innocentium ditioribus vendebant, iniquè iudicantes. Qui dicendi modus in idem omnino recidit cum priori, atque vtroque impijssimi Iudaei oculos mentis suae contegunt, ne clarissimo huius loci splendore illustrentur.

VOX, iustus, non pro quouis iusto, neque pro iustitia accipienda.

Fateor ego quidem ingenuè meam insscitiam, meque nulla ratione intelligere posse, quonam modo stare queat, vt de simplici iniustitiae & auaritiae peccato loquatur contextus. Nam si verba illa attentiùs considerentur: *super tribus sceleribus, & super quartum non conuertam eum*, nihil aliud omnium consensu significare videntur, quàm quod etiamsi propter tria illa peccata, quae tempore anteriora, grauitate minora semper intelligenda sunt, & à Deo dimitti, & maximis poenis affici meruerit gens illa: tamen Dei optimi benignitate, patientia, longanimitate, & paenitentiae locum, & poenae dilationem, & supplicij relaxationem concessam illis plerumque fuisse. At verò cùm ad quartum reliquorum omnium maximum, & quasi mensurae cumulum peruenerit, quasi effusa mensura: iram quoque Dei in illam gentem & populum effundendam. Id enim significare videtur Christus Dominus ad Pharisaeos: *itaque*, inquiens, *testimonio estis vobismet ipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt: & vos implete mensuram patrum vestrorum*. Quo loco Chrysostomus: Prophetizat, inquit, illis futurum esse, vt sicut patres eorum interfecerunt prophetas, sic & ipsi interficerent Christum, & Apostolos, & ceteros sanctos.

QVID significet, & super quartum non conuertam eum.

Matth. 23. ℣. 31. & 32

S. Chrysost. sup. Matth.

Quibus verbis verum loci sensum explicasse videtur Chrysostomus. Sicut enim contingere solet, in quauis etiam maxima mensura, vt etiam si minimis sinapis granulis impleatur, cùm ad cumulum vsque venerit, vel vno tantùm desuper immisso granulo effundatur: sic etiam Pharisaei patrum suorum sceleribus quasi plenam mensuram vsque ad cumulum impleuerunt, ita vt effunderetur. Mensuram autem vocat immensam Dei patientiam, quae ideo impleri dicitur, quòd eo vsque & non ampliùs exspectare decreuerit. Hanc igitur mensuram effuso Christi sanguine vsque ad cumulum impleuerunt Iudaei, ita vt ipse cumulus effunderetur: & tunc effusa mensura, & Dei fuit in eos effusa vindicta. Idipsum significare voluisse apud eundem Amos videtur Dominus, aptissima illa currus feno onusti, vsus translatione, vt quamuis vel vnicum tantùm mortale peccatum, etiamsi ex minimis sit, tam graue sit, vt suo quasi pondere suum auctorem in aeternam mergat damnationem: tamen si illud diuinae conferas longanimitati, & patientiae, haud secus tibi videbitur, quàm si validissimo currui feni leuissimam paleam compares. At verò sicut tot possunt imponi, & superimponi currui feni paleae, vt vehementer onustus strideat, & aliquando rumpatur: sic etiam quamuis nulla peccata possint diuinam superare misericordiam: tamen nostro more intelligendi, nonnumquam ostendit Deus, se non posse ampliùs tam immensam scelerum molem sustinere, quin iram effundat, atque vindictam sumat de inimicis suis. Id enim significat quartum peccatum, cuius saepe meminit Amos, nempe scelus quoddam, quod ceterorum omnium peruersitatem ita superet, vt cumulus quidam videatur esse, implens, & supereffundens mensuram, ita vt nulla ratione sustineri posse videatur. Cuius rei argumentum sit diuina vltio & ira, eiusmodi peccatum subsequens; immo potiùs illi adhaerens, haud secus quàm vmbra corpori. Hoc est enim, quod illis verbis significatur, *non conuertam eum*, patiar in sua obstinatione manere; siue vt Chaldaeus vertit, non parcam eis.

Amos 2. ℣. 33.

TAM grauis est vel minimum mortale peccatum, vt suo pondere in aeternam mergat damnationem.

NON conuertam eum, quid significet.

DE NVLlo alio iusto quàm de Christo vendito intelligi possunt verba prophetae.

S. Thom. 1. 1. q. 73. art. 8 ad 2.

QVAE DI rectè sunt contra Deum peccata, omnium sunt grauissima.

PRIMA ratio.

Iam igitur prudens lector diligentiùs perpendat, an vendere quemcumque iustum, vno excepto, tale peccatum sit, idque triplici examine. Primum in se: deinde facta cum commemoratis collatione; ac tandem ratione vindictae, & vltionis, quae huiusmodi Israëliticum peccatum consequuta est. Et quidem quòd ad primum spectat, rectè definitur à Sancto Thoma, peccata quidem, quae sunt contra Deum, omnium esse grauiora: illa verò grauissima, quae directè sunt contra ipsum. Ex quo fit, iuramentum quidem falsum, quod Deo tantummodo aduersatur, grauiùs quidem peccatum esse adulterio, siue homicidio, multoque grauius qualibet alia iniuria proximo illata: at verò odium Dei, siue etiam idololatriam grauissimum esse peccatum, si cum reliquis omnibus comparetur, quae sunt contra proximum. Quare non videtur peccatum simplicis iniustitiae contra proximum quarto loco computari debuisse. Quibus adde, maius quidem in eodem peccatorum genere esse illud, quod mox subiungit idem propheta: *Qui conterunt*, inquiens, *super puluerem terrae capita pauperum*.

Quare

Qũare super hoc potiùs dicendum à Domino fuisset, *non conuertam eum*, quàm quòd vendiderint *pro argento iustum*. Ex quo fit, iusti nomine eum intelligendum, cuius venditio maius peccatum fuit, quàm omnium pauperum terrae capita super puluerem conterere. Si verò peccati quarti cum reliquis collatio fiat, manifestum est, hoc ceteris fore maius: at nullus inuenitur, vel inter Ecclesiae doctores, vel inter Hebraeos, qui tribus peccatis Israëlis annumeratam non intelligat idololatriam: maius ergo peccatum fuisse intelligendum est venditio iusti ipsa idololatria. Id verò stare nulla ratione potest, nisi nomine iusti Christus Dominus, qui est infinita iustitia, intelligatur. Non ergo contextui satisfaciunt, qui de quouis iusto locum interpretantur; praesertim cùm non tantùm reliquis Israëlis sceleribus praeferatur hoc scelus; verùm etiam facta quadam gradatione, omnibus, tùm aliarum gentium, tum etiam Iudae impietatibus, atque abominationibus longè antecellere, planè significetur. Ac tandem, si de vltione hoc peccatum & alia consequuta, sit sermo, & propter idololatriae peccatum comminetur Dominus mittendum ignem in Iudam, quem ignem per Nabuchodonosorem afferendum bene intellexit Ribera, hoc est, subsequuta septuaginta annorum captiuitate: quodnam erit scelus Israëlis, quòd tanto maiori poena multatur, quanto ad finem capitis refertur? vbi innuitur neminem euasurum, neque saluandum velocitate, robore, viribus, armis, pedibus, aut equo, etiamsi nudus profugere contendat ab hostibus.

Quae verba nullam aliam ruinam, nullum vrbis, aut regionis excidium aliud praesignare videntur, quàm illud, quod vrbi intulit Titus, vrbi, inquam, Iudaeis, ex omnibus tribubus, populis, ac linguis ad diem festum venientibus, plenae. & propterea vrbe euersa, Israëli, hoc est, toti Iudaeorum genti excidium intulisse videatur.

Exstat autem mirabile Sancti Hieronymi testimonium, validissimis argumentis hanc eandem sententiam probantis: illudque propterea referre operaepretium duxi. Multa, inquit, Iudaee, scelera commisisti, cunctis circa te seruisti nationibus: ob quod factum? vtique propter idololatriam. Cumque seruisses, crebrò tui misertus est Deus, & misit iudices, & saluatores, qui te de seruitute Moabitarum, Ammonitarum, Philisthinorum, ac diuersarum gentium liberarent. Nouissimè sub Regibus offendisti Deum, & omnis tua prouincia, gente Babylonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit: à Cyro Rege Persarum est laxata captiuitas: exstructum quoque est sub Dario templum. Quae passi sitis à Medis, Aegyptijs, & Macedonibus, non enumero: nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem, crudelissimum omnium tyrannorum: nec Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varium, Cassium, Sossiumque replicabo; qui tuis vrbibus, & praecipuè Hierosolymae insultauerunt. Ad extremum, sub Vespasiano & Tito vrbs capta, templumque subuersum est. Deinde ciuitatis, vsque ad Imperatorem Hadrianum principem, per quinquaginta annos mansere reliquiae: post illam euersionem vsque ad hanc diem paulò minùs quàm per quadringentos annos & vrbis, & templi ruinae permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non solis idola, sed etiam seruiens Persis, & Romanis, & captiuitatis pressus iugo, deos ignoras alienos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui numquam tui antea oblitus fuerat, nunc per tanta spacia temporum non adducitur, vt soluat captiuitatem, & vt verius dicam, exspectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus, & tam exsecrabile scelus, auertit à te oculos suos? ignoras? Memento vocis parentum tuorum: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Et: *hic est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas*. Et: *non habemus Regem nisi Caesarem*. Habes quod elegisti, vsque ad finem mundi seruiturus es Caesari, donec gentium intret plenitudo, & omnis Israël saluus fiat; & qui quondam erat in capite, vertatur in caudam. Hactenus verba fuere Beati Hieronymi. Eandem porrò sententiam Prudentius Christianorum poëtarum clarissimus, in extrema apotheosi his versibus extulit.

Matt. 21. ℣. 38. Marci 12. ℣. 17. Ioan. 19. ℣. 15. Rom. 11. ℣. 25.

Exilijs vagus, huc illuc fluctantibus errat
Iudaeus, postquam patria de sede reuulsus
Supplicium pro caede luit: Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.

Pruden.

Iam verò, ne capitis modum excedere videamur, orationis filum intercidere hic cogimur, vt quasi resumptis viribus attentiùs Lector excipiat, quae de reliquis Israëlis sceleribus sequenti capite dicturi sumus.

DE ATROCISSIMIS ALIIS SCELERIBVS, *quibus excidij poenam sibi augeri promeruit, & auxit Hierosolyma.*

Cap. XXXI.

QVONIAM Amos propheta hoc nostrum argumentum latè prosequitur, & id maximè conatur ostendere, quod nos superiore capite proposuimus, extremum nempè supplicium, illata Christo morte, sibi promeruisse Hierosolymam, quod scelus omnia alia & immanitate, & consequente vindicta longè superat, & propterea alia quoque eius scelera commemorat, vt facta collatione innotescat hoc esse omnium maximum; ideò nos reliquum quoque secundi capitis contextum ostendere operaepretium duximus: tunc enim firma, ac stabilis haec nostra interpretatio poterit permanere, cùm singulis textus partibus, & omnibus simul conueniens esse probabitur. Et quidem cùm reliquarum gentium, atque ipsius Iudae tria peccata in genere commemorasset, ac quartum in particulari, modum quoque in sceleribus Israëlis commemorandis seruauit eundem. At verò Israëli magis

li magis infensus Dominus,& tribus quoque peccatorum generibus eum maximè infestum fuisse mox ostendit. Ac primùm peccata enumerat, quae Israël aduersus proximum admittere consueuerat: *Qui conterunt*, inquiens, *super puluerem terrae capita pauperum, & viam humilium declinant:* prae superbia dedignantur cum humilibus incedere. Vel declinare viam, aut,sicut habent Hebraea, declinare facere humilium viam,aliud iniustitiae genus significat,quod praedictum consequitur: nempe bonis omnibus spoliatos, pauperes & abiectos à via rectitudinis declinare facere, furtis, rapinis, ac sceleribus sibi victum quaeritare. Id quod Iob etiam testari videtur illis verbis: *Subuerterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terrae.* hoc est, opprimentes paupcres, ac mansuetos terrae eos non permittunt in officio perfistere, quin in leones, canes, aut lupos euadant. Subdit autem aliud peccati genus turpissimum illud quidem, atque inauditum: *Et filius ac pater eius ierunt*, modesta sacrae Scripturae phrasis, *ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.* Quod peccati genus vehementer auersatur Paulus, eius auctorem Satanae tradendum censens in interitum carnis: *Omnino*,inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Tertium verò peccati genus, idque omnium maximum subiungit, dicens: *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare.* Idololatriae maximè deditos fuisse Israëlitas, probat locus: tum quòd assidua conuiuia celebraturi idolorum sollemnitatibus lectos pretiosissimis vestibus, luxui, & falso cultui studentes, sternerent; tum vel maximè, quòd eiusmodi vestes, quoniam ab omnibus emi non poterant, dato pignore, ac pretio, mutuò accipiebantur à dominis; consonatque quod sequitur; *vinum damnatorum*, hoc est, pretiosissimum ac generosum *bibebant in domo dei sui*, prout doctè persequitur hunc locum Pradus. Aggrauat autem haec tria peccata commemoratio collatorum à Deo beneficiorum, quorum causa, magis ac magis quasi cogebantur Deum diligere, & ab omni peccato diligenter cauere.

Amos 2. ℣. 7.

PAVPERES opprimere, ita vt in peccata labantur, immane scelus.

Iob. 24. ℣. 4

IMPVDIcitiae scelus atrox.

1. Corint. 5. ℣. 1.

IDOLOlatriae studiosi nullis parcebant sumptibus.

Prad. Ezechiel. 23. ℣. 31. & 40.

COLLATA à Deo beneficia maximè aggrauant admissa in eum peccata.

Neque verò externa tantùm commemorat beneficia, sed & illa potissimùm, quae saluti animorum conducere, & ab omni scelerum labe auocare possent, qualia sunt Nazaraeorum, & Prophetarum vtilis conuersatio, quorum illi exemplo, hi autem verbo, ad Dei optimi honorem & cultum inducere, & ab omni peccatorum contagione praeseruare potuissent populos, nedum sanare. His verò tam salutaribus antidotis venena miscere conatos dicit, ne vmquam vsui forent, dum subdit: *& propinabitis Nazaraeis vinum*, vt peccatis & ipsi obnoxij, plebi fierent scandalo potiùs, quàm exemplo, *& prophetis mandabitis, dicentes: ne prophetetis.* Quae omnis peccatorum enumeratio eò tendere videtur, vt ostendat Dominus, quantas, quamque magnas meruisset propterea poenas Israël; & tamen super his omnibus conuersus à Deo est. At super quartum numquam est, aut fuit conuertendus. Quare autem post enumeratum quartum scelus haec tria commemoret, si quis interroget; legenti eius temporis historias haud difficile erit respondere. Nam quamuis venditione ac morte Christi promeruerunt iam satis Hebraei suae gentis, ac vrbium perpetuam vastationem, eiusque inferendae sententia diuino decreto firmata, atque à Daniele propheta euulgata iam fuisset; tamen adhuc suam manifestans Deus patientiam, quasi locum paenitentiae illis concedens, per plures annos vindictam distulit, quibus prudentiores minimè effecti in omnem peccandi licentiam, idololatria tantùm excepta, sese effuderunt. quod Iosephus ipse oculatus testis scribit. Nam cùm Hebraeis, vt sese Romanis dederent,suaderet; exemplaque non pauca attulisset, quibus probaret irato Deo numquam armis sese tueri Hebraeos potuisse, quin debitas scelerum poenas perpenderent, subdit. Ita numquam genti arma data sunt. oppugnationi verò sine dubio cohaeret excidium. Oportet ergo, vt opinor, sacri loci possessores iudicium Deo de omnibus permittere, manusque tunc humanas contemnere, cùm à superno ipsi iudice non recedant. Vos autem quid ex his, quae legis conditor bene dixit, egistis? Quid quòd is exsecratus est, praetermisistis? Quantum autem illos, qui citò periere, impietate superastis? Nam occulta dedignantes peccata, hoc est, furta, insidiasque, atque adulteria, rapinis, caedibus certatis, nouasque maleficiorum excogitastis vias &c. Haec ille. Neque hoc tantùm testimonio Hebraeorum scelera incredibilia commemorat ipse Iosephus, verùm alijs paene infinitis; ita vt fame, dissidijs, homicidijs, ac bello grassantibus, maiora damna viderentur accrescere, nouis excogitatis omnis generis sceleribus. Id quod ipse Titus testatus est, admirans Hebraicae feminae impietatem, quae fame victa cum ipsa natura pugnauit, ac lactentem filium occidit, coxit, & comedit. Ea enim mala perpendens impia mater, quae superstitem manerent filium, dolore, ac fame victa sic eum est allocuta.

Ioseph. lib. 6. belli c. 11.

MVLIER quae filium suum occidit, coxit, & comedit.

Esto igitur mihi cibus, & seditiosis furia, & humanae vitae fabula, quae sola deest calamitatibus Iudaeorum. Et hoc simul dicens occidit filium, coctumque medium comedit, adopertum verò reliquum seruauit. Et post pauca subdit Iosephus. Citò autem Romanis etiam nunciata est illa calamitas; eorumque alij non credebant, alij miserabantur: multos autem vehementius eius gentis odium cepit. Caesar autem super hoc Deum placabat: siquidem Iudaeis pacem obtulisset, eisque liberam proposuisset omnium obliuionem, quae commiserant. Illos autem pro concordia seditionem, bellum pro pace, pro satietate, atque opulentia famem optasse: & qui proprijs manibus templum, quod ipse eis seruasset, incendere coeperant, huiusmodi alimentis eos esse dignissimos. Verumtamen scelus huius nefandi victus ruina sese patriae operturum, neque relicturum in orbe terrae, vt Sol inspiciat ciuitatem, in qua matres sic vescerentur. Ante matres autem patribus huiusmodi alimenta deberi, qui nec post eiusmodi clades arma deponerent. Refert etiam Egesippus plurima eiusdem Caesaris verba, indignatione plenissima, in quae stupore perculsus prorupit, vbi tam immane facinus, tam exsecrandum scelus ad aures eius accidisset. ex quibus, quoniam huic nostro instituto explicando aptissima videntur, nonnulla referre haud pigebit. Aduersus diuina quoque inquit, conspirasse hos homines,opinio frequens, & poena indicio est. Ardent hodie quoque terrae propter incolarum impietatem; plerosque etiam ex istis, hiatus soli absorbuit. Quamdiu igitur in his locis moramur; vbi & terrarum ruina est? vidimus & mare mortuum, vidimus etiam mortua terrarum nascentia, humum aridam, virentium

Ioseph. 7. bel. cap. 8.

Egesip. lib. 5. de excid. vrb. cap. 41.

NAZAraeorum, & prophetarum consuetudo, & Dei beneficium est, & maximè saluti animarum confert.

Amos 2. ℣. 12.

QVARE triplicia peccata post quartum enumeret Amos propheta.

rentium fructuum vmbras inanes, foris gratiam, intus fauillam? Quis dubitare poteſt, quin apud inferos verſemur, apud quos etiam elementa moriuntur? Ipſa quin etiam, quae poſt mortem viuere ſolet, apud quos naturae pietas mortua, & ſuperſtes defunctis religio? Quis enim parentes non etiam mortuos diligat? quis etiam amiſſos filios non amet, & loco pignorum teneat? Manet affectus etſi pignus abierit: perſeuerat nomen naturae, gratia non intercidit. Apud hos verò nec viuentem mater recognoſcit filium, nec appellantem audit, nec vagientis miſeretur, & propter vnius horae exſecrabilem cibum parricidales injcit pignori manus. Et poſt multa, quae genti vitio tribuit, ſubdit: Infelix ciuitas, in qua talis officina, tale miniſterium eſt. Operiant eam ruinae ſuae, atque abſcondant mundi ipſius inuidi ipſi contagionem, ne Sol videat, ne ſtellarum globus ſpectet, ne maculentur auraruin ſpiramina, purgatorius quoque ille exuret ignis. Thyeſteas dapes fabulam putamus, flagitium videmus, veritatem cernimus atrociorem tragoedijs. Ibi enim firmior ſexus, & partus alienus; hic mulier, cui partus proprius fuerit cibus: ibi aliena fraus; hic propria voluntas: ille doluit; haec inſultauit: digna talibus viris eſca, qui pertinaciter bellando, mulieres ſuas ad tale perduxerunt conuiuium. Equidem eos tantis malorum afflictos acerbitatibus iam furere arbitror, amenteſque factos, qui haec non ſentiant. Quare maturiùs bellum conficiamus, quia emendari non queunt; ingruamus inſtantiùs, vt fugiamus regionum iſtarum morientes aquas, terras ruentes. Haec ille. Neque verò nouum, aut inauditum hoc ſcelus Iſraëli; ſiquidem temporibus Eliſei graſſante maxima fame in vrbe Samariae, mulier quaedam in conſpectu, & auribus totius populi non erubuit clamare ad Regem, & dicere: *Mulier iſta dixit mihi: da filium tuum vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus: dixique ei die altera: da filium tuum vt comedamus eum. quae abſcondit filium ſuum.* Inauditum ſanè facinus, incredibilis audacia, nec miranda, ſi quae ad parricidium femineum impulit pectus veſana fames, eandem quoque omni rubore, omni naturalis verecundiae ſenſu poſthabito, tam immane atque horrendum facinus proprio compellat ore fateri. Maximopere timendum eſt, animum à Deo deſeri, huncque ad contemptum vſque peccatorum deſcendere; tunc enim quaſi inundans fluuius, nullis non modò humanis, verùm neque etiam diuinis, neque ipſiſmet à natura inſitis legibus, aut rationibus poterit contineri. Sed quid antiqua commemorem gentis peccata, cùm paene infinita exſtent argumenta eorum, quibus ea gens promeritum illata Chriſto morte ſupplicium quaſi efflagitabat, & ſibi maturiùs adeſſe cogebat? Immo verò illud maximè teſtari videbatur Iſraëliticus populus, ſe eſſe à Deo dimiſſum, Regnumque ab Iſraelë ſublatum, datumque iam pridem genti fuiſſe (iuxta Chriſti Domini prophetiam) *facienti fructus eius.* Cuius rei vel vnicum tantùm proferam Ioſephi teſtimonium, quod omni videtur exceptione maius, vtpote Iudaei, veritate potiùs, quàm alio quouis affectu ducti, vt ſuae gentis exſecranda facinora commemoraret. Is enim quamplurimis eiuſmodi criminibus enumeratis; Non equidem recuſabo, inquit, dicere, quae dolor iubet. Puto ſi Romani contra noxios tardaſſent venire, aut hiatu terrae deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulminum, ac Sodomae incendia paſſuram. Multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm quae illa pertulerat. Haec ille. quibus & ſcelerum multam ſubiungit, quò faciliùs percipi poſſit, quàm exſecranda fuerint ſcelera, quibus tam dira ſupplicia promererentur. Eorum autem partem aliquam ſequenti capite perceenſere decreui. *Ioſeph. 6. belli c. 16.*

NATVRAE ...eras ipſis ...uibus de... ...etur defun... ...tis ſuper... ...tes manet.

DEMSCE... ...s Iſraëli ...auquum.

PECCA... ...orum con... ...emptus ef... ...cenatam... ...peccandi li... ...centiam pa... ...it.

...Matth. 21. ...f. 43.

QVAM DIRA EXPERTA SIT VRBS *Romana obſidione vallata.*

Cap. XXXII.

INCREDIbilis paene numerus eorum, qui in obſidione perierunt. *Ioſeph. 6. bell. c. 16.*

NVLLA alia ratione preſſiùs oſtendere me poſſe duxi, quae atroci illa obſidione, atque vrbis excidio euenerint mala, quàm ſi Ioſephi oculati teſtis proferam teſtimonium. Denique, inquit, cùm eorum pertinacia deſperata totus populus interijt. Et quid opus eſt ſingulatim narrare clades? Mannaeus Lazari filius tranſgreſſus ad Titum per vnam portam, quae ſibi credita fuerat, centum & quindecim millia, & octoginta dixit elata cadauera, ex quo die caſtra prope ciuitatem poſita ſunt, ex die quartadecima menſis Aprilis vſque ad Kalendas Iulij. Haec autem immenſa eſt multitudo: nec tamen ipſe fuit appoſitus portae, ſed publicam mercedem diuidens, mortuos ex neceſſitate numerabat: ceteros enim propinqui ſepeliebant. Sepultura autem fuit elatos ex opido proijcere. Poſt hunc autem nobiles profugi omnia mortuorum egenorum ſexcenta millia portis eiecta nunciabant; aliorum verò numerum minimè poſſe comprehendi: cùm autem pauperibus efferendis non ſufficerent, congeſta in maximis aedibus cadauera eſſe incluſa: & frumenti quidem modium veniſſe talento. Poſt autem vbi muro circumdata ciuitate neherbas quidem legere iam liceret, ad hoc neceſſitatis quoſdam fuiſſe compulſos, vt cloacas rimarentur, boumque veterem ſimum alimentum haberent, ſtercuſque collectum, quòd ne viſui quidem tolerabile fuerat, cibus erat. Haec Ioſephus. Quae ideo libenter retuli, quòd poſt explicatam huius ruinae cauſam operaepretium duxi eius quoque poenae feueritatem, ac grauitatem aliqua ex parte explicare, quò cuiuis legenti conſtare facilè poſſit, quàm haec ſibi mutuò reſpondeant, quamque omnium quae vel dici, vel excogitari poſſent, ſcelerum maximum, maxima, ac paene incredibilis ſequatur vltio. Verùm quamuis non hoc loco tantùm, ſed propè infinitis alijs idem ipſum teſtetur Ioſephus, potiſſimùm ſeptem libris de bello, qui Graecè ἁλώσεως haloſeos, captiuitatis, expugnationis, cladis denominantur; nec non pluribus etiam antiquitatum, in quibus plures enumerat clades, infeliciſſimoſque caſus; tamen nullo illorum neque omnibus ſimul collectis ita exaggerari videtur huius euerſionis, ac ruinae magni-

magnitudo, quàm ipsius veritatis testimonio; ipsius inquam, qui quòd à suis venditus, & morti traditus fuit, eius impietatis idem ipse aequissimus iudex, ac vindex fuit: qui cùm in sermonem incidisset de templi magnificentissimis aedificijs; illud praedixit subuertendum omnino, ita vt non relinqueretur in eo lapis super lapidem. Apostoli verò arbitrati sunt id in vniuersali totius mundi subuersione euentutum, nec antea; haud secus quàm Martha, quae cùm audisset Dominum, dicentem: *resurget frater tuus*, ipsa respondit: *scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die*: non enim magis videbatur Hebraeis credibile templum subuertendum, quàm Lazarum resuscitandum; ideoque tum hoc tum illud ad nouissimum referebant diem. Quapropter *sedente eo*, Christo IESV, *super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: dic nobis quando haec erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis saeculi*? Cumque multa respondisset Dominus communia signa, quae cùm vrbis ac templi, tùm totius mundi consummationem praecessura erant, subdit: *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat*.

Quae verba quamuis ad finem mundi referantur ab Irenaeo, Hilario, & auctore operis imperfecti; eiusmodique interpretationem referens Sanctus Hieronymus minimè improbet, eumque imitatus Beda: tamen tam hoc, quàm eo Danielis loco, qui à Christo Domino refertur, reliqui ferè omnes grauissimi scriptores de Hierosolymitana vastatione Dominum locutum fuisse non dubitant, quamuis nec nos dubitemus & ad extremam saeculi consummationem respexisse: siquidem huius singulare quoddam praesagium, ac symbolum illa Hierosolymitana fuit. Et quidem eius, quod diximus, haud dubium argumentum desumi posse videtur ex ipsius Danielis contextu: is enim sic habet: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*. Cuius loci clarissimum lumen auersantur quàm maximè caecutientes Iudaeorum oculi; atque adeo multis excogitatis interpretationibus, quasi densissimis tenebris illum obnubilare contendunt, non ob aliam sanè causam, quàm ne lumen videant. Quapropter varios sibi effingunt Christos, quos auersati debuissent potiùs, nedum eos gloria angelicae commemorationis dignos habere. Ego verò reliquis omnibus praetermissis, vnum tantùm, eorum confusioni, ac dedecori aptissimum commemorabo Agrippam minorem, quem vltimum Hebraeorum Regem à Tito interfectum fuisse mentiuntur; cùm is bello, ac triumpho Titi de Iudaeis parto superuixerit, vt probat Pererius. Verùm quamuis ea tempestate occisus fuisset, numquid eius vnctionem commemoraret angelus, qui iniquus, alienigena, sacram Regum Israël vnctionem furatus potiùs videbatur, quàm vllo iure adeptus?

Verùm quoniam longum esset Iudaeorum figmenta confutare, quae ipsa per se euanescunt; illis praetermissis, ad pios, & sanae mentis viros conuertatur oratio. quos vel vna tantummodo explicata ratione conuinci posse speramus. Ea verò desumitur ex Hebraica lectione, quae vocat Christum משיח mashiach, qua voce omnes doctores tam Ecclesiae Catholicae, quàm Hebraeorum IESVM Christum Dominum nostrum intelligendum putant. Ea namque voce, & Graeca Χριστὸς Christos vnctus propriè significatur, vt alibi annotauimus. ac propterea mundi Saluator ac Dominus eiusmodi nomen sibi iure optimo assumpsisse videtur, quòd *prae consortibus* suis, hoc est, prae illis omnibus, qui aliqua sanctificationis vnctione digni effecti sunt, & participes, vnctus fuerit à Deo; Deo inquam Patre suo, *oleo laetitiae*, omnium, inquam, gratiarum, ac donorum; plenitudine *diuinitatis*, quae *inhabitat* in eo *corporaliter*: neque propterea tantummodo; sed quoniam in ipsum Christum sicut in caput effusum diuinitatis vnguentum *descendit in barbam*, *descendit in oram vestimenti eius*, descenditque supereffluens gratiarum copia in montem Sion, haud secus quàm ros matutinus, inebrians, secundans, atque exornans montem Hermon. Propterea quae vncti omnes consortes vnctionis Christi meritò dicuntur, quòd sacerdotij, Regiae potestatis, ac omnis sanctificationis vnctionem ab ipso IESV Christo Domino nostro receperint: ac recepturi sint, quotquot vncti dicendi sunt. Hanc autem Ecclesiae Catholicae intelligentiam non ignorasse videntut Hebraei, qui interrogati à Christo Domino, *quid vobis videtur de Christo, cuius filius est*? de Christo mundi Saluatore interrogari se intelligentes, *dicunt ei: Dauid*. Permittant ergo Hebraei, atque alij omnes eorum placitis assentientes, de eodem Christo nos intelligere Danielis prophetiam, de quo interrogati Pharisaei, eum confessi sunt sututum fuisse filium Dauidis; eorumque confitmans testimonium Christus, filium quoque Dei, Deumque verum esse probat, eiusdem Dauidis testimonio, qui Christum, Dominum suum compellat *in Spiritu* sancto, quo edoctus non errat, dum ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*.

Hunc ergo Chtistum Dei Filium vnigenitum, verumque Deum, Dauidis quoque filium, atque verum hominem factum, quem post hebdomades sexaginta duas occidendum praedixerat Daniel, eodem ipso annorum completo numero, Iudaeorum, atque omnium Israëlitarum odijs, atque calumnijs sub Pontio Pilato Romanorum praeside occisum fuisse, verè & propriè credimus, ac profitemur: cuius sanguine pretiosissimo redempti sumus, iustificamur, & glorificabimur: id quòd ipse Daniel distertis verbis testatus fuerat, seu potiùs angelus Danieli loquens: *Septuaginta, inquiens, hebdomades abbreuiatae sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur praeuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia*: omnes, inquam, omnium prophetarum visiones, & prophetiae, quae de Christo erant. Quae omnia consummata fuisse testatus est ipse Christus in cruce moriens; *& vngatur Sanctus sanctorum*. Hunc ergo vnctum Messiam vel Christum, quem vnum Sanctum sanctorum dixeris, vtpote sanctificationis vnguento prae omnibus sanctis, vt dixi, vnctum; hunc, inquam, occidendum praedixit Daniel.

Hic verò omittendum nulla ratione videtur, quo mortis genere occidendum Christum praedixerit diuinus vates; quòd cùm in nullo alio vel Rege, vel sacerdote completum propriè sit, perspicuum omnino

QVAS Domini prophetias non intelligebant, ad extremum diem referebant. *Ioan. 11. ℣. 23. & 24.*

Matth. 24. ℣. 3. & 4.

Iren. lib. 5. cap. 25. Hilar.

HIEROSOlymae consummatio mundi extremam consummationem praesignauit. *Dan. 9. ℣. 26.*

FALSO fingunt Iudaei Agrippam à Tito occisum, & à Daniele commemoratum. *Pereir. lib. 10. in Dan.*

MESSIAE nomine IESVS Christus Dominus noster intelligendus est.

Alibi sup. Ezech. 28. ℣. 14.

Psal. 44. ℣. 8.

Coloss. 2. ℣. 9.

Psal. 132. ℣. 3.

SACERdotes ac Reges quare participes vnctionis Christi dicantur.

Matth. 22. ℣. 42.

DE CHRIsto Domino intelligenda Danielis prophetia.

Psal. 109. ℣. 1.

Dan. 9. ℣. 24.

CHRISTVS Dominus noster quare Sanctus sanctorum dicatur.

QVO mortis genere occidendus erat Christus praedixit Daniel.

omnino erit, de nullo alio vncto intelligendam prophetiam, quàm de Christo Domino Messia, Rege, ac sacerdote, Deo vero, ac homine. In Hebraeo enim habetur יברת ijccarath, à radice כרת carath, quae caedere, ferire, seu scindere significat, tamque latè patet significatione, vt omnibus compositis verbi scindendi vix exprimatur, transferturque hoc verbum ad significandam foederis percussionem, ducta phrasi à caesione victimae in foedere consueta, cuius exemplum habetur in Genesi. Interrogauit enim Dominum Abrahamus: *Vnde scire possum, quòd possessurus sim eam? Et respondens Dominus; Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollens vniuersa haec diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Et post multa subdit: *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die* כרת carath *pepigit Dominus foedus cum Abram.* Cuius moris meminit etiam apud Ieremiam Dominus: *Et dabo*, inquit, ad gladium, pestem, ac famem, *viros, qui praeuaricantur foedus meum, & non obseruauerunt verba foederis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Neque verò sacra Israëlitarum tantummodo foedera caesis victimis stabiliebantur, verùm & sacrilega gentium, idolis seruientium. Ne autem hi ritus ab illis mutuati viderentur, porcam illis sacrificijs inmundam, huiusmodi sacrilegijs dicatam silice caedebant, vt Virgilius auctor est, canens:

Stabant, & caesa iungebant foedera porca.

Quibus omnibus testimonijs comprobari videtur, verbo כרת carath, eiusmodi mortem significari, qua victimae caedi solent. Quapropter & hoc loco licet conuertere, caedetur Christus quasi victima, non vtique alius quàm is, qui apud Ieremiam loquitur, dicens: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Huius ergo immaculati agni, qui hostia pro nobis factus est, impijssimos mactatores tanto sceleri debitas poenas passuros praedixit idem Daniel, dum subdidit: *Et non erit populus, qui eum negaturus est.* Quae verba longè aliter habentur in Hebraeo ואינלו veenlo, & non ei, ad verbum conuertunt nonnulli, subaudiendum credentes verbum substantiuum, quo oratio compleatur, ita vt sit sensus, & non erit ei reliquum quidquam, cùm vitam ei, honorem, ac substantiam auferre voluerint perfidi Iudaei. Sanctus verò Hieronymus Hebraeorum quandam interpretationem citat huiusmodi: Non erit illius imperium, quod putabat se redempturum. Septuaginta interpretes in Sixtiano codice eleganti quadam vsi sunt verborum consonantia, sic enim habent: ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, ᾗ χρίσμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ exolothreuthisetae chrisma cae crisma ve estin en auto. Exterminabitur vnctio. abstractum pro concreto posuerunt, mysterium innuentes, copiosissimam nempe vnctionem Christi, ita vt vnctio potiùs quàm vnctus dicendus sit. Quod sacramentum significare voluisse videtur sponsa in Canticis; dum ait: *Oleum effusum nomen tuum*, quasi diceret, vocaris dulcis IESVS Messias, Christus, vnctus; mihi verò pretiosissimis omnium aromatum vnguentis ita fragrans videris, vt deinceps te compellare velim non tantùm משיח maschiah, verùm משחה mischa, non tantùm Χειστὸς Christos, verùm χρίσμα chrisma, non vnctum tantummodo, sed vnctionem ipsam, *oleum*, inquam, *effusum nomen tuum*. Exterminabitur, vel occidetur Christus, & iudicium non est in eo.

Quae omnes tam variae lectiones in eam me coniecturae adducunt sententiam, vt Hebraeis codicibus aliquam deesse vocem suspicer, quam in imperium conuerterunt Hebraei, Graeci in iudicium, Latini in populum, quòd vel scriptorum incuria, vel Hebraeorum malitia accidisse ex aequo potuisset, vel propterea maximè, quòd inter canonicas scripturas Danielem non admittunt Hebraei, ne huius loci clarissimo testimonio aduentum Christi fateri cogantur. Quoniam autem quaenam fuerit ea vox, quae tam diuersis verbis respondeat, diuinare nobis integrum non est, aliam quoque animi mei coniecturam pijs ac doctis viris examinandam subijciam, qua ostendam vulgatam nostram lectionem Hebraica illa contineri. Aliqui enim Hebraicae linguae periti arbitrantur vocem אין in, ad radicem מאן meen referendam, elisso מ mem. Et quidem hoc verbum significat renuere, recusare, aut negare. Vnde deductum est illud Hebraeorum elogium כל נאם אי אמן או מאן cal neum o aman o meen, hoc est, de quolibet verum est affirmare, vel negare, quòd fit litterarum huius radicis sola transpositione. Quapropter meritò conuerti potuit vox אין aen, quasi retineat suae radicis significationem, quasi dicat, negans aut renuens; subaudiaturque populus, & negans populus לו lo pro לא lo, hoc est, non. Frequenter enim (vt pluribus sacrae Scripturae locis probat Pagninus) scribitur particula haec cum א aleph, & legitur cum ו vau, & è contrà. Ex quo conijci potest, vtriusque vocis significationem facilè posse permutari. Tunc verò apertus fiet loci sensus, si negatiuae particulae vsus Hebraeis frequens perpendatur: solent enim non rarò verbum substantiuum, quasi in ipsa negatione inclusum subticere. Eius rei videre est in sacris litteris exempla non pauca. In Numeris, obmurmurans populus *contra Deum, & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto, vt moreremur in solitudine?* אין en non panis ואין veen, & non aqua. Quam phrasin expressit aptissimè vulgatus: *Deest panis*, inquiens, *& non sunt aquae.* Et in libro Iosue: *Iericho autem*, inquit, *clausa erat, atque munita timore filiorum Israël* אין en non egrediens ואין veen, & non ingrediens, *& nullus egredi audebat, aut ingredi.* Et tandem in libro Paralipomenon: *Ligna quoque cedrina*, inquit, לאין leen, vt non numerus, hoc est, quorum non erat numerus, vulgatus, quae *non poterant aestimari*, prae multitudine.

Erit ergo iuxta relata loci, quem interpretamur, sensus, & negans, vel negaturus eum, subaudi populus, non erit, hoc est, peribit, destruetur. Cuius quidem loci sensum, & prophetiae euentum significare videtur sanctissimus Apostolus Petrus, ad populum Hierosolymitanum his verbis loquens: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum IESVM, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis*, &c. Hunc ergo populum, qui IESVM Christum filium Dei negauit

CAEDERE victimas in pactis firmandis consuetum. *Gen. 15. v.8. 9.10. & 17. 21. & 18.*

Ierem. 34. v.18.

Virgil. 8. Aeneid.

CAESVS quasi victima Christus fuit. *Ierem. 11. v.19.*

S. Hieron. sup. Dan. 9.

QVAM vindictam de suis occidendis sumpserit Christus.

CHRISTVS plenae vnctionis copia, vnctio videtur dicendus potius, quam vnctus. *Cant. 1. v. 2.*

DANIELIS liber apud Hebraeos vitiatus.

Pagninus in diction.

NEGATIONI verbum substantiuum includunt Hebraei. *Num. 21. v. 5.*

Iosue 6. v. 1.

1. Par. 22. v. 4.

Actor. 3. v. 13. & 14.

negauit, periturum praedicit Daniel; consonantque sequentia verba: *Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*. Exercitus nempe Romanorum Tito duce ciuitatem vniuersam Hierusalem, sanctumque in ea templum destruet, ac funditus euertet. Quem locum intellexisse videtur Iosephus, à Sancto Ioanne Chrysostomo relatus. Eodem autem, inquit, modo Daniel, & de Romanorum principatu scripsit, quodque ab illis tollenda esset Hierosolyma, ac desolandum templum. Haec ille. *Et finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*.

Dan. 9. ℣.26.

Ioseph. S. Chrysost. hom. 2. con. Iudaeos.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis. Est autem huius loci interpretatio ad intelligendam vrbis desolationem maximè necessaria; ideoque in sequens caput eam distulimus: exigit enim eius dignitas seiunctam ab alijs disputationem.

Dan. 9. ℣.27.

DE ABOMINATIONE DESOLATIONIS.

Cap. XXXIII.

DIFFICILIA planè, atque obscura esse relata verba, neque cuiuis ad intelligendum exposita, probat Pereirus ex ipsismet superadditis à Christo Domino verbis, *qui legit intelligat*; quibus quasi monere voluit lectorem Dominus, esse attentiùs ea verba legenda, quae sua difficultate oscitantem, ac segnem lectorem à sui intelligentia longè repellunt. Nos verò quamuis loci difficultatem non negemus; immo verò experti simus: & eo magis, quòd ingenij perspicuitate prae ceteris interpretibus destituimur; arbitramur tamen eiusmodi verbis non loci difficultatem innui, sed dignitatem: nec significare Christum, esse obscura verba, sed intellectu necessaria. Huius sententiae angelicus doctor mihi auctor est & dux: qui à Christo Domino dicta fuisse haec verba arbitratur, quia in illa prophetia Danielis multa dicuntur de passione Christi. Sunt enim, inquit, haec verba obseruanda; vnde ibi dicitur: *occidetur Christus, & erit in templo abominatio desolationis*, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Vnde qui videt *intelligat*, quòd talia acciderunt. Haec Sanctus Thomas. Quibus verum loci sensum significare videtur: ea enim verba & Apostolis tunc primùm dicta videntur, & omnibus etiam postmodum eorum posteris. id quod ipse innuit contextus. Differebant quidem Apostoli vrbis, ac templi desolationem vsque ad consummationem saeculi, ac propterea aduentum Christi eidem vltimae diei connectebant; interrogant enim de vtroque simul, dicentes: *Dic nobis, quando haec erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis saeculi?* Eisdem aptissimè respondet Christus, quasi diceret, legite, & intelligite Danielis prophetiam: ibi enim scriptum est, Christum post sexaginta duas hebdomadas à reparatione vrbis computatas occidendum, eiusque populum defuturum, futuramque tunc primùm abominationem desolationis in loco sancto, quae numquam sit finem habitura. Neque Apostolos tantùm his verbis hortatur ad intelligendam Danielis prophetiam, sed & omnes posteros, Hebraeorum maximè, vt cùm viderint abominationem desolationis tam diu perduraſſe in loco sancto, totam quoque Danielis prophetiam opere fuisse completam, & Christum à patribus suis occisum iam fuisse credant. Hoc enim est, quod Sanctus Thomas breui oratione, sed sententiarum plena significare voluisse videtur, dicens: Vnde qui videt, nempe aliqua ex ijs, quae à propheta commemorantur, accidisse, intelligat, quòd talia, hoc est, reliqua omnia acciderunt.

Matth. 24. ℣.15.

ATTENTIÙS legenda difficilia Scripturae loca.

DVM Christus ait, qui legit intelligat, non difficultatem, sed intelligentiae necessitatem significat.

S. Thom. sup. Matth.

Matth. 24. ℣.3.

DANIELIS, & Euangelij consensus.

QVOMODO prophetia Danielis conuincantur Hebraei aduentasse Christum.

Et quamuis haec ita sint, negari tamen nulla ratione potest, obscuram omnino esse orationem, & quae interpretatione maximè indigeat, vtpote in qua explicanda eruditissimi viri maximè desudarint. Qui ferè omnes in varias abiere sententias. Abulensis, Iansenius, & alij abominationem desolationis stantem in loco sancto, hoc est, in templo, intelligenda existimant plurima, & abominanda scelera, quae in ipso templo à Iudaeis sunt admissa eodem ipso tempore, quo vrbs, & templum obsidebatur à Romanis. Auctor verò historiae scholasticae, quem sequitur Dionysius Carthusianus, arbitratur, ipsamet Hebraeorum sacrificia, caerimonias, ac ritus, quibus olim Deus colebatur, & Iudaei sanctificabantur, abominationem desolationis dici, quoniam post Christi mortem Deo exosa, & abominanda fierent, ac mox desolationi paterent. Sanctus verò Augustinus, Origenes, & Caietanus ipsum Romanorum exercitum abominationem desolationis dici putant, idque satis probabili coniectura; quoniam ijs ipsis Sancti Matthaei verbis, quae interpretamur, haec apud Sanctum Lucam respondere videntur: *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius*. Irenaeus cum alijs, quos suprà retulimus, Antichristum putat abominationem desolationis dici, vtpote qui in templo Dei sit sessurus, & tamquam Deus à multis adorandus. Sanctus verò Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus de idolis intelligendam esse Danielis prophetiam, cum auctore primi libri Machabaeorum arbitrantur: atque eodem modo illam Christi Domini: quamuis non omnes consentiant in assignanda ea statua, vel idolo, de quo peculiari ratione propheticus sermo loquatur.

DIFFICILIS huius loci interpretatio. *Tost. c.24. Matth. Iansc.122. concord.*

PRIMA interpretatio.

S. Augustepist. ad Hesych. Orig. tract. 29. Caiet. Matt. 24.

Luc. 21. ℣.20.

Iren. lib. 5. cont. haeres.

SECVNDA interpretatio. *S. Hieron.*

Et ne videamur in re clara diutiùs laborare, priusquam ad vlteriora progrediamur, examinandum est, an verum sit, quod à Caietano, & alijs proponitur, nempe in libro primo Machabaeorum Danielis prophetiam vel citari, vel exponi. Nam cùm fidelibus omnibus sit infallibilis veritatis liber ille, nulli eorum liceret ab eiusmodi interpretatione discedere. Ratio autem, quae Caietanum in eam adduxit sententiam, non aliunde videtur esse petita, quàm quòd in praedicto Machabaeorum libro haec verba habentur: *Aedificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*. Graecè ᾠκοδόμησαν βδέλυγμα ἐρημώσεως ὅλη τὸ θυσιαστήριον ocodomisan bdelygma erimoseos epi to thysiastirion, aedificauerunt abominatio-

1. Mach. 1. ℣.57.

minationem desolationis super altare. Quae Graeci textus verba magis fauere videntur Caietani sententiae, quàm Latinae vulgatae editionis. His tamen non obstantibus, tenendum videtur cum Pereiro, scriptorem libri Machabaeorum minimè Danielis verba citasse, sed consimilibus verbis vsum fuisse, quae optimè admittunt & sensum, quem ipse tenuit, & illum, quem Daniel ipse exprimere voluit, quemque Christus Dominus interpretatus est.

Atque vt hinc ordiamur, argumenta non modica desumi possent ex innumeris paene sacrae Scripturae locis, quibus abominationis nomine idola vocantur. Alijs verò omnibus consultò praetermissis, vel vnum pro omnibus nobis esse poterit, auctoritas nempe vulgatae editionis, quae aptissimè ipsissimam scriptoris mentem, vel potiùs Spiritus sancti afflatum consequuta videtur, dum abominationem in *abominandum idolum* conuertit. aptiorem enim sensum nulla ratione videtur textus admittere. At inquies: Pari quoque ratione apud Danielem, & Matthaeum eadem vox interpretanda erit, ita vt hic etiam statuam aliquam significare intelligatur. Posset id quidem, nisi contextus obstaret, oppositumque ab euentu probaretur. Primùm enim, quod ad contextum spectat: *erit*, inquit Daniel, *in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*. Quibus verbis idem ipsum, quod abominationem desolationis vocauit propheta, idem, inquam, ipsum vsque ad vniuersalem saeculi consummationem perseueraturum praedicit. Neque his tantùm verbis, verùm etiam praecedentibus; sic enim habent: *Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*. Quae omnia significare absque dubio videntur hanc vltimam vrbis, ac sanctuarij desolationem irreparabilem fore, vtpote quae à Deo tanti sceleris vindice statuta, firmata, atque in perpetuum stabilita sit: atque hoc differat haec vltima vrbis vastitas à praecedentibus, quòd illae temporariae, haec sempiterna; illae finem tandem habuerint, haec verò vsque ad finem duratura, omni sit fine caritura.

Qua ratione verba Christi Domini interpretanda putarem, vt quam Daniel statutam desolationem dixit, eandem ipsam Christus Dominus *stantem* dicat, aptissima quidem voce significans perpetuò duraturam desolationem; quae temporis fluxu non effluat, aut immutetur, sed stet quasi ab omni temporis fluxu, & mutatione immunis. Cui sententiae veritatem conciliat, quòd prophetam sibimet ipsi concordare faciat, eidemque Euangelium. Atque iuxta hunc sensum sermonem fieri de statua aliqua nulla ratione intelligere possumus, cùm ex statuis nulla tam diu perseuerauerit in templo. quod & ex antiquis historijs, & ijs, qui hodie templum in loco prioris à Christianis exstructum sine vllo signo aut imagine à Mahometanis coli cognoscunt, perspicuè probari videtur.

His verò sic statutis, quid abominatio desolationis significet, inuestigandum est. Atque Maldonati potissimùm mihi sententia probanda videtur, eò quòd ea tantummodo praeiactis fundamentis consistat. Abominationem desolationis ipsam putat dici desolationem, consueta Hebraeorum phrasi, qua duo substantiua nomina connectuntur, quorum alterum adiectiui supplet vices, atque adeo abominationem desolationis, abominabilem, horrendamque desolationem significet. eius rei exstant exempla non pauca. Paulus enim saepe ea vsus est phrasi: *Destruet*, inquit, *illum iniquum illustratione aduentus sui*, hoc est, illustri aduentu suo. Et iterum: *ideo mittet illis Deus operationem erroris*, hoc est, operantem, & efficacem errorem, ἐνέργειαν energian, homines in exitium trahentem, *vt credant mendacio*. Ac tertiò: *Cuius*, inquit, *factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis eius*, hoc est, operantem virtutem eius. Neque verò duobus tantùm simul iunctis nominibus suae mentis conceptus exprimere potuisse videtur sanctissimus Paulus; verùm & tres nonnumquam connectit, vt videre est in eadem epistola, in qua assidua oratione petere se dicit à Deo, vt det Ephesijs spiritum sapientiae, vt sciant inter alia, *quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos*, quàm magna sit virtus eius erga nos, *qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis eius*, hoc est, secundum virtutem eius potentem & operantem. Atque iuxta hanc interpretandi rationem conuertisse videtur hanc phrasim vulgatus, allato Machabaeorum textu. Nam cùm de idolo sermonem ibi fieri intellexisset, *abominandum idolum* abominationis voce significari cognouit: nosque eius vestigia sequuti, abominatione desolationis tum à propheta Daniele, tum à Christo Domino illum referente id potissimùm intelligi arbitramur, desolationem nempe illam abominabilem, exsecrandamque futuram, vtpote quae horribilis, cruenta, immanisque in tantum esset, vt eam aequissimi iudicis oculi, quamuis iustissima indignatione pleni, quasi auersarentur, nec ferre, nec sine lacrymis referre possent.

Est autem Hebraica Danielis lectio his consona, quae sic habet: ועל כנף שקוצים משמם veghal canaph sicutsim mesomem, quae lectio conuertitur in Regio codice, & super alam abominationum stupefaciens: Vatablus, eritque vastator super abominationum ala, quam sic interpretatur. Propter alam abominationum destruetur, hoc est, propter Iudaeorum magnas abominationes, quas erant admissuri, crucifigentes Christum. Alam siue extensionem abominationum vocat longam seriem abominationum, siue multiplices abominationes. Haec ille. Isidorus Clarius. Et propter expansionem abominationum erit desolatio: adducitque duplicem interpretationem, alteram, extensionem abominationum de expansione Romanorum vexillorum accipientem, reliquam in haec verba: aliqui tamen interpretantur hunc locum, quòd tanta futura sit vbique abominatio, vt neminem non in admirationem sit raptura miserae plebis Iudaicae desolatio, & exterminium, quod continuò stillabit super eam, & apprehendet calamitatem calamitas. Haec ille. quibus propiùs multò ad sensum prophetae accessisse videtur. Nam super alam abominationum esse desolationem hanc, innuere videtur hoc loco, abominandam fuisse desolationem super, vel prae ala abominationum. Id quod declarat vulgatus, *abominationem* eam vocans, ac si sit omnium abominationum non tantùm maxima, sed velut quoddam compendium, & summa.

DVO SVBstantiua nomina Hebraei coniungunt, quorum alterum adiectiui supplet vicem. 2. Thess. 2. ϒ. 3. & 10.

Ephes. 3. ϒ. 7.

Ephes. 1. ϒ. 19.

QVARE dicatur abominabilis desolatio.

HEBRAICA verba variè interpretantur quam plures.

Vatabl.

Isid. Clar.

SVPER alam abominationum quid significet.

Verùm

Pereir. lib. 10. in Dan. quaest. 24. DANIELIS prophetia ec citatur, ec exponi r in libro achabaeorum.

PTISSIus sacri riptoris terpres lgata editio est.

X CONxtu probar Danien non ísse de stalocutum. *an. 9. . 27.*

id. ϒ. 26.

N QVO fferat à aecedentis vltima erosolyae vastis.

E R PEò duratura lsolatio.

Mald. sup. statth. BOMIatio desotionis abonandam bsolatiom significet.

Verùm huic intetpretationi non videntur congruere sequentia Christi Domini verba : *Tunc* enim, inquit, *qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua*. Quae verba si hortatoria sint, vt ab omnibus ferè intelliguntur, insuperabilem difficultatem videntur inuoluere. constanti namque & vnica otatione, qualis haec est, quis duplicem, sibique aduetsantem admittat sensum ? vel ad diuersas personas sermonem fieri ? Hortatur enim priori orationis parte ad fugam, secunda vt maneant, ac postmodum impedimenta itineris commemorat, hiemem, sabbatum, praegnantem, aut nutrientem esse. Quae omnia nisi attentiùs perpendantur, quomodo sibi inuicem cohaereant, vix poterit intelligi. Eoque maior haec difficultas apparebit, si trium Euangelistarum de hac eadem desolatione loquentium verba conferantur ; haec potissimùm, quae interpretamur. quae omnia accuratè satis perpendit Augustinus. Ac primùm quae attulimus verba ex Sancto Matthaeo affert, mox ex Sancto Marco : *tunc qui in Iudaea sunt, fugiant in montes : & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo sua*, subditque mox idem S. Augustinus. Lucas verò, vt ostenderetur tunc factam fuisse abominationem desolationis, quae à Daniele dicta est, quando expugnata est Hierusalem, haec, eodem loco, Domini verba commemorat : *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius*. Apparet itaque tunc ibi positam desolationis abominationem, de qua duo illi Euangelistae locuti sunt. Denique etiam iste similiter sequitur : *tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes*. Et pro eo quòd dixerunt illi, *& qui super tectum, non descendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo* ; iste dixit : *Et qui in medio eius* sunt, *discedant*, vt ostenderetur illis verbis apud alios Euangelistas positis, festinationem fugae fuisse praeceptam. Haec Augustinus.

Ex quibus liquidò constare videtur, eum sensisse eadem Christi Domini verba, non eisdem verbis ab Euangelistis relata. Quapropter & paulò inferiùs, dum illa verba Matthaei interpretatur : *qui* est *in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua* : potest commodiùs, inquit, intelligi spiritualitet, quasi difficultatem indicans littetalis intelligentiae ; quam expressit Hilarius : Ptaeceptum istud, inquiens, secundum humanam intelligentiam, tationem dicti, factique non tecipit. Qui enim in tecto est, & Iudaeam sit relicturus, nisi descendens ex eo, abire non poterit. Aut quae vtilitas est consistere in tecto, & non in domo manere ? Haec ille. Hanc ergo insuperabilem difficultatem, quam doctissimorum patrum testimonia, sensum litteralem horum verborum negantia inuoluunt, emollite conatut Maldonatus, qui illud, *tunc*, non ad proxima solùm verba teferendum putat, sed etiam ad plura praecedentia, quasi dicat : Cùm audieritis *praelia, & opiniones praeliorum*, & ceteta, quae dixi, futurae vastationis signa videtitis, *qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes*. Et deinde cùm verba illa interpretatur, *& qui in tecto, non descendat*, annotauit, Iudaeos Palaestinae tectis cenare, & deambulare consueuisse : ideoque monet, inquit, Christus, vt si quis fortè, cùm futura calamitas ingruerit, super tectum fuerit, ne descendat in inferiorem domum, etiam vt pecuniam, aut aliquid ad fugam necessarium assumat ; sed aut saltu, aut reptatione, aut alia quacumque possit celerrima ratione sese eripiat ; quemadmodum iussus est Lot, cùm ex Sodomis fugeret, retrò non respicere, id est, nullam moram interponere. Haec ille. Verùm huiusmodi interpretatio ingeniosa quamuis difficiliota ceteris inuoluit. Quomodo enim fieri potest, vt in tecto existens, ab vrbis euersione fuga se etipiat, quin descendat ? Saltu se etipiet, inquies. Numquid in inferiora saltans non descendit ? saltare tamen poterit in tectum proximae domus : fateor. at non propterea vniuersalem vrbis ruinam vitabit, nisi in montana fugiens, longè se ab omnibus hostium incursibus sepatet. Manete autem in tecto nulli tutum esse potuisset, cùm quòd non vnius horae aut diei, sed plurium mensium duratione protracta obsidio fuerit, tum vel maximè, quòd omnia vtbis, & domorum tecta flamma corripuerit.

Quae difficultates omnes facillimè eluentur, omniaque consensu litterali mutuò secum constabunt, si intelligamus, Christum Dominum non quidem ad fugam hortari, sed fugam omnino intercluſam iri significare voluisse, vt sibi quisque de opportuno remedio prouidere posset, priusquam exercitus veniret, atque vrbs obsideretur. cùm enim venerit abominabilis illa desolatio, nullus fugae patebit exitus. Sensus ergo loci ironicè dictus, & à contrario sensu intelligendus videtur vsitata factae Scripturae phrasi. Eiusmodi est illa Ecclesiastis : *Laetare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuae, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum* : *& scito*, hoc est, scito tamen, *quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium*. Manifesta magis est illa Deuteronomij. *Et dicet*, vtique itridens Deus : *vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam ? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum ? surgant*, hoc est, vtique non surgent, *& opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*. neque opitulabuntur, neque protegent. Iuxta quam interpretationem : *fugiant in montes*, apertè significabit tunc fugam minimè praesidio fore. *non descendat* vel *descendant* : vtique neque erit vsui descendere, neque manere, quia vel descendat, vel non descendat, sine dubio peribit. Atque hic quidem sensus maximè conueniens est verbis prophetae Amos, quibus suprà ostendimus eum de hac eadem euersione loquutum : *Et perihit*, inquit, *fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus*. Reliqua autem, quae subiungit Christus Dominus de hieme, vel sabbato, de praegnantibus, & nutrientibus, eò spectare videntur, vt ostendant fugae locum nullum futurum. quod mirificè expressit sanctissimus Pater ac Pontifex Gregorius magnus, qui omnia suo more ad mores conferens, ipsum tenuit litterae sensum. Venantium increpat de dimisso monastico habitu : Culpam ergo tuam, inquit, pensa, dum vacet, distictionem futuri iudicis dum vales exhottescе, ne tum illam amaram sententiam audias, cùm iam nullis fletibus euadas. Pensa quod scriptum est : *orate ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato*.

Matth. 24. ℣. 16.

DIFFICVLter intelliguntur haec Saluatoris verba, si tamquam hortatoria accipiantur.

S. Augusti epist. ad Hesych 80.

Marc. 13. ℣. 14.

Luc. 21. ℣. 20. & 21

DIFFICILis est Augustino litteralis huius loci intelligentia, Hilario impossibilis.

Hilar. can. 26. *in Matt.*

Mald. sup. Matth.

PALAESTInae tectis deambulare, & cenare consuetum est.

DIFFICILior ceteris Maldonati interpretatio.

IRONIA figura Rhetorica sacris Scripturis frequens.

Eccles. 11. ℣. 9.

Deut. 32. ℣. 37. & *seq.*

QVOMOdo consentiant descendere, & non descendere.

NVLLVS fugae patebit exitus.

Amos 2. ℣. 14. 15. & 16.

S. Greg. lib 1. *epist. cap* 33.

bato. ad ambulandum quippe in hieme torpor frigoris obsistit. Et iuxta praeceptum legis ambulare in sabbato non licet: in hieme ergo vel sabbato fugere conatur, qui iram districti iudicis tunc appetit fugere, quando ei non licet ambulare. Haec Sanctus Gregorius. Qui ex eiusdem contextus intelligentia probare contendit, à nemine extremum Dei iudicium fuga vitari posse, quemadmodum Hierosolymitanam vastitatem nemo paene euadere potuit, quin hostes in illa die nulla humana, naturalive compassione tacti, nulla religionis cura detenti, ipsissimet Deo sacris festis in omnia regionis, & vrbis loca, in omnem aetatem, & sexum, in omnem hominum conditionem ac statum liberrimè debaccharentur, ac furerent.

Quae omnia opere completa fuisse pluribus locis testatur Iosephus: ego verò vno aut altero relato contentus ero, quoniam tota eius de bello historia huius impletae prophetiae contestatio videtur esse. Is igitur Hierosolymitanae seditionis initium commemorans: Simon autem, inquit, vbi vxorem suam à Zelotis recepit, ad reliquias Idumaeae tendit persequendas, & vndique circumacta natione, Hierosolymam compulit plerosque fugere, cùm ipse quoque ad eam sequeretur. Deinde muro eius obsesso, si quem operariorum ex agris adeuntem multitudinem cepisset, interficiebat: eratque populo foris Simon Romanis terribilior: intus Zelotae vtrisque saeuiores, quos etiam Galilaei nouis inuentis & audacia factionum corrumpebant. Nam & Ioannem ad potentiam ipsi prouexerant, & Ioannes eis pro potentia, quam sibi comparauerat, vicem referens, omnia quae desiderarent vt facerent, permittebat. Insatiabilis autem rapinarum cupiditas, &c. Effeminantes autem vultum, dextras ad caedem promptas habebant, delicatoque incessu eneruati, subita incursione bellatores fiebant, & de paludamentis versiculoribus eductis gladijs, casu obuios transuerberabant. Eos autem, qui Ioannem fugissent, excipiebat saeuior in caedibus Simon, quique intestinum euasisset tyrannum, ab eo, qui prope erat, occidebatur. Omnis autem fugae via transire cupientibus ad Romanos abscissa erat. Idem verò praeterea Iosephus Eleazarum inducit, plura suis commemorantem huius completae prophetiae argumenta, quae quia breuiore oratione percenset Egesippus, eius hic verba referre non dubitaui. Desperatis, inquit, eorum rebus, auctor turbarum Eleazarus inter cetera diffidentiae verba abiectionis suae à Deo sic conquestus est. O miseri, ad quam spem istius vitae nos reseruauimus? Esto, hostis ignoscat, quid proderit, cùm offensa Dei clara sit? ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamma, flammae retortae, vt nostra subsidia deurerentur? Quis poterit aduersante Deo viuere? nullus veniae locus, sed manifestum voluntariae mortis imperium, &c. Commoriamur patriae, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quò igitur fugiemus à facie Dei, aut quò ibimus infenso nobis caeli Domino? Si cadant super nos montes, & concauis specubus abscondant; quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantae potestatis? quò enim progrediemur, vbi non sit Deus, cùm ipse vbique sit? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quòd iamdudum genti nostrae pro peccatis nostris infestus sit, qui antè praefidebat? Quis hoc dubitet, cùm videat, quod in nos manus nostrae conuersae sint? pluresque seditio domestica, quàm bellum exstinxerit? Non donabo Romanis quòd vicerint, nec ipsi sibi hoc vindicant, qui sciunt, quòd omnes ferè, nostris potiùs armis, quàm alienis perierimus. Quae enim Romana arma viderunt Caesaream inhabitantes Iudaei? quorum feriato die sabbati inter sollemnes nostrorum sacrorum cultus, multitudo gentilium Caesariensium, repentino quodam impetu, & misso desuper furore succensa viginti millia deleuit, omnes fugauit, vt totam vrbem exinaniret. Nonne Syriam totam quidem impleuit dementia, vt Iudaei atque gentiles in ijsdem vrbibus siti, & incolatus gratia sibi priùs nexi, postea inter se armis colliderentur, quò Romanis vadum futurae victoriae constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar, quò Iudaei primò contenderant, vt gentilem populum praeuenirent, ne quid aduersus nostros exemplo ceterarum vrbium machinaretur? Itaque quos par fuit coniunctis aduersum alienigenas viribus bello decernere, haec è contrario aduersum se Iudaei decreuerunt, vt pars eorum aduersus cognatos, & proximos suos praeliaretur, deinde ipsi pro pretio laboris & impensi sanguinis à gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri gentilibus. Damasceni, nulla existente causa, octo millia Iudaeorum strauerunt; Ascalonitae duo millia quingentos. In vrbe quoque, cui Ptolemais nomen, caesi duo millia. Alexandriae verò vetus erat odium inter Iudaeos, & gentium populos, ex quo Magnus Alexander vsus est studio Iudaeorum ad Aegyptios subijciendos. Vnde condita vrbe, ex aequo Iudaeis, & Aegyptijs attributa priuilegia, & habitationes diuersae, ne eorum cultus permisceretur, qui purificationes suas sine vlla volebant contagione seruare. Hinc frequentes inter eos conflictus fuere, exorta iurgia, iudicium petitum. Nihil tamen ex tanti Regis temeratum liquet fuisse beneficijs, sed postea à gentilibus exorto tumultu, cùm Iudaeorum necati aliqui, alij ad poenam detinerentur, iniuria motum Iudaeorum populum aduersum auctores iniuriae insurrexisse, & cùm pertinaciùs se de ciuibus vltum iri vellent, inductum exercitum Romanum, qui sexaginta Iudaeorum millia intra vrbem fuderit. Verùm quid in leuioribus moror, cùm excidium totius orbis in vnius ciuitatis ruina nobis deplorandum sit? Vbi est maxima ciuitas Hierusalem? vbi decora Sion? vbi templum mirabile? vbi secundum illud tabernaculum, sanctitatis sacrarium, quo semel in anno solus princeps sacerdotum solebat intrare non sine sanguine, quem pro se offerret, & populi delicto? Profanatum est à gentibus, habitant in reliquijs vrbis, qui eam destruxerunt. Vbi, inquam, es ciuitas referta populis, venerabilis Regibus, acceptabilis Deo, gratiae sedes? pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore, portae tuae micantes auro, aliae argento renitentes. Omnes interfecti, & qui te iugiter inhabitabant, & qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conueniebant; vt non dubium sit, in te mundum perijsse. Hactenus ille.

Tandem ad calcem huius disputationis libet Isaiae locum afferre, quo quae dicta sunt, omnia de huius ruinae causa, & magnitudine, plenè explicantur. Cùm enim celeberrimam illam vineae parabolam, qua Dei optimi, ac beneficentissimi satoris, cultotisque liberalitatem expressit,

A DEO potiùs vindice quàm à Romano milite percussi Iudaei perierunt.

SECVNdum tabernaculum vocat Sanctum sanctorum.

PAVIMENTA, parietes, culmina templi è pretioso marmore.

PARABOla vineae apud Isaiam & Matthaeum explicatur.

Ioseph. 5. Hist. c. 9.

Ioseph. 7. Hist. c. 28.

Egesip. in Epitaceph.

pressit, vineae contrà peruersitatem, quae pro dulcissimis vuis amarissimas protulit labruscas, significauit. Nec non quòd vineae huius conducti agricolae eos, qui fructus exigebant, Domini seruos apprehenderunt, *& alium caeciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt*, ac tandem filium patris familias IESVM Christum Dominum nostrum occiderunt, cuius culpae poenam expressit cum interpretatione parabolae apud Matthaeum Euangelistam ipse Dominus, dicens: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Qua autem ratione sublato à Iudaeis Regno ipsi subuertendi forent, expressit apud Isaiam ipse Dominus, dicens: *propterea captiuus ductus est* גלה galah, disparuit, posses vertere, *populus* quondam *meus, quia non habuit scientiam.*

Mat.21.℣.35.

Ibid. ℣.41.

Isai.5.℣.13 SCIENtiae defectus perditio populi Iudaici.

Quo loco nulla ratione probare possum Foreiri, sollertis alioqui interpretis explanationem, qui, absque scientia, conuertit, hoc est, insperatò, inopinatò, subitò; quasi verò ignorantiae aut scientiae defectus comes exilij fuerit non causa: cùm contrà vulgata editio; *propterea*, scribens, *quia non habuit scientiam*, & causam fuisse significet. quae Latina lectio ipsis Hebraicae מבלי micceli, propterea non scire, & Graecae διὰ τὸ μὴ dia to mi, quia non cognouerunt, maximè concordat. Quid autem non cognouerint, indicant Septuaginta, sequentia verba praeallatis connectentes, quia non cognouerunt, inquiunt, ipsi Dominum. Hebraicè וכבודו vcbodo, gloriam eius. Quo loco aptè mihi videtur intellexisse Leo de Castro IESVM Christum Dominum nostrum, qui aeterni patris gloria dicitur: *Et nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam*, insatiabilem glutiendi sitim, *suam, & aperuit os suum absque vllo termino; & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum.* Hanc enim Iudaeorum extremam calamitatem, qua nulla maior vel dici, vel excogitari potuisset, cuiusque acerbitas, & magnitudo, causae respondens ostenditur, infinita propemodum hominum millia fame, gladio, flammisque pereuntia, in infernum, aeternis ignibus cruciandа, detrusisse, praeallata Isaiae verba demonstrant. Atque his breuiter commemoratis, nihil ampliùs addendum duxi, ne abominanda illa desolatio numquam satis, neque pro meritis explicata exaggerari videatur.

Foreir. in Isai. FOREIRI sententia non probatur.

Leo de Cast. in Isai. CHRISTVS gloria Patris dicitur.

Isa.5.℣.13. & 14.

QVAM abominanda fuerit vrbis desolatio.

VRBIS EVERSIONEM PERPETVO DVRATVRAM.

Cap. XXXIIII.

QVAMVIS manifestis rationibus probatum superiore capite videatur, à Daniele prophetа testatum fuisse, desolationem vrbis vsque ad finem saeculi duraturam: tamen quoniam hoc argumento Iudaeorum perfidia conuincitur, illud ipsum quod probatum iam satis est, nouis prophetarum, & sanctorum patrum testimonijs, ac rationibus breuissimè confirmare non grauabimur. Ac primum sit Ieremiae prophetae, qui bis praecipitur à Domino de Hierosolymae vastitate sub figulini vasis parabola prophetare; sed diuersa omnino ratione, dissimili prorsus euentu. Primùm enim vas figuli in exemplum proponit, antequam igne coquatur, solideturque: postmodum verò vas coctum, atque in humanos vsus destinatum. Horum autem vasorum discrimen in eo potissimùm consistit, quòd si vas crudum frangatur, instaurari, ac refici facilè poterit, coctum nulla ratione.

HOC ARgumento Iudaei conuincuntur.

Priori parabola priores vrbis ruinas, & casus significat, posteriori hanc vltimam. Eius haec sunt verba: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens*, vtique postquam missus ad domum figuli, viderat in manu figuli dissipatum vas refici: *Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israël, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israël. Repente*: Septuaginta interpretes, ad summam, conuertunt Hebraicam vocem רגע ragagh, quam in *repente*, momento temporis, vel firmiter seu stabiliter licet conuertere: *Repente loquar aduersum gentem, & aduersum Regnum, vt eradicem, & destruam, & dispердam illud. Si paenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersum eam: agam & ego paenitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem eis. Et subitò loquar de gente, & de Regno vt aedificem, & plantem illud.* Quae omnia ad priores vrbis, aut gentis subuersiones pertinere censenda sunt: siquidem in illis omnibus paenitentiam egisse credenda est gens illa à peccatis suis, vt & ipse Deus super malo quod cogitauerat facere eis. Toties enim quoties eradicatum, destructum, & dispersum fuerat Regnum illud, aedificatum, & plantatum est. Eius rei exempla habentur in sacris: Aegyptiacam enim seruitutem praedixit Abrahamo Deus: *Scito praenoscens*, inquit, *quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo. Et post haec egredientur cum magna substantia.* quae omnia opere completa sunt. Babylonicam quoque captiuitatem, eiusque finem praedixit Ieremias illis verbis: *Erit vniuersa terra haec in solitudinem, & in stuporem, & seruient omnes gentes istae Regi Babylonis septuaginta annis.* Et iterum: *Cùm coeperint implevi in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Cuius captiuitatis finem & prophetiae exitum initio huius libri ostendimus.

Ierem.18. ℣.5.6.7.8. & 9.

SICVT lutum in manu figuli, sic omnes homines in manu Dei.

DEI MIsericordia.

HEBRAEorum triplex seruitus.

AEGYPtiaca prima seruitus fuit. *Gen.15.℣.13.& 14.*

SECVNDA Babylonica. *Ierem.25. ℣.11.& 12.*

Ierem.29. ℣.10.

Sup. cap.2. huius.

Fuit & tertia vrbis clades, qua miserè afflicti, contritique sunt Hebraei ab Antiocho Epiphane: verùm ea breuissima fuit, trium nempe annorum cum dimidio, prout accuratè satis traditur à Pereiro, qui putat eam praedictam à Daniele fuisse, ac certo annorum fine compressam. Sanctus verò Chrysostomus, cùm Danielis verba commemorasset, subdit: Haec sanè iam euenerunt omnia. Passi sunt ista Iudaei ab Antiocho, cui nomen illustris, sicut Daniel multos ante annos praeuiderat, scripsitque euentura. Et tamen Iosephus eandem cladem commemorans, sic scribit. Vigesima autem & quincta mensis Casleu, quem Appellaeum Macedones nominant, accenderunt lumina in candelabris, & suffitum fecerunt in altari, & panes supra mensam propositorunt,

TERTIA Graeca sub Antiocho Epiphane.

Pereir. in Dan.lib.10. q.20. & li. 9.§. Sed reuertamur, & seq. Chrys. orat. 2. con. Iud. Ioseph. 12. antiq.c.11.

runt, & in nouo altari holocautomata immolauerunt: idque accidit eadem die, qua ante triennium eorum sacra profanata fuerunt. Integro enim triennio defertum fuit templum post factam ab Antiocho profanationem. Haec ille.

Et haec omnis triplicis Iudaicae seruitutis commemoratio diserto sermone, pluribusque testimonijs à Sancto Ioanne Chrysostomo percensetur; quibus omnibus vrbis cladibus felix instauratio successit. Verùm ea, quam refert sequenti capite Ieremias, fine caritura praedicitur. Ibi enim Dominus ei dicit: *Vade & accipe lagunculam figuli testeam*, Hebraice הרש cheres, testu, fictile igni, vel Sole coctum (nam conuenit cum voce חרס cheres, solem significante) vas vtique humanis vsibus deputatum; propterea subdit, *à senioribus populi, & à senioribus sacerdotum:* cumque in vallem filiorum Ennom praeciperetur exire, subiungitur; *& conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum: & dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltrà instaurari.*

Chryf. orat. 2. cont. Iud. TRIPLEX illa seruitus finem sortita est, vltima numquam finietur.

Ierem. 19. ℣. 1.

Ibid. ℣. 10. & 11.

Quae verba quoniam doctissimè, vt cetera, intellexit Sanctus Hieronymus, eius omnem interpretationem referentes, validissima nostrae huius disputationis argumenta proponemus. Perspicuè, inquit, non de Babylonia, sed de Romana dicitur captiuitate. Post Babylonios quippe, & vrbs instaurata, & populus reductus in Iudaeam, & abundantiae pristinae restitutus est. Post captiuitatem autem, quae sub Vespasiano, & Tito, & postea accidit sub Hadriano, vsque ad consummationem saeculi ruinae Hierusalem permansurae sunt: quamquam sibi Iudaei auream, atque gemmatam Hieruſalem restituendam putent; rursumque victimas, & sacrificia, & coniugia Sanctorum, & Regnum in terris Domini saluatoris: quae licet non sequamur, tamen damnare non possumus; quia multi Ecclesiasticorum virorum, & martyres ista dixerunt. & vnusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio reseruentur. Quomodo autem vas fictile & testeum si fractum fuerit, in antiquam speciem non potest reformari; sic & populus Iudaeorum, & Hierusalem subuersa statum pristinum non habebunt. Denique cassum est hodie nomen ipsius ciuitatis, & ab Aelio Hadriano Aelia dicitur, & cum habitatione pristina, pristinum quoque nomen amisit, ad decutiendam superbiam habitatorum eius. Sanctae autem crucis, & resurrectionis vocabula non vrbem significant, sed locum. Hactenus verba sunt Hieronymi.

S. Hieron. sup. Ierem.

DE CAPTIuitate Romana intelligenda sunt Ieremiae verba.

Veram autem ac genuinam esse hanc loci interpretationem, maximè probare videtur euentus. Primùm quoniam post mille quingentos, & eò amplius annos eiusmodi Regnum, sanctuarium, aut ciuitas instaurata non fuit. Et quamuis vel suae inopiae, vel ignauiae, non diuinae comminationi tribuere haec forsan potuissent Habraei: tamen de hac etiam perfidia conuincentur, cùm pluribus historijs testatum sit, eos superioribus saeculis totis viribus conatos fuisse non sine opibus, astu, principum fauore, & sumptibus vrbem reficere, atque pristinum sibi statum restituere: diuina tamen ordinatione renuente nihil vmquam proficere potuerunt. Testis est Eusebius Caesareae Episcopus, qui cùm Iudaeos à Romanorum imperio sub Hadriano iterum descisentes fuisse commemorasset, haec quae sequuntur, scribit. Porro cùm Iudaeorum defectio longiùs in dies serperet, Rufus praefectus Iudaeae auxiliaribus copijs ab Imperatore sibi ad eam rem missis illorum amentiam, tamquam ansam oblatam ad exitium arripiens, acerbè, & crudeliter eos exagitat: virorum ac mulierum vnà cum liberis infinita propè millia confertim concidit, belli iure agros illorum Populo Romano adiudicat. Et post multa de Barchochebas Iudaeorum duce, & obsidione vrbis commemorata subdit: Cùm & rerum nouandarum auctores fame, ac siti essent ad extremam prope pernitiem detrusi, & caput illius temeritatis debitas poenas persoluissent, Aristo Pellaeus narrat, vniuersae genti ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedem in agrum Hierosolymitanum aliquando inferrent, & legis decreto institutisque Hadriani vetitum (ille planè sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent. Hierusalem ergo cùm ita esset Iudaeorum gente orbata, & veteribus incolis prorsus destituta, genereque frequentata exterorum hominum, deinceps cùm esset à Romanis occupata, nomen commutauit, & ad honorem Aelij Hadriani Imperatoris, qui eam deuicisset, illustrandum Aelia appellata est. Hactenus Eusebius.

LEGIS Decreto vetitum Iudaeis, ne vel ex edito loco Iudaeam prospicerent.

HIEROsolyma in memoriam eius vastitatis, quam ab Aelio passa est, Aelia compellabatur.

Sanctus verò Chrysostomus hoc idem argumentum latè prosequitur. Nam si Iudaei, inquit, numquam tentassent aedificare templum, dicere poterant: Si voluissemus aggredi templi instaurationem, omnino potuissemus, & perfecissemus. Nunc autem res ipsa demonstrat, eos non semel aut bis, sed ter aggressos, & impetum fecisse non aliter, quàm fit in certaminibus Olympiacis. vt nulli dubium esse possit, quin Ecclesiae sit victoria. Qui enim igitur hoc aggressi sunt? nimirum illi, qui semper resistunt Spiritui sancto, qui res nouas moliuntur, qui seditiones concitant. Post deuastationem, quae facta fuit sub Vespasiano, ac Tito, sub Hadriano mota seditione, conati sunt pristinam Rempublicam instaurare, haudquaquam intelligentes, quòd arbitrio Dei bellum gereretur, iubentis in perpetuum eam ciuitatem deuastari. Porro Deo bellante superare impossibile est. Impetu igitur facto in Caesarem, rursus eum adegerunt, vt funditus deleret ciuitatem, deuictis, ac subactis illis; omnibusque reliquijs abolitis, ne in posterum possent impudenter agere, statuam suam in loco collocauit. Deinde sciens fututum, vt illa tempore collaberetur, quò illius victoriae notam immedicabilem inureret, & illius impudentiae monumentum, nomen suum ciuitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur Aelius Hadrianus, ideo & ciuitati nomen Aeliae iussit imponi, inde & Aelia dicitur in hodiernum vsque diem, cognomine euictoris & euersoris. Post hunc sub Constantino rursus eadem aggressi sunt. at ille amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia, ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones etant sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conatentur. Hactenus verba sunt Chrysostomi.

Chryf. hom. 2. cont. Iud.

NON IUdaeorum ignauiae, sed diuinae ordinationi tribuendum Hierosolymam numquam instauratam fuisse. *Euse. 4. hist. cap. 6.*

Beatus verò Iustinus martyr, cùm aduersus Iudaeos disputans, eos interrogat, quare Deus ante Abrahamum iustos fieri vellet absque circumcisione, & sabbatis: ab eo autem per circumcisionem

Iustin. cont. Tryph.

IVSTI sine circumcisione, cum circumcisione, & lege.

REDITVS Hierosolymitanus nulli Iudaeorum patens. *Iustin. apolog. 2. pro Christian.*

NON ERIT ex Iudaeis qui terram suam incolat.

POENA mortis constituta in Hebraeum quemcumque, qui terram illam introisse deprehenditur. *Matt. 24. ℣. 21.*

TRIBVLATIO magna, qualis non fuit, nec erit, dicitur ista Hierosolymitana. *Aug. epist. ad Hesych.*

2. Thessal. 2. ℣. 8.

Amos. 2. sup. cap. huius libri.

HEBRAEI qui dispersi modò sunt per totum mundum, non Hebraeorum populus, sed eius vmbra dicendi.

sionem vsque ad Moysen; inde verò circumcisione, & alijs praeceptis, id est, sabbato, hostijs, libationibus, & oblationibus: quare igitur hoc? nisi vt à me, inquit, ante dictum est, respondeatis, ac doceatis, quòd Deus, qui praescius est, cognouisset dignum fore populum vestrum, qui Hierosolymis expelleretur, nec fore, vt illuc cuiusquam concessu ei reditus pateret. Et iterum ad necessarias demonstrationes se venturum pollicitus: Terram quidem, inquit, Iudaeorum expugnandam fuisse vt intelligatis, audite quae à prophetico spiritu dicta sunt. Verba autem facta sunt quasi ex persona populorum, ea quae facta sunt, admirantium. Sunt autem haec; Facta est deserta Sion, quasi deserta vrbs Hierusalem facta est, & domus sancta nostra diris deuota est, gloriaque, quam laudarunt patres nostri, igni deleta & consumpta est: quaeque in ea praeclara pretiosaque erant, omnia conciderunt. Et haec tulisti, tacuisti, nosque valde abiecisti. Vrbem autem Hierusalem desertam fuisse, quemadmodum fore praedictum est, optimè scitis. De illius autem solitudine, nec quemquam eorum habitandi causa eò reuersurum, ab Isaia propheta dictum est hoc modo: terra eorum deserta, eis spectantibus ac videntibus eam hostes illorum euertent, nec erit ex ipsis, qui eam incolat. Eam porro à vobis custodiri, vt nemo in ea sit, mortemque in eum constitutam, qui introisse deprehendatur, certò scitis. Haec Iustinus.

Quòd si ratione etiam hanc Patrum sententiam confirmare velimus, non mediocris desumi poterit ex ipsius veritatis propheticis verbis. Siquidem ait: *erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* Nam de Hebraeorum populo intelligenda videntur ea verba, sicut intelligenda esse probat ex collatione Euangelistarum Augustinus, qui & obiectioni respondet, quod talis, aut forsitan maior erit temporibus Antichristi. Intelligendum est enim, inquit, de illo populo dictum, quòd ei talis ampliùs futura non erit. Si enim Antichristum illi primitùs & praecipuè recepturi sunt, factus est tunc idem populus tribulationem potiùs, quàm passurus. Quae Sancti Augustini responsio vera est, optimeque probat, vsque ad Antichristi tempora nil tale passuros Hebraeos. Verùm cùm Antichristus spiritu oris Domini nostri IESV Christi occidendus prophetico spiritu dicatur à Paulo, nec non eius omnes asseclas multandos à Christo firmiter credamus, erit vtique, vt quam non patientur ab Antichristo, hac maiorem tribulationem, eam sine dubio patiantur à Christo. Quapropter dicendum videtur, neque etiam tunc passurum quidem populum Hebraeorum maiorem hac tribulationem, non quòd maior non sit futuri iudicij tribulatio, omnibus Hierosolymae tribulationibus; sed quòd non ampliùs instaurandus sit populus, aut in pristinam dignitatem restituendus. De illo enim verum iam est, eritque in perpetuum, quod dictum à propheta fuit; *& non erit populus, qui eum est negaturus*, iuxta ea, quae suprà attulimus. Namque qui toto orbe terrarum dispersi modò conspiciuntur Hebraei, non populus, sed eius gentis vestigia quaedam, vel potiùs obscurae vmbrae sunt, qui rebellionis signum, corporibus suis impressum (vt Chrysostomi allatis vtar verbis) per vniuersa loca circumferentes, antiquae, nobilissimae quondam gentis nomen pariter atque ignominiam ostentent. Propterea quidem non ampliùs vocatur populus ille Israël, sed reliquiae Israël, quas & aliquando conuertendas praedixerunt prophetae, id quod diuino afflatus spiritu interpretatur Sanctus Paulus. Nam cùm Isaiae locum retulisset, quo populum illum non credentem, & contradicentem vocarat, subdit: *Dico ergo: numquid Deus repulit populum suum*, hoc est, omnes eos, qui ex Israële originem ducunt? *absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin: non repulit Deus plebem suam, quam praesciuit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum aduersum Israël? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quaerunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae saluae factae sunt: Quid ergo? quod quaerebat Israël*, temporale regnum, antiquum splendorem, & gloriam, *hoc non est consequutus: electio autem consequuta est* eos omnes, quos ex illa gente decreuerat saluandos, *ceteri verò excaecati sunt*. Ex quibus Pauli verbis eiusque collatione manifestum fit, non ampliùs futurum Israëliticum populum magnificum & glorioſum, qui saluus fiat, sed eius tantummodo reliquias. Hoc eodem argumento vsus videtur Tertullianus, qui cùm aduersus Marcionem disputans plura adduxisset sacrae Scripturae testimonia, quibus probare contenderet, propter Christum, veri Dei & creatoris filium, fuisse à prophetis praedictum Iudaeos grauissima passuros, subdit. Certè si nondum venit Christus creatoris, propter quem haec passuri praedicantur, cùm venerit ergo, patientur. Et vbi tunc filia Sion derelinquenda, quae nulla hodie est? vbi ciuitates exurendae, quae iam in tumulis? vbi dispersio gentis, quae iam extorris? Redde statum Iudaeae, quem Christus creatoris inueniat, & alium contende veniſſe (venturum potiùs legerem.) Atque haec ille.

Sed ad prophetarum testimonia redeamus, quia cum obstinatissimis Iudaeis agendum nobis nunc est. Isaiae prophetae testimonium, quod ipse subiungit ei, quod in fine capitis superioris à nobis relatum est, referre operaepretium duxi. *Propter hoc*, inquit, *sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammae exurit; sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet.* Aptissima arboris translatione Reipublicae statum explicat, illiusque exustione huius subuersionem. Cuius rei manifesta probatio desumitur ex Nabuchodonosoris somnio cum interpretatione Danielis prophetae. *Arborem* enim, inquit, *quam vidisti sublimem, atque robustam, cuius altitudo pertingit ad caelum, & aspectus illius in omnem terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius:* haec omnia Regni sunt praesidia, ornamenta, & gloria, *& esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri, & in ramis eius commorantes aues caeli;* haec sunt quae subditorum multitudinem, diuersosque eorum gradus significant, nec non subsidia, quae à Rege, & populo, quilibet in gradu suo recipit. quae omnia ostendit propheta subdens: *Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vsque ad caelum, & potestas tua in termi-*

RELIQUIAE Israël vocantur deinceps Hebraei non Israël. *Isa. 63. ℣. 2. Rom. 11. ℣. 1. & seq.*

3. Reg. 19. ℣. 10.

Tertul. li. 3. cont. Marcion.

DEFICIENte Hierosolyma nulla eius euersio esse poterit.

Isa. 5. ℣. 24

Dan. 4. ℣. 17. & 18.

ARBOR Regnum, illius combustione huius subuersio significatur.

GLORIOsus Rex subsidia praestans Regno arbore indicatur frugifera.

nos

nos vniuersae terrae. Arboris verò radices, & germen, quid in Regno indicent, ostendit, subdens: *Quòd autem praecepit, vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris: Regnum tuum tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse caelestem*. Ex qua prophetae interpretatione manifestum fit, radice arboris spem recuperandi Regni aptissimè significari. Nam sicut arboris ramis, foliis, floribus, fructu, & alijs quibuscumque partibus siue ornamentis amputatis, & consumptis, si tamen radix cum germine maneat, adhuc spes manet antiqui splendoris, ac vitae recuperandae: si verò radix vnà cum ramis comburatur, nulla ampliùs manere poterit arbori renascendi spes: eodem prorsus modo Iudaici Regni radice in fauillam redacta, germineque eorum ascendente, hoc est, à vento pulueris instar sparso, nulla instaurationis spes illi poterit superesse. Causam autem huius combustionis subnectit: *abiecerunt enim*, inquiens, *legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemauerunt*. Quae verba Cyrillus sic interpretatur. Repudiauerunt legem Domini, id est, Euangelium, & ipsam legem Moysis: nam ipse Dominus ait: *Si enim Moysi crederetis, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. In vtrumque igitur peccatum à Iudaeis est. Repudiauere namque miseri, Dei verbum, & prophetarum praedictiones falsas putauere, neque Euangelij recepere salutem. Haec ille. Ingeniosè Foreirus ex ipsa Hebraica voce אמר omer, quam in eloquium conuertit vulgatus, Christum Dei verbum intelligendum statuit. Et quidem illud certum est, propter blasphemias aduersus Christum Dominum prolatas, illatasque ei iniurias, iratum Iudaeis fuisse Deum. *Ideo*, inquit, *iratus est furor Domini in populum suum*, & quae sequuntur. quibus clades illius populi extremas percenset, & subdit: *In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta*. Quibus verbis saepius in sequentibus repetitis dilucidè significatur, Dominum nondum tanta occisione contentum, alijs atque alijs supplicijs semper Iudaeos persequuturum esse, ita vt perpetua vindicta, vsque ad finem saeculi duratura, in eos exerceatur & saeuiat. Exstat & aliud Isaiae testimonium hoc idem toto ferme capite vigesimo quarto probantis: *Agitatione agitabitur*, inquit, *terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis, & grauabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adijciet vt resurgat*. Quo nullum adduci posse videtur luculentius testimonium praeter illud, quod apud eundem Isaiam quasi huius interpretatiuum sequitur. Nam cùm praeallato capite, quodam humanitatis sensu diu multumque ruinam populi sui defleuisset, iam nunc quodam nouo diuini zeli ardore concepto, Dei iustissima consilia exaltat ac praedicat, dicens: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, amen*: fidem veritatem conuertunt ex Hebraeo nonnulli: hoc est, ea, quae ab aeterno decreueras, promiseraque; gentibus nimirum veritatis lumen, & Iudaeis iustam indignationem opere praestitisti, his veritatem, hoc est, iustitiam, & meritas poenas inferendo, illis fidem, promissaque exhibendo. *Quia posuisti ciuitatem*, vtique Hierosolymam, *in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum*: ita *vt non sit ciuitas, & in sempiternum non aedificetur*. Atque huius loci perspicuam veritatem tenebris offundere, quamuis omni ope conentur Hebraei, nulla ratione poterunt. Nam etsi vox עלם gholam, quam in *perpetuum* conuertit vulgatus, definitum tempus nonnumquam significet, vt à nobis suprà ostensum est: tamen hoc loco *perpetuum*, nempe id omne tempus significat, quo praesens saeculum duraturum est. quod ex ipsa antecedentium, & consequentium verborum collatione manifestum esse cuiuis poterit. *Super hoc enim*, quòd Iudaico populo, vindictae, atque irae Dei deputato, gentium populus electus ad illuminationem est, *laudabit te populus fortis; ciuitas gentium robustarum timebit te*. Nos, inquam, qui ex gentibus Dei gratia vocati sumus in Dei lumen, & Regnum per aspersionem sanguinis IESV Christi Domini nostri, eundem Deum ac Dominum sine fine laudamus, dum perpetuò duraturam recolimus, atque videmus vrbis illius euersionem: vrbis inquam, illius, quae parricidali scelere oppressa corruit, nec adijciet vt resurgat.

Ibid. ℣. 23.

REGNI Iudaici radice combusta. nulla ei superest spes instaurationis.

Cyrill. apud Leo. de Cast. in comment. Ioan. 5. ℣. 45.

IN DEVM & Moysen peccauerunt Iudaei: Christum non recipientes. *Foreir. sup. Isaiam.*

Isai. 5. ℣. 25

MANVS Dei adhuc extenta in Iudaeos.

Isai. 24. ℣. 20.

CORRVIT scelere occisi Christi Iudaeus oppressus, nec adijciet, vt resurgat.

Isai. 25. ℣. 1. 2. & 3.

FIDELIS promissorum expletor est Deus, veracem gentibus, iudicem Iudaeis se exhibens.

IN SEMPITERNUM non aedificabitur Hierusalem.

Sup. tom. 2. Sup Ezech. 28. ℣. 19.

LAVDANDus sine fine à Christianis Deus est, quòd meritas poenas in perpetuum à Iudaeis exigat.

PRIMAE PARTIS EPILOGVS ET HIEROSOLYMITANAE EVERSIONIS HISTORIA.

Caput XXXV.

HACTENVS *est à nobis ex varijs tum sacrarum litterarum, tum scriptorum veterum ac recentiorum testimonijs, tamquam ex vario stamine tela contexta, varijsque coloribus forma Hierosolymae, antiquissimae, atque inter omnes longè praestantissimae ac celeberrimae vrbis expressa.*

HISTORIA vrbis suprà non ita continuata cernitur, tum propter confutationem diuersarum opinionum, tum propter variorum locorum è sacris litteris explicationem.

Cuius memoria, quemadmodum pictura in tabula perantiqua, ita erat vetustate deleta; vix vt adumbrata quaedam species appareret. cùm praesertim eam plurimi illustrare conati, obscurasse potiùs, quam lucis aliquid ipsi attulisse viderentur: vt remouenda nobis priùs fuerint, quae essent ab illis adiecta, multaeque nobis quaestiones institutae, multis cum Hierosolymae scriptoribus, profligandae. Huc accedit, quòd vt peristromatum textoribus vsu venire cernimus, qui dum alia fila staminis intexunt, alia intermittunt postea resumenda, eorum & multitudine ac varietate subiectas imagines obtegunt; vt qui earum adspectu perfrui velit, ci absoluto iam opere sit altera peripetasmatis facies intuenda: ita nos saepe, dum Hierosolymae vrbis tum nascentis exordium, tum crescentis accessionem, ac decrescentis defectionem occasumque persequimur, in varijs sacrorum voluminum locis enucleandis commorati sumus: quippe qui in ijs inserendis, interpretis potiùs quàm historici munere fungeremur.

Iam verò par est, vt in huius libri postremo capite, tamquam in epilogo Hierosolymorum seriem ac veluti contextum quàm paucissimis ostendamus: non eodem ordine, quò nos deduxit vrbis historia; sed eo, qui & ad eius formam commodiùs contemplandam, & ad eandem faciliùs memoria complectendam maximè accommodatus esse videatur. ita tamen vt

IN HOC epilogo vrbis historia pertexitur non eodem ordine, quo in superioribus.

vno propemodum oculorum obtutu nobilissimae vrbis ortum, progressionem, statum, imminutionem, interitum facilè quiuis possit non sine animi voluptate perspicere.

Fuit haec ciuitas ipsius prope hominum generis aequalis. nam postea quàm primi illi mortales ex communi non hominum modò, sed etiam animantium naufragio reliqui; deletis rebus omnibus, emersere; Nöe illorum caput & parens, qui iam tum vt credimus, futuram loci sanctitatem, maiestatemque prospiceret, ea videlicet beneficia praeciperet animo, quibus esset is locus cumulandus à Deo; montem illum, qui propterea Salem, hoc est, pax, salus, felicitas dictus est, Semo filio natu maximo, atque inter ceteros sibi carissimo donauit; in eumlem eiusque fratres reliquis orbis terrae partibus distributis. Semus vir pius ac religiosus in primis, tanto muncre libentissimè susepto, cuius videlicet magnitudinem facilè agnosceret, vrbem in eo monte pulcherrimam condidit, quam non modò optimis institutis ac legibus temperauit; verùm etiam tanta aequitate ac sapientia administrauit, vt inde Melchisedeci, hoc est, Regis iusti cognomen inuenerit. In eadem vrbe templum Semus, idemque Melchisedecus praepotenti Deo aedificauit, excuius vero cultu ac religione cùm omnia comeda, omnemque prosperitatem intelligeret inciuitatem esse mánaturam; vrbem ipsam Hierusalem, hoc est, pacis visionem ac beatitudinis appellauit. In eo templo, vt erat idem Rex & sacerdos Dei altissimi, sacrificium panis & vini faciebat, quo nouae legis & Catholicae Ecclsiae admirabile sacrificium tantò antè monstrabatur, quo panis & vini speciebus quasi velis obtectum vnigenitum Dei Filium sacerdotes offerimus, verum scilicet panem, qui ad nos in perpetuum alendos de caelo descendr.

Lib. 1. vrb. cap. 14. NOE POST diluuium omnes terras filijs distribuit, & Semo natu maximo montem Salem.

Ibid. c. 1.

SEMVS qui & Melchisedecus, in monte Salem vrbem, & in ea templum aedificat. Ibid. c. 14.

Ibid. c. 12.

VRBS cur Hierusalem dicta. Ibid. c. 10. Paral. 1.

S. Hieron. epist. Paul. & Eustoch. ad Marcell. MELCHISedec Rex & sacerdos, cu panem & vinum Deo obtulerit.

Per

IEBVS vrbem suo nomine condit.

Lib. 1. vrb. cap. 10.

Per idem ferè tempus Iebus item vnus ex Nöe pronepotibus, & Semi fratris, hoc est, Chami nepos, filius Chanaani, in editissima parte atque tutissima Sionis montis, qui est monti Salem ad Meridiem proximus, alteram vrbem seu arcem exstruxit, cui suum quoque nomen imposuit.

IOSVE vrbem Salem, & Iebusaei Beniamino, ac Iudae attribuit. Lib. 1. vrb. c. 15. & 16.

Ita haec permultis saeculis eousque steterunt, quoad Israëlis posteris ex diuturna Aegyptiorum seruitute diuinitus ereptis, & in Palaestinam Dei beneficio ac iussu profectis, diuino consilio instinctus Iosue, illorum eo tempore dux ac princeps, duodecim tribubus eam regionem ita distribuit: vt eius vrbis partes tribus duae, Iudae scilicet ac Beniamin ex aequo sortirentur: alijs autem duobus collibus interiectis bisariam diuisis, quorum alter Moria, Caluariae alter dicebatur; Salem quidem Beniamino,

IVDAS vrbem Iebusaei ante Dauidis tempora non obtinuit.

Iudae verò montem Iebusaei Sionem attribuit. Atque ille quidem partem, quae sibi obtigerat, fratris auxilio facilè obtinuit: hic verò suam, quamuis bellica virtute praestantior, ne fratris quidem ope potuit adipisci. Quod sanè videtur praecipuo Dei consilio contigisse: vt haec scilicet

DAVID captam Iebusaei vrbem suo nomine appellat, & auget. Lib. 2. vrb. cap. 1.

prouincia integra magno duci Dauidi reseruaretur, vbi vim suam, animique magnitudinem ostentaret, eiectisque Iebusaeis, suo illam nomine dignaretur. Verùm quum ob exiguitatem loci ciuium numerum capere nequiret, illam Dauid amplificauit, moenibus ferme passuum septem millium, vrbe Iebus inclusa, totum Sionis montem circumsepsit, quem pulcherrimis etiam aedibus exornauit. Et quamquam non fuit illi à Deo facta potestas templi exaedificandi, vt in ea vrbe diuina maiestas praesens auxilium suum ac numen ostenderet: eiusdem tamen Dei praepotentis iussu, maximo ad eam rem coacto thesauro, materiaque ad aedificium comparata, Salomoni filio, Regnique successori dedit moriens operis efficiendi negotium. Is verò excitato in monte Moria, instar magnae cuiusdam vrbis, augustissimo ac post homines natos magnificentissimo templo: vt eius templi commodis consuleretur, vrbem ipsam auxit: dum collem alium, qui ad Aquilonem inter templum & veterem vrbem Salem situs erat, muro vestiuit ac sepsit. In hac verò vrbis parte

Ibid. c. 9.

1. Par. 17. DAVID prohibitus à Deo aedificare templum, illud Salomoni commisit.

1. Par. 28. Sup. tom. 2. c. 40. Ezech. 2. Par. 3. SALOMON templum, nouam vrbem, & piscinam aedificat. Lib. 2. vrb. cap. 13.

piscinam prope templum ad victimas lauandas exstruxit, quae in templo essent immolandae: foro, iuxta veterem portam Gregis, relicto percommodo, in quod pecudes in templo mactandae cogerentur: ex quibus videlicet cognomentum non platea modò, sed etiam porta, piscina, atque vrbs adiuncta desumpsit; quippe quae Bethesda vocata sit, hoc est, Graecè Probatica, Latinè Pecuaria: tametsi eam aliàs Bezetam Iosephus appellet, eoque vocabulo vrbem nouam significari confirmet.

Ibid. c. 14.

BETHESda, porta, piscina, nouae vrbi & platea Probatica dicta.

Trecentos annos eoque ampliùs ita stetit haec ciuitas, vsque ad Ezechiae tempora, sextidecimi Regis Hierosolymae, ex tribu verò Iudae quintidecimi. Is quum aliquando accepisset aduentare aduersus Hierosolymam cum maximis copijs Assyriorum Regem Sennacheribum, quum alia prudens Imperator ad propugnandum idonea comparauit: tum vrbis angulum, qui inter veterem Salem, nouamque Salomonis vrbem nudus atque inermis fuerat inter Orientem & Aquilonem relictus, muro communiuit: quo muro vicis aliquot, qui antea excludebantur, inclusis, vrbem totam propemodum in quadrum redegit. Ciues autem sortasse, vt hanc partem ab alia, quam paulò antè dicebamus, noua vrbe distinguerent, eam Graeco vocabulo καινόπολιν caenopolin, hoc est, nouam vrbem nominauerunt. atque ita etiam hac noua adiuncta, vrbs tota multò est, quàm antea, effecta munitior. Etenim quum ad Meridiem in rupe esset praerupta sundata, vallibusque inaccessis circumdatas satis erat ex ea parte, situ ipso ac loci natura, munita, humili dumtaxat muro contenta. At ex alijs locis, praesertim verò ab Aquilone magis erat hostibus peruia, & oppugnatu facilior. Ergo ad ea loca, quasi triplex iam vrbs, quam describimus, triplici item cincta suo quaeque muro iam erat, Dauidis videlicet vrbs primùm, deinde Salomonis, ad extremum Ezechiae: Iebusaei enim moenia fuerant iam antea cum veteri vrbe deiecta. Quocirca vsque adeo Hierusalem amplitudine, sepimentis, munitionibus creuit, vt admirationem omnino afferat rem diligentiùs perpendenti. Nam quum pulcherrimis esset ac satis altis moenibus circumsepta; nonaginta praetorea ad propugnandum turres habebat, in orbem ducenis cubitis muri distantes: quarum humillimae, singulae quadrata forma, aequè latae ac longae vicenis cubitis erant, altae quadragenis; quum tamen nonnullae quinque & quinquaginta, aliae nonaginta, centum aliae altae viderentur. Ita igitur longè lateque patuit vrbs, vt moenium ambitus decem passuum millia contineret; cuius capacitas cùm tanta esset; tamen si hominum spectetur, quos capiebat, numerus, exigua videatur. Etenim Paschae tempore recenset Iosephus in ea vicies quinquies centena, & quinquaginta sex hominum millia reperta: quòd minùs admirandum videbitur legentibus in libro Paralipomenon, Iosaphati septimi Hierosolymorum Regis, Iudae autem sexti temporibus, vndecies centena sexaginta millia hominum bellatorum in album fuisse relata. Neque tamen hac sua Hierusalem amplitudine, ciuiumque multitudine nobilissimorum contenta videbatur. verùm ab ea, eiusque finibus Iudaei prodierunt in Aegyptum, Phoenicem, Syriam, Caelesyriam, Pamphyliam, Ciliciam, Bithyniam,

Ibid. c. 16. 17. 18. & 19.

EZECHIAS trecentis post annis καινόπολιν aedificat.

VRBS EZEchiae καινόπολις dicta, hoc est, noua ciuitas.

Ibid. Lib. 2. vrb. cap. 3. HIERVSAlem à Meridie inaccessa, ab Aquilone triplici muro circumdata. Lib. 3. vrb. cap. 28.

MOENIVM ambitus decem millium passuum, cum nonaginta turribus. Lib. 2. vrb. c. 20. & 21.

Ibid. Lib. 2. vrb. cap. 23. INGENS numerus ciuium Hierosolymis. Ibid. c. 23. NVMERVS militum Iosaphati Regis tempore. 2. Par. 17. ℣. 13. & seq.

HIEROSOlyma coloniae altiò deductae.

Lib. 2. vrb. c. 22.

Pontum, Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthum, & ad remotissimas quasque ac celeberrimas insulas, Euboeam, Cyprum, Cretam, atque omnes ferme orbis terrae partes incolendas.

VRBIS felicitas fuit elationis causa.

Denique, vt paucis multa complectar, ad summam peruenit haec ciuitas felicitatem, quippe cui Deus affatim cuncta suppeditarit, quae illi copiam bonorum omnium, amplitudinem, dignitatem, existimationem, & gloriam afferre possent, vt in ea exornanda summus ille terrarum caeliique rector ac Dominus suam quodammodo liberalitatem, potestatem, benignitatem ostentare voluisse videatur. Verum, vt ferè solent rebus secundis plerique mortalium immoderatiùs efferri, semper videtur ingrata ciuitas impietate bellare voluisse cum Deo: vt vicissim cum illa Deus beneficijs & caritate certabat. Quapropter eam priùs non semel Deus, sed frustra per suos vates admonitam, tandem passus est in potestatem Nabuchodonosoris venire, qui eam bonis omnibus, quibus ipsa se suo vitio indignam effecerat, spoliauit. Ergo templo, vrbe, ciuibus flamma ferroque consumptis, reliquo populo ac Rege ipso in captiuitatem abducto, pretiosissima quaeque in Babylonem Nabuchodonosor asportauit. Verumtamen, quod rebus ad voluntatem fluentibus perditur, id saepenumero instauratur aduersis. Quare Solymae ciues aerumnis & calamitatibus expoliti, suoque periculo iam facti cautiores, Deum iure ipsis insensum, facilè, quae est eius clementia, placare potuerunt. Quum igitur benignissimus Pater varijs rationibus atque artibus Assyrij Regis successores suo populo conciliasset; eos tandem ita permouit, vt primùm Zorobabelem ad instaurandum templum, deinde Nehemiam ad vrbem ipsam mitterent reficiendam. Is ingenti erga Deum pietate flagrans, patriaeque studiosissimus, vt Hierosolymam venit, ciues suos conuocat, ad vrbem instaurandam cohortatur, moenia illis in quadraginta sortes distributa diuidit, ita sarcienda, vt ab Eliasibo summo sacerdote initium fieret, qui sponte se cum suis obtulisset, vt aequum est credere, ad primam ac difficillimam partem reficiendam. Illum deinceps Hierichuntini sequuti, Zacchur, filij Asnaa, Marimuth, Mosollam, Sadoc, Thecueni, Ioiada, Meltias & Iadon, Eziel, Ananias, Raphaia, Iedaia, Hattus, Melchias, Hasub, Sellum, Hanun, & habitatores Zanoë, Melchias, Sellun, Nehemias, Rehum, Hasebias, Bauai, Azer, Baruch, Merimuth, Beniamin & Hasub, Azarias, Bennui, Phalel, Phadaia, Nathinaei, Thecueni, Sadoc, Semaia, Hananias & Hanun, Mosollam, Melchias; denique aurifices atque negotiatores: qui omnes suis quisque locis, ac pro sua

HIEROSOlyma iure à Nabuchodonosore deleta. Lib. 2. vrb. cap. 24.

SAEPE quod res secundae perdunt aduersae restituunt.

ZOROBAbel ad templum instaurandum dimissus, Nehemias ad vrbem reficiendam. Lib. 3. vrb. cap. 5. Nehem. 3. & li. 3. vrb. à c. 7. vsque ad 23.

A NEHEmia moenia in quadraginta sortes distributa. Ibid. lib. 3. vrb. c. 8.

A *quisque parte, à porta Gregis templo proxima inchoantes, prope in media vrbis orientali facie ad turrim vsque Meath, turrimque Hananeel aedificarunt, in qua turri porta erat sita Beniamin. Inde ad Aquilonem versi portam Piscium, portamque Veterem instaurarunt, ad latiorem vsque plateam progressi, quae inter portam Ephraim atque Anguli interiacebat: in porta, muro ad Occidentem deflexo, Furnorum turrim resecerunt, portam Vallis, Stercoris, Fontis; gradus denique, quibus de ciuitate Dauidis descendebatur vsque ad eiusdem sepulcrum, restituerunt: paulò autem vlteriùs*
B *procedentes, muro ad Meridiem circumacto ad piscinam vsque exaedificarunt, quae grandi opere constructa est, vsque ad domum fortium, contra ascensum firmissimi anguli, contra domum Eliasib sacerdotis magni, & vsque ad aedes Azariae: vnde ad Orientem reuertentes, primam flexuram atque angulum, quem efficit murus, dum intra montem natatoria Siloe reconditur, vbi est porta Fictilis, persecerunt, ac deinceps flexuram alteram è regione primae turris Regiae Salomonis, vsque ad angulum templi, portam Equorum, totumque murum Ophel, vsque ad portam Iudicialem, alterumque templi angulum:*
C *inter quem & portam Gregis exiguum muri interuallum intercedebat. Sortito igitur sunt ita moenium partes distributae, quo commodiùs ab omnibus opera poni posset, celeriusque tantum opus absolui. quod & est effectum, duorum scilicet spacio & quinquaginta dierum. Ita vrbs iisdem, quibus antea, moenibus, turribus, portis, eodemque loco sita necessariò manfit;*
D *quod etiam, praeter argumenta proposita, aedificandi celeritas ostendit. Quumque vrbs, vt dictum est, quadrata forma ab ea parte, quae ad Meridiem spectat, esset inaccessa; reliquum est, vt portae duodecim, quas circa se habuit, pro ratione reliquarum trium muri partium, artificiosè, per certa interualla disiunctae, quaternae singulis partibus tribuerentur, eodem ordine, quem in ijs recensendis deinceps indicauimus.*

Nehem. 6. v. 15.

VRBS breui instaurata eodem loco, ijsdem moenibus, turribus, & portis. Lib. 3. vrb. cap. 6.

DVODEcim portae Hierosolymae, ternae in tribus partibus moenium. Ibid. c. 26.

Quamquam non murus modò, sed vrbs etiam
E *vniuersa in vicos quattuor & viginti, vici verò singuli in centenas insulas, regionesve distributi, atque hae varijs aedibus ac domicilijs, pro ciuium numero aedificandis assignatae. His porro vicis principes praefecti sunt octo & quadraginta, vicos singulos binis principibus procurantibus; quippe quum vicorum amplitudo singulos à singulis administrari non pateretur, id quod Vrbs Roma, quae optimam quamque politiam semper voluit aemulari, videtur imitata; dum in regiones tredecim distributa, singulis praefectis commissa est, qui hodie*

VRBS IN 24. vicos diuisa, vici in centenas regiones. 48. praefectis attributi, quod Roma est imitata. Ibid. c. 12.

vulgo

vulgo Caporioni, hoc est, regionum capita nominantur.

Erat igitur Hierusalem aedificijs priuatis, ac publicis apprimè nobilis: quoniam praeter templum, quod pulcherrimum fuit ac maximum omnium aedificiorum, quotquot vel post hominum memoriam fuere, vel posterioribus saeculis futura sunt, ad eius imitationem (vt ferè fit) omnes artificio mirabili suas quisque aedes moliebantur; praesertim verò palatia, domosque Regias, quas è candido fuisse constructas marmore verisimile est: cuius in ijs locis tanta erat copia, vt vel plateae ipsae, angiportus, compita, eodem essent marmore constrata. Quamobrem verè de tota vrbe dici potest, quod Iosephus de vno templo memoriae prodidit, tantum fuisse lapidum candorem, ex quibus ipsa quoque constabat; vt procul illam intuentibus monti niueo similis videretur. Quam igitur fuisse putemus suburbanorum collium, vallium, agrorum speciem, & amoenitatem? quae varijs arboribus, vineisque vestirentur, ac tamquam in aulaeo vario candidis villis atque aedificijs conspergerentur. Quae tandem fuit totius suburbani forma, quae venustas, quae dignitas, quod vijs nigro silice constratis exornaretur? quae quidem viae dum bellè fluentes torrentis Cedronis aquas passim decussarent, tota regio quasi Phrygio opere distincta & elaborata videbatur. Et quamuis haec tam multa sint ac tam praeclara ornamenta quae diximus; tamen si cum caelestibus illis, quae sub aspectum non cadunt, diuinisque muneribus conferantur; longiùs ab ijs abesse videantur, quàm à rebus veris existimentur somnia, aut à corpore vmbra distare.

Quod si haec multò maiora sunt externis aut corporis bonis; quanto tandem illud erit maius existimandum atque diuinius? quod ipse Dei filius, hominis natura fuscepta, infans in eius vrbis templo fisti, puer legisperitos audiendo, percunctando, respondendo non confulere, sed erudire; vir deinde in eodem templo augustissimo docere quotidie, in ea vrbe, eiusque finibus morbos animi corporisque depellere, mortuos ad vitam reuocare voluerit? Verùm, vt in tabula nulla ratione potest montis celsitudo, nisi vmbrarum adiuncta obscuritate monstrari; neque Solis fulgor, nisi multis obscurisque vmbris appositis, exprimi; ita prorsus hae res, quas praesentes cernere non licet, quò facilius velut in typo cernantur; simul & praeclaram Christi benignitatem, & caecas hominum ingratorum tenebras in huius ciuitatis indigenis tamquam in tabula descriptas intueamur necesse est.

Ergo illuc Bethania Christus profectus decimo primae lunae die, quo nimirum die agni in vrbem ad Pascha mactandi cogebantur, diuinus hic Rex venit asello vectus pauper ac manfuetus. Et quamquam permulti, qui ad festum diem sollemnemque confluxerant, huiusce Solis praeclarissimi radijs excitati, summis eum laudibus extulerunt, verum esse Dauidis filium & eundem Regem confitentes, Christumque promissum: tamen tantae lucis vsura frui diutiùs noluerunt. vt eodem Christus die, atque in ipso celebritatis triumpho infelicis vrbis exitium deplorarit. Deinde verò portam Gregis suo aduentu cohonestauit ac templum: quoad quinto post die ad vesperam, quo tempore agnus erat rite immolandus, in summo Sione monte ac domo, quae Dauidis fuerat, veteris Paschae legibus ritibusque seruatis, & antiquatis, nouum felicissimumque Pascha nostrum instituit, cùm sacrificium simul & sacramentum, atque adeo cibum, potionemque nobis, verum suum viuumque corpus ac sanguinem tribuit. Inde Aquarum porta trans torrentem Cedron egressus, in villam Gethsemani, hortumque illi proximum se recepit. vbi (ò immane facinus!) à Iuda discipulo satellitibus traditus, atque inde tamquam latro à nefarijs latronibus captus, ad Annam, Caipham, Pilatum, Herodem adductus, ad Pilatum reductus ab ijs, qui nihil huiusmodi concursationibus agebant aliud, nihil cogitabant, nihil moliebantur, nisi vt innocentissimo sanguine diuturnam inuidentiae sitim tamquam rabidi canes explerent. Pilatus iniquus iudex, vt suam dissimularet iniquitatem, ita eum caedi maleque accipi iussit, capite ita sentibus perterebrato, totoque corpore vsque adeo cruentato produxit; vt eo sanè spectaculo quarumuis vel immanissimarum gentium furor mitigari potuerit. At Solymorum animi tantum abfuit, vt commouerentur; vt vehementiùs etiam in vitae auctorem exarscrint. O dura vrbis tam ingratae saxa, quae huiusmodi homines educat! Non enim credo pane vel humanis epulis isti vescuntur. ò matres non mulieres, sed immanes belluae, quae virus aspidum ac fel draconum pro lacte talibus filijs praebuistis!

Verùm hae sunt obscurae quaedam vmbrae, quibus facilius, vt in tabula immensus diuinae erga nos benignitatis splendor effulgeat. siquidem suis Iudaei vociferationibus, atque conuicijs à Pilato damnationis sententiam extorserunt. Quare illum porta Vallis in supremum Caluariae montem adductum inter duos latrones medium, auersa ab vrbe facie fuffixerunt. Tam crudele facinus terra non tulit; diffractus atque diruptus illico mons, vt etiamnum cernitur, ad Christi sinistram à Meridie, peruicacem latronem à Christo seiunxit:

Ioan. 12. ℣. 1. & 12. Cyrill. lib. 8. in Ioan. c. 9.

CHRISTVS in triumpho vrbem deplorauit. Luc. 19. ℣. 41.

IN DOMO Dauidis Pascha vetus antiquauit, nouumque Christus instituit. Niceph. 8. histor. c. 30. & lib. 2. c. 3. Hieron. to. 3. epist. 1. ad Paul. Beda Hierus. c. 3.

AQVARum porta Christus in hortum villae Gethsemani proximum se recepit.

PILATI dissimulatio.

IVDAEOrum inuidia & crudelitas.

IVDAEIS flagitantibus damnatur Christus.

PORTA Vallis ad montem Caluariae dicitur, ibique auersa ab vrbe facie in crucem tollitur. Lib. 2. vrb. cap. 13. Io. Damasc. l. 4. orthod. fid. c. 13.

MONS Caluariae discissus malum latronem seiungit à Christo, qui in eodem sepultus

VRBIS emplum, alatia, viae x candido armore. ib. 3. vrb. ap. 33.

VRBANAi Hierosolymitani amoenitas.

MVNERA plura & maiora spiritualia, quàm externa Hierosolymae donata.

MAXImum omnium beneficium Hierosolymae datum Christus.

QVO DIE verus agnus vrbem ingressus.

xit: cuius tamen tum clementia non commisit, vt maiore etiam hiatu terra debiscens, vrbem totam, regionem, gentemque penitus absorberet. Quamquam, vt infrà dicemus, maioribus reseruabatur, grauioribusque supplicijs. In eodem Christus monte sepulturae mandatus; tertio quidem die vi sua surrexit rediuiuus: quadragesimo verò, ex alio monte summo contra Caluariae montem ad Orientem sito, qui Oliueti dicitur, de hostibus triumphans ascendit in caelum, vnde supremo illo die venturus est iudex viuorum ac mortuorum, vt singulis, pro cuiusque meritis praemia poenasque persoluat.

Beda Hieruſ. c. 2.

Bed. ibid. cap. 7. EX MONte Oliueti ascendit in caelum. Actor. 1. ℣. 11.

Iam verò vt ad institutam narrationem reuertatur oratio; quis tandem erit tam iniquus rerum aestimator, qui dum audit haec ab ingratissima ciuitate in suum parentem, deque se optimè meritum dominum, Regem, Deumque profecta, non exspectet, dum det quamprimùm tantae impietatis grauissimas poenas? Eas tamen Deus certis de causis differebat. At Solymi ciues odio Christiani nominis inflammati, indomitum furorem, quem in Christum iam minùs poterant, numquam in eius Apostolos ac discipulos effundere desiterunt. Quare septimo anno supra trigesimum à Christi morte Iudaeorum nationem Romanus Imperator, innumeris aerumnis, molestijs, detrimentis, agrorum, opidorumque vastationibus, direptione, incendio, fame, internecione vexauit. Atque vrbem ipsam deinceps Titus aggressus, primò castris contra turrim Psephinam positis, supra portam Anguli constitutam, primum moenium ambitum innumerabilium Iudaeorum strage perrupit, vt ab incolis desertus, totus in Titi venerit potestatem. Is verò, nulla interposita mora, confestim exercitu in alium vrbis angulum traducto, ad Cedronis torrentem, alterum muri circuitum oppugnare coepit, atque illum intra dies quinque, etsi bis Romanis à Iudaeis repulsis, occupauit: vt eius partem diruerit, partem ad propugnandum reseruarit. Quumque suas copias paulisper quiescere, viresque reficere siuisset; ad arcem accessit, quae ad Occidentem atque Aquilonem à Machabaeis priùs quidem fuerat excitata, vt cùm à seipsis, tum à templo alterius arcis impetum propulsarent; quam Antiochus aduersus eos in supremo Salem monte constituerat; deinde verò instaurata fuerat ab Herode, atque Antonia, vt Antonio gratificaretur, appellata. Neque verò Iudaeos Titus ad pacem desistebat allicere: quam tamen ipsi peiùs multò oderant, quàm suas caras haberent facultates, coniuges, liberos, patriam, vitam denique ipsam, salutem, libertatem.

DEVS differt euersionem vrbis. Euseb. lib. 3. hist. c 8.

In actis Apost.

QVO tempore ac loco vrbem Titus obsederit. Ioseph. 6. bell. c. 5. & 6.

TITVS primo muro perrupto, secundum quinque diebus occupat. Ibid. cap. 8.

Ibid. cap. 9.

ANTOniam ac templum Titus obsidet. Ibid. c. 11.

Ibid. c. 9. & aliàs saepe. IVDAEOS Titus inuitat ad pacem ac reliquam vrbem muro cingit.

Quocirca Titus nouo reliquam vrbem statuit muro vallare; tum ne quis euaderet; tum ne quis Iudaeis extrinsecus opem ferret: atque illum triduo ita perfecit, vt nouem ac triginta stadiorum ambitum complecteretur, ac tredecim castellis munireturr: quae idoneis essent locis constituta, interuallisque disposita. Iam verò quis hic aut famem satis explicet, crudelitatem, tyrannidem, quae intra vrbem, seditiosorum perditorumque ciuium opera, grassabatur? aut detrimenta & calamitates, quibus omnes à Romanis assiduè premebantur? Non diu Antoniae percussus arietibus angulus, de nocte sua sponte concidit. quare turris tota facili negotio capi à Romanis militibus potuit; qua deinde funditus euersa, in eiusdem ruinis aequam sibi viam atque aditum ad ipsum templum oppugnandum aperuerunt. In eius autem expugnatione etsi multa & grauia incommoda ac damna perpessi, tandem tamen illud inflammarunt. in quod ignis cùm triduo desaeuisset, Titus vt restingueretur, imperauit. interea cum suis, quid illo esset agendum, deliberat, omnibusque disturbandum censentibus; ipse tamen conseruandum esse decernit. Verùm inane erat Imperatoris templi conseruandi consilium, quod iam Deus igni, propter nefaria scelera, foedaque in eo admissa flagitia, destinarat. Quare templum toto terrarum orbe celeberrimum, Caesare inuito, atque adeo grauiter indigneque ferente, breui conflagrauit.

Ibid. c. 13.

VRBIS fames, crudelitasque seditiosorum. Ibid. c. 14.

ANTOnia capitur. Ioseph. 7. bell. c. 1. EX EO LOco, vbi fuerat Antonia, templum expugnatur.

CAPTVM templum triduo ignis depascit, ac tandem Tito inuito penitus absumit.

Ibid. cap. 9. 10. & 11.

Ad extremum Titus de interiore vrbe capienda agere, atque ab Occidente illam aggredi instituit. Et quamquam tres ab Herode turres exstructae illi vehementiùs obstiterunt; tamen paulò inferiores partes occupans, Iudaeis nihil repugnantibus, quippe qui effugerant, vrbem ingreditur. vbi milites pro libidine obuios quosque caedere, aedes diripere, direptas incendere: donec idem Titus totam iussit vrbem erui simul ac templum, tribus illis turribus dumtaxat inter ceteras celsissimis relictis atque pulcherrimis, Phasaëlo, Hippico, & Mariamme, ad vrbis munitissimae amplitudinem indicandam; quae quum talis ac tanta esset, Romanorum tamen virtute capi potuisset. Sed si rem accuratiùs inspiciamus, veriorem illam esse causam reperiemus, quam Titus ipse videtur agnouisse, cùm ait: Deus Iudaeos ab istis munimentis detraxit; quamque idem Iosephus illis verbis cogitur confiteri. Etenim, inquit, seditio, fames, obsidio, murorumque sine machinis casus, quid sit aliud, quàm in illos ira Dei?

CAPTA vrbs diripitur & incenditur. Ibid. c. 13.

Ioseph. 7. bell. c. 18.

Ioseph. 7. bell. c. 16.

TITVS & Iosephus euersionem Deo iusto vindici tribuunt.

Ioseph. 7. bell. c. 1.

Neque tamen hic finis tantae cladis fuit. pauci enim, qui tunc euaserunt, ideo superstites fuisse iure videantur; vt quasi materia quaedam essent, quam diuini furoris ignis absumeret. Quum enim iterum Iudaei post annos quinquaginta, vel paulò amplius, ab Aelio Hadriano Romanorum Imperatore defecissent, ac templum restituere conarentur; Aelius, vno die quingentis eorum atque octoginta millibus trucidatis, quae-

Nicephb. 3. histor. c. 24

AELIVS Hadrianus postremò Iudaeos & vrbem funditus delet.

quaecumque ex vetustis aedificijs reliqua fuerant, solo aequauit; vt ne lapis quidem super lapidem, quod Christus Dominus disertis verbis tanto antè praedixerat, remaneret: quin etiam vt Aristo Pellaeus apud eundem testatur, longiùs deinde Iudaei defectione perfidiaque progressi, adeo à Ruso Iudaeae Praefecto sunt ad internecionem vsque deleti; vt illa regio antiquissimis indigenis destituta, ab aduenis coleretur, & noua quaedam vrbs Aelia, Romani Imperatoris nomine diceretur.

Nicepb. ibid.

NOVA Hierusalem Aelia dicitur.

Is igitur fuit Hierosolymae, vrbis quondam maximae casus omnino miserandus: is fortunatissimae ciuitatis exitus calamitosus. vbi quiuis non modò queat, vt in tabula effigiem quampiam, sed vt in effectis necessariam causam, Dei capitale in peccatum odium intueri: vbi facilè quiuis intelligat, nullum esse tam firmum tutumque praesidium, nullam arcem tam altam ac munitam, nullam denique potentiam tantam, etiam si diuinae proximam finxeris; quae, admisso semel scelere, non ruat, non deleatur, non ad nihilum redigatur.

EXTANTAE vrbis & gentis clade, quàm sit Deus peccatum semper exosus, intelligitur.

Verùm haec ciuitas alicui fortasse meritò de nobis queri posse videatur; quòd cùm initio ostenderim, me illius laudes velle celebrare, tantas iam in illa tragoedias excitarim; vt ex ciuitatis ortu pulcherrimo, progressione admirabili, statu florentissimo, longè iam maius dedecus in eiusdem occasum infelicissimum quodammodo redundarit. His ego querelis ita mihi videor posse respondere; vt negem id spectasse me, vt eam aut laudarem vehementiùs, aut grauius vituperarem, quàm instituti mei ratio postularet: atque illud vnum mihi propositum fuisse confirmem, vt ea vrbis cognitio hauriretur, quae esset ad sacra volumina intelligenda perutilis. Quoniam autem ita me ipsa expostulando compellat; eam ego vicissim commonefacio, vt meminerit, non sibi ea se beneficia & ornamenta praeclara, vel vt in ijs acquiesceret, accepisse: sed quasi commodata, ac tamquam typos, & exempla summorum bonorum, ac munerum diuinorum, quae in illis adumbrata atque descripta erant, postea reuera Ecclesiae Catholicae tribuenda: cui iam abundè cernimus, liberalissimeque donata. Atque hoc sanè debet eidem esse solatio, quòd nomen illud veteris, terrestrisque Hierosolymae, quod Romanus Imperator perpetua conatus est obliuione delere, de caelo delapsum Ioannes Euangelista Sanctissimus & huic mysticae ciuitati, Ecclesiae, inquam, Catholicae vidit impositum. Quae vt sit antiquae illius Hierosolymae similis; in extrema huius Apparatus disputatione, Deo bene iuuante, dicemus. Interim verò iucundum hunc nuncium veteris illius ciuibus affero, nouae huius Hierosolymae portas, atque adeo patria viscera ad eos etiam excipiendos patere, modò intrare voluerint: vt ipsis quoque eandem beatitudinem, idem Regnum, idem sacerdotium, eandem iustitiam impertiatur ac pacem, quam nobis IESVS Christus attulit verus Deus, idemque verus homo, Messias ac Saluator in lege promissus, cui honor & gloria in omnem debetur aeternitatem.

MAGNVM est vrbis euersae solatium, fuisse typum, & figuram Ecclesiae.

PATET etiamnum Iudaeis in Ecclesiam aditus.

PRIMAE PARTIS FINIS.

IOANNIS

IOANNIS BAPTISTAE VILLALPANDI
CORDVBENSIS E SOCIETATE
IESV

APPARATVS VRBIS
ac templi Hierosolymitani.

PARS SECVNDA.
DE HEBRAEORVM
ponderibus, numismatis, atque mensuris.

MATHEMATICARVM
demonstrationum.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

Vitruu. lib. 1. proem.

MERITO sanè Architectorum princeps Vitruuius admirabatur olim à Graecorum maioribus maxima praemia, honoresque nobilibus athletis constituta fuisse, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemaea vicissent; non item scriptoribus, quibus non ijdem tantummodo honores; verùm etiam longè praestantiores deberentur: cùm tamen nullos vmquam decretos ex maiorum monumentis testimoniisque nouerimus. Nam quòmaior fructus è scriptorum studijs, quàm ex athletarum stadijs cursuve in omnes Respublicas manare consueuit; eò his quàm illis praemia maiora debentur. Sanè quidem par fuerat ijs triumphos, honoresque decerni, & quòd ethnicus homo scripsit, deorum in numerum sedesque referri sapientes viros. At verò licet haec ita sint, doctorum eius tempestatis hominum doctissimus ac sapientissimus Aristoteles, eorum vel ignauiam, vel studiosam obliuionem ab omni sceleris labe vindicare conatur; dum athletis decreta praemia testatur, non sapientibus, quia praemium praestantius suo decet esse certamine. Quapropter certaminum gymnicorum praemium optatius & praestantius quàm ipsa concertatio est: prudentia verò quodnam praemium possit esse praestantius? quae laus ipsa virtute nobilior?

Vitruuius ibid.

Ergo nulla viris sapientibus decreta sunt praemia, quia nulla sapientibus viris aequa praemia dari possunt: quamquam nihil omnino sit quantumuis honorificentissimum, quod sapienti viro non debeatur. Haec licet vera esse fatear, & à viro in omni scientiae laude planè perfecto dicta sapienter; non tamen omni culpa vacare Graecos crediderim, qui nullum sapientiae propositum esse praemium voluerunt. Certè si tum sacra tum profana historiarum monumenta euoluantur, reperientur haud pauci, qui quos pro collatis in se beneficijs, dignis nequiuerunt cumulare muneribus, hoc ipsum tamen ita professi sunt, vt beneficos si non paribus, certè quibus possent muneribus venerarentur. Atque vt ex infinita propemodum exemplorum silua vnum è multis proferamus: Tobiae sanctissimi patriarchae, virique gratissimi egregium animum perscrutemur; qui Angelum, quem sibi quasi humanum socium, in itinere beneficentissimum expertus fuerat, ducem, tutorem, parentem, atque doctorem, receptorum beneficiorum

neficiorum primùm commemoratione colit, dicens: Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficijs eius? me duxit & reduxit sanum: pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen caeli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad haec poterimus dignum dare? *Neque tamen propterea, quòd se fateretur nihil dignum illi offerre posse, ab omni abstinuit munerum oblatione: siquidem subdidit:* Sed peto te Pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quae allata sunt, sibi assumere. *Quod vtinam leges, atque hominum iura decernerent, vt media saltem pars fructuum, quos ex scriptorum libris disciplinisque percipiunt mortales reliqui, ijs ipsis scriptoribus decerneretur.*

Tobiae 12. v. 2.

Iam verò cùm ceterarum disciplinarum suas quaeque Reipublicae vtilitates & commoda subministret, eoque maiora, quò meliorem nostri partem magis magisque exornat ac perficit: eae tamen, quae Mathematicae facultates nominantur, principem inter disciplinas locum tenere suo iure censendae sunt. Nam vt earum nobilitatem ac certitudinem, cetera quoque vtilitatum commoda praetermittam: ea sanè omnium longè maior est huius disciplinae vtilitas, quòd omnia opida, vrbes, Regna, Reipublicae, omnis denique hominum societas vno Mathematicarum rerum praesidio muniantur: vt si Mathematici artes ingenuumque è ciuitate sustuleris, ne ipsa quidem hominum in societatem propensione, quanta quanta sit, diutiùs aut Respublica, aut ciuitas ipsa consistat. Quid enim profuisset hominibus in vnum simul locum conuenisse, nisi harum scientiarum legibus domos exstruere, vrbes munire, ciuitates excolere, praesidia excitare, ciues denique ab hostium incursibus tueri docerentur? Hae facultates Reipublicae commoda domi parant, foris tuentur, in pace sunt ornamento, in bellis praesidio ac munimento: castra erigunt, vallos muniunt, arma ministrant, earumque tractationem atque exercitationem homines docent. In tranquillo verò ac pacato Reipublicae statu, quis enumeret, quot ac quanta mortalibus Mathematicae scientiae commoda largiantur. Quid enim? An sine Astrologiae beneficio temporum quisquam curam, atque exactam rationem tenere possit? annorum, mensium, dierum spacia perscrutari, tempestatum vicissitudines inuestigare, quibus nauigationem inire, quibus longis itineribus se dare, quibus aliqua ad communem vsum, ad vitamque iucundè, & ciuili more ducendam necessaria haberi queant. quibus, inquam, temporibus negotiatorum ac mercatorum munera exercere liceat, probè cognoscere? Agri porro colendi ratio, omnisque agricolarum opera atque vtilitas, nonne ex temporum, lunaris, atque solaris cursus cognitione maximè pendet; sine qua nec aptè arbores serere, nec semina iacere, nec fructus, vt reliqua taceam, maturè percipere possumus? Eam verò cognitionem Astrologiae acceptam referendam esse, nemo nisi planè fatuus, negabit. Age verò, quis vmquam sine librae, mensurae, ac numeri dispositione aut commercia exercebit, aut ius inter dissidentes dicet, aut suum vnicuique partietur? Agros autem metiri, temporum, vel iniquorum iniurijs abolitos, praefigere eorum terminos quis vmquam absque Geometriae praesidijs poterit? Commoda verò, quae suaui concentu Musice hominum generi afferat, euoluere non est huius loci. Prius enim me vires, papirus, tempusque deficerent, quàm vt singulas Mathematicae scientiae vtilitates percensere numerando possem. Nulla est enim in Republica ars, nulla artificum exercitatio, nulla agricolarum opera, quae non aliquo Mathematici adminiculo sulciatur. Quis enim nisi Mathematicarum artium peritus, pistrinum frumento, aliisque rebus molendis ac triturandis inuenit? Quis torcular ac proelum, quo vinum, oleum, ac infiniti liquores gustui, medicinae, ac voluptati necessarij exprimuntur, excogitauit? Quis nautas mali & antennae vires, temonis paene inexplicabilem vim, magnetis propè diuinam virtutem edocuit? Mathematicus est, qui omnia ferè omnibus artibus instrumenta suppeditat, artificum vires auget, labores leuat, mercatoribus rerum gerendarum rationes praescribit, & studiosis omnibus ad omnia paene optimarum artium, ac disciplinarum studia viam aperit, ingenia exacuit, mentes illustrat. Ac mihi quidem haec omnia prudenter satis vt cetera persequutus videtur sapientissimus Plato: qui cùm Rempublicam omnibus suis numeris absolutam constituere conaretur, verba illa adiunxit ad Mathematicarum facultatum laudem & commendationem amplissima. Quam maximè igitur praecipiendum est, vt qui praeclarissimam hanc habitant ciuitatem, nullo modo Geometriam spernant: nam & quae praeter ipsius propositum quodammodo esse videntur, haud exigua sunt. Et roganti qualia, respondet: quae tu circa rem bellicam commemorabas. Scimus quin etiam ad disciplinas omnes facilius perdiscendas interesse omnino, attigeritne Geometriam aliquis, an non. Deinde quoque de ordine addiscendarum Mathematicarum idem continuò differens, post linearum ac superfi-

Plato l. 31. de Republ.

superficierum geometricarum tractationem statim addiscendam tradit Astrologiam. Dubitanti autem Socrati, ac dicenti: decet autem statim post augmentum secundum tertium capere: est autem hoc circa cuborum augmentum, atque id, quod profunditatis est particeps. Est certè, respondet; sed haec ò Socrates nondum reperta videntur. Huius duae sunt causae, quia videlicet nulla in ciuitate haec honorantur; & cùm inuentu difficilia sint, haud ardenter quaeruntur; & qui ista perquirunt, duce indigent, sine quo minimè reperirent. Quem esse primò difficile est: deinde etiam si sit; dum tamen ita sẽ habent vt nunc, qui haec indagant, faslu elati nequaquam parerent. Sin autem ciuitas tota huic operi praesideat, honorificè deducens, & isti obtemperabunt quidem, & haec sedulò studioseque discussa clariùs emicabunt. Haec ille. Hoc idem problema Platonis temporibus nondum inuentum, dignumque ab eodem iudicatum, in quod tota ciuitas incumberet, adhuc tamen in tenebris ignorationis iacet. Sed de hac cubi ratione paulò iam susius agam; huius enim potissimùm inueniendae causa omnis hic noster susceptus est labor. Architas Tarentinus, & Eratosthenes Cyrenaeus, cùm in ceteris inuentionibus fuerint grati, in eius rei concertationibus maximè sunt suspecti. Alius Vitruu. lib. 9. cap. 3. *enim (vt Vitruuij verbis vtar) alia ratione explicare curauit, quod Delo imperauerat responsis Apollo, vti arae eius quantum haberet pedum quadratorum, id duplicaretur, & ita fore, vt qui essent in ea insula, tunc religione liberarentur. Itaque Architas hemicylindrorum descriptionibus, Eratosthenes organica mesolabij ratione idem explicauerunt. Neque huius tantummodo oraculi impulsu excitatos ad hoc inuestigandum Mathematicos fuisse, testatur idem Eratosthenes, sua ad Ptolemaeum epistola; verùm etiam alio quodam efficto à prisco quodam poëta responso: rogatus enim inquit, à Minoa Glaucus, quanam forma sibi aedificari sepulcrum mallet, respondisse fertur, cubica, cuius capacitas dupla esset eius cubi, qui quaquà versus centenos obtineret pedes. Architectus verò arbitratus, vnumquodque latus dupla ratione augendum, errore maximo deceptus est; quodlibet enim planum prioris quadruplum effecit, ipsum autem solidum octuplum. Neque his solùm impulsi sunt rationibus, ad cubi duplicationem inuestigandam Mathematici; sed vehementi Platonis etiam obiurgatione, qui quod quaesitum fuerat, inueniendum, vel cum maximo labore ac difficultate conferet. Ac problema hoc & difficillimum, & multorum laboribus quaesitum, non tamen inuentum, cubi duplicatio vocatum fuit. Ergo ad eius enodationem infudarunt plurimi irrito conatu, donec Hippocrates Chius eius primam, vt traditur, solutionem inuenit. Qui id fieri posse testatus est, si constaret ea scientia, qua duabus datis rectis lineis, duae mediae inuenirentur continuè proportionales. Quo factum est, vt hac noua solutione in aliam maiorem multò Mathematici dubitationem inciderent, quanam ratione inueniri possent lineae praedictae. Et huic difficultati aperiendae vehementiùs institit Plato, & medio quodam instrumento id peregit Menechmus, subobscuram ac difficilem inueniens hyperboles & parabolae, siue duarum parabolarum sectionem. In eadem cubi duplicatione inuenienda Philoponus, ac Philo, Apollonius Pergaeus, & Heron, Diocles, Papus, Porus, & Nicomedes, & paene infiniti alij Mathematici desudarunt: verùm nullus eorum, quòd sciam, geometricis id rationibus inuenire vsquequaque potuit. Quoniam autem ipsius Eratosthenis testimonio, ac longè potissimùm experimento compertum nobis fuerat, liquidorum, siue etiam aridorum corporum mensuras vix aut nulla ratione, vel alias cum alijs conferri, vel ipsas sibi exaequari posse, nisi haec cubi duplicatio rectiùs teneretur: huius etiam problematis inuestigationi, vt Hebraeorum mensuras faciliùs cognoscerem, animum applicui, ac nonnulla, quae assidua meditatione collegi, huius secundae partis initio praefigere statui: eaque omnia ad sex potissimùm capita reuocanda duxi. In quorum primo Lemmata quaedam proponam, proportionales quantitatum magnitudines inuicem conferentia: in altero Theoremata, varias linearum proportionalium affectiones explicantia: in tertio problemata, quae lineis proportionalibus alia atque alia ratione inueniendis viam aperiunt. In quarto agam de dimensione circuli & Sphaerae: in quinto, de varijs vsibus proportionalium linearum; in quo etiam rationem aperiemus mensuras ex ponderibus colligendi. in sexto tandem atque vltimo problema illud soluam, quod ab ingeniosis quibusdam viris propositum est; an Palaestinae regio, quòd montuosa sit, quadruplo maior, quàm si plana esset, habenda sit. Cuius soluendi gratia nonnulla scitu digna de centro grauitatis, ac linea directionis afferemus.*

Neque verò in his rebus indagandis atque aperiendis, eorum irrisionem verebor, qui me, quòd Mathematicum potiùs quàm Theologum agere in hac disputatione profitear, vrbano quodam cauillo, antiquo illi persimili: Num & Saul inter prophetas? *sugillare fortasse contendent. Duplex enim hac de re iudicium mihi subeundum est, Mathematico-* 1. Reg. 10. v. 11.

rum alterum, alterum Theologorum. Mathematicos sanè haud vereor gratiam mihi habituros non modicam, quòd viam illis huius rei inuestigandae aperuerim latissimam: nam inuenisse quod quaero vix audeo polliceri. Et in hanc spem erigit me sanè non rarò Clauij nostrae Societatis Mathematici testimonium, qui mihi pro pluribus, ne dicam pro omnibus haberi meritò potest. Theologorum verò patientiam exposco, atque vt huius consilij mei decretum aequi bonique consulant, rogo: ipsi enim, ni mea me fallit opinio, experimento quoque probare poterunt, me in ijs ipsis, quae de cubiti mensura, ac alijs mathematicis (quae firmissimae sunt) demonstrationibus affero, comprobata planè ac certa afferre; nostramque sententiam inanibus quibusdam excogitatis effugijs oppugnari; immo verò & sinistrè iudicari minimè patientur. Sed hoc aliorum iudicium esto; quod nostrum fuit, curauimus, vt haec omnia seorsum reponerentur, ne legentium, & ad finem voluminis anhelantium cursus retardaretur. Illorum verò studijs ac votis, qui principia, quibus in his nostris rebus demonstrandis innitimur, perspicere cuperent, debere me putaui, vt ea hic fusius atque vberius explicarem. Atque adeo fiet, spero, vt & hi, quibus ac quàm firmis fundamentis innitatur haec nostra de mensuris tractatio, intelligant; illis verò ad alia properantibus eadem nec despectui, nec impedimento sit futura. In citandis porro Euclidis elementis vtimur Clauij commentarijs: quòd ideo dixerim, vt intelligas, vbi scholia, & corollaria, quae non rarò adducimus, inuenire possis.

LEMMATA

LEMMATA QVAE MAGNITVDINES proportionales inuicem conferunt.

CAPVT PRIMVM.

LEMMA PRIMVM.

SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales, illae ex eis, inter quas aequales numero magnitudines intercipiuntur, erunt proportionales, continuè quidem si interceptae cum extremis continuentur; si verò non continuentur, discretè.

SINT magnitudines A,B,C,D,E,F,G,H, I,K, continuè proportionales. Dico primò, etiam A,C,E,G,I, vel B,D,F,H, K, inter quas singulae magnitudines intercipiuntur, esse continuè proportionales. Cùm enim sumantur ternae magnitudines A,B,C, C,D,E, E,F,G, &c. sitque ex hypothesi earum proportio ordinata ex aequalitate, [a] erit quoque eadem proportio A,ad C,quae C,ad E, E,ad F,&c. Parique ratione si sumantur ternae magnitudines, B,C,D, D,E,F, &c. erit eadem proportio B,ad D,quae D, ad F,&c. Immo si quaecumque duae, inter quas intercedit vna media, conferantur cum quibuscumque duabus, inter quas similiter vna media intercipiatur, semper demonstrabitur eas proportionales esse. Accipiantur enim binae A,C,quae conferantur cum duabus D,F, vel cum duabus H, K, vel cum duabus B,D, erit omnino eadem proportio A,ad C, quae D,ad F,vel H,ad K,vel B,ad D, nempe ex aequalitate ordinata vt priùs: solumque haec deprehendetur in vtraque argumentatione differentia, quòd prior illa colligat proportionem continuam, posterior verò discretam.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K.
1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512.

[a] 22.quinti.

SINT rursum eaedem magnitudines continuè proportionales. Dico secundò, etiam A, D, G, K, vel B, E, H, inter quas binae mediae cadunt, continuè proportionales esse. Atque si binae A,D, conferantur cum magnitudinibus B,E, vel F,I, &c. inter quas similiter binae mediae intercipiuntur, erunt in eadem proportione discreta. Quia enim accipiuntur quaternae magnitudines A,B,C,D, D,E,F,G, G,H,I,K, quarum est ordinata proportio, erit [b] rursum ex aequalitate eadem proportio A,ad D, quae D, ad G, & G, ad K. Eodemque modo erit continua proportio inter B, E, H, & haec, eadem cum proportione, verbi gratia, A,ad D, nempe cum ea, quae est inter quosuis duos terminos, inter quos duo medij intercedunt. Semper enim omissis duobus medijs ex quattuor terminis proportionalibus, licebit ex aequalitate inferre eandem proportionem extremorum, vt in exemplis adductis pater. Atque idem ipsum eadem ratione de quibuscumque alijs magnitudinibus proportionalibus, inter quas aequales numero mediae cadunt, licebit inferre. quod erat demonstrandum.

[b] 22.quinti.

LEMMA SECVNDVM.

PROPORTIONES, quae componuntur ex eisdem proportionibus, vel quae sunt duplicatae, vel triplicatae, &c. eiusdem proportionis, sunt eaedem inter se; & quae sunt eaedem inter se, componuntur ex eisdem, vel sunt duplicatae, triplicatae, &c. eiusdem.

PROPORTIONES A, ad B, & C, ad D, sint compositae ex eisdem, nempe proportio A,ad B, sit composita ex proportionibus A, ad E, E,ad F, & F,ad B, & hae sint eaedem cum proportionibus C, ad G, G, ad H, & H, ad D, ex quibus componitur proportio C, ad D. Erit que [a] ex aequalitate eadem proportio A, ad B, quae C, ad D. Si verò proportiones A, ad B, & C, ad D, ponantur, verbi gratia, triplicatae proportionis A,ad E, vel C, ad G, poterunt [b] inter A, & B, interponi duo termini E, & F, per quos continuetur proportio A, ad E; & inter C, & D, interponi quoque poterunt duo termini G, & H, per quos continuetur proportio. Quibus interpositis erunt quatuor magnitudines A,E,F,B, & totidem aliae C, G, H, D, inter quas est proportio ordinata. Vnde ex aequalitate erit rursum eadem proportio A,ad B,quae C,ad D. quod erat primò demonstrandum.

A. E. F. B.
I.
C. G. H. D.

[a] 22.quinti.

[b] Defin. 10. quinti.

SIT deinde eadem proportio A, ad B, quae C, ad D, sitque proportio A, ad B, composita ex proportionibus A, ad E, E,ad F, & F,ad B. Dico etiam proportionem C, ad D, componi ex eisdem proportionibus: fiat enim vt A, ad E, ita C,ad G, & vt E,ad F, ita G,ad H, & denique vt F,ad B, ita H,ad I. Quare ex demonstratis erit eadem proportio A,ad B,quae C,ad I; sed eadem ponitur C,ad D; ergo [c] I,& D,sunt aequales; & iccirco etiam proportio C,ad D, componetur ex proportionibus C,ad G, G,ad H, & H, ad I, hoc est, ex proportionibus A, ad E, E,ad F, & F, ad B. Quod si proportio A,ad B, ponatur, verbi gratia, triplicata proportionis A,ad E, erit quoque proportio C, ad D, triplicata eiusdem. Interiecto enim insuper termino F, per quem proportio A, ad E, continuetur, si fiat vt A,ad E, ita C,ad G,& vt E,ad F, ita G,ad H, & denique vt F, ad B, ita H,ad I, erit quoque proportio C,ad I, triplicata proportionis C,ad G, hoc est A,ad E. Ac proinde ex demonstratis erit vt A,ad B,sic C, ad I; sed ita ponitur quoque C, ad D: ergo vt priùs I,& D, erunt aequales, eritque etiam proportio C, ad D, triplicata proportionis C, ad G, vel A, ad E. quod erat demonstrandum.

[c] 9.quinti.

LEMMA TERTIVM.

SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales, & inter proximas quaslibet interponantur quotuis mediae numero aequales; erunt hae cum illis continuè proportionales: & inter se in eadem proportione continua magnitudinum propositarum, si videlicet eae inter se conferantur, quae sibi respondent, nempe secundae secundis, tertiae tertijs, &c.

MAGNITVDINES quinque A,C,E,G,I, sint primò continuè proportionales, & inter quaslibet proximas sint interpositae singulae mediae B, D, F, H. Dico omnes nouem magnitudines esse continuè proportionales. Quoniam enim tres magnitudines A, B, C, itemque tres, C,D,E, nec non tres,E,F,G,& tres,G, H,I,sunt continuè proportionales,erit [a] in singulis proportio primae ad tertiam, nempe A,ad C, C,ad E, E,ad G, G,ad I,duplicata proportionis primae ad secundam,videlicet A, ad B, C,ad D,&c. Sunt autem proportiones primarum ad tertias ex hypothesi eaedem: ergo & primarum ad secundas,vel quod idem est, secundarum ad tertias, atque adeo cuiuslibet antecedentis ad proximè sequentem, proportio erit eadem. Ergo singulae mediae cum magnitudinibus propositis sunt continuè proportionales. Ex quo sequitur [b], iuxta primum lemma etiam inter se esse continuè proportionales, nempe ita esse B, ad D,vt D, ad F, &c. Et quidem in proportione magnitudinum propositarum, nempe A, ad C, propterea quòd tam inter illas quàm inter has singulae cadant magnitudines mediae, vt in eodem lemmate fuit demonstratum.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.
1.	2.	4.	8.	16.	32.	64.	128.	256.	512.

[a] *Defin. 10. quinti.*

[b] *Lem. 1. huius.*

SINT secundo magnitudines A,D,G,K, continuè proportionales, & inter quaslibet proximas interijciantur binae mediae B C, EF, HI, eruntque proportiones primarum ad quartas,nempe A,ad D, D,ad G, & G,ad K, triplicatae proportionis primarum ad secundas, vel secundarum ad tertias, vel tertiarum ad quartas, cùm per interiectos terminos semper eadem proportio sit continuata. Cùm ergo rursus proportio primarum ad quartas sit eadem, erit [c] quoque proportio primarum ad secundas, secundarum ad tertias, tertiarum ad quartas, atque adeo omnium magnitudinum propositarum cum suis medijs eadem proportio continua; & consequenter [d] eadem quoque proportio cuiuslibet secundae ad proximam secundam, & tertiae ad tertiam,&c. proportio eadem, quae est inter magnitudines propositas, hoc est, B,ad E, E,ad H, vel C,ad F, F,ad I, erit eadem quae A,ad D, propterea quòd inter singulas binae cadant mediae proportionales.

[c] *2. lemma huius.*

[d] *2. lemma huius.*

EODEM modo si quotcumque aliae mediae interponantur inter magnitudines continuè proportionales, demonstrabitur propositum; nisi quod loco proportionis duplicatae vel triplicatae assumenda sit quadruplicata,quinctuplicata,&c.

LEMMA QVARTVM.

SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales; quaelibet illarum erit media inter quaslibet duas, quae ab ea vtrimque aequaliter distent.

SEPTEM magnitudines, A,B,C,D,E,F,G, sint, verbi gratia, continuè proportionales. Dico magnitudinem, verbi gratia, D, non solùm mediam esse inter C,E,quod ex hypothesi constat; sed etiam inter B, & F, nec non inter A, & G. Cùm enim sint tres magnitudines B,C, D,& aliae tres, D,E,F, sitque earum proportio ordinata ex hypothesi, erit ex aequalitate [a] proportio B,ad D,eadem, quae D, ad F,

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.
1.	2.	4.	8.	16.	32.	64.

eodem modo erit eadem A, ad D, quae D, ad G,si loco trium magnitudinum sumantur quattuor A, B, C, D, & aliae quattuor D, E, F, G. Immo hoc ipsum constat etiam ex primo lemmate [b]: siquidem tam inter A,D, quàm inter D, G, cadunt duae mediae.

[a] *22. quinti Euclid.*

[b] *Lem. 1. huius.*

LEMMA QVINCTVM.

SI SINT quattuor magnitudines sive continuè, sive discretè proportionales; quae est media proportionalis inter minimam & maximam, est etiam media inter duas reliquas; & quae est media inter has reliquas, est quoque media inter maximam & minimam.

B

SIT deinde E,media inter B,& C. Dico eandem mediam esse inter A, & D.

A.	B.	E.	C.	D.
1.	2.	8.	32.	64.

Quia enim vt A,ad B, ita ponitur C, ad D, & vt B, ad E, ita E, ad C, erit ex aequalitate perturbata, vt A, ad E, ita quoque E,ad D. quod erat demonstrandum.

[a] *23. quinti.*

LEMMA SEXTVM.

SI SINT quattuor magnitudines, & quae est media proportionalis inter minimam, & maximam, ea sit quoque media inter reliquas; quattuor illae magnitudines erunt proportionales, ponendo minimam & maximam extremas.

C

QVATTVOR sint magnitudines A, B, C, D, sitque A, minima,& D, maxima, & aliqua magnitudo E, sit media proportionalis tam inter A, D, quàm inter B,C. Dico ipsas magnitudines proportionales esse,hoc est,

A.	B.	E.	C.	D.

ita esse A,ad B, vt C, ad D, vel A, ad C,vt B,ad D, vtcumque sumantur,modò minima & maxima ponantur extremae. Nam ex hypothesi vt A,ad E, ita est E,ad D,& vt E, ad B, ita C, ad E: ergo ex [a] aequalitate perturbata erit quoque A, ad B, vt C, ad D, vel permutando [b] vt A, ad C, ita B, ad D.

[a] *23. quinti.*

[b] *16. quinti Euclid.*

LEMMA SEPTIMVM.

D *SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales, & aliae quaedam in eadem ratione; sitque vna aliqua posteriorum media inter duas quaslibet priorum, etiam reliquae posteriores eodem ordine erunt mediae inter reliquas priores.*

PONATVR, magnitudines A,B,C,D,E,F, esse continuè proportionales, & alias L,K,G,H,I,in eadem ratione proportionales, sitque G, verbi gratia, media inter C,D. Dico etiam reliquas eodem ordine esse medias inter reliquas, nempe H,inter D,E, & I, inter E,F: nec non L,inter A,B,& K, inter B,C. Quoniam enim G, media est inter C,D,erit [a] proportio C, ad D, duplicata proportionis C, ad G,vel G, ad D.

E

Sed proportio C,

A.	B.	C.	D.	E.	F.
	L.	K.	G.	H.	I.

ad D, eadem est quae G, ad H: ergo etiam proportio G, ad H, erit [b] duplicata proportionis G, ad D, ac proinde D, erit media inter G, H, hoc est, vt G, ad D, ita erit D, ad H. Eodemque modo ex eo, quòd eadem sit proportio D,ad E,quae G,ad H,& D,sit media inter G,& H,ostendemus H, mediam esse inter D, & E, & consequenter E, mediam esse inter H,I,& I,mediam inter E, F. Immo eadem ratione demonstrabitur quoque K,L,medias esse inter C,B, B,A. quod erat demonstrandum.

[a] *Defin. 10. quinti.*

[b] *2. lemmatis huius.*

LEMMA

LEMMA OCTAVVM.

SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales, & vt prima ad vltimam, ita sit vltima ad aliam, haec in ratione primae ad secundam occupabit duplo remotiorem locum à prima, dempto vno quàm occupauerat vltima. Et si rursum sit vt prima ad proximè inuentam, ita eadem inuenta ad aliam: haec posterior in eadem ratione occupabit similiter duplo remotiorem locum à prima, dempto vno quàm occupauerat prior, & sic deinceps.

DEVTR in primis duae magnitudines A,B, fiatque vt A, ad B, ita B, ad C: dico C, occupare duplo remotiorem locum dempto vno à prima A, quàm occupauerat secunda B, nempe tertium, id quod patet. Quemadmodum enim inter A, B, nullus alius intercedit terminus in ratione A, ad B; ita neque inter B, & C. Ac proinde cùm ab A, vsque ad B, sint duo termini, & à B, vsque ad C, similiter duo termini, essent omnino quattuor termini

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.
1.	2.	4.	8.	16.	32.	64.	128.	256.	512.

vsque ad C, hoc est C, occuparet quartum locum, duplo scilicet remotiorem, quàm occupat secundus B, nisi B, esset terminus communis, hoc est inter illos terminos bis numeratus. Fiat rursus vt A, ad C, inuentum terminum, ita C, ad alium E: dico E, occupare quinctum locum, eò quòd quinarius numerus à duplo tertij vnitate deficiat. Quoniam enim eadem est proportio A, ad C, quae C, ad E, & proportio A, ad C, [a] duplicata est proportionis A, ad B, erit [b] etiam C, ad E, duplicata proportionis A, ad B, hoc est, inter C, & E, cadet vnus terminus D, per quem continuetur proportio A, ad B. Quare cùm ab A, vsque ad C, sint tres termini, & similiter à C, vsque ad E, alij tres, essent omnino ab A, vsque ad E, sex termini, nisi C, magnitudo bis fuisset posita. hoc est, E, occuparet duplo remotiorem locum, quam C, nempe sextum, nisi propter repetitum terminum C, essent tantùm quinque. Auferenda ergo est vnitas ex illo numero sexto, qui duplus est, denominationis loci tertij termini C. Eodem modo ostendemus, si fiat vt A, ad E, quinctum terminum, ita idem terminus E, ad alium I; terminum I, occupare nonum locum, eò quòd nouenarius numerus vnitate deficiat à duplo quinarij. Cuius rei ratio similis praeallatis est: nam cùm tam ab A, vsque ad E, quàm ab E, vsque ad I, sint quinque termini, consequenter ab A, vsque ad I, essent decem termini, nisi auferendus esset semel terminus E, qui in eiusmodi numeratione bis computatur.

[a] Defin. 10. quinti Eucl.
[b] 2. lemma huius.

SI verò propositae essent tres magnitudines continuè proportionales A, B, C, & vt A, ad C, ita C, fieret ad aliam E, & vt A, ad E, ita E, ad aliam I, coincideret haec progressio cum praecedente, ac proinde vtriusque eadem esset demonstratio.

SINT item quattuor magnitudines A,B,C,D, continuè proportionales, & vt A, ad D, quartam, ita fiat D, ad aliam G; dico G, occupare septimum locum ab A. nempe locum duplo remotiorem, dempto vno, quàm occupet quarta magnitudo D. Cùm enim, si continuata foret proportio A, ad B, ab A, vsque ad D, essent quattuor termini; erunt quoque à D, vsque ad G, quattuor termini, propterea quòd vtraque [c] proportio A, ad D, & D, ad G, sit triplicata eiusdem proportionis A, ad B. Quare ab A, vsque ad G, essent octo termini, nisi terminus D. semel esset reijciendus, eò quòd bis fuerit numeratus. Eademque est ratio, si plures essent magnitudines propositae, continuè proportionales. quod erat demonstrandum.

[c] Defin. 10. quinti Eucl.

SCHOLIVM PRIMVM.

QVOD si dicta progressio non inciperet à primo termino, sed à quouis alio, vt à secundo, tertio, quarto, adhuc tamen locus cuilibet termino inuento assignari posset. Nam si, verbi gratia, in eadem figura sint quattuor magnitudines continuè proportionales A, B, C, D, & vt B, secunda ad D, quartam, ita fiat D, ad aliam F. erit omnino F, quincta à secunda B, in proportione B, ad C, hoc est, A, ad B, ac proinde, si habeatur ratio primae magnitudinis A, erit eadem magnitudo F, sexta à prima A. Si verò iterum fiat, vt B. ad F, ita F, ad aliam K, erit K, nonus terminus à secundo B, iuxta propositum lemma, & consequenter respectu termini A, erit eadem magnitudo K, decimus terminus.

Eodem modo si fuissent quinque magnitudines A, B, C, D, E, & vt B, secunda ad E, quinctam, ita se haberet E, ad aliam H, esset E, respectu B, quarta, & per lemma propositum H, respectu B, septima, eò quòd bis quattuor faciant octo, & dempta vnitate maneant septem. Eadem igitur magnitudo H, esset terminus octauus, si haberetur ratio primi termini A.

Non aliter argumentandum foret, si à quouis alio termino progressionis sumatur initium. Si enim iuxta hoc lemma diligenter aduertatur, quotum locum occupet quilibet terminorum inuentorum ab illo termino, à quo incipit progressio, & illi loco addantur tot vnitates, quot termini eundem terminum, à quo progressio incipit, praecedunt, conficietur numerus locorum pro termino inuento respectu primi. Ita enim vides, si fiat vt C, ad E, ita E, ad C, & numero quincto, qui est denominator loci G, respectu termini C, addantur duo, eò quòd terminum C, antecedant alij duo A, B, produci numerum 7. denominatorem loci pro eodem termino G, respectu termini A. Atque ita de reliquis.

SCHOLIVM SECVNDVM.

NE semper cogamur nouo discursu vel supputatione eorundem terminorum loca inuestigare, sequentem tabulam hic subijcere libuit, in qua prima series transuersa continet denominatores locorum aliquot magnitudinum continuè proportionalium à prima, quando scilicet vt prima ad secundam, ita secunda est ad tertiam, & vt prima ad tertiam, ita haec ad aliam, & rursum vt prima ad hanc, ita haec eadem ad aliam, &c. Numeri enim in dicta serie ostendunt, quoti sint illi termini in continua proportione primae ad secundam. In secunda verò serie descripti sunt illi numeri, qui indicant, quoti sint singuli termini, quando tribus magnitudinibus datis continuè proportionalibus, vt prima ad tertiam, ita tertia ad aliam: & rursum vt prima ad hanc primò inuentam, ita eadem inuenta ad aliam, &c. In tertia pariter serie repositi sunt illi numeri denominatores terminorum, quando quattuor propositis magnitudinibus continuè proportionalibus, vt prima ad quartam, ita quarta se habeat ad aliam, & vt prima ad hanc aliam, ita eadem proximè inuenta ad aliam, &c. & ita deinceps de reliquis.

TABVLA CONTINENS denominatores locorum magnitudinum continuè proportionalium à prima.

1	2	3	5	9	17	33	65	129	257	513	1025
1	3	5	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049
1	4	7	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073
1	5	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049	4097
1	6	11	21	41	81	161	321	641	1281	2561	5121
1	7	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073	6145
1	8	15	29	57	113	225	449	897	1793	3585	7169
1	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049	4097	8193
1	10	19	37	73	145	289	577	1153	2305	4609	9217
1	11	21	41	81	161	321	641	1281	2561	5121	10241
1	12	23	45	89	177	353	705	1409	2817	5633	11265
1	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073	6145	12289
1	14	27	53	105	209	417	833	1665	3329	6657	13313
1	15	29	57	113	225	449	897	1793	3586	7169	14337

TABVLAE FABRICA.

PRIMVS à sinistris tabulae numerus est vnitas denominator primi termini: secundus verò numerus est semper diuersus, crescitque per singulas vnitates à binario; eò quòd alter terminus, secundum quem primò continuanda est proportio, possit esse vel secundus è duobus datis, vel tertius ex tribus datis, vel quartus ex quattuor &c. Tertius deinde numerus in singulis ordinibus denominat primum terminum, qui per dictam continuationem proportionis primò inuenitur. Quartus verò numerus denominat secundum terminum inuentum,

tum, ita vt reliqui numeri post secundum eo ordine, quo se mutuò consequuntur versus dextram, denominent terminos eodem ordine inuentos.

Quod verò ad tabulae extensionem attinet, ea perfacilis est. Descripta enim prima serie sinistra descendente, quae solis vnitatibus contenta est, & secunda serie, quae à binario per singulas vnitates, vt praediximus, crescit, reliqui numeri cuiusuis seriei transuersae per continuam duplicationem numeri praecedentis emergunt, dempta semper ex duplo vnitate.

Et quoniam idem est duplicare propositum numerum, & ex duplo auferre vnitatem, quod duplicare numerum vnitate minorem numero proposito, & duplo addere vnitatem, patet eosdem numeros transuersos etiam produci, si quilibet numerus antecedens minor vnitate duplicetur, & duplo adiiciatur vnitas. Ita vides iuxta priorem regulam in prima serie ex duplicatione binarij, qui est secundus dicti ordinis, produci quaternarium, & hinc sublata vnitate relinqui ternarium, reponendum in tertia cellula, & eundem ternarium produci, si duplicetur vnitas, quae est minor vna vnitate quam binarius, & duplo illi, nempe binario, adiiciatur vnitas. B

Possunt etiam singulae series descendentes componi ex primo & supremo numero cuiusuis ordinis. Nam si numerus vnitate minor, quàm sit numerus supremus, addatur eidem supremo, producetur numerus proximè inferior: & si huic iterum addatur idem numerus, qui primò fuit additus, procreabitur alter numerus inferior proximè sequens; & ita per continuam additionem eiusdem numeri minoris vnitate, quàm sit supremus, ad proximè inuentum, habebuntur singuli reliqui numeri inferiores. Exemplum esto: si quis extendere velit sextam seriem descendentem, cuius supremus numerus est septemdecim, primum ad 17. addat 16. numerum proximè minorem numero 17. procreabitque numerum proximè inferiorem 33. Deinde huic numero 33. iterum adiiciat sexdecim, & inuenict numerum 49. & sic deinceps, C

TABVLA CONTINENS denominatores locorum magnitudinum continuè proportionalium à prima.

1	2	3	5	9	17	33	65	129	257	513	1025
1	3	5	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049
1	4	7	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073
1	5	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049	4097
1	6	11	21	41	81	161	321	641	1281	2561	5121
1	7	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073	6145
1	8	15	29	57	113	225	449	897	1793	3585	7169
1	9	17	33	65	129	257	513	1025	2049	4097	8193
1	10	19	37	73	145	289	577	1153	2305	4609	9217
1	11	21	41	81	161	321	641	1281	2561	5121	10241
1	12	23	45	89	177	353	705	1409	2817	5633	11265
1	13	25	49	97	193	385	769	1537	3073	6145	12289
1	14	27	53	105	209	417	833	1665	3329	6657	13313
1	15	29	57	113	225	449	897	1793	3586	7169	14337

TABVLAE VSVS.

SINT propositae, verbi gratia, sex magnitudines continuè proportionales, quarumque termini progressionis, si ea instituatur iuxta praemissum lemma. Quaeratur primò inter secundos numeros, hoc est, secundi ordinis descendentis numerus sex, qui cùm reperiatur in quincta serie transuersa, illa erit quae continet denominatores quaesitos terminorum. Nam si fiat vt prima magnitudo data ad sextam datam, ita haec sexta ad aliam, inuenietur magnitudo, quae vndecimum locum occupet à prima; si videlicet proportio primae ad secundam datam continuata fuisset vsque ad vndecimum terminum. quem quidem denominatorem vndecimum exhibet tertius numerus quincti ordinis.

A Si verò rursum fiat, vt prima magnitudo ad vndecimam proximè inuentam, ita eadem vndecima ad aliam, eius locum à prima denominabit numerus quartus eiusdem quincti ordinis, nempe 21. hoc est, per continuationem proportionis primi termini ad vndecimum, inuenitur terminus vigesimus primus.

Eadem porro tabula inseruit quoque illi progressioni, quam in priori scholio exposuimus. Nam si, verbi gratia, iterum sint propositae sex magnitudines continuè proportionales, fiatque vt tertia, ad sextam, ita sexta ad aliam, & vt eadem tertia ad hanc, ita eadem haec ad aliam, & ita progressio fiat iuxta lemma praemissum, quasi tertius terminus primus foret, & consequenter sextus respectu eiusdem sit instar quarti, inuenientur reliquorum terminorum denominatores in tertia serie transuersa tabulae praecedentis, quotus videlicet quisque sit à tertio termino, tamquam à primo. Atque iccirco si singulis numeris eiusdem ordinis tertij adiiciatur binarius, eò quòd tertium terminum datum alij duo praecedant, conficientur denominatores omnium terminorum inuentorum, respectu primi termini dati, vt patet ex ijs, quae in priori scholio sunt dicta.

LEMMA NONVM.

SI SINT quotcumque magnitudines continuè proportionales, & vt prima ad quamlibet earum, veluti ad secundam, ita sit alia quaelibet earundem ad aliam, veluti tertia ad quartam; illa quae est instar quartae, occupabit eum locum ab ea, quae est instar tertiae, quem illa, quae est instar secundae, obtinet à prima. Eadem quoque, quae est instar quartae à prima occupabit eum locum dempto vno, qui componitur ex eo, quem habet tum ea, quae est instar secundae, tum ea, quae est instar tertiae ab eadem prima.

PROPONANTVR (ex magnitudines A, B, C, D, E, F, continuè proportionales, & vt earum prima, verbi gratia A, ad D, quartam veluti ad secundam, ita sit, verbi gratia, eadem quarta D, instar alicuius tertiae ad aliquam G, quae sit instar quartae. Dico G, eum locum obtinere à D, quem D, occupat ab A: itemque eandem G, eum locum occupare ab A, vno dempto, qui componitur ex eo, quem habet D, quarta dum est instar secundae, & G, dum est

D

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.
1.	2.	4.	8.	16.	32.	64.	128.	256.	512.	1024.	2048.

instar tertiae ab eadem D, dum est instar secundae. Nimirum magnitudinem G, occupare quartum locum à D, quotum etiam D, occupat ab A: eandemque G, occupare locum septimum ab A; propterea quòd hic numerus septem relinquatur, si ex numero octo, qui componitur ex duabus distantijs D, ab A, nempe ex bis quattuor, dematur vnitas. Prioris partis haec est demonstratio. Quoniam enim eadem est proportio A, ad D, quae D, ad G, & A, ad D, est triplicata proportionis ipsius A, ad B, erit a D, ad G, triplicata eiusdem: atque adeo inter D, G, cadent duo termini E, F, per quos continuetur ter inter extremos D, G, proportio A, ad B. Quemadmodum & inter A, D, cadunt duo termini B, C, per quos continuatur ter eadem proportio A, ad B. Quare eum locum occupabit G, à D, quem D, ab A, nempe quartum. Eademque est ratio de reliquis: nam eodem modo demonstrabitur F, sexta occupare quartum locum à C, tertia, vel H, octaua ab E, quincta, si vt A, ad D, ita ponatur C, ad F, vel E, ad H. Si autem vt A, ad E, quinctam, verbi gratia, ita ponatur H, octaua ad M, duodecimam, ostendetur M, ab H, occupare quinctum locum, eum scilicet, quem E, obtinet ab A. & sic de reliquis. a 2. lemma huius.

E

Ex quo posteriorem partem facilè licet deducere. Quia enim G, occupat quartum locum à D, quemadmodum D, ab A, si distantia G, à D, addatur distantiae D, ab A, producetur numerus octo, à quo si demantur vnitas, ne bis computetur eadem D, relinquitur numerus septem, distantiae G, ab A; id quod etiam patet ex praecedenti lemmate; siquidem proportio A, ad D, continuata est ad G.

RVRSVM si vt A, ad D, quartam, veluti ad secundam, ita sit C, tertia, vt tertia ad aliam F, veluti ad quartam: dico F, esse sextam ab A. Cùm enim C, ab A, tertium occupet locum, & F, à C, quartum, eò quòd per priorem partem huius lemmatis tantum distet F, à C, quantum D, ab A, si ex numero septem, qui componitur ex ternario, & quaternario, auferatur vnitas, ne idem

idem terminus C, bis numeretur, vel quia post C, solùm sint tres magnitudines vsque ad F, relinquetur numerus sex distantiae magnitudinis F, ab A. Eodem modo si vt A, ad D, veluti ad secundam, ita sit E, veluti tertia ad H, veluti ad quartam: & numero quinario distantiae tertiae E, ab A, addatur quartus numerus distantiae secundae D, ab A, quae quidem est eadem cum distantia H, ab E, producetur numerus nouenarius, à quo si subtrahatur vnitas, ne videlicet terminus E, bis numeretur, relinquetur numerus octonarius distantiae termini quarti H, ab eodem primo termino A.

SCHOLIVM.

EADEM ratione si loco primae magnitudinis A, sumatur instar primae quaecumque reliquarum magnitudinum continuè proportionalium, verbi gratia, magnitudo quarta D, fiatque vt D, ad aliam, verbi gratia, ad G, quae sit instar secundae, ita alia, verbi gratia, nona magnitudo I, quae sit instar tertiae, ad aliam M, quae sit instar quartae; deprehendetur, quota sit haec quarta à prima A; modò constet, quota sit illa, quae est instar secundae, ab ea, quae est instar primae, & quota sit illa, quae est instar tertiae, à prima A: semper enim vltima inuenta, nempe ea, quae est instar quartae à prima magnitudine A, eum locum obtinebit dempto vno, qui componitur ex distantia, quam habet ea, quae est instar secundae ab ea, quae est instar primae, & ex illa distantia, quam habet ea, quae est instar tertiae à prima A. Vnde cùm in exemplo terminus I, qui est instar tertiae magnitudinis, sit nonus terminus ab A, & terminus G, à D, seu M, ab I, sit quartus, factaque additione quattuor ad nouem fiant tredecim, si demantur vnitas, remanebit numerus duodecim, & hic denominabit distantiam inuenti termini M, à primo termino A, hoc est, M, erit terminus duodecimus.

Ceterum haec regula solùm habet locum, quando terminus, qui est instar primi, est propinquior primo termino A, quàm sit is, qui est instar termini tertij. Nam si foret eadem proportio, verbi gratia, G, ad I, eius qui est instar primi termini ad eum, qui est instar secundi, ita verbi gratia C, instar tertij ad aliam E, qui sit instar quarti: non rectè per traditam regulam deprehenderetur huius quarti termini E, distantia à primo A: eò quòd terminus C, qui est instar tertij, sit propinquior primo A, quàm terminus G, qui est instar primi. Nihilominus eiusdem termini quarti distantia facilè habebitur, si distantia termini, qui est instar tertij, à primo termino A, subtrahatur à distantia eius, qui est instar termini secundi, & insuper ex reliquo numero tollatur vnitas. Vltimus enim numerus relictus erit distantia quaesita: ita enim vides, si ex nouenario numero distantiae secundi termini I, à termino A, subtrahatur ternarius, distantia tertij termini C, ab eodem primo termino A, relinquitur senarius, à quo si auferatur vnitas, remanet quinarius, denominans distantiam termini, qui fuit instar quarti ab eodem termino A.

LEMMA DECIMVM.

SI SINT quattuor magnitudines continuè proportionales, sitque prima maior secunda, interque extremas cadat quincta magnitudo media; ipsa erit minor secunda ex quattuor proportionalibus: & si inter hanc quinctam magnitudinem, & primam interponatur nlia magnitudo sexta, ea erit maior eadem secunda. Septima autem magnitudo, quae fuerit media inter quinctam & sextam, erit rursum minor, & magnitudo octaua, quae fuerit media inter sextam & septimam, iterum erit maior eadem secunda: & ita de alijs magnitudinibus medijs, quae simili modo interponuntur, quae omnes alternis vicibus maiores erunt minoresve magnitudine secunda; semperque inter minores posterior erit maior priore, & quae inter maiores fuerit posterior, erit priore minor.

SINT quattuor magnitudines A,B,C,D, continuè proportionales, sitque A, prima maior secunda, B, & inter AD, interponatur quincta aliqua magnitudo E, media, & rursum inter A, & E, sexta, magnitudo G, & inter E, G, septima magnitudo I, & denique inter G, I, octaua magnitudo L. Dico E, I, minores esse, & G, L, maiores ipsa B, & inter minores E, I, posteriorem I, maiorem esse priore E: at verò L, quae inter

A F G K L B I H E C D
1 6 8 2 7 5 3 4

maiores fuit posterior, esse minorem priore G, & ita de alijs magnitudinibus, quae dicto modo ac ordine interponi possunt. Quoniam enim A, B, C, D, sunt continuè proportionales, interque extremas A, D, posita est media E, ea erit [a] quoque media inter B, & C, & ideo E, minor erit quàm B, cùm in proportione maioris inaequalitatis, quae est inter terminos B, E, C, terminus E, sit posterior. Intelligatur quoque inter A, & B, positus medius terminus F, & inter BE, medius H, & denique inter B, G, medius K. Cùm igitur magnitudines A, B, C, sint continuè proportionales, & inter ipsas sint mediae F, & E, [b] erunt quoque omnes A, F, B, E, C, continuè proportionales, & consequenter magnitudo G, quae posita est media inter A, & E, erit quoque media inter F, & B, & ideo maior quàm B, cùm B, sit terminus posterior in ratioue maioris inaequalitatis.

[a] *lemm. 5. huius.*

[b] *lemm. 3. huius.*

Rursum magnitudines FBE, sunt continuè proportionales, eò quòd sint tres termini continui ex quinque terminis A, F, B, E, C, quos proximè ostendimus esse continuè proportionales, interque ipsos positae sunt aliae mediae G, H. Ergo [c] etiam omnes quinque magnitudines F, G, B, H, E, erunt continuè proportionales. & quia inter G, E, media est per constructionem I, ipsa erit quoque media inter B, H, ideoque minor quàm B, maior tamen quàm E, qui in proportione maioris inaequalitatis est terminus posterior.

[c] *lemm. 5.*

Postremo quoniam G, B, H, sunt continuè proportionales, immo & G, K, B, I, H, eò quòd K, sit posita media inter G, B, & I, proximè ostensa media inter B, H, erit omnino magnitudo L, quam posuimus mediam inter G, I, quoque media inter K, B, ideoque maior quidem quàm B, minor verò quàm G: eademque est ratio de quibuscumque alijs magnitudinibus similiter interpositis. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIVM.

QVOD si proportio posita fuisset minoris inaequalitatis, essent termini G, L, minores termino B, & I, E, maiores, idque demonstraretur ijsdem prorsus medijs, quibus vsi sumus in hoc lemmate.

A F G K L B I H E N C O M D
1 6 8 2 7 5 3 4

At si maneat prior proportio maioris inaequalitatis, eodem ferè modo demonstraretur, si inter E, D, ponatur media sexta aliqua magnitudo M, & inter E, M, septima magnitudo N, interque N, M, octaua magnitudo O, magnitudines E, N, maiores fore tertia magnitudine C; & N, minorem esse magnitudine E, posteriorem priore. At verò magnitudines M, O, fore minores, & O, maiorem ipsa M, siquidem proportio ponatur maioris inaequalitatis. Si verò proportio proposita esset minoris inaequalitatis, asserendum esset oppositum: vt manifestè colligitur ex dictis.

LEMMA XI.

POSITIS quotlibet magnitudinibus inaequalibus, ita vt quaelibet antecedens sit maior consequente, constabitur differentia extremarum ex differentijs intermediarum.



VATTVOR magnitudines sint AB, CD, EF, & G, vt proponitur, earumque differentiae sint HF, ID, KB. Dico differentiam BL, inter extremas AB, & G, componi ex differentijs HF, ID, KB. Si enim ipsis CD, EF, sumantur in AB,



aequales AK, AM, erit KM, aequalis differentiae ID, & ML, aequalis differentiae HF. Cùm ergo differentia LB, componatur ex LM. MK, KB, constat id quod proponitur.

LEMMA XII.

SI SINT quotlibet magnitudines continuè proportionales, erunt earum differentiae in eadem ratione.

SINT magnitudines AB, CD, E, sintque earum differentiae FB, GD. Dico esse BF, ad DG, vt AB, ad CD, vel CD, ad E. Cùm enim sit vt AB, ad AF, hoc est, ad CD,



ita CD, ad CG, hoc est, ad E, erit quoque dividendo vt BF, ad AF, ita DG, ad GC, & permutando BF, ad DG, vt FA, ad GC, hoc est, vt CD, ad E: vel vt AB, ad CD. Eademque est ratio de pluribus.

COROLLARIVM.

HINC sequitur, differentiam inter maximam & mediam, maiorem esse differentia inter mediam & minimam.

LEMMA XIII.

SI SINT tres magnitudines continuè proportionales, differentia extremarum maior est quàm dupla differentia inter mediam & minimam.

IN eadem figura, cùm ex demonstratione praecedentis lemmatis sit BF, ad DG, differentia ad differentiam vt AB, ad CD, si AB, est maior quàm CD, erit quoque BF, maior quàm GD. Igitur BF, DG, simul, maiores erunt quàm dupla ipsius DG. Cùm igitur BF, DG, [a] aequales sint differentiae inter AB, & E, maximam & minimam; erit quoque differentia inter maximum & minimum terminum magnitudinum proportionalium maior dupla DG, quae est differentia inter maximam & minimam.

a Lemma 11. huius.

COROLLARIVM PRIMVM.

HINC sequitur, differentiam inter mediam & minimam esse minorem semisse differentiae inter maximam & minimam.

COROLLARIVM SECVNDVM.

SEQVITVR etiam, si sint quattuor vel plures magnitudines continuè proportionales, differentiam inter maximam & minimam multò esse maiorem differentia, inter minimam, & proximam minimae: siquidem omissis reliquis, si solùm habeatur ratio trium vltimarum, adhuc differentia inter maximam & minimam maior est dupla differentia inter mediam illarum, & minimam: vel differentia inter mediam & minimam minor semisse differentiae inter maximam & minimam.

LEMMA XIIII.

SI SINT quattuor magnitudines continuè proportionales, sitque prima maior secunda, interque extremas cadat quincta magnitudo media, & inter primam & quinctam alia magnitudo sexta iterum media: & rursus inter quinctam & sextam alia magnitudo septima, & inter sextam & septimam magnitudo octaua, &c. magnitudines sexta, octaua, &c. quae sunt maiores secunda quattuor proportionalium ita appropinquabunt eidem secundae, vt tandem minùs ab ea differant quacumque magnitudine proposita.

SINT quattuor magnitudines A, B, C, D, continuè proportionales, & A, maior sit quàm B, interque A, & D, ponatur media, nempe quincta aliqua magnitudo E, & inter A, E, sexta magnitudo G, & inter E, G, magnitudo septima I, & denique inter G, I, magnitudo octaua L, &c. Dico magnitudines G, L, quae omnes per lemma decimum maiores sunt secunda magnitudine B, ita eidem B, appropinquare, vt tandem minùs ab ea differant quacumque magnitudine proposita. Nam si inter A, B, intelligatur quoque media proportionalis F, erunt



A A, F, B, E, C, continuè proportionales. Et quia G, posita est media inter A, E, ipsa erit quoque media inter F, B, & ideo per corollarium primum Lemmatis decimi tertij differentia, inter G, B, minor erit semisse differentiae inter F, B, multoque minor semisse differentiae inter A, B, ita vt per interpositionem magnitudinis G, ablatum sit ex differentia, quae fuit inter A, B, pluspuam dimidium. Rursum si inter B, E, intelligatur media H, erunt F, G, B, H, E, continuè proportionales, & consequenter magnitudo I, quae posita est media inter E, G, erit quoque media inter B, H. Eodemque modo, si inter G, B, intelligatur media K, erunt G, K, B, I, H, continuè proportionales, & magnitudo L, quam statuimus mediam inter G, I, erit media inter K, B. Vnde cùm K, L, B, sint continuè proportionales, magnitudo media L, [a] minùs differet à B, semisse differentiae, quae est inter extremas magnitudines K, B, atque adeo differentia inter L, B, multò erit minor semisse differentiae, quae erat inter G, B. Quia ergo magnitudo G, minùs differt à B, semisse differentiae inter A, B, & magnitudo L, minùs differt ab eadem B, semisse differentiae inter G, B; eademque est ratio de reliquis magnitudinibus, quae dicto modo ac ordine interponerentur: patet per earundem magnitudinum mediarum interpositionem, semper magis ac magis appropinquari ad secundam B, [b] & tandem minorem fore differentiam quacumque magnitudine proposita.

a Coroll. 1. lemm. 13. huius.

b 1. decimi. Eucli.

B

C

D

E

LEMMA XV.

SI inter duas magnitudines ponatur vna media, quae sit tertia, & inter primam & tertiam alia magnitudo media, quae sit quarta, & inter tertiam & quartam alia media quincta, & inter quartam & quinctam alia media, nempe sexta, & ita deinceps differentia inter tertiam & quartam minor erit semisse differentiae inter primam & secundam, siue differentiae inter extremas: item differentia inter quinctam & sextam minor semisse differentiae inter tertiam & quartam, & ita de reliquis; ita vt semper binae mediae posteriores minùs inter se differant, semisse differentiae inter duas proximè praecedentes.

MAGNITVDINVM A, B, prima A, sit maior, & secunda B, minor, inter quas ponatur tertia magnitudo media C, & inter A, C, sit quarta magnitudo media D, & rursum inter C, D, quincta magnitudo media sit E: inter D, verò & E, sit media F, magnitudo videlicet sexta. Dico differentiam inter CD, minorem esse semisse differentiae inter A, B, & differentiam inter E, F, minorem esse semisse differentiae inter CD.



Cùm enim D, sit media inter A, C, [a] erit differentia inter C, D, minor semisse differentiae inter A, C. Est autem differentia inter A, C, minor differentia inter A, B: ergo differentia inter C, D, multò erit minor semisse differentiae inter A, B. Eodem modo, quoniam E, F, D, sunt continuè proportionales, erit differentia inter EF, minor semisse differentiae inter E, D: & quia differentia inter D, E, minor est differentia, quae est inter D, C, erit quoque differentia inter E, F, minor semisse differentiae inter CD. Sic etiam, si inter E, F, posita esset media G, magnitudo septima, & inter F, G, media H, magnitudo scilicet octaua; magnitudines H, G, minùs inter se different, semisse differentiae, quae est inter E, F. Quod erat demonstrandum.

a Coroll. 1. lemm. 13. Eucli.

COROLLARIVM.

HINC efficitur, si dicto modo & ordine continuè immittantur mediae inter duas magnitudines datas; tandem duas earum aequaliter distantes ab extremis minùs inter se differre, quacumque differentia proposita. Cùm enim demonstratum sit, differentiam inter C, D, minorem esse semisse differentiae inter A, B, & differentiam inter E, F, minorem semisse differentiae inter C, D, & differentiam inter G, H, minorem semisse differentiae, quae est inter E, F, &c. deuenietur tandem hac ratione ad aliquas duas medias, quae [b] minùs inter se differant quacumque differentia proposita.

b Prima 12. Euclid.

DE AF-

DE AFFECTIONIBVS VARIIS LINEARVM PROPORTIONALIVM.

Caput II.

THEOREMA I. PROPOSITIO I.

SI duae rectae lineae sectae sint in quattuor partes continuè proportionales, & prima cum tertia constituant lineam priorem, secunda verò & quarta posteriorem: erit tota ad totam in eadem ratione partium.

RECTAE AB,CD,sectae sint in E,& F,ita vt partes AE, CF, EB, FD, sint continuè proportionales. Dico totam AB, ad totam CD, habere eandem proportionem, quam habet pars AE, ad partem CF, vel EB, ad FD, &c. Cùm enim tres rectae AE, CF, EB; itemque aliae CF, EB, FD, sint in eadem ratione continuè proportionales: erit [a] ex aequalitate, vel ex primo lemmate primi capitis huius, vt AE, ad EB, sic CF, ad FD. Et componendo [b] vt AB, ad EB, ita CD, ad FD. [c] Permutando verò erit tota AB, ad totam CD, vt EB, ad FD, quae quidem est proportio ipsarum partium. Quod erat demonstrandum.



a 22. quinti Euclid.
b 18. quinti Euclid.
c 16. quinti Euclid.

THEOREMA II. PROPOSITIO II.

SI duae rectae lineae sint diuisae singulae in duas partes, & quemadmodum tota ad totam, ita sit ablata ad ablatam, & insuper vna pars vnius sit media inter duas partes alterius; erunt omnes quattuor partes continuè proportionales.

SIT vt tota AB, ad totam CD, ita ablata AE, ad ablatam CF, & verbi gratia, pars CF, ipsius CD, sit media proportionalis inter partes AE, EB, ipsius AB. Dico omnes quattuor partes AE, CF, EB, FD, esse continuè proportionales. Nam cùm sit vt tota AB, ad totam CD, ita ablata AE, ad ablatam CF, [a] erit etiam reliqua EB ad reliquam FD, vt tota ad totam, hoc est, vt ablata AE, ad ablatam CF: sed ita ponitur quoque esse CF, ad EB; ergo etiam CF, ad EB, eadem erit proportio, quae EB, ad FD, atque iccirco omnes quattuor rectae AE, CF, EB, FD, erunt continuè proportionales. Eodem modo si fuisset vt tota AB, ad totam CD, ita ablata EB, ad ablatam FD, & verbi gratia, EB, posita fuisset media proportionalis inter CF, FD; demonstraretur, easdem quattuor partes esse continuè proportionales. Immo si in priori positione reliqua EB, posita fuisset media proportionalis inter partes CF, FD, adhuc sequeretur easdem quattuor partes continuè esse proportionales ob eandem rationem. Quod erat demonstrandum.

a 19. quinti Euclid.

THEOREMA III. PROPOSITIO III.

SI duae rectae lineae inaequales singulae in duas partes secentur, ipsaeque partes sint continuè proportionales, & prima pars cum tertia efficiat priorem, secunda verò & quarta posteriorem: erit id, quod fit ex tota maiori in minorem sui partem, aequale ei, quod ex tota minori fit in partem sui maiorem. Itemque id quod fit ex tota maiori in maiorem partem minoris, aequale erit ei, quod fit ex tota minori in maiorem partem maioris. Et denique id quod fit ex tota maiore in minorem partem minoris, aequale erit ei, quod fit ex tota minore in minorem partem maioris.

A

BINAE rectae AB,CD, sint rursum sectae in punctis E,F, ita vt partes AE,CF,EB,FD, sint continuè proportionales; sitque AB, maior, quàm CD. Dico rectangulum sub AB, tota maiore, & sub EB, minore segmento suo, aequale esse rectangulo sub tota, minore CD, & maiore eiusdem segmento CF. Cùm enim vt tota AB, ad totam CD, ita [a] sit CF, ad EB, erit [b] rectangulum sub prima AE, & vltima EB, aequale rectangulo comprehenso sub intermedijs CD, CF, quod est primum. Et quia rursum vt tota AB, ad totam CD, ita est pars AE, ad partem CF, erit quoque rectangulum sub extremis AB, CF, aequale rectangulo sub intermedijs CD, AE, quod est secundum. Et denique quoniam iterum vt tota ad totam ita est pars EB, ad partem FD, erit etiam rectangulum sub AB,FD, aequale rectangulo sub CD,EB, quod est tertium, & vltimo loco demonstrandum.

B

a Prima huius.
b 16. sexti Euclid.

THEOREMA IIII. PROPOSITIO IIII.

SI duae rectae lineae inaequales secentur singulae in duas partes, sic vt id, quod fit ex tota maiore in minorem sui partem sit aequale ei, quod fit ex tota minore in sui partem maiorem, & insuper id, quod ex tota maiore in maiorem partem minoris sit aequale ei, quod fit ex tota minore in maiorem partem maioris: vel certè id quod fit ex tota maiori in minorem partem minoris, sit insuper aequale ei quod fit ex tota minore in minorem partem maioris: erunt quattuor illae partes, in quas sectae sunt lineae, continuè proportionales.

C

QVOD si rectangulum sub AB,EB, aequale ponatur rectangulo sub CD, CF, & insuper rectangulum sub AB,CF, aequale sit rectangulo sub CD,AE, erit [a] vt AB, ad CD, ita CF, ad EB, & vt AB, ad CD, hoc est, CF, ad EB, ita AE, ad CF, ac proinde AE, CF, EB, erunt continuè proportionales. Et quoniam vt tota AB, ad totam CD, ita est ablata AE, ad ablatam CF, [b] erit quoque reliqua EB, ad reliquam FD, vt tota ad totam, vel vt ablata AE, ad ablatam CF. Ac proinde omnes quattuor AE, CF, EB, FD, erunt continuè proportionales. Simili prorsus ratione erunt eaedem rectae continuè proportionales, si rursus rectangulum sub AB, EB, ponatur aequale rectangulo sub CD, CF, & insuper rectangulum sub AB, FD, aequale rectangulo sub CD, EB. [c] Erit enim iterum vt AB, ad CD, ita CF, ad EB; & vt AB, ad CD, hoc est, CF, ad EB, ita EB, ad FD. Et quia vt tota AB, ad totam CD, ita est EB, ad FD, ablata ad ablatam; etiam reliqua AE, ad reliquam CF, erit vt tota ad totam, vel vt ablata EB, ad ablatam FD, &c. Quod erat demonstrandum.

D

a 16. sexti Euclid.
b 19. quinti Euclid.
c 16. sexti Euclid.

SCHOLIVM.

CETERVM quando rectangulum sub AB, CF, aequale est rectangulo sub CD, AE, & insuper rectangulum sub AB, FD, aequale rectangulo sub CD, EB, solùm sequitur, eandem esse proportionem AE, ad CF, quae EB, ad FD, non autem quod omnes quattuor lineae sint continuè proportionales, vt patet.

THEOREMA V.
PROPOSITIO V.

SI tres lineae rectae continuè proportionales ad idem punctum conueniant, & media ad reliquas sit perpendicularis: rectae quae illarum coniungunt terminos, continebunt angulum rectum.

IT RES rectae CB, CD, CA, continuè proportionales conueniant in puncto C, ita vt CD, quae est media, ad reliquas sit perpendicularis. Dico ductas AD, DB, continere angulum rectum in D. Nam rectae in primis AC, CB; constituent[a] vnam rectam lineam. Deinde, quoniam circa aequales angulos; nempe rectos DCB, DCA, latera DC, CB, proportionalia sunt lateribus DC, CA; erunt[b] triangula DCB, DCA, aequiangula, aequalesque habebunt angulos CBD, CDA, sub quibus subtenduntur latera homologa CD, CA, atqui angulus CBD, cum angulo CDB, aequiualet recto DCB; propterea quòd omnes tres anguli trianguli DCB,[c] aequales sint duobus rectis: ergo & angulus ADC, constituet cum angulo CDB, rectum ADB. Quod erat demonstrandum.



a 14. primi Eucli.
b 6. sexti Eucli.
c 32. primi Eucli.

THEOREMA VI.
PROPOSITIO VI.

SI duae lineae rectae sese ita ad angulos rectos secent, vt quattuor illarum partes sint ordine, & continuè proportionales: tres rectae, quae eodem ordine earum terminos coniungunt, & ipsae sunt continuè proportionales, in ratione partium.

VATTVOR rectae continuè proportionales CA, CD, CB, CE, constituant angulos rectos in C, ita vt prima, & tertia, itemque secunda, & quarta iaceant in directum, hoc est, constituant rectas AB, DE. Dico etiam iunctas rectas AD, DB, BE, quae nectunt earum puncta extrema, esse continuè proportionales, in proportione AC, ad CD, vel CD, ad CB, vel CB, ad CE. Cùm enim CD, media sit proportionalis inter AC, CB, & CB, media proportionalis inter DC, CE, [a] erunt anguli ADB, DBE, recti; ac proinde [b] triangula ADB, DBE, eidem triangulo DCB, & inter se similia: habebuntque aequales angulos ABD, DEB, itemque angulos BAD, EDB. Quare eadem erit proportio AD, ad DB, quae DB, ad BE, hoc est, AD, DB, BE, erunt continuè proportionales: & quidem in ratione CD, ad CB, quae eadem est cum proportione AD, ad DB, vel DB, ad BE, propter similitudinem triangulorum ADB, DBE, cum triangulo DCB. Quod erat demonstrandum.



a 5. huius.
b 8. sexti Eucli.

THEOREMA VII.
PROPOSITIO VII.

SI tres lineae continuè proportionales sibi inuicem in terminis eodem ordine ad angulos rectos insistant, quae illarum terminos nectunt duae rectae lineae, sese mutuò secabunt ad angulos rectos, & in quattuor partes continuè proportionales.

HAEC propositio conuersa est praecedentis, facileque demonstratur in eadem figura praecedenti. Si enim tres rectae AD, DB, BE, sint continuè proportionales, & constituant angulos rectos in D, B, nectanturque AB, DE, se mutuò secantes in C, erit[a] triangulum ABD, simile triangulo DEB, aequalesque habebunt angulos ABD, DEB, itemque angulos BAD, EDB: sed angulus EDB, cum angulo CDA, aequalis est recto ADB: ergo etiam anguli CAD, CDA, recto aequales erunt, ergo[b] & reliquus angulus ACD, in triangulo, ACD, rectus erit. Cùm igitur recta DC, perpendicularis sit ad AB, & vicissim AB, perpendicularis ad DE, triangula ACD, DCB, BCE, [c] similia erunt triangulis ADB, DBE, habebuntque latera circa aequales angulos proportionalia, hoc est, vt AC, CD, ita erit CD, ad CB, & CB, ad CE. Quod erat demonstrandum.

a 6. sexti Eucli.
b 32. primi Eucli.
c 8. sexti Eucli.

THEOREMA VIII.
PROPOSITIO VIII.

SI sint tres lineae continuè proportionales, & super maxima describatur semicirculus, ad quem ex termino diametri applicetur media, ab eodemque termino diametri ex diametro abscindatur aequalis minimae; quae connectit terminos mediae, & minimae ex diametro abscissae, perpendicularis erit ad diametrum, & eadem media proportionalis existet inter minimam, & excessum maximae super minimam.

IN eadem figura sint tres rectae continuè proportionales AB, BD, BC, & super maximam AB, describatur semicirculus ADB, in quo applicetur media ED, & minima BC, sit pars diametri AB, ita vt AC, sit differentia inter maximam, & minimam. Dico ductam CD, esse perpendicularem ad AB, & mediam proportionalem inter AC, CB. Nam si insuper nectatur AD, erit [a] angulus ADB, in semicirculo rectus. Et quoniam duo triangula ABD, DBC, habent circa communem angulum B, proportionalia latera, nempe vt AB, ad BD, ita BD, ad BC, ipsa [b] erunt aequiangula; ac proinde angulus BCD, aequalis erit recto ADB. Cùm ergo in triangulo rectangulo ADB, ex recto angulo D, demissa sit perpendicularis DC, ipsa [c] erit media proportionalis inter segmenta AC, CB. Quod erat demonstrandum.

a 31. tertij Eucli.
b 6. sexti. Eucli.
c Coroll. 8. sexti Eucli.

SCHOLIVM.

HOC *theorema potuisset etiam proponi hoc modo. Si in triangulo rectangulo, vt basis ad vnum laterum, sic fiat idem latus ad aliquam tertiam, quae abscindat ex basi prope illud latus, recta quae iungit terminos abscissae, & lateris praedicti, est perpendicularis ad basim: demonstratio enim vtrobique eodem modo progreditur.*

THEOREMA IX.
PROPOSITIO IX.

SI in triangulo rectangulo ex quolibet acutorum angulorum interuallo lateris adiacentis arcus circuli describatur, secans basim, & ex puncto sectionis demittatur perpendicularis in latus praedictum, idem latus erit media proportionalis, inter basim trianguli, & segmentum lateris contentum inter perpendicularem, & angulum acutum.

SIT in figura praecedente triangulum rectangulum BCD, & centro B, interuallo BC, describatur arcus CG, secans basim BD, in G, ex quo demissa sit perpendicularis GH. Dico latus BC, mediam esse proportionalem inter BD, BH. Cùm enim GH, sit parallela ipsi DC, erit [a] vt BD, ad BG, hoc est, ad BC, ita BC, ad BH. Quod erat demonstrandum.

a 2. sexti Eucli.

THEO-

THEOREMA X.
PROPOSITIO X.

SI IN triangulo rectangulo ab angulo recto in basim cadat perpendicularis, & rursum ex angulo recto vnius triangulorum partialium alia perpendicularis in suam basim, constitutae erunt quattuor lineae continuè proportionales: nempe basis trianguli totalis, & basis partialis, nec non duo earundem basium segmenta intercepta inter perpendiculares, & angulum communem.

DEMISSA sit in triangulo rectangulo ADB, praecedentis figurae, perpendicularis DC, & in triangulo partiali ACD, perpendicularis CI. Dico quattuor rectas, videlicet duas bases, AB, AD, & duo segmenta AC, AI, à perpendicularibus DC, DI, ad communem angulum A, abscissa esse continuè proportionales. Cùm enim tria triangula ABD, ACD, AIC, sint aequiangula, [a] erunt latera circa communem angulum A, proportionalia, hoc est, vt BA, ad AD, sic erit AD, ad AC, & AC, ad AI. Quod erat demonstrandum.

[a] *Coroll 8. sexti Eucli.*

THEOREMA XI.
PROPOSITIO XI.

SI basis trianguli rectanguli bifariam diuidatur, indeque perpendicularis educatur; ea abscindet ex vtrolibet laterum circa angulum rectum semissem eius lineae, quae ad basim eandem habet proportionem, quam eadem basis ad latus, ex quo semissis illa abscissa fuit.

IN eiusdem figurae triangulo rectangulo ACD, secta sit basis AD, bifariam in K, & ex K, erecta sit perpendicularis KFL, secans latus AC, in F, & DC, protractum in L, ipsique, verbi gratia, AF, sumatur aequalis FB. Dico BA, ad AD, eandem habere proportionem, quam habet AD, ad AC. Nam cùm AD, AB, sint duplae ipsarum AK, AF, [a] erit AB, ad AD, vt AF, ad AK. Sed AF, ad AK, est [b] eadem, quae AD, ad AC; propterea quòd triangula ACD, AKF, sunt aequiangula, vtpote habentia praeter angulos rectos ad C, K, reliquum angulum ad A, communem: ergo etiam AB, ad AD, erit, quemadmodum AD, ad AC. Eodemque modo cùm dupla ipsius DL, ad DA, habeat eandem proportionem, quam DL, ad DK, & DL, ad DK, sit vt AD, ad DC, ob similitudinem triangulorum LDK, ACD, erit quoque dupla ipsius DL, ad AD, vt AD, ad DC. Quod erat demonstrandum.

[a] *15. quinti Eucli.*
[b] *4. sexti Eucli.*

PROBLEMA I.
PROPOSITIO XII.

DATA recta linea diuisa vtcumque, aliam rectam cum illa constituere ita diuisam, vt partes datae cum partibus constitutae sint continuè proportionales.

DATA recta AB, diuisa vtcumque in C, describatur semicirculo ADB, erigatur perpendicularis CD, secans circumferentiam in D, & si rectam AC, cupiamus esse primam quattuor proportionalium, erigatur ad ductam DB, perpendicularis BE, quae protractam DC, secet in E. Dico quattuor rectas CA, CD, CB, CE, esse continuè proportionales. Iuncta enim AD, erit [a] angulus ADB, in semicirculo rectus, ex quo cum demissa sit recta DC, perpendicularis in basim AB, quemadmodum & in triangulo rectangulo DBE, ex angulo recto DBE, perpendicularis BC, in basim DE, [b] erit CD, media proportionalis inter segmenta AC, CB; & CB, media proportionalis inter segmenta DC, CE, atque adeo quattuor partes CA, CD, CB, CE, continuè erunt proportionales,



[a] *31. tertij Eucli.*
[b] *Coroll. 8. sexti Eucli.*

quarum prima CA. Si verò prima deberet esse recta CB, oporteret erigere perpendicularem ex puncto A, super rectam AD; illa enim perpendicularis abscinderet ex recta DC, protractâ, quartam proportionalem, vt patet ex demonstratis.

PROBLEMA II.
PROPOSITIO XIII.

DATIS duobus lateribus, vel eorum proportione, vel dato latere, cum perpendiculari, quae in triangulo rectangulo demissa foret ex angulo recto in basim: vel dato vno laterum, vel perpendiculari, vel vno segmentorum; cum reliquo segmento ipsum triangulum vel illi simile describere.

QVIBVSCVMQVE duabus ex senis rectis lineis praecedentis figurae datis; nimirum AB, AD, BD, CD, CA, CB, vel saltem earum proportione data, ipsum triangulum describi potest.

Primò enim sit data basis AB, vnà cum alterutro laterum AD, DB, verbi gratia, cum AD. Diuisa AB, bifariam in F, describatur centro F, circa AB, semicirculus ADB, in quo applicetur recta aequalis ipsi AD, nectaturque BD, quae cum efficiat [a] angulum rectum cum latere AD, erit triangulum ABD, rectangulum, id quod constituendum proponebatur. [a] *31. tertij Eucli.*

Secundò detur eadem basis AB, vnà cum perpendiculari CD. Descripto iterum semicirculo ADB, secetur recta AB, in puncto C, ita vt recta CD, sit media proportionalis inter segmenta AC, CB; id quod fiet per ea, quae ex Peletario demonstrat Clauius [b] erectaque perpendiculari ex C, secante circumferentiam in D, nectantur AD, BD. Erit igitur CD, media proportionalis inter AC, CB, atque adeo aequalis datae perpendiculari, & ipsum triangulum ADB, erit id, quod oportebat construere. [b] *Clau. 13. sexti Eucli.*

Tertiò basis AB, detur cum alterutro segmentorum AC, CB, verbi gratia, cum AC. Describato semicirculo ADB, erigatur perpendicularis ex C, nempe CD, & nectantur AD, DB, factaque erit triangulum ADB; quod quaeritur.

Quartò dentur duo latera AD, DB, quae constituantur ad angulum rectum in D; ducta enim AB, factum erit, quod proponitur.

Quintò detur vnum laterum circa angulum rectum, verbi gratia, AD, vnà cum perpendiculari. Describatur circa AD, semiciculus ACD, in eoque applicetur recta DC. Iuncta enim AC, erit constructum triangulum ACD, cui addatur triangulum CDB, erigendo ex D, super AD, perpendicularem DB, quae cum AC, protracta concurrat in B, ipsumque triangulum ABD, constructum erit.

Sextò detur iterum vnum laterum circa angulum rectum, verbi gratia, AD, vnà cum segmento basis AC, quod eidem lateri adiacet. Vt ex his constituatur triangulum ADB. priùs construetur triangulum ACD, applicando in semicirculo ACD, rectam AC: quemadmodum in quinto casu applicata fuit perpendicularis DC, ac deinde adiungendum triangulum CBD, vt ibi.

Septimò, detur iterum latus AD, vnà cum segmento BC. Et adijciatur [c] segmento BC, recta CA, ita vt rectangulum sub BA, AC, fit aequale quadrato AD, inuentaque erit recta AB, super quam si describatur semicirculus ABD, atque ex C, erigatur perpendicularis CD, nectanturque DA, DB, descriptum erit triangulum ADB, cuius latus AD, lateri dato erit aequale. Nam ex constructione praedicta, cùm in triangulo rectangulo ADB, ex angulo recto demissa sit perpendicularis DC, erit [d] AD, media proportionalis inter BA, AC, hoc est, quadratum AD, [e] erit aequale rectangulo comprehenso sub BA, AC: sed etiam quadratum lateris dati aequale est eidem rectangulo: ergo quadratum AD, erit aequale quadrato lateris dati; nec non latera ipsa eorundem quadratorum, nempe latus AD, erit aequale lateri dato. [c] *Schol. 36. tertij Eucli.* [d] *Coroll. 8. sexti Eucli.* [e] *17. sexti Eucli.*

Octauò, detur perpendicularis CD, cum alterutro segmentorum, verbi gratia, cum AC. Coniungantur ad angulum rectum in C, ductaque AD, erigatur ad ipsam perpendicularis DB, quae cum AC, protracta concurret in B, perficietque triangulum rectangulum AVB.

Nonò, & vltimo dentur duo basis segmenta AC, CB. Describatque semicirculo ADB, erigatur perpendicularis CD; iunctae enim DA, DB, constituent triangulum quaesitum.

Quando loco laterum datur dumtaxat eorum proportio, sumendae erunt duae quaeuis rectae, habentes illam proportionem loco ipsorum laterum datorum, & tunc fiet triangulum quaesito simile. Sin verò vnum dumtaxat latus detur, & proportio, quam habet ad aliud latus; inueniendum priùs erit illud alterum latus, ad quod habeat illam proportionem, id quod efficitur ex problematibus sexti Euclidis. & postea ex lateribus inuentis, construendum erit triangulum vno aliquo modorum praedictorum.

THEOREMA XII. PROPOSITIO XIIII.

IN quadratis costa est media proportionalis inter diametrum, & semidiametrum, in ratione, quam habet excessus diametri supra latus, ad excessum lateris supra semidiametrum, vel quam habet duplus hic excessus, posterior ad excessum priorem.

IN quadrato A B C D, ductae sint diametri AC, BD, quae se mutuò [a] bifariam secabunt, & [b] ad angulos rectos in E, & lateri BA, abscissa sit aequalis BF, ipsique EF, aequalis EG, ita vt DF, sit excessus diametri BD, supra costam BA, & EF, sit excessus lateris BA, hoc est, BF, supra semidiametrum BE, & FG, dupla sit excessus EF. Dico AB, medium esse proportionalem inter BD, BE, in ratione DF, ad FE, vel GF, ad DF. Quia enim in triangulo rectangulo ABD, demissa est ex angulo recto A, in basim BD, perpendicularis AE, erit [c] vt DB, basis, hoc est, diameter ad BA, latus, hoc est, ad costam quadrati, ita AB, costa quadrati ad BE, segmentum basis, hoc est, ad semidiametrum: ergo costa media est proportionalis inter diametrum, & semidiametrum, quod est primum. Deinde quoniam est, vt tota DB, ad totam FB, hoc est, ad BA, ita ablata FB, ad ablatam BE, [d] erit quoque reliqua DF, ad reliquam FE, vt tota BD, ad totam BF, vel vt ablata BF, ad ablatam BE. Quare proportio diametri ad costam, & costae ad semidiametrum eadem est, quae excessus diametri supra costam, ad excessum costae supra semidiametrum. Quod autem haec eadem quoque sit, quae GF, ad DF, sic ostendo: Vt BD, ad BE, ita est GF, ad FE, cùm vtrobique sit proportio dupla. Et vt BE, ad BA, ita est ex demonstratis, & conuertendo, EF, ad FD, ergo [e] ex aequalitate, vt DB, ad BA, sic erit GF, ad DF. In quadratis igitur, &c. Quod erat demonstrandum.



a Schol. 34. primi Euclid.
b Coroll. 3. tertij Euclid.
c Coroll. 8. sexti Euclid.
d 19. quinti Euclid.
e 22. quinti Euclid.

COROLLARIVM.

HINC constat in quadrato excessum diametri supra latus quadrati esse medium proportionale inter excessum lateris supra semidiametrum, & inter duplum, eiusdem excessus; siquidem ostensum est GF, ad DF, esse, vt DF, ad FE.

THEOREMA XIII. PROPOSITIO XV.

SI DVAE lineae habentes proportionem diametri ad costam, copulentur in termino communi, eisdemque simul sumptis adijciatur in directum linea recta aequalis: erit tota composita ex duabus initio positis, & ex adiuncta, ad compositam ex adiuncta, & minore initio positarum, vt haec ipsa composita ad adiunctam, & quidem in ratione diametri ad costam.

HABEAT in figura praecedenti DF, ad FE, eam rationem, quam habet alicuius quadrati diameter ad suam costam, & eisdem DF, FE, simul sumptis aequalis FB, adijciatur in directum. Dico DB, ad BF, habere eandem proportionem, quam FB, ad BE, & hanc proportionem eandem esse cum proportione DF, ad FE, nempe diametri ad costam: ita vt etiam DB, sit diameter quadrati ex BF, & BF, diameter quadrati ex BE. Sumatur enim ipsi EF, aequalis EG, & quoniam etiam ED, EB, positae sunt aequales, si ipsi ED, addatur EG, & ipsi EB, recta EF, erunt quoque DG, FB, aequales: immo & reliquae DF, GB, aequales erunt. Iam verò quoniam DF, est diameter quadrati ex FE, [a] erit eius quadratum duplum quadrati ex FE; est autem [b] quadratum FG, quadruplum eiusdem quadrati FE; ergo quadratum FG, erit duplum quadrati DF, atque adeo latus FG, ad latus DF, habebit eandem [c] proportionem, quam latus DF, ad latus FE. [d] Componendo ergo erit etiam GD, ad DF, vt ED, ad FE, & permutando GD, hoc est, FB, ad DE, hoc est, ad BE, vt DF, ad FE. Quare recta BF, erit diameter quadrati ex BE. Quod autem DB, sit diameter quadrati ex BF, sic ostenditur. Quadratum FB, duplum est quadrati BE, eò quòd ostensum sit BF, esse diametrum quadrati ex BE, & quadratum DB, quadruplum est eiusdem quadrati BE: ergo quadratum DB, duplum erit quadrati BF. Cùm igitur quadrata ex DB, BF, BE, sint continuè proportionalia, erunt [e] & latera continuè proportionalia, atque adeo, DB, ad BF, habebit proportionem diametri ad costam, hoc est, proportionem, quam DF, ad FE, quod erat demonstrandum.

a Schol. 47. primi Euclid.
b Schol. 4. secundi Euclid.
c Schol. 22. sexti Euclid.
d 18. quinti Euclid.
e Schol. 22. sexti Euclid.

THEOREMA XIIII. PROPOSITIO XVI.

ERECTA in semicirculo à quolibet puncto diametri ad ipsam diametrum perpendiculari; & ab vno terminorum eiusdem diametri ductis pluribus lineis, quae secent circumferentiam, & perpendicularem, siue intra, siue extra semicirculum: illa linea quae transit per intersectionem perpendicularis cum circumferentia, est media proportionalis inter illam cuiusuis alterius lineae partem, quae continetur inter terminum diametri, & circumferentiam, & illam, quae intercipitur inter eundem terminum, & perpendicularem.

QVOVIS puncto F, diametri AD, semicirculi ABCD, erigatur perpendicularis FB, & à termino D, ducantur plures lineae, vna ad punctum B, qualis est DB, reliquae vtcumque, quales sunt DH, DE, secantes circumferentiam in H, C, & perpendicularem in I, E. Dico rectam BD, esse mediam proportionalem tum inter rectas HD, DI, tum inter rectas ED, DC. Iunctis enim AH, AC, cùm angulus AHD, in semicirculo [a] sit rectus, is erit aequalis angulo recto DFI: Est autem insuper angulus ADH, vtrique triangulo AHD, DFI, communis. [b] Igitur & reliqui anguli DAH, DIF, aequales erunt, & triangula ipsa aequiangula, & [c] similia. Eodem modo aequiangula erunt triangula ACD, DFE, Quare eadem erit proportio AD, ad DH, quae ID, ad DF: itemque AD, ad DC, quae ED, ad DF: & [d] tam rectangulum sub HD, DI, quàm sub ED, DC, aequale erit rectangulo sub AD, DF. Sed rectangulo sub AD, DF, est [e] aequale quadratum rectae DB. Ergo & rectangulo sub HD, DI, & sub ED, DC, idem quadratum BD, aequale erit; rectaque BD, [f] erit media proportionalis tam inter HD, DI, quàm inter ED, DC. Quod erat primùm demonstrandum.



a 31. tertij Euclid.
b 32. primi Euclid.
c 4. sexti Euclid.
d 6. sexti Euclid.
e Coroll. 18. sexti, & 17. eiusdem Euclid.
f 17. sexti.
g 16. tertij.

QVOD si perpendicularis educta fuisset ex altero terminorum diametri, verbi gratia, ex A, qualis est AG, tangens circumferentiam in A, adhuc recta AD, quae ex reliquo termino D, ducitur ad punctum contactus, media esset proportionalis inter segmenta GD, DB, quae in recta, verbi gratia, DG, intercipiuntur inter circumferentiam, & perpendicularem, interque terminum D. Siquidem vt prius, triangula ABD, DAG, sunt aequiangula, & similia: [h] vel qua in triangulo rectangulo DAG, recta AB, est perpendicularis ad basim DG. [i] Quod erat demonstrandum.

ALITER. Nectantur HB, BC. Quoniam igitur duo anguli DHB, DAB, insistunt eidem arcui DB, ipsi erunt [k] inter se aequales. Sed eidem angulo DAB, aequalis est [l] angulus DBE, eò quòd in triangulo rectangulo ABD, ducta BF, sit ad basim AD, perpendicularis. Igitur & anguli DHB, DBI, in triangulis DBH, DBI, aequales erunt. Habent autem eadem triangula praeterea angulum communem ad punctum D, & consequenter reliquum reliquo aequalem. Ergo triangula dicta sunt aequiangula, habentque [m] latera proportionalia nempe HD, ad DB, vt DB, ad DI. Non aliter si ex puncto C, demittatur perpendicularis CK, secans BD, in L, ostendentur triangula DBC, DCL, esse aequiangula: & insuper [n] esse aequiangula triangulo DBE, atque iccirco [o] esse eandem proportionem ED, ad DB, quae DB, ad DC. Quod erat demonstrandum.

h Ex demonstratis.
i Coroll. 8. sexti Euclid.
k 27. tertij.
l 8. sexti. Euclid.
m 4. sexti Euclid.
n Coroll. 2 sexti Euclid.
o 4. sexti Euclid.

COROL-

A

COROLLARIVM PRIMVM.

SEQVITVR ex vtraque hac demonstratione, quòd si in semicirculo ex eius diametro erigatur perpendicularis, & ab vno terminorum diametri quotcumque rectae ducantur, secantes illam perpendicularem, & circumferentiam; rectangula comprehensa sub segmentis illarum, quae intercipiuntur inter peripheriam, & terminum diametri, & inter eundem terminum & perpendicularem omnia esse inter se aequalia. Demonstratum enim est, tum rectangulum sub HD, DI, tum rectangulum sub ED, DC, esse aequalia vel eidem quadrato rectae BD, quae media est proportionalis inter latera illorum rectangulorum, vel eidem rectangulo contento sub AD, DF. Immo hoc ipsum rectangulum est vnum ex illis, quae continentur hoc corollario, cum comprehendatur sub DA, intercepta inter terminum D, & circumferentiam, & sub segmento DF, comprehenso inter eundem terminum, & inter perpendicularem FB.

Sic etiam producta recta DC, vsque ad perpendicularem AG, erectam ex termino A, erunt rectangula sub QD, DC, & sub GD, DB, inter se aequalia. siquidem aequalia sunt eidem quadrato ex diametro AD, vt demonstratum est in propositione.

COROLLARIVM SECVNDVM.

EX priore etiam demonstratione sequitur; quòd si in semicirculo ex aliquo puncto intra diametrum sumpto ad ipsam erigatur diametrum perpendicularis, & ab vtroque extremo diametri ad vnum idemque punctum perpendicularis rectae ducantur, secantes circumferentiam: Rectangula comprehensa sub vtriusque segmentis, interceptis inter dictos terminos diametri, & inter circumferentiam, & perpendicularem, simul sumpta aequalia esse quadrato diametri. Ita namque vides, si ducantur duae rectae AB, DB, secantes circumferentiam, & perpendicularem in eodem puncto B, rectangulum sub AB, quae intercipitur inter terminum A, & inter circumferentiam, & sub AB, intercepta inter eundem terminum A, & inter perpendicularem BF, hoc est, quadratum ex recta AB, vnà cum rectangulo sub rectis DB, DB, interceptis inter idem punctum D, & inter punctum B, quod est commune perpendiculari FB, & circumferentiae, hoc est, vnà cum quadrato BD, aequale esse [a] quadrato diametri AD. Item rectangulum sub AD, DF; quod [b] est aequale quadrato DB, vnà cum rectangulo sub DA, AF, quod est aequale quadrato DB, aequale esse eidem quadrato ex diametro BD. Et denique rectangulum sub EA, AH, vnà cum rectangulo sub ED, DC, si videlicet ductae sint rectae AE, DE, ad idem punctum E, perpendicularis BF, eidem quadrato AD, aequalia esse, vt & rectangula sub HD, DI, & sub CA, CI, si ductae sint rectae DH, AC, per commune punctum I, eiusdem perpendicularis BE. Nam & illa, & ista aequalia sunt quadratis ex AB, DB, vt patet ex supra demonstratis.

a 47. primi.
b Coroll. 8. sexti, & 17. eiusdem.

SCHOLIVM.

HAEC propositio multo est vniuersalior illis, quas ex Cardano, & Ioanne Baptista, Benedicto demonstrat Clauius ad finem sexti libri Euclidis; habetque vsum amplissimum, vt ex sequentibus propositionibus constabit. Et quoniam eandem intersectionem linearum cum perpendiculari multa alia consequuntur scitu non inutilia, quamuis ad duas medias proportionales, adeoque ad propositum nostrum non omnino facere videantur: ea tamen nouem propositionibus sequentibus explicare libuit, quod in alijs demonstrationibus Geometricis saepius assumi possint. Possent eae tamen, si ad finem lector properet, sine magna iactura praetermitti.

Clauius in scholio ad finem sexti prop. 18. & 19.

THEOREMA XV. PROPOSITIO XVII.

SI IN in semicirculo ex quouis puncto intra diametrum assumpto ad ipsam erigatur perpendicularis, & ab vtroque termino diametri duae rectae ducantur se mutuò secantes intra semicirculum in aliquo puncto lineae perpendicularis: aliae duae rectae ductae ab ijsdem terminis diametri per puncta, in quibus priores duae secant circumferentiam, si producantur, concurrent etiam ipsae extra semicirculum in idem punctum erectae perpendicularis.

EX vtroque termino A, D, diametri AD, ductae sint duae rectae AC, DH, se mutuo secantes intra semicirculum ABC, in puncto I, perpendicularis FB: Dico rectas quoque AH, DC, protractas cum eadem perpendiculari concurrere in eodem puncto, verbi gratia, E. Concurrat enim recta AH, cum protracta perpendiculari FB, in E, nectaturque CE. Quoniam igitur rectangulum sub EA, AH, [a] aequale est rectangulo sub CA, AI, erunt [b] quattuor puncta A, I, C, E, in circumferentia circuli: & ideo anguli oppositi ECI, EHI, in quadrilatero HICE, [c] duobus rectis aequales. Sed angulus EHI, rectus est, vtpote aequalis angulo AHD, in semicirculo; ergo & angulus ECI, rectus erit, aequalisque angulo recto [d] ACD. Quare cùm anguli ACE, ACD, sint aequales duobus rectis, erunt [e] rectae CD, CE, vna linea recta, & consequenter protracta etiam recta DE, transibit per punctum E. Non aliter demonstrabitur rectas AC, DH, secare perpendicularem in eodem puncto I, si priùs ductae fuissent rectae AE, DE, ad punctum E, extra semicirculum secantes eiusdem circumferentiam in punctis H, C. Nam ducta, verbi gratia, AC, secante perpendicularem FB, in I, iunctisque IH, DH, erunt vt priùs, quattuor puncta H, I, C, E, in circumferentia circuli, & angulus IHE, aequalis recto ICE. [f] Atqui etiam HD, cum eadem recta AE, facit angulos rectos in puncto H. Ergo rectae HI, HD, sunt vna linea recta transiens per punctum I. Quod erat demonstrandum.

a Coroll. 16. huius.
b Schol. 36. tertij Euclid.
c 22. tertij.
d 31. tertij.
e 14. primi. Euclid.
f 31. tertij.



COROLLARIVM.

HINC est manifestum, si in quouis triangulo ex tribus angulis demittantur perpendiculares in latera opposita, ipsas sese mutuò secare in eodem puncto. Nam in triangulo oxygonio ADE, demissa sit ex E, perpendicularis EF, & circa AD, describatur semicirculus AHCD, secans latera AE, DE, in H, C, nectanturque AC, DH, quae [g] ad eadem latera AE, DE, perpendiculares erunt, Quare ex ijs, quae proximae sunt demonstrata, eaedem rectae AC, DH, se mutuò secabunt in eodem puncto I, cum perpendiculari AF, in qua se mutuò secant aliae duae AHE, DCE. Deinde sit triangulum, verbi gratia, AID, amblygonium, & ex angulo obtuso, AID, demissa perpendicularis IF, quae intra triangulum cadet: reliquae verò duae perpendiculares AH, DC, cadent in latera DI, AI, protracta. Dico easdem tres perpendiculares FI, AH, DC, concurrere in idem punctum E. Descriptus enim semicirculus circa basim AD, transibit necessario [h] per puncta HC. Cùm igitur AC, DH, intra semicirculum conueniant in eodem puncto I, perpendicularis FI; conuenient etiam rectae AH, DC, cum eadem perpendiculari in alio puncto E.

g 31. tertij.
h Schol. 31. tertij.

Postremò, quod ad triangulum rectangulum attinet, cùm in eo duae perpendiculares demissae ex angulis acutis sint, ipsamet latera trianguli circa angulum rectum, patet tertiam perpendicularem demittendam ex angulo recto se mutuò secare cum reliquis in eodem puncto, in quo existit angulus rectus. Ergo, &c.

THEO-

THEOREMA XVI. PROPOSITIO XVIII.

SI IN semicirculo ab vtroque termino diametri duae rectae ducantur, se mutuò secantes intra semicirculum, & ab eisdem terminis per puncta, in quibus ductae secant circumferentiam, ducantur aliae duae rectae, concurrentes extra semicirculum: recta, quae coniungit vtrumque punctum concursus, erit ad diametrum perpendicularis.

IN semicirculo ABCD, sequentis figurae ex terminis A,D, diametri AD, ductae sint rectae AC, DH, se mutuò secantes in I, & circumferentiam in C,H, & per C, H, ex ijsdem terminis A, D, eductae sint DC, AH, concurrentes in E. Dico rectam EI, quae nectit vtrumque punctum concursus E, I, esse perpendicularem ad diametrum AD. Producatur enim vsque ad F; atque ex I, intelligatur demissa perpendicularis IF, quae cum protracta [a] transeat per E, erit perpendicularis IF, vna, eademque linea cum recta EI, hoc est, cum recta EIF: atque iccirco etiam recta EIF, erit ad diametrum AD, perpendicularis. Quod erat demonstrandum.

[a] 17. huius.

COROLLARIVM.

HINC patet noua ratio demittendi lineam perpendicularem in datam rectam lineam ex puncto dato, Si enim data foret recta AD, & punctum E, descripto semicirculo ABD, quouis interuallo, ex quouis puncto rectae AD, iunctisque AE, DE, secantibus circumferentiam in H, & C, si iterum nectantur DH, AC, illae se mutuò secabunt in puncto I, per quod ducta recta ex puncto E, necessariò est perpendicularis ad rectam AD vt demonstratum est.

THEOREMA XVII. PROPOSITIO XIX.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto diametri erigatur perpendicularis, & per duo eiusdem puncta ab vtroque termino diametri quattuor rectae ducantur, secantes circumferentiam in quattuor punctis: rectae quae nectunt illa quattuor puncta, siue opposita, siue ad easdem partes lineae perpendicularis, se mutuò secant in eadem perpendiculari.

PER puncta I, R, perpendicularis FB, ductae sint AC, AQ, DH, DP. Dico tam rectas HQ_2 CP, quae nectunt puncta opposita, quàm rectas CQ_2 HP, nectentes puncta ad easdem partes, se mutuò intersecare in eisdem punctis lineae perpendicularis, nempe in I, O. Secet enim in primis recta CP, perpendicularem in L, & iungatur QL, quam dico protractam transire per punctum H. Nam ductae AP, DQ_2 secabunt vlteriùs [a] extensae perpendicularem in aliquo puncto G, eritque [b] rectangulum sub GA, AP, aequale rectangulo sub CA, AI, & consequenter, cùm quattuor puncta C, I, P, G, sint [c] in circumferentia circuli, erit [d] rectangulum sub CL, LP, aequale rectangulo sub GL, LI. Eademque ratione erunt quattuor puncta H, I, Q_2, G, in circumferentia circuli; & si recta QL, intelligatur producta vsque ad circumferentiam illius circuli, verbi gratia, vsque ad H, erit rectangulum sub QL, LH, rectangulo sub GL, LI, hoc est, rectangulo sub CL, LP, aequale. Vnde semicirculus ABCD, transiens per tria puncta C, Q_2 P, [e] transibit insuper per punctum H, hoc est, punctum H, erit illud, in quo se mutuò intersecant circulus descriptus per tria puncta I, Q_2 G, & circulus descriptus per tria puncta C, Q_2 P: sed tale est quoque punctum H. Ergo recta QL, protracta transibit per hoc punctum H, & consequenter HQ_2 CP, se mutuò secabunt in eodem puncto L.

[a] 16. huius. [b] 1. Coroll. 16. huius. [c] Schol. 36. tertij Euclid. [d] 35. tertij Euclid. [e] Schol. 35. tertij Euclid.



SECET deinde recta CQ_2 perpendicularem FB, in O. Dico rectam HP, transire per idem punctum O. Quia enim tam rectangulum sub CA, AI, aequale [f] est rectangulo sub QA, AR, quàm rectangulum sub HD, DI, rectangulo sub PD, DR, describetur [g] circulus tam per quattuor puncta C, I, R, Q_2 quàm per quattuor puncta H, I, R, P. Rectangulum igitur sub CO, OQ_2 aequale erit rectangulo sub IO, OR, & si intelligatur ducta HO, secare circulum per tria puncta H, I, R, descriptum in aliquo puncto P; erit quoque rectangulum sub HO, OP, aequale rectangulo sub IO, OR, hoc est, rectangulo sub CO, OQ_2. Vnde [h] semicirculus ABCD, transiens per tria puncta C, Q_2, H, transibit insuper per punctum illud P. Idem ergo punctum P, erit communis sectio semicirculi ABCD, & circuli describendi per tria puncta H, I, R; sed hic circulus transit quoque per punctum P, in quo eundem semicirculum secat recta DRP. Ergo recta HP, eadem erit cum recta HO, transibitque protracta per punctum O.

[f] 1. Coroll. 16. huius. [g] Schol. 36. tertij Euclid. [h] Schol. 36. tertij Euclid.

QVOD si loco puncti I, acceptum fuisset punctum E, extra semicirculum, ductaeque fuissent rectae AE, DE, secantes semicirculum in punctis, verbi gratia, H, C, adhuc rectae HQ_2 CP, se mutuò secarent in perpendiculari FB, in L; & rectae HP, CQ_2 protractae sibi mutuò occurrerent in puncto O. Cùm enim tunc etiam ductae rectae DH, AC, se necessariò intersecent [i] in eadem perpendiculari, nempe in I, ex hoc instituetur demonstratio vt priùs.

[i] 17. huius.

THEOREMA XVIII. PROPOSITIO XX.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto diametri erigatur perpendicularis, & ex vtroque termino diametri duae rectae ducantur, secantes circumferentiam in singulis punctis, & perpendicularem in puncto communi: rectae, quae circumferentiam contingunt in illis duobus punctis, concurrent in eodem perpendicularis puncto. Et si ab aliquo puncto perpendicularis extra semicirculum assumpto, ducantur duae rectae tangentes semicirculum: rectae ductae ad illa duo puncta contactuum ab vtroque termino diametri, eoque vel opposito, vel ad easdem partes lineae perpendicularis, concurrent cum eadem perpendiculari ad vnum idemque punctum.

EX vtroque termino A, D, diametri AD, per idem punctum I, vel E, ductae sint rectae, secantes circumferentiam semicirculi ABCD, in punctis H, C, in quibus eundem semicirculum tangant rectae HG, CG. Dico ipsas secare perpendicularem FB, in eodem aliquo puncto G. Et vicissim si ex quocumque puncto G, extra semicirculum in eadem perpendiculari assumpto ducantur duae tangentes GH, GC. Dico tam rectas AC, DH, ductas ad puncta opposita, quàm rectas AH, DC, iungentes puncta ad easdem partes, in eodem perpendicularis puncto se mutuò intersecare.

SI enim primò ductae sint rectae AC, DH, per punctum I, transibunt [a] quoque ductae AH, DC, per commune punctum E; vel si priùs ductae forent AH, DC, ad idem punctum E, secarent se mutuò etiam rectae DH, AC, in aliquo puncto I. Quo posito, habebunt duo triangula rectangula ICE, IHE, communem basim IE, qua diuisa bifariam in G, dico iunctas GC, GH, semicirculum ABCD, tangere in punctis CH, hoc est, coincidere cum duabus rectis, quas posuimus, eundem semicirculum in dictis punctis contingere. Si enim centro G, interuallo GE, vel GI, intelligatur descriptus circulus, is transibit [b] per puncta C, H, ac propterea tres rectae GC, GI, GH, aequales erunt, triangulaque GIC, GIH, isosceliа, & [c] anguli GCI, GIC, duobus GIH, GHI, erunt aequales. Sed angulo GIC, in triangulo ECI, aequalis est angulus EDF, in triangulo EFD, propterea quòd dicta triangula sint similia, vtpote similia triangulo ADC: ergo etiam angulus ADC, aequalis erit angulo ACG. Quare cùm recta AC, secet circulum ABCD, & angulus ADC, in alterno segmento sit aequalis angulo ACG, quem cum eadem recta AC, facit linea CG, in puncto sectionis C; eadem recta CG, [d] continget circulum in puncto C. Sed eandem ob causam etiam recta HG, eundem circulum tangit in H. Ergo duae rectae CG, HG, tangentes semicirculum ABCD, in punctis C, H, secabunt perpendicularem in communi aliquo puncto G.

[a] 17. huius. [b] 31. tertij Euclid. [c] 5. primi Euclid. [d] Schol. 32. tertij Euclid.

DVCANTVR iam duae rectae GC, GH, tangentes semicirculum in H, C. Dico tam rectas AC, DH, quàm AH, DC, se mutuò secare in perpendiculari FB. Secet enim in primis recta AC, dictam perpendicularem in I. Cùm igitur angulus ACG, ad punctum

ctum contactus aequalis [e] sit angulo in alterno segmento ADC, hoc est, angulo AIF, propter similitudinem triangulorum ACD, AFI, & angulo AIF, aequalis sit [f] angulus GIC, erunt etiam anguli GCI, GIC, aequales, & latera GC, GI, [g] aequalia. Quare cùm eodem modo demonstrari possit, rectae GH, aequalem fore rectam GI, quam ex perpendiculari FG, abscindit recta DH, ipsaeque tangentes GH, GC, sint [h] aequales, erit vtique recta GI, abscissa per rectam AC, aequalis rectae GI, abscissae per rectam DH, hoc est, vtraque GI, erit vna eademque linea recta, & ideo rectae AC, DH, se mutuò secabunt in perpendiculari in eodem puncto I. Immo & rectae AH, DC, se mutuò secabunt in communi puncto E, [i] vt demonstratum est suprà.

e 32. tertij Eucli.
f 15. primi Eucli.
g 6. primi Eucli.
h Corol. 36. tertij Eucli.
i 17. huius.

COROLLARIVM PRIMVM.

HINC patet; si in semicirculo, verbi gratia, ABCD, accipiantur vtcumque duo puncta H, C, ad quae ex oppositis terminis diametri ducantur rectae AC, DH, sese secantes in I: itemque aliae duae AH, DC, ad partes easdem concurrentes in E, nectanturque EI: rectas GC, GH, quae ex puncto G, in quo recta EI, secatur bifariam, ducuntur ad puncta circumferentiae C, H, eandem circumferentiam in ijsdem punctis contingere. Ex eo enim, quòd duae rectae AC, DH, itemque AE, DE, se mutuò secent in perpendiculari FE, qualis est [k] hic recta EI, & ex eo, quòd eadem EI, secta fuit bifariam in G, demonstratum est in priori parte huius propositionis rectas GC, GH, tangere semicirculum ABCD.

k 18. huius.

COROLLARIVM SECVNDVM.

EX eadem hac propositione est manifestum, si ex aliquo puncto lineae perpendicularis ducantur duae tangentes, & ab vtroque termino diametri per puncta contactus ducantur rectae, quae vt demonstratum est, necessariò sese intersecant in eadem perpendiculari, vel intra, vel extra circulum; segmentum lineae perpendicularis interceptum inter praedictam sectionem, & punctum, ex quo eductae sunt lineae tangentes, aequale esse ipsis tangentibus. Ostensum enim est in priori parte huius propositionis, tum rectas GI, GC, GE, tum rectas GI, GH, GE, aequales esse; propterea quòd G, sit centrum circuli describendi tam circa triangulum EIC, quàm circa triangulum EIH.

THEOREMA XIX. PROPOSITIO XXI.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto diametri erigatur perpendicularis, atque ex eius puncto quouis extra semicirculum assumpto duae rectae ducantur ad vtrumque terminum diametri, secantes circumferentiam, aliaeque duae eandem circumferentiam tangentes: rectae quae nectunt duo puncta sectionis circumferentiae cum terminis diametri non ad easdem partes lineae perpendicularis, se mutuò secant cum linea nectente duo puncta contactuum in vno eodemque puncto lineae perpendicularis.

EX puncto G, perpendicularis FG, ducantur in figura praecedenti duae rectae lineae GA, GD, secantes circumferentiam semicirculi in punctis PQ, aliaeque duae GH, GC, eandem circumferentiam tangentes in H, C. Dico duas rectas AQ, DP, quae iungunt duo puncta sectionum Q, P, cum duobus terminis A, D, qui non sunt ad easdem partes perpendicularis cum punctis P, Q, se mutuò secare in eadem perpendiculari cum recta CH, nectente duo puncta contactuum C, H. Et quidem rectas AQ, DP, se mutuò secare in linea perpendiculari FB, nempe in puncto R, constat ex demonstratis. [a] Quod autem etiam recta CH, transeat per idem punctum R, ita probatur. Ex puncto C, per punctum R, producatur CR, vsque ad punctum circumferentiae, quod sit H, nectaturque GH, quam dico circumferentiam contingere in H, atque adeo coincidere cum tangente GH, priùs ducta. Cùm enim super rectam AG, duo anguli AFG, AQG, existant recti, circulus circa diametrum AG, descriptus [b] necessariò transibit per puncta F, Q, & iccirco cùm in illo circulo se mutuò secent duae rectae FG, AQ, in puncto R; rectangulum sub FR, RG, erit aequale [c] rectangulo sub AR, RQ: sed eandem ob causam cùm etiam AQ, CH, se mutuò secent in semicirculo ABCD, in eodem puncto R; rectangulum sub CR, RH, aequale est eidem rectangulo sub AR, RQ. Ergo etiam rectangulum sub FR, RG, aequale erit rectangulo sub CR, RH; poteritque proinde circa [d] quattuor puncta F, H, G, C, describi circulus, quem dico insuper transire per punctum K, centrum semicirculi ABCD. Iunctis enim KC, KH, erunt in quadrilatero FKCG, duo anguli oppositi GFK, GCK, aequales duobus rectis. Quattuor igitur puncta KFGC, [e] erunt in circumferentia circuli: in ea scilicet, quae insuper transit per punctum H. Vnde rursum in quadrilatero KHGC, duo anguli oppositi KCG, KHG, erunt duobus [f] rectis aequales. Est [g] autem angulus KCG, rectus: ergo & angulus KHG, rectus erit: & recta HG, tanget [h] semicirculum ABCD, in puncto H, in quo CR, protracta eundem secat. Quod erat demonstrandum.

a 13. huius.
d Schol. 35. tertij Eucli.
e Schol. 22. tertij Eucli.
f 22. tertij Eucli.
g 18. tertij Eucli.
b 16. tertij Eucli.

SCHOLIVM.

EODEM ferè modo demonstrabimus rectas AP, DQ, transire per punctum G, si priùs ducantur duae tangentes GH, GC, nectaturque CH, secans perpendicularem in R, & per R, ducantur AQ, DP. Si enim intelligatur ducta GD, ponaturque secare circumferentiam in aliquo puncto Q, recta AR, protracta, necessariò transiret per illud punctum Q, vt demonstratum est in hac propositione. Cùm ergo etiam recta DQ, sit pars illius rectae GD, eadem protracta transibit omnino per punctum G: eodemque modo recta AP, protracta transibit per idem punctum G.

THEOREMA XX. PROPOSITIO XXII.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto diametri erigatur perpendicularis, & ex vtroque termino diametri binae rectae ducantur, secantes singulae circumferentiam in singulis punctis, & perpendicularem in eisdem, tum intra tum extra semicirculum; punctaque circumferentiae tum inter se, tum etiam cum puncto diametri, ex quo erecta est perpendicularis, tribus rectis nectantur, eademque producantur: tres anguli trianguli sic constructi diuidentur bifariam; interni quidem à linea perpendiculari, & à duabus rectis, quae eductae ab extremitatibus diametri se mutuò secant intra semicirculum; externi verò à diametro semicirculi, & à duabus rectis ab eiusdem terminis eductis, quae se mutuò secant extra semicirculum.

Et si insuper ex ijsdem punctis circumferentiae duae rectae ducantur ad centrum semicirculi, angulus, quem comprehendunt in centro, aequalis erit angulo praedicti trianguli, qui consistit ad punctum diametri, vnde erecta est perpendicularis.

IN semicirculo ABCD, cuius centrum K, ex puncto E, diametri AD, erecta sit perpendicularis FB, quam in eodem puncto I, intra semicirculum secent duae rectae DH, AC, occurrentes circumferentiae in punctis H, C; rectae verò AH, DC, ductae ab eisdem terminis AD, per eadem puncta H, C, secent [a] eandem perpendicularem extra semicirculum in puncto E, nectanturque HC, HF, CF, & producantur vtrimque, verbi gratia, vsque ad M, N, T, S. Dico tres internos angulos F, C, H, trianguli CFH, secari bifariam per rectas FB, AC, DH; & tres externos HHM, FCH, CFT, vel HFS, secari bifariam à rectis AH, DC, DF, vel AF. Et denique iunctas HK, CK, continere angulum CKH, aequalem angulo CFH.



Cùm

Cùm enim in quadrilatero AFIH, duo anguli AFI, AHI, aequales sint duobus rectis, poterit [b] per quattuor puncta A, F, I, H, describi circulus. quare angulus HFI, [c] aequalis erit angulo HAI, hoc est, angulo HAC. Sed angulo HAC, aequalis [d] est angulus HDC, & angulo HDC, hoc est, IDC, aequalis est angulus IFC, eò quòd etiam quadrilatero FICD, circumscribi possit circulus propter angulos DFI, DCI, qui duobus rectis sunt aequales: ergo etiam angulus HFI, aequalis erit angulo CFI, hoc est, perpendicularis FB, secabit angulum HFC, bifariam. Deinde in eodem quadrilatero AFIH, angulus FHI, aequalis est [e] angulo FAI, hoc est, DAC, & angulus DAC, aequalis angulo DHC: ergo & inter se aequales erunt anguli FHI, DHC, rectaque DH, secabit bifariam angulum FHC, eiusdem trianguli FHC. Eandem prorsus ob causam recta AC, secabit bifariam angulum HCF: siquidem vterque angulus HCA, ACF, aequalis est angulo HDF, seu angulo IDF.

b Schol. 22. tertij Euclid.
c 21. tertij Euclid.
d 21. tertij Euclid.
e 21. tertij Euclid.



Praeterea si ab aequalibus, nempe ex rectis angulis BFD, BFA, auferantur aequales anguli BFC, BFH, remanebunt aequales CFD, HFA. Cùm ergo eisdem sint [f] aequales AFS, DFT, erunt etiam aequales tam anguli DFC, DFT, quàm anguli AFH, AFS, atque adeo externus angulus CFT, vel HFS, secabitur bifariam à diametro AD. Item cùm tres anguli MHA, AHD, DHC, sint [g] aequales duobus rectis, & angulus AHD, sit [h] rectus, erunt duo anguli AHM, DHC, simul aequales recto AHD. Sunt autem ex paulò antè demonstratis etiam aequales anguli FHD, DHC: his ergo ablatis, ex illis remanebunt aequales AHF, AHM. Eodemque modo demonstrabuntur aequales esse anguli DCF, DCN. Atque adeo reliqui duo anguli externi FHM, FCN, triangulí FHC, secti erunt bifariam per rectas AH, DC.

f 15. primi Euclid.
g 13. primi Euclid.
h 31. tertij Euclid.

Postremò angulum HKC, aequalem esse angulo HFC, sic ostendemus. Angulus HKC, duplus est [i] anguli HDC, seu anguli IDC; sed in quadrilatero FICD, (cui potest circumscribi circulus, vt suprà demonstrauimus) angulo IDC, aequalis est [k] angulus IFC; ergo angulus HKC, duplus est anguli IFC. Est autem eiusdem etiam duplus angulus HFC; propterea quòd eum perpendicularis BF, bifariam secet. Aequales igitur sunt [l] anguli HKC, HFC. Quod erat demonstrandum.

i 20. tertij Euclid.
k 21. tertij Euclid.
l Pron. 6.

SCHOLIVM PRIMVM.

SI loco rectarum AC, DH, ductae fuissent rectae AB, DB, secantes tum perpendicularem, tum circumferentiam in vno eodemque puncto B, & per B, ducta foret recta MBV, tangens circumferentiam in eodem puncto B; adhuc verum esset, angulos FBM, FBV, quos in puncto contactus facit perpendicularis cum tangente, secari bifariam à rectis AB, DB. Erit enim angulus DBV, [a] aequalis angulo DAB, & angulus ABM, aequalis angulo ADB. Sed angulis DAB, ADB, aequales sunt [b] anguli DBF, ABF; propterea quòd in triangulo rectangulo ABD, ex angulo recto B, demissa sit perpendicularis in basim AD. Ergo & anguli DBV, DBF; itemque ABM, ABF, aequales inter se erunt: rectaeque DB, AB, secabunt angulos FBV, FBM, bifariam.

a 32. tertij Euclid.
b 8. sexti Euclid.

SCHOLIVM SECVNDVM.

CONVERSA etiam huius propositionis nullo negotio demonstrabitur in hunc modum. Sint enim in primis duo anguli BFH, BFC, qui fiunt vtrimque cum perpendiculari FB, inter se aequales; vel certè anguli AFH, DFC, qui fiunt ad diuersas partes cum diametro AD. Dico tam rectas AC, DH, quàm rectas AH, DC, se mutuò secare in perpendiculari FB, nempe in I, & E. Secet enim ducta AC, perpendicularem FB, in I, & ex D, per I, ducatur DI, secans circumferentiam in H, nectaturque HF. Per hanc ergo propositionem erit angulus BFH, aequalis angulo BFC: ac proinde recta HF, proximè ducta coincidet cum priùs ducta, & vtraque in circumferentia assignabit idem punctum H; rectaque HD, transibit per punctum I, in quo perpendicularem FB, secat recta AC. Ex quo sequitur [c] etiam rectas AH, DC, eandem perpendicularem in eodem puncto E, intersecare. Quòd si aequales fuissent constituti anguli AFH, DFC, illis ablatis ex duobus rectis BFA, BFD, remanerent aequales BFH, BFC. Immo si cum diametro AD, in puncto F, facti essent anguli DFC, DFT, productaque foret recta TF, esset rursum angulus AFH, aequalis angulo DFC, & consequenter anguli BFH, BFC, aequales. & hinc deduceretur conclusio vt priùs.

c 17. huius.

Secet deinde recta AC, perpendicularem, FB, in I, iunctaque CF, fiat angulus ACH, aequalis angulo ACF. Dico etiam rectam DH, transire per punctum I: itemque ductas AH, DC, concurrere cum eadem perpendiculari FB, in eodem puncto E. id quod ex priori parte statim sequitur; ita [d] vt satis sit probare priorem partem, nempe DH, transire per I, quod sic ostenditur. Ducatur enim recta DI, & producatur, vsque dum secet circumferentiam in puncto H; quod dico esse idem cum illo, in quo eandem circumferentiam secat recta CH, quae cum AC, ponitur, constituere angulum ACH, aequalem angulo ACF. Cùm enim duae rectae AC, DH, se mutuò secent in perpendiculari FB, nempe in I, erit per hanc propositionem angulus ACH, aequalis angulo ACF: ac proinde recta CH, quae nectit punctum H, inuentum per rectam DIH, eadem erit cum recta CH, quam initio duximus.

d 17. huius.

Quia verò ex eo, quòd angulus HCF, sectus sit bifariam per rectam AC, illico sequitur, vt patet ex superiori demonstratione, etiam reliquum angulum FCN, externum secari bifariam per rectam DC; vt è contrario ex eo, quòd angulus FCN, sectus sit bifariam per rectam DC, sequitur etiam angulum FCH, secari bifariam per rectam AC: Si igitur priùs ducta fuisset DCE, & angulo FCD, constitutus angulus aequalis DCN, rectaque NC, protracta fuisset, donec secaret circulum in H, ostenderetur etiam ducta AH, cum perpendiculari FB, concurrere in puncto E, in quo eidem occurrit recta DC: nam vt dictum est, ex eo quòd angulus FCN, sectus sit bifariam per DC, sequitur etiam, angulum FCH, sectum esse bifariam per rectam AC; atque adeo ductas AC, DH, se mutuò secare in eodem puncto I. vnde tandem concluditur, [e] etiam rectas AH, DC, in eodem puncto E, concurrere.

e 17. huius.

Neque aliter demonstrabitur tam rectas AC, DH, quàm rectas AH, DC, se mutuò intersecare in perpendiculari FE, siue angulus DHC, ponatur aequalis angulo DHF, siue angulus AHM, ponatur aequalis angulo AHF, rectaque MH, intelligatur protracta vsque ad C, vt patet ex demonstratis.

THEOREMA XXI. PROPOSITIO XXIII.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto praeter centrum erigatur perpendicularis vsque ad circumferentiam, & ex puncto circumferentiae educatur tangens concurrens cum diametro extensa; atque ex illo concursu alia ducatur linea, secans semicirculum: rectae eductae ab vtroque termino diametri ad illas intersectiones circumferentiae se mutuò secabunt in linea perpendiculari. Et si vicissim duae rectae ex vtroque termino diametri educantur ad idem punctum lineae perpendicularis, secantes circumferentiam in duobus punctis: recta quae per illa protrahitur, occurret diametro in illo puncto, in quo cum eadem concurrit linea tangens.

PRODVCATVR in figura praecedenti tangens VB, vsque dum occurrat extensae diametro in M, & ex M, ducatur altera recta MC, secans circumferentiam in HC. Dico tam rectas AC, DH, quàm AH, DC, secare perpendicularem FB, in eisdem punctis I, E. Ducatur enim FH, FC, nec non semidiameter KB, quae erit perpendicularis [a] ad MB. Et quoniam in triangulo rectangulo MKB, ex angulo recto demissa est perpendicularis in basim, nempe recta BF, erit [b] recta MB, media proportionalis inter totam basim KM, & inter eius segmentum MF; & ideo rectangulum sub KM, MF, erit [c] aequale quadrato rectae MB: sed eidem quadrato est etiam aequale [d] rectangulum sub CM, MH: ergo & inter se erunt aequalia rectangula sub KM, MF, &

a 18. tertij Euclid.
b Coroll. 8. sexti Euclid.
c 17. sexti Euclid.
d 36. tertij Euclid.

MF, & sub CM,MH ; poteritque [e] per quattuor puncta K,F,H,C, A
describi circulus. Vnde cùm in quadrilatero KFHC, circulo
inscriptibili anguli KFC, KHC, sint aequales [f] & angulo KHC,
aequalis sit [g] angulus KCH, eò quòd triangulum KHC, sit isosceles: erit etiam angulus KFC, aequalis angulo KCH; qui cùm aequalis sit etiam angulo AFH, propterea quòd vterque cum eodem angulo KFH, duobus rectis [h] aequiualeat; erunt quoque inter se aequilatera; ideoque inter se aequales erunt duo anguli KFC, AFH, & consequenter reliqui ex rectis BFC,BFH,aequales. Quare ex secundo scholio propositionis praemissae tam rectae AC,DH, quàm rectae AH, DC, se mutuò intersecabunt in perpendiculari FB. Quod erat demonstrandum.

e *Schol.36. tertij Euclid.*
f *21. tertij Eucli.*
g *5. primi Eucli.*
h *13. primi & 22. tertij Eucli.*

SINT deinde ductae AC, DH, secantes perpendicularem in I, & circumferentiam in C, H: vel duae rectae AE, DE, secantes circumferentiam in ijsdem punctis HC, & perpendicularem in E. Dico iunctam CH, transire per M, vel ductam MC, transire per H. Ducta enim MC, secante circumferentiam in aliquo puncto H, nectatur FH, quae ex proxima demonstratione efficiet angulum HFB, aequalem angulo BFC: sed etiam recta,FH, quae ducitur ex F, ad punctum H, in quo secat circumferentiam recta DIH, facit angulum BFH, aequalem angulo BFC, vt demonstratum fuit in priori parte huius propositionis: vtraque ergo FH, est vna eademque linea, punctumque H, vnum & idem: nempe id in quo circumferentiam secat ducta MC, & in quo eandem secat ducta DI; eademque est ratio rectarum AE, DC, si iterum nectantur AC,DH, vt patet.

COROLLARIVM PRIMVM.

HINC patet, si ex puncto M, ducatur quaeuis recta MC,secans circulum,nectanturque AC, DH, AH, DC, FH, FC, non solùm angulum HFC, bifariam diuidi a perpendiculari FB; sed etiam reliquos angulos FHC, FCH, à rectis DH, AC; nec non eorundem extemos FHM, FCN, CFT, vel HFS, secari bifariam per rectas AH, DC, AD. Siquidem eiusmodi sectio angulorum necessariò consequitur inter sectionem rectarum AC, C
DH, vel AE, DC, quam faciunt cum perpendiculari FE, vt demonstratum est propositione praecedente.

Immo si priùs ponantur dicti anguli secti bifariam, hoc est, verbi gratia, anguli ACF, ACH, vel anguli BFH, BFC, &c. ponantur esse aequales, constabit etiam veritas conuersae huius corollarij, nempe ductam CH, transire per punctum M: si videlicet priùs [i] demonstretur, rectas AC, DH, vel AH, DC, se mutuò secare in perpendiculari FB. Hinc enim ex posteriore parte huius propositionis sequetur, rectam CH, transire per punctum M.

i *Schol. 2. Propos. praeced.*

COROLLARIVM SECVNDVM.

SEQVITVR etiam, si ab vtroque termino diametri rectae ducantur ad quotuis puncta perpendicularis, secantes circumferentiam; rectas quae iungunt puncta illarum sectionum, omnes se mutuò secare in eodem puncto diametri. Nam quemadmodum ostensum est, rectam CH, necessariò transire per punctum M, ita demonstrabitur de quibuscumque alijs similiter ductis. D

SCHOLIVM.

SI etiam ductis rectis *AC,DH,per punctum I,vel AE,DE, per punctum E,vel constitutis angulis aequalibus, verbi gratia, BFH,BFC,&c.inuenta fuissent duo puncta H,C, & per ea ducta fuisset recta CH, occurrens diametro in M, facilè demonstraretur iunctam MB, tangere circumferentiam in B. Nam si ex puncto B, ducatur tangens, eaque occurrat diametro in aliquo puncto M, ex quo nectatur MC, haec necessariò transibit per punctum, in quo circumferentiam secat recta DI, vel recta FH, vt patet ex demonstratione huius propositionis. Cùm ergo per idem punctum H, transeat etiam prior recta CH, haec coincidet cum recta MC, quam paulò antè duximus ex puncto M, ad punctum C: ac proinde recta quoque MB, ducta ex puncto M, in quo diametro occurrit protracta CH, tanget circumferentiam in puncto B.* E

THEOREMA XXII. PROPOSITIO XXIIII.

SI IN semicirculo ex aliquo puncto diametri educatur perpendicularis, secans circumferentiam, & ex puncto sectionis educatur tangens, eaque concurrat cum diametro; & rursum ex alio puncto eiusdem perpendicularis extra semicirculum assumpto ducantur aliae duae tangentes: recta quae coniungit puncta contactuum, secabit diametrum in eodem puncto cum tangente principio ducta.

EX puncto B, praecedentis figurae, in quo perpendicularis FB, secat circumferentiam, educta sit tangens BM, secans diametrum DA, in M, atque ex puncto G, ducantur aliae duae rectae GH, GC, tangentes eandem circumferentiam in punctis HC, per quae extendatur recta CH, quam dico transire per punctum M. Si enim iungantur AC, DH, eae se mutuò secabunt [a] in perpendiculari FB, nempe in I. Demonstratum est autem in propositione praecedenti, tunc rectam CH, transire per punctum M: ergo etiam recta CH, nectens duo puncta contactuum, transibit per idem punctum M. Quod erat demonstrandum. B

a *20. huius.*

COROLLARIVM.

ET quoniam eadem est ratio de quibuscumque alijs tangentibus, quae ex quibuscumque alijs punctis lineae perpendicularis educi possent, patet rectas omnes puncta illa contactuum coniungentes transire per idem punctum M. C

THEOREMA XXIII. PROPOSITIO XXV.

SI IN diametro semicirculi praeter centrum sumatur quodpiam punctum, & ex eo erigatur perpendicularis, secans circumferentiam in puncto, in quo eandem alia recta tangit, concurritque cum diametro, erit eadem proportio tangentis ad perpendicularem, quae segmenti diametri inter tangentem, & circumferentiam ad segmentum, inter circumferentiam & perpendicularem; vel quae semidiametri ad segmentum inter centrum & perpendicularem. Item si ex eodem puncto intersectionis diametri & tangentis ducatur alia recta, secans semicirculum, & à puncto sectionis ducatur recta ad punctum diametri, vnde erecta est perpendicularis, erit adhuc eadem proportio segmenti secantis inter diametrum & peripheriam ad rectam, quae ducta est à sectione circumferentiae ad punctum diametri, vnde erecta est perpendicularis; quae segmenti diametri inter tangentem vel secantem, & circumferentiam, ad segmentum inter circumferentiam & perpendicularem; vel quae semidiametri ad segmentum inter perpendicularem & centrum. D

PRAECEDENTE figura cum sua constructione resumpta, dico eandem esse proportionem tangentis MB, ad BF, perpendicularem, vel secantis MH, ad rectam HF, vel MC, ad CF, quae segmenti MA, ad AF, vel MD, ad DF, vel AK, hoc est, DK, semidiametri ad KF, segmentum inter centrum & perpendicularem FB. E

Cùm enim in triangulis MBF, MHF, MCF, ductae rectae AB, AH, AC, [a] bisariam secent angulos MBF, MHF, MCF, & secent communem basim MF, in A, [b] erit eadem proportio laterum, quae segmentorum basis,hoc est,vt MA,ad AF,ita erit MB,ad BF, MH, ad HF & MC, ad CF. Quod autem haec proportio eadem quoque sit, quae MD, ad DF, & KA, vel KD, ad KF, sic ostenditur. Primò,quoniam in triangulo rectangulo MBK, ex angulo recto B,demissa est perpendicularis BF, in basim MK: erit eadem proportio MB, ad BF, hoc est, MA, ad AF, quae BK, ad KF, hoc est,

a *22. huius.*
b *3. sexti Eucli.*

eſt, quae KA, vel KD, ad KF, propterea quòd triangula MBF, BKF, [c] ſint aequiangula. Deinde quoniam vt MK, ad KB, vel KD, ita eſt [d] BK, ad KF, hoc eſt, KD, ad KF, erit [e] etiam componendo vt MD, ad KD, ita DF, ad KF. & permutando [f] vt MD, ad DF, ita KD, ad KF. ſed vt KD, ad KF, ita eſt, MA, ad AF, vt proximè oſtenſum eſt: ergo vt MA, ad AF, ita erit quoque MD, ad DF.

c 8. ſexti Eucli.
d Coroll. 8. ſexti Eucl.
e 18. quinti Eucli.
f 16. quinti Eucli.



Quare eadem erit proportio MB, ad BF, MH, ad HF, MC, ad CF, quae MA, ad AF: vel MD, ad DF, vel KD, ad KF; vel etiam eadem, quae MK, ad KB, hoc eſt, ad KD. Quod erat demonſtrandum.

COROLLARIVM.

HINC fit, quòd ſi in ſemicirculo ex quouis puncto diametri, praeter centrum, erigatur perpendicularis, ſecans ſemicirculum in puncto, in quo eundem altera recta tangit: quaelibet duae rectae, quae ex quouis puncto circumferentiae ducuntur ad duo puncta diametri, in quibus eandem ſecant linea tangens & perpendicularis, eandem inter ſe habebunt proportionem. Oſtenſum enim eſt, proportionem HM, ad HF; MB, ad MF; MC, ad CF, &c. eandem eſſe cum proportione MA, ad AF.

SCHOLIVM.

ILLVD etiam hoc loco breuiter libet annotare, iiſdem poſitis, quae in hac propoſitione ponuntur, rectam MC, à perpendiculari FB, ita ſecari in puncto, verbi gratia, L, vt eadem ſit proportio MH, ad HL, quae eſt MC, ad CL. Cùm enim in triangulo HFC, angulus HFC, [g] ſectus ſit bifariam à perpendiculari FB, erit eadem [h] proportio HL, ad LC, quae HF, ad FC. Deinde quoniam eſt, vt MH, ad HF, ita MC, ad CF, vt proximè demonſtrauimus, & permutando erit vt MH, ad MC, ita HF, ad CF, erit quoque vt MH, ad MC, ita HL, ad LC, & permutando vt MH, ad HL, ita MC, ad CL.

g 22. huius.
h 3. ſexti Eucli.

THEOREMA XXIIII. PROPOSITIO XXVI.

SI IN ſemicirculo ex vno terminorum diametri ducatur tangens, & ex altero termino linea ſecans tangentem, & circumferentiam, atque à puncto interſectionis circumferentiae, in diametrum demittatur perpendicularis, tota ſecans diameter ſegmentum ſecantis intra ſemicirculum, nec non ſegmentum diametri inter ſecantem & perpendicularem, erunt quattuor lineae continuè proportionales.

REPETATVR figura propoſitionis decimaeſextae, in qua ſemicirculum ABCD, tangat recta AG, in A; recta verò DG, eandem tangentem ſecet in G, & circumferentiam in B, & ex B, demiſſa ſit in diametrum, perpendicularis BF. Dico ſecantem GD, diametrum DA, ſegmentum ſecantis DB, nec non DF, ſegmentum diametri, inter ſecantem & perpendicularem, eſſe continuè proportionales. Nam AD, [a] eſt media proportionalis inter GD, BD. hoc eſt, vt GD, ad AD, ita eſt AD, ad BD: ſed vt GD, ad AD, [b] ita eſt BD, ad DF; propterea quòd triangula ADG, FDB, ſint ſimilia, propter parallelas AG, FB: ergo etiam vt AD, ad BD, ita erit BD, ad DF. ac proinde quattuor rectae GD, AD, BD, FD, erunt continuè proportionales. Quod erat demonſtrandum.

a 16. huius.
b 4. ſexti Eucli.



THEOREMA XXV. PROPOSITIO XXVII.

SI IN ſemicirculo, ab alterutro terminorum diametri applicentur duae lineae ad circumferentiam, atque à punctis, ad quae ſunt applicatae, duae cadant perpendiculares in diametrum, ſecantes viciſſim lineas initio ductas, erunt quattuor lineae interceptae inter perpendiculares, & terminum diametri continuè proportionales, in ratione applicatarum.

IN ſemicirculo ABCD, figurae praecedentis, ſint ex termino diametri D, applicatae ad circumferentiam duae rectae DB, DC, & ex punctis B, C, demiſſae ſint duae perpendiculares BF, CK, quae viciſsim ſecent applicatas; nempe BF, protracta protractam DC, in E, & CK, rectam DB, in L. Dico quattuor rectas ED, DB, DC, DL, comprehenſas inter perpendiculares FE, KC, eſſe continuè proportionales, in ratione applicatae DB, ad applicatam DC. Cùm enim DB [a] ſit media inter ED, DC, erit eadem proportio ED, ad DB, quae DB, ad DC: ſed vt ED, ad DB, ita eſt DC, ad DL, propter ſimilitudinem triangulorum DBE, DLC, eò quòd BE, LC, ſint parallelae: ergo vt BD, ad DC, ita erit quoque DC, ad DL: atque ita quattuor rectae ED, DB, DC, DL, erunt continuè proportionales in ratione DB, ad DC. Quod erat demonſtrandum.

a 16. huius.

THEOREMA XXVI. PROPOSITIO XXVIII.

SI IN ſemicirculo, ex alterutro termino diametri duae rectae applicentur ad circumferentiam, & minori illarum adiiciatur recta, ita vt tota compoſita ex minore, & adiecta, ſit ad duas applicatas tertia proportionalis maior: & ex maiori, prope terminum diametri, auferatur recta, quae ad eaſdem applicatas ſit tertia proportionalis minor: hoc eſt, rectae applicatae ſint mediae proportionales inter dictam compoſitam & ablatam: rectae quae iungunt terminos duarum maiorum, itemque duarum minorum, erunt perpendiculares ad diametrum.

HAEC eſt conuerſa praecedentis, quod attinet ad perpendiculares: demonſtraturque in eadem figura hoc modo. Sint applicatae duae rectae DB, DC, ex termino D, & minori adiuncta ſit CE, ita vt tota DE, ſit tertia proportionalis maior, ad DC, DB; & ex maiori DB, ablata ſit DL, tertia proportionalis minor ad eaſdem applicatas. Dico iunctas EBF, CLK, eſſe perpendiculares ad diametrum AD. Nectantur enim AB, AC, BC: quoniam igitur triangula EDB, BCD, DCL, habent communem angulum EDB, & circa communem angulum latera proportionalia, hoc eſt, vt ED, ad DB, ita BD, ad DC, & CD, ad DL; ipſa [a] erunt aequiangula, eruntque aequales anguli BED, CBD, LCD, ſub quibus ſubtenduntur homologa latera BD, CD, LD.

a 6. ſexti Eucli.

Deinde, quoniam angulus BCA, aequalis eſt [b] angulo BDA, & angulus BAC, aequalis eſt angulo BDC, erunt duo anguli BCA, BAC, trianguli ABC, aequales angulo EDF, qui componitur ex angulis BDA, BDC, & [c] reliquus angulus ABC, aequalis duobus reliquis DFE, DEF, trianguli DEF. Sed angulus DBC, pars ipſius ABD, aequalis eſt angulo DEF, hoc eſt, DEB, vt paulò ante oſtendimus: ergo reliquus DFE, aequalis erit reliquo ABD, qui cùm ſit [d] rectus, erit etiam DFE, rectus, hoc eſt, recta EB, erit perpendicularis ad diametrum. Eſt [e] autem CLK, parallela ipſi EF, eò quòd angulus DCL, aequalis ſit angulo, DEB: ergo & CL, ad diametrum AD, perpendicularis erit. Id quod etiam hoc modo probari poteſt. Angulus DLC, aequalis [f] eſt duobus internis & oppoſitis LDK, LKD: ſed angulo DLC, aequalis eſt angulus DCB, propterea quòd triangula DLC, DCB, ſint ſimilia: ergo & angulus DCB, aequalis erit duobus LDK, LKD. Eſt autem angulus LDK, hoc eſt, BDA, aequalis angulo BCA, parti ipſius BCD: ergo & reliquus angulus DKL, reliquo angulo ACD, nempe recto, in ſemicirculo, aequalis erit.

b 21. tertij Eucli.
c 32. primi Eucli.
d 31. tertij Eucli.
e 28. primi Eucli.
f 32. primi Eucli.

Quòd ſi vna applicatarum, nempe maior, fuiſſet diameter DA, & minor, verbi gratia, DB, rectaque DG, tertia proportionalis maior & DF, minor, adhuc iunctae AG, BF, eſſent perpendiculares ad diametrum AD. immo tunc altera illarum, nempe AG, rangeret ſemicirculum. Quia enim circa commu-

nem

nem angulum ad D, latera sunt proportionalia, in triangulis ADG, ADB, DFB, ipsi erunt[a] aequiangula, & habebunt angulos DAG, ABD, BFD, aequales, sub quibus subtenduntur homologa latera DG, DA, DB: sed angulus ABD, est rectus in semicirculo: ergo & reliqui anguli DAG, DFB, recti erunt, rectaeque AG, FB, ad diametrum AD, perpendiculares. Quod erat demonstrandum.

g sexta. sexti Eucl.

THEOREMA XXVII. PROPOSITIO XXIX.

SI IN semicirculo ex alterutro terminorum diametri duae rectae applicentur ad circumferentiam, & à puncto applicationis minoris demittatur perpendicularis ad diametrum; perque punctum applicationis maioris ex praedicto termino diametri arcus describatur, occurrens perpendiculari protractae: & denique ad punctum illud occursus recta educatur ex eodem termino diametri, haec secabit circulum, intercipietque lineam inter terminum diametri & circumferentiam, aequalem illi segmento maioris lineae applicatae, quod comprehenditur inter eundem terminum diametri & perpendicularem. Et vicissim si ex illo termino diametri, interuallo, quod aequale sit segmento lineae maioris applicatae, intercepto inter terminum diametri & perpendicularem, describatur arcus, secans circumferentiam semicirculi; rectaque ex eodem termino diametri per illud punctum sectionis circumferentiae extendatur vsque ad perpendicularem, aequalis erit maiori termino lineae ab initio applicatae.

ESTO, in primis in semicirculo superioris figurae maior applicatarum ex termino D, sit ipsa diameter DA; minor verò sit DB; & ex B, cadat in diametrum perpendicularis BF, quam protractam secet arcus AE, descriptus centro D, interuallo maioris applicatarum DA; nectaturque DE, secans circumferentiam semicirculi in C. Dico rectam DC, aequalem esse rectae DF, hoc est, segmento maioris DA, intercepto inter terminum D, & perpendicularem FB, vel quod idem est, dico arcum descriptum ex D, interuallo DC, transire per F; & vicissim si centro D, interuallo DF; arcus describatur, secans circumferentiam in C, ductaque DC, extendatur vsque ad protractam perpendicularem FB, verbi gratia, vsque in E, rectam DE, aequalem fore ipsi DA, hoc est, arcum descriptum ex D, interuallo DE, transire per punctum A.

Quoniam enim recta FBE, est perpendicularis ad diametrum AD, erit[a] ED, ad BD, sicut BD, ad DC: sed vt ED, ad DB, hoc est, vt AD, ad DB, ita est[b] in triangulo rectangulo ABD, DB, ad DF: ergo[c] etiam vt DB, ad DC, ita erit eadem DB, ad DF; ac proinde DC, DF,[d] aequalis erit. Eodem modo si priùs descriptus sit arcus FC, hoc est, DF, DC, ponantur aequales, ostendentur aequales esse DE, DA. Cùm enim iterum recta FE, sit ad diametrum perpendicularis, erit vt CD, ad DB, ita DB, ad DE: sed vt CD, ad DB, hoc est, FD, ad DB, ita DB, ad DA; ergo vt DB, ad DE, ita erit eadem DB, ad DA, & consequenter recta DE, aequalis ipsi DA.

a 16. huius. b Corol. 8. sexti Eucl. c 11. quinti Eucli. d 9. quinti Eucli.

Aliter sine proportionibus. Quoniam in triangulis ACD, DFE, duo anguli ACD, ADC, aequales sunt duobus angulis EFD, EDF, nempe praeter communem angulum ad D, rectus alter est aequalis alteri recto, & praeterea latera AD, DE, quae aequalibus angulis similiter opponuntur, ponuntur aequalia, erunt[e] etiam reliqua latera reliquis lateribus aequalia, nempe DC, ipsi DF. Si autem aequalia ponantur latera, DC, DF, ea adiacebunt aequalibus angulis praedictis; ac propterea iterum reliqua latera reliquis lateribus erunt aequalia, nempe DE, ipsi DA, & EF, ipsi AC.

e 26. primi Eucl.

Sint deinde applicatae duae rectae DB, DC, & ex C, puncto applicationis minoris demittatur perpendicularis CK, secans maiorem in L. & centro D, interuallo DB, describatur arcus, occurrens perpendiculari KC, protractae in R, nectaturque DR, circumferentiae occurrens in M. Dico segmentum DM, aequale esse segmento DL. Et si vicissim centro D, interuallo DL, describatur arcus, secans circumferentiam in M, & ex D, per M, extendatur recta DM, vsque ad perpendicularem KR, rectam DR, fore aequalem rectae DB. Nam recta DC, quae ex termino D, applicata est ad punctum C, vbi circumferentiam secat perpendicularis KC, [f] erit media proportionalis tam inter rectas BD, DL, quàm inter rectas RD, DM, hoc est, vt BD, ad DC, vel RD, ad DC, ita erit DC, tum ad rectam DL, tum ad rectam DM: aequales igitur sunt[g] rectae DL, DM, quemadmodum & DB, DR, ponuntur aequales. Eodem modo, si aequales ponantur DL, DM, erit vt DL, vel DM, ad DC, ita DC, ad DB, vel ad DR; ac proinde rectae DB, DR, aequales erunt. Quod erat demonstrandum.

f 16. huius. g 9. quinti Eucli.

COROLLARIVM.

HINC patet, si vt in propositione, praecipitur, ducantur arcus BR, LM, quorum ille secet perpendicularem KC, in R, hic verò circumferentiam in M, rectam eductam ex D, ad alterum punctorum, MR, transire per reliquam. Demonstratum enim est, si ducatur recta DR, eius segmentum DM, aequale esse segmento DL, & si ducatur DM, & producatur vsque ad perpendicularem KC, in R, rectam DR, aequalem fore rectae DB.

THEOREMA XXVIII. PROPOSITIO XXX.

SI IN semicirculo ab alterutro terminorum diametri duae rectae applicentur ad circumferentiam, & ex eodem termino duo arcus describantur interuallo applicatarum, secantes vicissim applicatas: recta connectens puncta sectionum, erit ad diametrum perpendicularis, & quae ex altero punctorum sectionis in diametrum demissa fuerit perpendicularis, ea transibit per reliquum punctum.

IN eadem figura sint primò applicatae DA, DC, & centro D, interuallis DA, DC, descripti arcus secent easdem applicatas in F, E. Dico rectam EF, quae nectit puncta sectionum F, E, esse perpendicularem ad diametrum AD: & si ex F, in diametrum demittatur perpendicularis, dico eam cadere in punctum F: & vicissim si ex F, erigatur perpendicularis, dico eam transire per punctum E. Ducta enim recta AC, erunt duo latera AD, DC, trianguli ACD, aequalia duobus lateribus ED, DF, trianguli DEF. Est autem insuper communis angulus ADE: ergo etiam[a] reliqui anguli reliquis angulis aequales erunt; nimirum angulus ACD, angulo DFE; sed ille est rectus: ergo & hic. Rursum si EF, ponatur perpendicularis ad DA, ducta ex E, erunt duo anguli EFD, EDF, aequales duobus angulis ACD, ADC, & latera DE, DA, rectis angulis opposita, aequalia; ac proinde etiam reliqua latera DF, DC,[b] erunt aequalia. Si verò ex E, ponatur erecta perpendicularis FE, in ijsdem triangulis, angulis praedictis adiacebunt aequalia latera DF, DC: quare etiam reliqua latera DA, DE, erunt aequalia, hoc est, perpendicularis FE, transibit per punctum E, in quo arcus DE, secat applicatam DC.

a 4. primi Eucli. b 26. primi Eucli.

Deinde sint applicatae rectae AB, DM, & iterum descripti arcus ER, ML, centro D. secantes applicatas in R, L. Dico rectam RL, protractam vsque ad K, perpendicularem esse ad eandem diametrum. Ex puncto enim R, intelligatur in diametrum demissa perpendicularis, secans circumferentiam in C, ducaturque recta DC, [c] quae erit media proportionalis tam inter rectas RD, DM, quàm inter rectas BD, DL, sumendo DL, pro ea, quae intercipitur inter punctum D, & inter perpendicularem RK, hoc est, vt DR, ad DC, vel DB, ad DC, ita erit DC, ad DM, & ad DL: ac proinde RK, perpendicularis abscindet ex DB, rectam DL, aequalem ipsi DM: sed etiam recta RL, abscindet ex eadem DB, rectam BL, ipsi DM, aequalem: ergo recta RL, coincidet cum recta RK: & iccirco ad diametrum AD, perpendicularis existet. Eodem modo si ex puncto L, fuisset ducta ad diametrum perpendicularis LK, quae protracta secet circumferentiam in C, & DM, protractam in R, iunctaque fuisset DC, ea esset media proportionalis tam inter DL, DB, quàm inter DM, DR, hoc est, vt DL, ad DC, vel DM, ad DC, ita foret eadem DC, ad DB, & ad DR: ac proinde DB, DR, aequales existerent; vel quod idem est, perpendicularis KL, transiret per R, in quo rectam DM, secat arcus BR. Quod erat demonstrandum.

c 16. huius.

THEOREMA XXIX. PROPOSITIO XXXI.

SI IN semicirculo ex alterutro terminorum diametri duae rectae applicentur, & ex eodem termino duo arcus describantur interuallo applicatarum, secantes vicissim applicatas, rectaque ducatur, nectens puncta sectionum; vel certè ex alterutro punctorum sectionis in diametrum demittatur perpendicularis, secans circumferentiam semicirculi; recta quae ad illud punctum circumferentiae applicatur ex praedicto termino diametri, erit media proportionalis inter applicatas.

IN eadem figura sint primò applicatae DA, DC, centroque D, interuallo DA, & DC, descripti sint arcus, secantes vicissim applicatas in EF, rectaturque EF; vel ex E, demittatur perpendicularis in diametrum DA; vel denique ex F, ad eandem diametrum erigatur perpendicularis: omnes enim istae lineae sunt vna & eadem linea recta, vt constat ex praecedenti propositione; secabuntque circumferentiam in eodem puncto, verbi gratia, B. Dico iunctam DB, esse mediam proportionalem inter DA, DC. Cùm enim EF, sit perpendicularis, vel ex hypothesi, vel ex praecedente propositione, erit [a] vt AD, ad DB, vel vt DE, ad DB, ita DB, ad DC.



a 16. huius.

Deinde sint applicatae rectae DB, DM, & descripti arcus BR, ML: ducta igitur RL, [b] erit perpendicularis ad AD, coincidetque cum vtraque perpendicularium, quae demitteretur ex vtrolibet punctorum R, L, in eandem diametrum AD. Vnde si ad punctum C, in quo perpendicularis RLK, secat circumferentiam, ducatur DC, ipsa erit [c] media proportionalis inter applicatas DB, DM. Quod erat demonstrandum.

b 30. huius.

c 16. huius.

THEOREMA XXX. PROPOSITIO XXXII.

SI IN semicirculo ex vno terminorum diametri, applicentur tres lineae continuè proportionales, quae ex puncto applicationis mediae in diametrum cadit perpendicularis, abscindet ex maiori aequalem minori. & ex minori protracta rectam aequalem maiori.

SINT primò in eadem figura ex termino D, applicatae tres rectae DA, DB, DC, continuè proportionales, & ex B, in diametrum cadat perpendicularis BF, secans DA, in F, & DC, protractam in E. Dico DE, DC; itemque DA, DE, esse aequales. Nam vt DA, ad DB, ita [a] est DB, ad DF; sed vt DA, ad DB, ita est ex hypothesi DB, ad DC: ergo vt DB, ad DF, ita erit eadem DB, ad DC: aequales igitur sunt DF, DC. Eodem modo, quoniam est [b] vt DC, ad DB, ita DB, ad DE; & vt DC, ad DB, ita ex hypothesi DB, ad DA, erit quoque vt DE, ad DE; ita eadem DB, ad DA: ac proinde etiam DA, DE, aequales erunt. Quod erat demonstrandum.

a 16. huius.

b 16. huius.

Sint secundò applicatae tres rectae DB, DC, DM, continuè proportionales, & perpendicularis CK, secet maximam DB, in L, & minimam protractam in R. Dico DL, DM, itemque DB, DR, esse aequales: cùm enim ob perpendicularem CK, iterum sit vt DB, ad DC, ita DC, ad DL, & ex hypothesi, vt DB, ad DC, ita DC, ad DM: & iccirco DL, DM, erunt aequales. Non aliter demonstrabuntur aequales esse DB, DR. Quod erat demonstrandum.

THEOREMA XXXI. PROPOSITIO XXXIII.

SI IN semicirculo ex altero terminorum diametri applicentur duae rectae ad circumferentiam, & ex punctis circumferentiae demissae perpendiculares vltra circumferentiam producantur, secantes vicissim applicatas; atque ex termino diametri, interuallo maioris applicatarum describatur arcus, secans perpendicularem demissam ex termino minoris; vel si eodem centro arcus describatur interuallo rectae interceptae inter praedictum terminum & dictam perpendicularem, qui fecet circumferentiam; linea quae ex eodem termino, per illam sectionem perpendicularis vel circumferentiae extenditur vsque ad perpendicularem, demissam ex termino maioris applicatae, vnà cum minore applicatarum protracta vsque ad eandem perpendicularem, superaddet rectis applicatis duas alias maiores continuè proportionales. Et si ex puncto intersectionis circumferentiae cum arcu proximè descripto demittatur alia perpendicularis; haec abscindet ex minore applicatarum rectam, quae cum ea, quae intercipitur inter terminum diametri, & dictam intersectionem circumferentiae, substituit eisdem applicatis duas alias minores in eadem proportione continua applicatarum.

APPLICATAE sint iterum in eadem figura in primis diameter DA, & recta DB, ductisque perpendicularibus AQ, FB, super eadem diametro AD, quae secent applicatas in punctis F, G, describatur centro D, interuallo DA, arcus AE, occurrens perpendiculari FB, in E, vel eodem centro D, interuallo DF, describatur arcus FC, secans circumferentiam in C: recta enim quae ducta fuerit ex D, ad vtrumlibet punctorum E, C, necessariò transibit per reliquum punctum, vt suprà demonstratum est. [a] Dico igitur, si DCE, & DB, producantur vsque ad perpendicularem AQ, in Q, & G, rectas DQ, DG, esse continuè proportionales cum applicatis DA, DB: itemque ducta recta CK, ad diametrum perpendiculari, & secante rectam DB, in L, rectas DC, DL, eisdem DA, DB, similiter esse proportionales. Cùm enim parallelae sint rectae AQ, FE, erit [b] eadem proportio DQ, ad DG, quae DE, ad DB; sed vt DE, ad DB, hoc est, DA, ad DB, [c] ita est in triangulo rectangulo ADG, (ex cuius angulo recto A, ad basim DG, cadit perpendicularis AB,) recta DG, ad DA, hoc est, DG, ad DE: ergo etiam vt DQ, ad DG, ita erit DG, ad DE, vel ad DA, & DA, ad DB. Quare rectae DQ, DG, erunt continuè proportionales cum rectis DA, DB. Imino propter FE, KC, perpendiculares, [d] est quoque vt DE, hoc est, DA, ad DB, vel DB, ad DC, ita DC, ad DL: ergo etiam DC, DL, cum eisdem DA, DB, continuè erunt proportionales.

a 29. huius.

b 2. sexti Eucli.

c Coroll. 8. sexti Eucl.

d 16. huius.

Sint secundò applicatae rectae DB, DC, ductaeque perpendiculares FB, KC, secantes applicatas in E, L, & centro D, interuallo DB, vel DL, descripti sint duo arcus BR, LM, quorum ille perpendicularem KC, secet in R, hic verò circumferentiam in M, & per M, vel R, ex puncto D, extendatur recta DMRO, vsque ad perpendicularem FB. Et denique ex M, demittatur in diametrum perpendicularis MP, secans minorem applicatam DC, in N. Dico ipsis DB, DC, in continua proportione adiectas esse duas DO, DE, maiores, & duas minores DM, DN. Nam in primis rectas DR, DM, esse vnam rectam lineam, constat ex [e] demonstratis. Deinde perpendiculares FO, KR, PM, [f] erit vt DO, ad DE, ita DR, ad DC: sed vt DR, ad DC, hoc est, DB, ad DC, ita est [g] DE, ad DB; cùm DB, sit media proportionalis inter DE, DC. Ergo vt DO, ad DE, ita erit DE, ad DB, & DB, ad DC, hoc est, DR, ad DC. Est autem vt DR, ad DC, vel DB, ad DC, ita [h] DC, ad DL, vel DM; & DM, ad DN. Sex igitur lineae DO, DE, DB, DC, DM, DN, continuè proportionales erunt. Quod erat demonstrandum.

e Corollar. 29. huius.

f 2. sexti Eucli.

g 16. huius.

h 16. huius.

THEO-

A

THEOREMA XXXII. PROPOSITIO XXXIIII.

SI DIAMETER circuli secetur in quotuis partes continuè proportionales, communem habentes terminum cum diametro quae sit maxima partium proportionalium, atque à reliquis earum terminis excitentur perpendiculares ad diametrum, secantes circumferentiam; rectae quae à termino communi applicantur ad illas sectiones circumferentiae, sunt continuè proportionales, eademque mediae inter diametrum, & singulas eius partes.

B

DIAMETER DA, praecedentis figurae sit continuè proportionalis cum suis partibus DF, DK, DP, erectisque perpendicularibus FB, KC, PM, secantibus circumferentiam in B, C, M, applicentur à termino communi D, rectae DB, DC, DM. Dico eas continuè esse proportionales, ac medias inter diametrum, & singulas partes. hoc est, DB, mediam esse inter DA, DF: DC, mediam inter DA, DK; & denique DM, mediam esse inter DA, & DP. Quorum posterius constat ex [a] supradictis: siquidem diameter DA, secat perpendiculares FB, KC, PM, in F, K, P, & rectae DB, DC, DM, applicatae sunt ex D, ad earundem terminos B, C, M. Quod faciliùs etiam constat ex corollario propositionis octauae libri sexti Euclidis.

a 16. huius.

Prior verò pars ostenditur hoc modo. Quoniam enim DB, est media proportionalis inter DA, DF, vt praedixitmus, erit eadem proportio DA, ad DB, quae DB, ad DF. Sed DF, est aequalis ipsi DC, eò quòd vtraque sit media proportionalis inter DA, DK, illa quidem ex hypothesi, [b] haec verò per praemonstrata: ergo etiam DA, ad DB, erit eadem proportio, quae DB, ad DC. Deinde quoniam DA, DF, DK, DP, sunt quattuor lineae proportionales, & recta DM, media est proportionalis inter minimam DP, & maximam DA, vt proximè ostendimus, [c] erit eadem DM, quoque media proportionalis inter reliquas DK, DF. Sed recta DB, est etiam ipsa media proportionalis inter DF, DA, & tres rectae DK, DF, DA, sunt continuè proportionales: [d] ergo omnes quinque lineae DA, DB, DF, DM, DK, erunt continuè proportionales, hoc est, vt DA, ad DB, ita erit DB, ad DF, hoc est, ad DC, & DC, ad DM. Posset hoc ipsum aliter demonstrari nulla habita praecedentium Lemmatum ratione. Ex hypothesi namque eadem est proportio DA, ad DF, quae DF, ad DK: & vt DF, ad DK, ita est [e] (ob similitudinem triangulorum DFB, DKL,) DB, ad DL; erit igitur vt DA, ad DF, ita DB, ad DL; & permutando, vt DA, ad DB, hoc est, [f] vt DB, ad DF, ita DF, ad DL. Cùm igitur etiam recta DC, media sit [g] inter easdem DB, DL, ipsa erit aequalis rectae DF, eritque eadem proportio BD, ad DC, quae BD, ad DF, hoc est, quae DA, ad DB. Igitur tres rectae DA, DB, DC, sunt continuè proportionales. Deinde quoniam etiam tres rectae DF, DK, DP, sunt continuè proportionales, erit [h] ob parallelas FB, KC, PM, eadem proportio DB, ad DL, quae DC, ad DN, cùm illa sit eadem, quae DF, ad DK, & haec eadem, quae DK, ad DP. Permutando igitur erit DB, ad DC, etiam eadem, quae DL, ad DN, sed vt DB, ad DC, ita est [i] DC, ad DL: ergo DL, media est proportionalis inter DC, DN, sed etiam DM, est [k] media proportionalis inter easdem: ergo DL, DM, erunt aequales, ac proinde eadem proportio DB, ad DC, quae DC, ad DM. Quod erat demonstrandum.

b 16. huius.

c lemm. 3. cap. 1. huius.

d 3. lemma cap. 1. huius.

e 4. sexti Eucli.

f Coroll. 8. sexti Eucl.

g 16. huius.

h 2. sexti Eucli.

i 16. huius.

k 16. huius.

COROLLARIVM.

EX posteriore hac demonstratione patet, non solùm quando partes diametri cum tota diametro sunt continuè proportionales, sed etiam quando dumtaxat inter se sunt proportionales; applicatas ad circumferentiam, iuxta ea quae in propositione statuuntur, esse continuè proportionales: ex eo enim solùm, quòd DF, DK, DP, essent proportionales, ostendimus etiam applicatas DB, DC, DM, esse continuè proportionales.

THEOREMA XXXIII. PROPOSITIO XXXV.

SI IN semicirculo vnà cum diametro ab alterutro terminorum diametri applicentur ad circumferentiam quotcumque lineae continuè proportionales; atque à punctis circumferentiae, ad quae sunt applicatae, cadant perpendiculares: hae secabunt diametrum in partes continuè proportionales; ipsaeque applicatae erunt mediae inter diametrum, & singulas eius partes.

C

APPLICATAE DB, DC, DM, in eadem figura sint cum diametro DA, continuè proportionales, & ex punctis B, C, M, cadant perpendiculares BF, CK, MP. Dico etiam diametrum DA, cum suis partibus DF, DK, DP, continuè esse proportionales; & applicatam DB, mediam esse inter DA, DF; & DC, mediam inter DA, DK; & DM, mediam esse inter DA, DP, quorum hoc constat iterum; illud verò probatur hoc modo. Recta BD, media est proportionalis inter DA, DC, ex hypothesi: & eadem BD, media est inter AD, & DF; [a] ergo DF, & DC, sunt aequales. Rursus DC, eadem ratione est [b] media proportionalis inter DA, DK; ergo & DF, quae est aequalis ipsi DC, erit media proportionalis inter DA, DK, ac proinde tres rectae DA, DF, DK, erunt continuè proportionales. Praeterea, quia vt DA, ad DF, ita est DF, ad DK, vt proximè ostendimus, & vt DF, ad DB, hoc est, vt DC, ad DB, ita est DM, ad DC, hoc est, DM, ad DF: ergo ex aequalitate perturbata erit quoque DA, ad DB, vt DM, ad DK. Sed DA, ad DB, est sicut DC, ad DM, ex hypothesi, hoc est, sicut DF, ad DM: ergo vt DF, ad DM, ita erit DM, ad DK. Quare cùm vna, & eadem DM, sit media proportionalis tum inter DF, DK, tum inter DA, DP, sitque DA, maxima, & DP, minima; erit [c] quoque eadem proportio DA, ad DF, quae DK, ad DP; sed DA, ad DF, est eadem, quae DF, ad DK, vt paulò antè ostensum est: ergo quattuor lineae DA, DF, DK, DP, continuè sunt proportionales. Id quod etiam sine sexto lemmate probabitur, hoc modo. Quoniam tres rectae DB, DC, DM, ponuntur continuè proportionales, & ex puncto C, cadit perpendicularis CLK, erit [d] DL, aequalis ipsi DM. Et quia vt DC, ad DM, ita est [e] DM, ad DN, erit quoque vt DC, ad DM, hoc est, vt DB, ad DC, ità DL, ad DN, & permutando, vt DB, ad DL, ita DC, ad DN: sed ob parallelas FB, KC, PM, vt DB, ad DL, ita DC, ad DN: sed ob parallelas FB, KC, PM, vt DB, ad DL, ita est, DF, ad DK; & vt DC, ad DN, ita est DK, ad DP. Ergo etiam vt DF, ad DK, ita erit DK, ad DP. Quod erat demonstrandum.

a 16. huius, & ex coroll. propos. 8. lib. 6. Eucli.

b 16. huius, vel ex coroll. propos. 8. lib. 6. Eucli.

DA. DM.
DF. DK.
DB. DK.

c 6. lemm. cap. 1. huius.

d 32. huius.

e 16. huius.

D

COROLLARIVM.

SI ETIAM haec posterior demonstratio diligentiùs consideretur, facilè apparebit, quotcumque, & vtcumque ab vno termino diametri applicatis continuè proportionalibus ad circumferentiam, si à punctis applicationis cadant perpendiculares in diametrum, partes diametri continuè proportionales fore: neque enim haec posterior demonstratio pendet ex eo, quòd applicatae sint continuè proportionales cum diametro.

E

THEOREMA XXXIIII. PROPOSITIO XXXVI.

SI DIAMETER semicirculi diuidatur in quotuis partes, continuè proportionales, communem habentes terminum cum diametro, quae sit maxima partium proportionalium; atque à reliquis earum terminis excitentur perpendiculares, quarum quae ex termino diametri erigitur, circulum tangat, reliquae eundem secent: rectae quae ex termino communi diametri applicantur ad illas sectiones circumferentiae si producantur vsque ad tangentem, ipsae erunt continuè proportionales cum applicatis, quemadmodum & illae, quae intercipiuntur inter eundem communem terminum, & perpendicularem eductam ex termino partis minimae.

SIT, in eadem figura, diameter DA, cum suis partibus DF, DK, DP, continuè proportionalis, & AS, tangat semicirculum in A; reliquae verò perpendiculares eductae ex terminis F, K, P, eundem secent in punctis B, C, M, ad quae ex termino D, communi, applicentur rectae DB, DC, DM, quae protractae secent tangentem AS, in G, Q, S: perpendicularem verò PM, in M, N, T. Dico tum rectas DS, DQ, DG, tum rectas DN, DT, DP, esse continuè proportionales cum applicatis DA, DB, DC, DM. Si enim praeter rectas, AB, AC, intelligatur quoque ducta AM, ipsae in triangulis rectangulis ADS, ADQ, ADG, erunt perpendiculares ad bases DS, DQ, DG, eò quòd anguli ABD, ACD, AMD, in semicirculo sint [a] recti, ac proinde eadem recta DA, [b] erit media proportionalis, tam inter rectas DS, DM, quàm inter rectas DQ, DC; nec non inter rectas DG, DB.



a 31. tertij Eucli.
b Coroll. 8. sexti Eucl.

Sed inter quattuor lineas DS, DQ, DC, DM, maxima est DS, & minima DM, (est enim [c] DS, maior, quàm DQ, quia in triangulo DQS, opponitur obtuso angulo Q, & DC, maior, quàm DM, vt patet ex demonstratis, [d] & inter quatuor DQ, DG, DB, DC, maxima est DQ, minima DC. Ergo [e] eadem erit proportio DS, ad DQ, quae DC, ad DM: & eadem DQ, ad DG, quae DB, ad DC. Est autem DB, ad DC, eadem, quae DC, ad DM, vel DA, ad DB, eò quòd applicatae DA, DB, DC, DM, sint [f] continuè proportionales: ergo etiam DS, ad DQ, eadem erit, quae DQ, ad DG. Et quoniam etiam DG, ad DA, est, vt DA, ad DB, vt praediximus; erunt omnino septem lineae, DS, DQ, DG, DA, DB, DC, DM, continuè proportionales: immo & reliquae tres DN, DT, DP, cum eisdem in continua erunt proportione, propterea quòd propter parallelas AS, PM, proportio DM, ad DN, & DN, ad DT, & DT, ad DP, eadem sit, [g] quae DS, ad DQ, & DQ, ad DG, & DG, ad DA; quam monstrauimus esse continuam.

c 19. primi Eucli.
d Schol. 15. tertij Eucl.
e 6. lemm. cap. 1. huius.
f 34. huius.
g 2. sexti Eucli.

COROLLARIVM.

QVOD si solùm habeatur ratio trium partium DF, DK, DP, adhuc tamen interceptae inter punctum D, & perpendiculares FO, PM, erunt continuè proportionales cum applicatis DB, DC, DM. Cùm enim [h] ex eo, quòd DF, DK, DP, sint continuè proportionales; sitque [i] vt DC, ad DM, ita DM, ad DN, hoc est, [k] DO, ad DE, & vt DB, ad DC, ita DC, ad DL, & DE, ad DB, & DN, ad DT, erunt omnino rectae DO, DE, DB, DC, DM, DN, DT, continuè proportionales, & ita de reliquis, si plures fuissent partes diametri continuè proportionales.

h Corollar. 34. huius.
i 16. huius.
k 2. sexti Eucli.

THEOREMA XXXV. PROPOSITIO XXXVII.

SI EX vno terminorum diametri erigatur tangens semicirculum, atque ad eam ex altero termino applicentur quotcumque lineae continuè proportionales cum diametro; harum segmenta contenta inter communem terminum, & circumferentiam, erunt in continua cum illis proportione: & si ex puncto circumferentiae, in quo eam secat maxima applicatarum, cadat perpendicularis in diametrum, ea secabit reliquas applicatas, eruntque segmenta earundem intercepta inter communem terminum diametri, & ductam perpendicularem in eadem continua proportione; ita vt minima sit segmentum diametri inter communem terminum, & dictam perpendicularem.

RECTAE DS, DQ, DG, sint in eadem figura applicatae ad tangentem AS, continuè proportionales cum diametro DA, secantes circumferentiam in M, C, B, & ex M, cadat perpendicularis MP, secans diametrum in P, & applicatas in N, T. Dico omnes decem lineas DS, DQ, DG, DA, DB, DC, DM, DN, DT, DP, continuè proportionales esse. Nam rursus vt in praecedente propositione, erunt rectae AB, AC, AM, si forent ductae, perpendiculares ad rectas DS, DQ, DG, ac proinde [a] AD, media proportionalis inter applicatas, & inter earum segmenta intra semicirculum, & consequenter [b] eadem erit proportio DS, ad DQ, quae DC, ad DM, & DQ, ad DG, quae DB, ad DC: sed DS, DQ, DG, sunt continuè proportionales: ergo & DB, DC, DM. Sed etiam DG, ad DA, est, vt DA, ad DB: ergo etiam DA, cum eisdem continuabit eandem proportionem, quemadmodum & rectae DM, DN, DT, DP, quae propter parallelas AS, PM, sunt in eadem proportione cum applicatis ad tangentem. Quod erat demonstrandum.

a Coroll. 8. sexti Eucl.
b Lemm. 6. cap. 1. huius.

COROLLARIVM PRIMVM.

SI ex reliquis punctis circumferentiae, in quibus eam secant reliquae ad tangentem applicatae, demittantur aliae perpendiculares in diametrum; illae secabunt diametrum in partes continuè proportionales. [c] Siquidem hic demonstratum est, etiam segmenta applicatarum, quae sunt intra semicirculum, esse continuè proportionalia.

c 35. huius.

COROLLARIVM SECVNDVM.

EODEM etiam ferè modo demonstrabitur, rectas DB, DC, DM, esse continuè proportionales, cum segmentis, DM, DN, DT, si rectae DO, DE, DB, applicatae ad perpendicularem FO, continuè ponantur proportionales. Nam vt DO, ad DE, ita [d] erit DM, ad DN, hoc est, [e] DC, ad DM, & vt DE, ad DB, vel DN, ad DT, ita DC, ad DL, hoc est, DB, ad DC. Ac proinde dictae rectae DO, DE, DB, DC, DM, DN, DT, erunt continuè proportionales.

d 4. vel 2. sexti Eucl.
e 16. huius.

THEOREMA XXXVI. PROPOSITIO XXXVIII.

SI DIAMETER semicirculi diuidatur in quotuis partes continuè proportionales, communem habentes terminum diametri, quae sit maxima partium proportionalium, atque à reliquis earum terminis excitentur ad diametrum perpendiculares, quarum quae ex altero termino diametri, semicirculum tangat, reliquae secent; & à termino communi ad illas sectiones applicentur rectae, eaedemque producantur vsque ad tangentem: vnaquaeque earum secabitur à reliquis perpendicularibus in proportionem continuam partium diametri; & quarumlibet duarum proximarum segmenta intercepta inter commu-

communem terminum diametri, & singulas perpendiculares, erunt alternatim continuè proportionales in ratione rectarum ad circumferentiam applicatarum: item binae quaelibet non proximae, inter quas scilicet altera intercedit, habebunt eas partes aequales, quae continentur inter communem terminum diametri, & duas quaslibet perpendiculares proximas: & denique segmenta applicatarum inter communem terminum, & perpendiculares erunt quoque ordine continuè proportionales.

A

DVAE sint in eadem figura continuè proportionales DA, DF, DK, DP, sitque ducta tangens AS, cum perpendicularibus FB, KC, PM, & ad puncta B, C, M, applicatae sint DB, DC, DM, & protractae vsque ad tangentem AS, ad puncta GQS. Quibus positis, manifestum est eas secari proportionaliter in ratione continua partium diametri DA, à perpendicularibus FB, KC, PM, eò quòd omnes sibi invicem sint parallelae, vt patet, [a] hoc est, DS, DO, DR, DM; itemque DQ, DE, DC, DN, nec non DG, DB, DL, DT, esse continuè proportionales, in ratione, quae est inter partes diametri DA, DF, DK, DP. Dico insuper segmenta duarum DS, DQ, quae sunt duae proximae, itemque segmenta DQ, DG, nec non segmenta duarum DG, DA, esse alternatim continuè proportionalia, ita vt sit eadem proportio, verbi gratia, DG, vnius ad alteram DA, quae huius eiusdem DA, ad segmentum alterius DB; & rursum huius segmenti DB, ad alterius segmentum DF, itemque DF, ad DL, & DL, ad DK, & DK, ad DT, & denique DT, ad DP.

a Schol. 4. sexti Eucl.

B

Nam primùm, quoniam DG, DB, DL, DT, sunt continuè proportionales, quemadmodum & DA, DF, DK, DP, estque proportio vtrobique eadem, & DA, est [b] media proportionalis inter DG, DB, erunt [c] & reliquae DF, DK, mediae inter reliquas DB, DL, DT, hoc est, DG, DA, DB, DF, DL, DK, DT, erunt continuè proportionales; quibus addenda est DP, propterea quòd DT, ad DP, sit [d] eadem, quae DG, ad DA. Deinde quoniam DQ, DE, DC, DN, sunt quoque continuè proportionales, in ratione continuè proportionalium DG, DB, DL, DT, [e] estque DB, media proportionalis inter DE, DC, erunt [f] & reliquae DG, DL, mediae proportionales inter reliquas: illa scilicet inter DQ, DE, haec verò inter DC, DN. Atque adeo omnes DQ, DG, DE, DB, DC, DL, DN, & insuper DT, continuè proportionales erunt in ratione applicatarum DB, DC. Adhuc, quoniam etiam DC, media est [g] inter DR, DM, & reliqua segmenta vtriusque DS, DQ, sint in eadem ratione continua; erunt etiam omnia vtriusque segmenta alternatim continuè proportionalia propter eandem rationem praedictam. Vnde facilè etiam concluditur tertia pars propositionis, nempe eas partes earundem linearum non proximarum esse aequales, quae intercipiuntur inter communem terminum D, & inter quaslibet duas perpendiculares proximas, hoc est, partes DA, DE, rectarum DA, DQ, inter quas cadit media DG, aequales esse, illas scilicet, quae intercipiuntur inter perpendiculares AS, FB, & similiter reliquas partes DF, DC, itemque DK, DN, contentas inter reliquas perpendiculares, esse aequales; quemadmodum & partes DG, DO, DB, DR, DL, DM, quae sunt partes rectarum DG, DS. Nam, verbi gratia, recta DQ, media est [h] proportionalis inter DS, DG, & eadem DQ, est quoque ex proximè demonstratis media, inter eandem DS, & inter DO: ergo DG, DO, sunt aequales. Rursus quoniam AS, est parallela ipsi FO, erunt quemadmodum DS, DQ, DG, ita etiam DO, DE, DB, continuè proportionales. Sed DE, est insuper etiam media proportionalis inter DO, DR, ob rationem praedictam: ergo etiam DB, DR, erunt aequales. Eademque est ratio de reliquis. Postremo dico etiam segmenta DF, DL, DN, applicatarum DA, DB, DC, quae scilicet intercipiuntur inter terminum D, & perpendiculares FB, KC, PM, esse continuè proportionales. Cùm enim ex tertia parte huius propositionis DF, DL, sint aequales ipsis DC, DM, & DC, DM, DN, sint continuè proportionales, vt monstratum est, erunt etiam DF, DL, DN, continuè proportionales. Eodem modo erunt continuè proportionales DG, DE, DR, propterea quòd DE, DR, sint aequales ipsis DA, DB, rectaeque DG, DA, DB, sint continuè proportionales. Quod erat tandem demonstrandum.

b 16. huius.
c lemm. 7. c. 1. huius.
d 4. sexti Eucli.
e 16. huius.
f lemm. 7. c. 1. huius.
g 16. huius.
h 36. huius.

C

D

E

COROLLARIVM.

SIC etiam, si tres tantùm DF, DK, DP, essent continuè proportionales, essent segmenta rectarum DO, DE, DB, abscissa à perpendicularibus KR, PM, continuè proportionalia propter parallelas FO, KR, PM, nec non segmenta duarum proximarum DO, DE, itemque ipsarum DE, DB, alternatim continuè essent proportionalia: & denique segmenta DR, DB, itemque DM, DL, &c. essent aequalia, vt in propositione est dictum. Nam iterum essent DO, DR, DM, continuè proportionales, vt & DE, DC, DN, & DC, media proportionalis inter DR, DM: ergo & DE, media proportionalis inter DO, DR; reliqua enim facilè quiuis ex propositione huc afferet ad demonstrandum.

SCHOLIVM.

CETERVM haec omnia eodem modo demonstrabuntur, si vel ad circumferentiam semicirculi, vel ad tangentem applicatae fuerint lineae continuè proportionales. Cùm enim tunc demissae perpendiculares necessariò etiam secent diametrum in partes continuè proportionales, vt ostensum est, [i] patet demonstrationem hic adductam, etiam habere vim in illis positionibus.

i Propos. 6. 35. & 37. huius.

THEOREMA XXXVII. PROPOSITIO XXXIX.

SI PLVRES semicirculi se mutuò interiùs contingant, & à puncto contactus ducantur quotuis rectae lineae, eae omnes praeter vnam, quae dictos semicirculos potest tangere, secabuntur ab eisdem semicirculis in ratione diametrorum.

VATTVOR semicirculi ABD, FLD, KTD, PhD, se mutuò tangant in puncto D, sitque maximi semicirculi diameter DA, quae [a] necessariò transibit per centrum reliquorum semicirculorum. Erigatur deinde ex puncto D, super communem diametrum DA, perpendicularis Dq, eosdem quattuor semicirculos [b] contingens in puncto D. Dico si ex eodem puncto D, ducantur quotuis aliae lineae rectae, verbi gratia, DB, DC, DM, eas secari à dictis semicirculis in ratione diametrorum DA, DF, DK, DP. hoc est, rectam DB, ad DL, DT, Dh, rectamque DC, ad DN, Dg, Dm, nec non DM, ad Df, Dl, Dp, eandem habere proportionem, quam DA, ad DF, DK, DP. Nectantur enim AB, FL, KT, Ph, quae omnes erunt inter se parallelae, eò quòd anguli ABD, FLD, KTD, PhD, in semicirculis sint [c] recti. Atque iccirco latera DB, DA, secta erunt [d] proportionaliter. Eadem ratione sectae erunt proportionaliter rectae DA, DC, itemque DA, DM, vt patet, si intelligantur ductae AC, FN, Kg, Pm: itemque rectae AM, Ff, KL, Pp. Quod erat demonstrandum.

a 11. tertij Eucli.
b 16. tertij Eucli.
c 31. tertij Eucli.
d 2. sexti Eucli.



COROLLARIVM PRIMVM.

HINC patet, si diametri DA, DF, DK, DP, essent continuè proportionales, hoc est, segmenta diametri DA, intercepta inter punctum contactus D, & inter circumferentias semicirculorum essent continuè proportionalia, etiam segmenta rectarum DB, DC, DM, &c. intercepta inter idem punctum D, & inter easdem circumferentias semicirculorum, fore continuè proportionalia.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Item si, verbi gratia, applicatae DF, DL, DN, essent continuè proportionales; etiam DA, DB, DC, itemque DK, DT, Dg, esse continuè proportionales. Nam cùm sit, vt DA, ad DF, ita DB, ad DL, & DC, ad DN, erit quoque permutando DA, ad DB, & DB, ad DC, vt DF, ad DL, & DL, ad DN.

THEOREMA XXXVIII. PROPOSITIO XL.

SI IN semicirculo ex vno terminorum diametri ad circumferentiam applicentur rectae lineae; atque ab eis etiam protractis (si ita visum fuerit) abscindantur partes ipsis applicatis proportionales; sitque partibus, & applicatis idem terminus communis: reliqui earundem partium termini erunt in circumferentia alterius semicirculi, qui priorem tangit in illo termino communi applicatarum, & cuius diameter ad diametrum semicirculi propositi habet proportionem, quam partes abscissae ad applicatas.

EX termino D, applicentur in semicirculo figurae propositionis praecedentis, verbi gratia, rectae DB,DC, DM,ex eisque abscindantur DL,DN, Df, ipsis applicatis proportionales, ita vt DB, ad DL, & DC, ad DN, & DM, ad Df, sit proportio eadem. Dico puncta L, N, f, esse in circumferentia semicirculi, qui semicirculum ABCD, tangat, in D. Nam vt DB, ad DL, ita fiat DA, ad DF, nectanturque, AB, FL, quae cum secent latera DA, DB, proportionaliter [a] erunt inter se parallelae, & iccirco angulus FLD, [b] erit aequalis angulo ABD; & quia hic est [c] rectus in semicirculo, erit & ille rectus. Quare si circa diametrum DF, describatur semicirculus, is transibit per [d] punctum L, idemque semicirculus tanget [e] semicirculum ABCD, in puncto D. Eodem modo si ductae essent AC, FN, FM, Ff, tam illae duae, quam istae duae essent parallelae, efficerentque angulos rectos cum applicatis DC, DM, & consequenter semicirculus circa DF, descriptus, quem ostendimus transire per L, transibit quoque per N, f. Quod si ex eisdem applicatis protractis abscissae fuissent rectae DG,DE, DR, ipsis applicatis proportionales, atque ex diametro DA, protracta abscissa fuisset recta, ad quam ita se haberet DA, vt DB,ad DG, vel DC, ad DE, vel DM, ad DR, & circa totam illam lineam abscissam descriptus fuisset semicirculus, eadem prorsus demonstratione ostenderetur, illum semicirculum transire per puncta G, E, R, & semicirculum ABCD, tangere, in puncto D. Quod erat demonstrandum.

a 2. sexti Eucli.
b 29. primi Eucli.
c 31. tertij Eucli.
d Schol. 31. tertij Eucl.
e Schol. 13. tertij Eucl.

THEOREMA XXXIX. PROPOSITIO XLI.

SI PLVRES semicirculi continuè proportionales diametros habentes, se mutuò tangant interiùs, atque à diametro maximi semicirculi, siue primi abscindantur quotuis aliae rectae continuè proportionales in eadem ratione diametrorum, ita vt punctum contactus sit terminus communis partium abscissarum; & in reliquis terminis earundem partium abscissarum erigantur super maximam diametrum perpendiculares, secantes circumferentiam primi semicirculi: rectae quae ex puncto contactus, siue communi termino partium applicantur ad illa puncta sectionum circumferentiae, se mutuò secabunt cum perpendicularibus in circumferentijs reliquorum semicirculorum, hoc ordine: applicata ad punctum sectionis primae perpendicularis, quae scilicet erecta est ex termino partis maximae abscissae, se mutuò secabit cum secunda perpendiculari, seu proxima in circumferentia secundi semicirculi, & cum perpendiculari tertia in circumferentia tertij semicirculi. Recta verò applicata ad punctum sectionis circumferentiae cum secunda perpendiculari, se mutuò secabit cum tertia rursus in circumferentia secundi semicirculi, & cum quarta perpendiculari in circumferentia semicirculi tertij, & ita deinceps.

VATTVOR semicirculi ABCD,FLD,KTD, phD, habentes continuè proportionales diametros, in eadem figura, se mutuò tangant in D, sitque diameter maximi semicirculi, siue primi DA, quae transibit quoque per reliquorum centra. Abscindantur deinde ex eadem diametro DA, quotuis rectae DF, DK,DP, DH,DI, DV, in eadem continua proportione diametrorum,& ex terminis F, K, P, H, I, V,excitentur perpendiculares, secantes circumferentiam primi semicirculi in punctis B, C, M, X, Y, Z, ad quae applicentur ex communi termino D, rectae DB, DC, DM, DX, DY, DZ. Dico eas se mutuò secare cum perpendicularibus praedictis in circumferentijs reliquorum semicirculorum: nempe rectam DB, applicatam ad punctum sectionis primae perpendicularis FB, se mutuò secare cum secunda perpendiculari KC, in circumferentia secundi semicirculi FLD, & cum tertia perpendiculari PM, in peripheria tertij semicirculi. & similiter applicatam DC, cum tertia, quarta, quincta perpendiculari se mutuò secare eodem ordine in circumferentia secundi, tertij & quarti semicirculi, & ita de reliquis; vel,quod idem est. Dico puncta L, N, f, k, n, in quibus rectae applicatae secant ordine perpendiculares, KC, PM, HX, IY, VZ, esse in circumferentia semicirculi FLD. Cùm enim partes abscissae DF, DK, DP, sint in continua proportione diametrorum, (immo in hoc exemplo sunt ipsaemet diametri, quamuis vt demonstratio sit vniuersalis, sumendae sint loco quarumcumque aliarum partium abscissarum) & vt DF, ad DK, ita sit ob parallelas FB, KC, applicata DB, ad summ segmentum DL, & vt DK, ad DP, ita DC, ad DN, erunt applicatae DB, DC, sectae in ratione diametrorum in punctis L, N, hoc est, in ratione, quam habet diameter DA, primi semicirculi ad diametrum semicirculi secundi. Vnde [a] puncta L, N, erunt in circumferentia illius secundi semicirculi. Eodem modo, quoniam rectae DK, DP, DH, sunt continuè proportionales in ratione diametri semicirculi secundi, ad diametrum semicirculi tertij, & rectae DL, DN, Df, applicatae sunt ad circumferentiam secundi semicirculi,habentque ad suas partes DT,Dg,DI, eandem proportionem, quam DK, ad DP, & DP, ad DH, hoc est, quam diameter semicirculi secundi ad diametrum semicirculi tertij; erunt puncta T, g, I, in circumferentia eiusdem tertij semicirculi;& ita de reliquis. Quod erat demonstrandum.

a 40. huius.

COROLLARIVM.

ITAQVE cùm hic demonstratum sit, semicirculos FLD, KTD, in ijsdem punctis secare applicatas DB, DC, DM, in quibus eas secant perpendiculares,patet ex hac propositione,inferri posse omnia illa, quae pertinent vel ad lineas proportionales, comprehensas inter dictas perpendiculares, vel quae attinent ad aequalitatem earundem linearum, omnia scilicet illa, quae hactenus concluſimus in superioribus propositionibus ex intersectionibus applicatarum cum perpendicularibus etiam productis, id quod etiam figura ipsa satis aperte indicat, quam simillimam priori construximus,educendo dumtaxat hic plures perpendiculares,pluresque lineas ad circumferentiam applicando, tum vt plura puncta in circumferentijs semicirculorum haberentur, tum vt exempla poneremus erectarum perpendicularium, tum ex terminis ipsarum diametrorum, quales sunt FB, KC, PM, tum ex terminis aliarum partium proportionalium abscissarum, quales sunt perpendiculares, HX, IY, VZ.

THEOREMA XL. PROPOSITIO XLII.

SI IN semicirculo recta quaepiam ab alterutro termino diametri ad circumferentiam applicata, secet perpendicularem quampiam super diametrum eductam; sitque segmentum eius interceptum inter terminum diametri, & dictam perpendicularem aequale segmento diametri inter eundem terminum, & perpendicularem, quae in ipsam diametrum cadit à puncto applicatae in circumferentia; eadem applicata eiusdemque segmentum inter terminum diametri, & priorem perpendicularem erunt duae mediae proportionales inter diametrum, & illud eius segmentum, quod continetur inter eundem terminum diametri, eandemque illam priorem perpendicularem.

APPLICATA DC, in semicirculo ABCD, secet, verbi gratia, perpendicularem PM, in N, sitque segmentum eius DN, aequale segmento DK, contento inter eundem terminum D, interque perpendicularem CK, quae ex C, cadit in diametrum DA. Dico rectas DC, DK, medias esse proportionales inter diametrum DA, & segmentum eius DP, interceptum inter eundem terminum D, & inter priorem perpendicularem PM. Namper decimam sextam huius erit, vt DA, ad DC, ita DC, ad DK, hoc est, ad DN, & DN, ad DP, habet eandem rationem; propterea, quòd triangula DCK, DPN, sint similia, habentque latera proportionalia. Quod erat demonstrandum.



THEOREMA XLI. PROPOSITIO XLIII.

SI diameter semicirculi sit maxima, seu prima quattuor rectarum continuè proportionalium, & ex eadem prope alterutrum terminorum eiusdem abscindatur linea quaedam aequalis quartae, siue minimae, ex eiusque altero termino excitetur perpendicularis: eadem perpendicularis auferet ex recta, quae ex eodem termino diametri fuerit applicata ad circumferentiam aequalis secundae, lineam aequalem tertiae. Et vicissim si ex eodem termino diametri applicetur ad dictam perpendicularem aequalis tertiae; eadem producta usque ad circumferentiam erit aequalis secundae. Semper verò tertia erit aequalis illi segmento diametri, quod intercipitur inter terminum diametri, & perpendicularem, quae in diametrum cadit à puncto circumferentiae, ad quod est applicata secunda, vel in quo eandem secat tertia, ad priorem perpendicularem applicata.

DIAMETER DA, sit in eadem figura maxima, siue prima quattuor proportionalium, quarum quarta sit DP; & DC, applicata ad circumferentiam sit secunda. Dico rectam DN, quam ex secunda DC, abscindit perpendicularis PM, esse tertiam. Sit enim DK, aequalis tertiae, & nectatur CK, quae erit [a] perpendicularis ad diametrum, ideoque parallela ipsi PM. Quoniam igitur inter quattuor lineas continuè proportionales

[a] 28. huius.

A DA, DC, DK, DP, vt prima DA, ad secundam DC, hoc est, vt secunda DC, ad tertiam DK, ita DK, tertia ad DP, quartam; & vt DK, ad DP, ita est [b] DC, ad DN, erit quoque vt DC, ad DK, ita DC, ad DN, ac proinde DK, DN, erunt aequales, & vtraque tertia proportionalis quattuor rectarum proportionalium. Dico secundo, si applicata tertia DN, ad perpendicularem PM, producatur ad circumferentiam, verbi gratia, vsque ad C, rectam DC, fore aequalem secundae. Nam cùm sit vt tertia DN, ad quartam DP, ita prima DA, ad secundam, & vt DN, ad DP, ita sit (demissa perpendicularis CK) DC, ad DK, & [c] DA, ad DC, erit quoque vt DA, prima ad secundam, ita AD, ad DC; ac proinde DC, erit quoque secunda. Atque adeo DK, erit aequalis ipsi DN, cùm vt DA, ad DC, ita sit DC, ad DK, & eadem DC, ad DN. Quod erat demonstrandum.

[b] 4. sexti Eucli.

[c] 16. huius, vel ex Coroll. 8. sexti Eucli.

THEOREMA XLII. PROPOSITIO XLIIII.

B *SI DVO semicirculi se mutuò interiùs contingant, atque à puncto contactus ad circumferentiam maioris applicetur recta aequalis diametro minoris: haec applicata, & segmentum eius contentum intra semicirculum minorem, erunt duae mediae proportionales inter diametrum maioris, & illud eius segmentum, quod comprehenditur inter punctum contactus, siue terminum illius diametri, & inter perpendicularem in eandem diametrum demissam ex puncto, vbi recta applicata occurrit circumferentiae minoris semicirculi.*

C IN figura proportionis quadragesimae praecedentis se mutuò tangant semicirculi ABCD, FLND, in puncto D, quod sit terminus diametri DA, & quoniam eadem DA, etiam transit [a] per centrum semicirculi FLND, erit DF, diameter semicirculi FLND: applicetur que ad circumferentiam maioris semicirculi rectae DF, aequalis DC, secans minorem semicirculum in N, & ex N, demittatur in diametrum DA, perpendicularis NP. Dico DC, DN, esse duas medias proportionales inter diametrum DA, & inter segmentum eius DP. Intelligatur enim ducta AC, eritque triangulum ADC, aequiangulum triangulo DNP, propterea quòd angulus ACD, rectus, aequalis sit angulo recto DPN, & angulus ADC, sit communis. Vnde [b] eadem erit proportio AD, ad DC, quae DN, ad DP: sed vt DA, ad DC, hoc est, vt DA, ad DF, ita est [c] DF, siue DC, ad DN: ergo vt DA, ad DC, ita erit DC, ad DN, & DN, ad DP. Quod erat demonstrandum.

[a] 11. tertij Eucli.

[b] 4. sexti Eucli.

[c] 39. huius.

D *SCHOLIVM.*

EODEM modo si priùs ducta intelligatur perpendicularis PM, & postea describatur semicirculus FND, qui priorem ACD, tangat in D, & perpendicularem secet in N, ita vt ducta DNC, sit aequalis diametro semicirculi FND, demonstrabitur, eandem diametrum, seu applicatam DC, nec non segmentum DN, esse duas medias inter DA, DP; siquidem idem semicirculus FND, etiam rectam DC, secat ita, vt in propositione fuit suppositum.

THEOREMA XLIII. PROPOSITIO XLV.

E *SI diameter semicirculi sit maxima, seu prima quattuor rectarum continuè proportionalium, & ex eadem prope alterutrum terminorum abscindatur aequalis quartae, siue minimae, ex eiusque altero termino excitetur perpendicularis ad diametrum, ad quam ex dicto termino diametri applicetur aequalis tertiae, vel quam intersecet recta applicata ad circumferentiam, aequalis secundae: circulus priorem tangens interiùs in praedicto termino diametri, habensque diametrum aequalem secundae quattuor proportionalium, transibit per illud punctum sectionis, vel applicationis erectae perpendicularis:*

laris : & si per idem punctum sectionis , vel applicationis describatur circulus , priorem tangens in dicto termino , eius diameter aequalis erit eidem secundae quattuor linearum proportionalium .

A

IN eadem figura sit maxima, siue prima quattuor linearum continuè proportionalium diameter DA, quarta, seu minima segmentum DP, & ex P, erecta sit perpendicularis PM, ad quam sit applicata DN, aequalis tertiae, eritque [a] iuxta demonstrata recta DC, hoc est, recta DN, protracta vsque ad circumferentiam aequalis secundae, atque adeo punctum N, erit quoque illud, in quo DC, aequalis secundae applicata ad circumferentiam secat perpendicularem PM, hoc est, idem punctum N, erit applicationis tertiae, & sectionis secundae. Dico si ex diametro DA, abscindatur recta DF, aequalis secundae DC, & circa eam describatur semicirculus, qui quidem, semicirculum ABCD, necessariò tanget [b] in puncto D; eum transire per punctum N. Nam si ex puncto, in quo semicirculus descriptus circa diametrum DF, secat rectam DC, intelligatur demissa perpendicularis, ea ex diametro [c] auferet rectam DP, nempe quartam proportionalem: atque adeo eadem perpendicularis coincidet cum perpendiculari PN, & consequenter vtraque secabit semicirculum in eodem puncto N, vel applicationis rectae DN, vel sectionis rectae DC.



a 43. huius.

b Schol. 13. tertij Eucl.

c 44. huius.

Constituatur [d] iam ad punctum N, super rectam DN, angulus DNr, aequalis angulo NDr, qui cùm sit acutus, erit & DNr, acutus, ac proinde [e] Nr, concurret cum diametro DA, in r, eruntque [f] rD, rN, aequales. Quare si centro r, interuallo rD, describatur circulus, is transibit per punctum N, tangetque circulum ABCD, in D. Dico eius diametrum DF, aequalem esse ipsi DC. Cum [g] enim sit, vt DA, ad DF, ita DC, ad DN, & per hypothesin vt DC, ad DN, ita DN, ad DP, eademque est ratio [h] DF, ad DN; erit quoque vt DC, ad DN, ita DF, ad eandem DN, & consequenter DF, DC, erunt aequales. Quod erat demonstrandum.

d 23. primi Eucli.

e 13. Pronunc. 1. Eucli.

f 6. primi Eucli.

g 39. huius.

h Coroll. 8. sexti Eucl.

SCHOLIVM.

QVOD si in semicirculo , verbi gratia , ABC, primò intelligatur ex quouis puncto P, diametri AD, erecta perpendicularis, verbi gratia, PM, & ex puncto D, ad eiusdem semicirculi circumferentiam intelligatur applicata recta DC, hac cum conditione , vt sumpta ex diametro AD , recta Dr, aequali semissi ipsius DC , etiam recta rN, ducta ex puncto r, ad punctum N, in quo linea applicata DC, perpendicularem PM, intersecat , aequalis sit eidem semissi rectae DC, facilè demonstrabis DC, DN, esse duas medias proportionales inter AD, diametrum , & inter DP, segmentum diametri , interceptum inter punctum D, & inter perpendicularem PM. Nam si centro r, interuallo rD, vel rN, describatur semicirculus DNF, nectanturque AC, FN , [i] erunt anguli ACD, FND, in semicirculis recti, rectaeque AC, FN, [k] parallelae ; ac proinde [l] triangula ACD, FND , erunt similia , habebuntque latera circa aequales angulos proportionalia , hoc est, vt AD, ad DC, ita erit FD, ad DN ; sed FD, aequalis est ipsi DC, eò quòd vtraque FD, DC, sit dupla ipsius Dr; ergo vt AD, ad DC, ita erit DC, ad DN. Quia verò in triangulo rectangulo FND, recta NP, est perpendicularis ad basim FD, [m] erit recta DN, media quoque proportionalis inter FD, DP, hoc est, inter DC, DP. Atque iccirco quattuor lineae AD, DC, DN, DP, erunt continuè proportionales. Quod erat demonstrandum.

i 31. tertij Eucli.

k 28. primi Eucli.

l Coroll. 4. sexti Eucl.

m Corol. 8. sexti Eucl.

THEOREMA XLIIII. PROPOSITIO XLVI.

SI DVO semicirculi se mutuò interiùs tangant , in extremitate diametri , sitque diameter interioris semissis diametri exterioris , & ex puncto contactus ducatur linea recta , secans vtriusque semicirculi peripheriam , atque ex puncto intersectionis cum semicirculo interiori demittatur linea perpendicularis in diametrum, & denique ex puncto diametri, in quod cadit ducta perpendicularis, applicetur ad rectam priùs ductam, linea aequalis segmento diametri intercepto inter punctum contactus, & perpendicularem ; tota recta priùs ducta ex puncto contactus vsque ad peripheriam exterioris circuli ; & dupla eius , quae ad eandem fuit applicata , constituunt duas medias inter diametrum exterioris semicirculi , & inter illud segmentum lineae primò ductae , quod intercipitur inter punctum contactus , & inter punctum , ad quod postremò altera linea applicata fuit .

B

C

CIRCA diametrum AB, descriptus sit centro C, semicirculus ADB, & circa eius semissem BC, semicirculus BEC, qui priorem tanget in puncto B, ex quo educatur recta BD, vtcumque secans vtriusque semicirculi peripherias in D, E, & ex puncto E, demittatur in diametrum perpendicularis EF; ipsique FB, applicetur ad BD, aequalis FG. Dico BD, & rectam ipsius BF, duplam, esse duas medias inter AB, & BG, hoc est, si ipsi FB, vel FG, accipiatur aequalis FH, rectas AB, BD, BH, BG , esse continuè proportionales. Ductis enim HD, HG, HE, quoniam duo latera BF, FE, trianguli BFE , aequalia sunt lateribus HF, FE, trianguli HFE , & anguli comprehensi per constructionem [a] recti, erit basis BE, aequalis basi HE. Est autem ipsi BE, aequalis [b] ED, eò quòd etiam BC, ponatur aequalis ipsi AC. Ergo tres rectae EB, EH, ED, aequales erunt, & si centro E, interuallo EB, vel ED, describeretur semicirculus , is transiret per punctum H. In triangulo igitur BHD, angulus BHD, cùm esse possit in semicirculo, [c] rectus erit. Eodemque modo rectus erit angulus HGB, in triangulo BGH, propterea quòd tres rectae FB, FG, FH, sint aequales. Vnde cùm in triangulo rectangulo BHD, ex angulo recto demissa sit perpendicularis HG, [d] erit recta BH, media proportionalis inter BD, BG. Est autem [e] etiam BD, media proportionalis inter AB, BH. Ergo quattuor lineae AB, BD, BH, BG, continuè proportionales erunt, Quod erat demonstrandum.

D



a 4. primi Eucli.

b 39. huius.

c 31. tertij Eucli.

d Coroll. 8. sexti Eucl.

e 16. huius, vel ex Coroll. 8. sexti Eucli.

DE IN-

DE INVENIENDIS LINEIS PROPORTIONALIBVS.

Caput III.

PROBLEMA I. PROPOSITIO I.

DVARVM linearum inaequalium datam proportionem vlteriùs continuare tum ad maiores, tum ad minores terminos.

QVAMQVAM hoc ipsum problema Clauius absoluat; idem tamen hoc loco proponere libuit, eò quòd ex ijs, quae capite praecedenti multis ac varijs propositionibus sunt demonstrata, nouam quandam praxim elicuerimus, qua mediante non solùm proportio data continuetur, vt ibi, ad proximos terminos, sed simul eademque opera ad plurimos sequentes tum maiores tum minores extendatur.

lauius in bol. vn- cimae- xti Eucl. lemma- 12.lib.1. Strola- i.

Sint igitur datae rectae DA,DB, quarum proportionem libeat continuare tum ad maiores, tum ad minores terminos. Circa maiorem DA, describatur semicirculus ABCD, in quo ex termino diametri D, applicetur minor data DB, eademque producatur, donec erectam ex puncto A, perpendicularem AE, secet in E; nec non ex puncto B, in eandem diametrum DA demittatur perpendicularis BF, quam arcus AG,EH, descripti centro D, interuallis DA, DE, secent in G, H, & per G, H, ex eodem puncto D, producantur rectae, secantes tangentem AE, in I,K, & circumferentiam in C, L. Iterumque centro D, interuallis DI, DK, describantur duo arcus IM, KN. secantes perpendicularem FB, in punctis M,N, per quae ductae DM, DN, secent tangentem in O, P, & circumferentiam in Q,R. Dico DP, DO, DK, DI, DE,DA,DB,DC,DL,DQ, DR, esse continuè proportionales. Quoniam enim vt DP,ad DK, ita est [a] DK, hoc est, DN, ad DH, vel ad DE, propter similitudinem triangulorum DPK, DNH, & vt DK, ad DE, hoc est,ad DH, ita DH, ad DB, erunt [b] quoque in eadem ratione cum rectis DP, DK,DE, continuè proportionales DB,DL,DR. Eodemque modo erunt continuè proportionales DO,DI, DA, DC, DQ, & quidem in eadem ratione cum prioribus. Cùm enim DF, DC, sint aequales, propterea quòd eadem DB, sit [c] media proportionalis inter DA, DF, & inter DG, DC, quarum DA, DG, ponuntur aequales; sintque praeterea triangula DAE, DFB, aequiangula, erit eadem proportio DE, ad DB, quae DA, ad DF, hoc est, ad DC. Quare cùm DP,DK,DE,DB, DI, DR, sint continuè proportionales; & similiter DO, DI, DA, DC, DQ, sint quoque in eadem ratione continuè proportionales; sitque [d] DA,media proportionalis inter DE,DB,erunt [e] & reliquae inter reliquas mediae proportionales, atque adeo omnes vndecim rectae DP,DO,DK,DI, DE,DA,DB,DC,DL,DQ,DR, erunt continuè proportionales.



4. sexti ucli. 37. capi- s secundi uius. 16. se- ndi cap. uius. 16. se- ndi cap. uius. lemm.7. rimi cap. uius. 16.secun- i cap. hu- us. 1.lemma rimi cap. uius.

Aliter, instituendo operationem in quocumque semicirculo, in quo applicari possit alterutra datarum. Sint enim propositae rectae DB, maior, minor DC, & semicirculus sit ABCD, cuius diameter primò sit maior, quàm data DB. Applicetur in eodem semicirculo ex altero terminorum diametri, verbi gratia,ex D, vtraque data DB,DC; demissisque in diametrum perpendicularibus BF, CS, producatur minor applicatarum DC, vsque ad perpendicularem FB, in G, & centro D, interuallis DB, DG, describantur duo arcus, secantes reliquam perpendicularem SC,in T,V,nectanturque DT,DV,secantes perpendicularem FB,in H,M, & circumferentiam in L,Q. Dico rursus DM, DH,DG,DB,DC, DI, DQ, esse continuè proportionales. Nam vt priùs erunt DM, DG,DC,DQ, continuè proportionales: & similiter DH,DB,DL. Est enim vt DG, ad DB, ita [f] DB, hoc est, DT. ad DC, & DC, ad DL: ergo etiam [g] vt DG,ad DC, ita erit DB,ad DL. Quare cùm sint quatuor rectae DM, DG,DC,DQ, & aliae tres DH, DB, DL, continuè proportionales, & in eadem ratione; sitque DB, media proportionalis inter DG, DC, vt ostendimus; erunt quoque reliquae eodem ordine ascendendo & descendendo mediae proportionales inter reliquas, & consequenter omnes septem rectae praedictae erunt continuè proportionales. Quibus illico aliae quattuor adijcerentur, si centro D, per puncta H, M, alij duo arcus describerentur, secantes perpendicularem SC, & per puncta sectionum ex D, educerentur rectae, &c.

A

Sint secundò datae rectae DG, maior, & minor DB, quarum saltem minor DB,posit applicari in semicirculo ABCD. Demissa perpendiculari BF, applicetur ad eam maior data DG, secans circumferentiam in C, & ex C, cadat perpendicularis CS. Et rursus centro D, interuallis DB, DG, describantur duo arcus secantes perpendicularem SC, in T,V,& per T,V, ex D, eijciantur duae rectae secantes perpendicularem FB, in H, M, & circumferentiam in L,Q. Eruntque vt priùs, continuè proportionales septem rectae DM, DH,DG,DB,DC,DL,DQ.

COROLLARIVM PRIMVM.

EX his igitur patet, quid agendum sit, si duabus datis tertia sit adiungenda proportionalis. Nam si in semicirculo ABCD, descripto circa maiorem è datis, nempe circa AD, applicetur minor data DB, & ex A, termino eiusdem maiori erigatur perpendicularis AE, secans productam minorem DB, in E, erit recta DE, tertia proportionalis, maior. Si verò ex puncto B, nempe ex termino minoris datae DB, demittatur in diametrum perpendicularis BF, ea abscindet ex eadem diametro, hoc est, ex maiori data rectam DF,tertiam proportionalem minorem ad easdem datas AD, DB. Demonstratum enim est in hac propositione, si dicta praxis adhibeatur, quattuor rectas, DE, DA, DB, DF, fore continuè proportionales. Immo tertia linea proportionalis adijcietur duabus rectis datis, etiam si semicirculus, in quo minorem diximus esse applicandam, non sit descriptus circa maiorem datam. Satis enim est, si vtraque data applicetur vtcumque in quouis alio semicirculo, quales, verbi gratia, sunt DB, DC. Demissis enim in diametrum DA, perpendicularibus BF, CS, ex terminis B, C, rectarum applicatarum, ipsae abscindent ex eisdem applicatis tertiam proportionalem, tum maiorem, tum minorem; perpendicularis quidem BF, protracta ex protracta minorem DC, maiorem tertiam proportionalem DG; perpendicularis verò CS,ex maiori DE,tertiam proportionalem minorem DX, [a] vt demonstratum est.

B C

a 16.cap. secundi huius.

COROLLARIVM SECVNDVM.

EX quibus rursum colligitur, hoc problemate haberi posse omnes illos terminos impares, in proportione duarum rectarum data, qui continentur in tabula, quam scholio secundo lemmatis octaui capite primo huius describimus. Omnes enim numeri illic expressi sunt denominatores alicuius termini tertij ad duos terminos vel datos vel inuentos, vt manifestum *est* ex compositione eiusdem tabulae. Nam denominator, verbi gratia, 3. qui in dicta tabula in suprema serie transuersa reperitur in tertia cellula, denominat tertium terminum, qui videlicet est tertius proportionalis ad duos datos. Numerus verò 5. in quarta cellula contentus, denominat quinctum terminum, qui est tertius iterum proportionalis ad primum datum, & tertium proximè inuentum. Et ita de reliquis numeris sequentibus in eadem serie. atque adeo de omnibus & singulis numeris cuiusque alterius seriei. Datis enim primo & secundo termino, quos denominant numeri primae & secundae cellulae cuiusuis seriei; reliqui numeri in reliquis cellulis versus dextram sunt denominatores eorum terminorum, qui eodem ordine sunt tertij proportionales ad primos datos, vel ad primum & alium proximè inuentum. Illud tamen reperitur diuersitatis inter primam seriem & reliquas, quòd in prima primus & secundus terminus semper dentur; in reliquis

D E

verò

verò terminus secundae cellulae debeat priùs hoc problemate, per continuationem scilicet proportionis datae, inuestigari, quàm reliqui eiusdem seriei termini haberi possint. Nam in tertia, verbi gratia, serie, vbi secundus denominator est 4. antequam haberi possint reliqui termini eiusdem seriei, necesse est, vt ex duobus terminis datis priùs continuetur proportio vsque ad terminum quartum: nisi fortè idem quartus terminus detur sine secundo: tunc enim non esset opus eiusmodi continuatione.

PROBLEMA II.
PROPOSITIO II.

QVOTVIS lineis rectis continuè proportionalibus datis, totidem alias, vna dempta, tum maiores, tum minores adiycere.

IN eadem figura datae sint tres rectae DF, DX, DY, continuè proportionales, quibus adiungendae sint duae aliae minores & maiores. Circa maximam illarum DF, describatur semicirculus FXY, ad quem ex puncto D, applicentur reliquae duae minores DX, DY, atque ex puncto F, erigatur perpendicularis ad diametrum DF, secans DX, DY, protractas in B, G; itemque ex puncto Y, demittatur in eandem diametrum perpendicularis, secans DX, DF, in Za. Dico DG, DB, esse duas maiores, & DZ, Da, duas minores, easdemque continuè proportionales cum tribus datis. Nam si praeterea ex puncto X, demittatur perpendicularis XS, erunt [a] segmenta diametri DF, DS, Da, continuè proportionalia, & consequenter etiam productae DY, DX, vsque ad tangentem FB, in G, B, nempe rectae DG, DB, nec non segmenta earum DZ, Da, intercepta inter perpendicularem Ya, erunt [b] continuè proportionalia cum applicatis DF, DX, DY.



a 35. secundi huius.

b 36. secundi huius.

Neque verò necesse est, vt semper circa maximam DF, describatur semicirculus, in quo reliquae duae applicentur; sed satis est, si tres rectae datae applicentur ex eodem termino diametri ad circumferentiam cuiuscumque semicirculi, quales sunt in eadem figura, verbi gratia, tres rectae DC, DL, DQ, applicatae ad circumferentiam semicirculi ABCD: ductae enim perpendiculares CS, Qc, secabunt easdem datas, auferentque rectas DV, DT, itemque Dc, Db, in continua cum illis proportione, vt patet ex demonstratis. [c] Eademque est ratio de pluribus datis, dummodo vt dictum est, ad circumferentiam alicuius semicirculi ex altero termino diametri applicentur, atque à puncto applicationis maximae & minimae perpendiculares ducantur in diametrum: hae enim secabunt applicatas, eisdemque adijcient tot alias tum maiores tum minores, vna dempta, quot fuere datae.

c Corollar. 36. secundi huius.

Aliter. Sit rursum in semicirculo FXYD, diameter DF, continuè proportionalis cum applicatis DX, DY. Ex maxima earum, nempe ex DF, abscindatur DS, aequalis minimae DY, & ex minima DY, protracta sumatur DC, aequalis maximae DF. Deinde circa DS, describatur semicirculus secans DX, DY, in Z, b: itemque alius per punctum C, tangens semicirculum FXYD, in D, qualis est semicirculus ABCD, quem iamiam describere docebimus. Hic enim secabit protractas DX, DF, in B, A, adiungetque tribus datis duas maiores DA, DB, prior verò SZbD, exgetque tribus datis duas maiores DA, DB, prior verò SZbD, exhibebit duas minores DZ, Db. Cùm enim tres rectae DF, DX, DY, sint continuè proportionales, erunt [d] etiam tam DA, DB, DC, quàm DS, DZ, Db, continuè proportionales. Quare cùm sit, vt AD, ad DB, ita DB, ad DC, hoc est, ad DF, & vt DA, ad DB, ita sit quoque [e] DF, ad DX, & DX, ad DY, hoc est, ad DS, & DS, ad DZ, & DZ, ad Db, erunt omnes septem rectae DA, DB, DF, DX, DY, DZ, Db, continuè proportionales. Eadem quoque est ratio de pluribus datis, si illae dicto modo applicentur in eiusculo: neque est necesse, vt maxima illarum sit diameter semicirculi; sed poterunt omnes datae applicari in quo semicirculo, quales, verbi gratia, sint DX, DY, Dc, applicatae in semicirculo FYD; si enim minimae illarum De, sumatur ex maxima DX, aequalis DZ, & ex minima De, protracta abscindatur DL, aequalis maximae DX, atque per puncta Z, L, describantur alij semicirculi secantes datas, abscindentur vt priùs, duae maiores, & duae minores continuè proportionales cum ijsdem datis, vt patet; cùm in omnibus eadem sit demonstratio.

d Corollar. 2. 39. secundi huius.

e 39. secundi huius.

Ceterum semicirculos praedictos ita licebit describere. Sit enim describendus semicirculus per punctum, verbi gratia, C, qui semicirculum FXYD, tangat in puncto D. Diuisa recta Dc, bisariam in g, erigatur ex g, perpendicularis gf, secans diametrum DA, in f, eritque f iuncta fc, aequalis ipsi fD, ac proinde centro f, interuallo fD, describptus circulus, transibit per C, & tanget que semicirculum FXYD, in D.

f 4. primi Eucli.

g Schol. 13. tertij Eucl.

PROBLEMA III.
PROPOSITIO III.

DVARVM linearum inaequalium proportione data, quemcumque eius terminum praescriptum compendio inuenire.

QVAMQVAM per primum problema inuestigari possit, quicumque terminus cuiuslibet proportionis datae, continuando eandem proportionem, ad illum vsque terminum, & per secundum problema quaeuis proportio non sine compendio extendatur: quia tamen per hoc secundum problema non semper certò terminus propositus attingitur, nisi omnes ferè medij termini priùs designentur, & per primum problema termini saltem remotiores non nisi cum longissima praxi haberi queunt, visum est superioribus duobus problematis duo alia adiungere, in eisque modum praescribere, quo terminus quaesitus compendiaria via attingatur.

Prior igitur modus similis est illi, quo per praecepta Arithmeticae inuenitur vltimus quinis terminus cuiuslibet progressionis Geometricae, cuius primus terminus datur vna cum denominatore rationis, per quam illa progreditur. Sint enim datae duae rectae A, B, sitque inuestigandus terminus, verbi gratia, vigesimus septimus in proportione, quam habet A, prima ad B, secundam. Quaeratur in tabula, quam scholio secundo lemmatis octaui construximus, numerus 27. isque primò in suprema serie; & si ibi non reperiatur, quaeratur in secunda, vel deinceps in tertia, quarta &c. sed quia in nulla illarum reperitur, sumatur simuliter discurrendo per singulas series, numerus proximè maior vel minor, qualis est numerus 25. in tertia serie loco quinto. Quo inuento continuetur per primum problema huius capitis proportio A, ad B, vsque ad quartum terminum, eò quòd in dicta tertia secundus numerus est 4. hoc est, duabus rectis A, B, adijciantur aliae duae C, D, continuè proportionales cum datis A, B. Et rursus vt A, ad D, ita fiat D, ad aliam E, quae erit septima à prima A, iuxta praedictam tabulam: siquidem tertius numerus in tertia serie est 7. Si autem iterum fiat, vt A, ad E, ita E, ad F, erit F, terminus 13. & denique si fiat vt A, ad F, ita F, ad aliam G, haec erit per eandem tabulam terminus 25. qui cum à quaesito termino 27. distet duobus terminis, [a] habebit omnino G, ad terminum quaesitum eandem proportionem, quam prima A, ad tertiam C; cùm vtrobique vna dumtaxat cadat media proportionalis. Quare si fiat vt A, ad C, ita G, ad aliam H, inuenietur [b] terminus 27. qui quaeritur.



a 1. lemma primi huius.

b 9. lemma primi huius.

Simili omnino ratione procedendum erit in inuestigatione quorumcumque aliorum terminorum, illud dumtaxat obseruando, vt quando prima extensio proportionis ad aliquot terminos, qualis in exemplo fuit extensio vsque ad quartum terminum D, non sufficit, vt per eam ex inuento vltimo termino G, eliciatur terminus quaesitus H, tunc vel extendatur proportio A, ad B, ad plures terminos, saltem ad eum, qui possit satisfacere problemati proposito, vel certè proportio A, ad D, extendatur post terminum G, toties, donec attingatur terminus H, vel saltem inueniatur terminus eidem ita propinquus, vt per illum ex terminis primae extensionis attingi possit terminus quaesitus, id quod facilè quiuis collegerit ex dictis.

Obseruandum praeterea est, quando terminus in tabula inuentus remotior est termino quaesito, tunc ab eodem illo termino remotiore per extensionem proportionis inuento retrocedendum esse versus terminum quaesitum. Si enim in superiore exemplo inueniendus fuisset non terminus 27. sed terminus, verbi gratia, 24. qui minor est termino 25. quem suprà inuenimus, idem terminus 24. inueniretur, si fieret vt terminus secundus B, ad primum A, nempe retrocedendo, ita terminus 25. inuentus ad alium, hic enim erit terminus 24. siquidem tantùm distat a 25. quantum A, a B.

Aliter sine praedicta tabula. Sint iterum datae rectae A, B, quaeraturque, verbi gratia, terminus 63. Principio eadem pro-

portio

portio A, ad B, extendatur ad aliquot terminos, verbi gratia, ad A,B,C,D,E,F, quod illico fiet per problema praecedens: deinde fiat vt A, primus terminus ad F, ſextum, ita F, ad alium, inuentuſque erit terminus vndecimus G. quo inuento iterum

1	2	3.	4.	5.	6.	11.	21.	41.	61.	63.	81.
A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	L.	M.	K.

fiat vt A, ad G, ita G, ad alium H, qui erit terminus 21. Si autem iterum fiat, vt A, ad H, ita H, ad alium, is erit 41. nempe terminus I: & denique ſi fiat vt A, ad I, ita I, ad alium, habebitur terminus 81. nempe K, maior termino quaeſito, minor verò eodem erit I. Quorum licet vterque ſeruire poſsit ad inueſtigandum terminum 63. quia tamen alter illorum nempe 81. minùs differt ab eodem termino 63. quam differat 41. eum in ſequenti appropinquatione conuenit aſſumere. Inter terminos ergo hactenus inuentos quaerantur duo, qui tantum inter ſe diſtent, quantum diſtat 63. ab 81. nempe qui diſtent 17. terminis intermedijs; tot enim cadunt medij inter 63. & 81. cum differentia ſit 18. vel B ſi nulli eiuſmodi ſint inuenti, quaerantur duo, qui inter ſe diſtent, vel paulò pluribus vel paucioribus terminis quàm 17. quales quidem ſunt duo termini, H, I, ſcilicet 21. & 41. inter quos cadunt 19. medij, eò quòd 21. & 41. inter ſe differant numero 20. Quare ſi fiat vt I, ad H, nempe vt 41. terminus ad terminum 21. ita terminus K, 81. ad alium, inuentus erit terminus 61. L, qui tantum diſtat à termino 81. quantum terminus H, à termino I, cùm inter vtroſque idem numerus terminorum interijciatur, propter eandem proportionem H, ad I, & L, ad K. Conferatur iam idem terminus L, cum termino 63, & quoniam inter ſe tantùm diſtant, quantum termini A, C, ſi fiat vt A, ad C, ita L, ad alium, inuentus erit tandem terminus 63. M, quem quaerere propoſuimus, quem etiam inuenire potuiſſemus hac alia via.

c Schol. Lemm. 9. Inuentis terminis H, I, fiat vt H, ad I, ita I, ad alium terminum, qui ex [c] demonſtratis, erit terminus 61. à primo A, nempe terminus L. Nam cùm differentia inter 21. & 41. ſit 20. erit terminus I, vigeſimus primus à termino H, ac proinde ſi 21. addatur ad 41. procreabitur numerus 62. à quo ſubtracta vnitate, C manebit 61. denominator termini inuenti L, à quo cùm terminus quaeſitus M, ſit tertius, ſi fiat vt A, primus ad C, tertium, ita L, ad alium, is erit terminus 63. M, quaeſitus. Poſſet quidem idem terminus adhuc multis alijs, vt ita dicam, ſaltibus inueſtigari, ſed hos inſinuaſſe ſufficiet, ne in re aperta prolixiores ſimus, quàm par eſt.

PROBLEMA IIII.
PROPOSITIO IIII.

EVNDEM terminum proportionis deſideratum compendioſiùs reperire.

POSTERIOR verò modus, quem hoc poſteriori problemate proſequemur, nouus eſt & facilis, eoque terminus quaeſitus certò ſemper attingitur. In eo enim non ſolùm traditur ratio inueniendi D terminos intermedios, qui neceſſarij ſunt ad inueniendum extremum; ſed praeterea docetur praxis Geometrica, qua ijdem illi termini compendioſiſsimè ad vltimum vſque terminum, qui quaeritur, extendantur. Et quidem quod ad terminos neceſſarios inueſtigandos attinet, ij inuenientur breuiſsimè per pauciſſimas ſubdiuiſiones denominatoris vltimi termini quaeſiti, iuxta ſequentem regulam. Denominator vltimi termini, qui quaeritur, diuidatur continuò bifariam, vſque dum perueniertur ad binarium, hac duntaxat obſeruatione adhibita, vt quando numerus diuidendus eſt impar, priuſquam fiat diuiſio, addatur E vnitas; quando verò eſt par, priùs adijciatur binarius; ſemiſsibus enim huiuſmodi eo ordine, quo ſunt inuentae, vnà cum denominatore vltimi termini ſeorſim notatis, habebuntur denominatores omnium terminorum, qui neceſſarij ſunt ad vltimum terminum eorundem.



DV.	63.	terminus quaeſitus.
DR.	32.	termini neceſſarij.
DO.	17.	
DL.	9.	
DH.	5.	
DE.	3.	
DB.	2.	termini dati.
AD.	1.	

Exemplo id quod praecipitur, fiet manifeſtius. Sit igitur rurſus inueniendus terminus 63. in continua proportione rectae AD, ad rectam DB, ſitque verbi gratia, AD, maior quam DB. Principiò deſcripto ſeorſim numero 63. ei, quòd impar exiſtat, addo 1. deinde numerum 64. diuido bifariam & ſemiſſem 32. ſcribo infra 63. Ad haec eidem ſemiſsi, eò quòd ſit par, adijcio 2. & ſemiſſem aggregati 34. quae eſt 17. ſubſcribo priori ſemiſsi 32. Et quoniam 17. iterum eſt numerus impar, iterum adijcio vnum, & producto numero 18. diuiſo bifariam, inuentamque ſemiſſem 9. repono ſub 17 iterumque ad nouem adij-

A cio 1. vt fiant 10. & 10. diuido bifariam, vt habeam ſemiſſem 5. quam ſcribo infra 9. eique addita rurſum vnitate, diuiſoque numero 6. bifariam noto ſimiliter infra 5. inuentam ſemiſſem 3. cui poſtremo ſubijcio 2. ſemiſſem numeri 4. qui fit ex additione vnitatis ad ternarium iuxta tradita praecepta. Atque ita praeter terminum 63. qui quaeritur, reperti ſunt quattuor denominatores quattuor terminorum, qui neceſſarij ſunt ad inueſtigationem poſtremi; reliqua verò ſemiſsis 2. eſt denominator ſecundi termini DB, qui datur. vnde qui volet habere omnes omnino terminos tum datos tum neceſſarios, vnà cum termino quaeſito in eadem tabellula expreſſos, is infra ſemiſſem 2. adſcribet inſuper vnitatem: ea enim denominabit primum terminum datum, AD.

Iam verò quod attinet ad praxim, qua ex hiſce terminis annotatis eruitur vltimus, ea inſtituetur in hunc modum non incommodè. Circa primum terminum datum AD, nempe circa maiorem è datis deſcribatur circulus ABDC, in eoque applicetur ex [a] puncto D, minor data DB, quae ſeruiet ad inueniendos omnes terminos pares, per ſuperiorem ſubdiuiſionem inuentos, B qualis eſt terminus 32. Prima verò AD, exhibebit omnes reliquos, quotquot ſcilicet ex eadem diuiſione prodierint impares, quales ſunt 3.5.9.17. vna cum poſtremo 63. qui quaeritur. Et quidem tertius terminus, qui eſt primus ex inueſtigandis, ex primo & ex ſecundo inuenietur, iuxta praedicta, [b] demittendo ſcilicet, ex puncto B, in diametrum AD, perpendicularem BE. haec enim auferet ex DA, rectam DE, tertiam proportionalem ad duas datas AD, DB. Perpendicularis autem BE, facilè demittetur, ſi arcui AB, ſumatur aequalis AC, vel certè arcui BD, aequalis arcus DC, cùm ex hoc ſequatur, etiam reliquos AB, AC, ex ſemicirculis ABD, ACD, aequales fore. Ducta enim recta BC, erit neceſſariò perpendicularis ad diametrum AD. Si enim iungatur recta DC, erunt duo latera BD, DE, trianguli BDE, aequalia duobus lateribus CD, DE, trianguli CDE, eò quòd DE, ſit commune, & DC, DB, ſubtendant aequales arcus BD, CD. Quare cùm inſuper anguli EDB, EDC, [c] ſint aequales, [d] erit in ijſdem triangulis etiam reliquus angulus DEB, aequalis reliquo angulo DEC, & quia ſunt dein- C ceps, erit [e] vterque rectus, & recta BE, perpendicularis ad diametrum AD. Itaque ad ducendam eandem perpendicularem BE, immo ad demittendam quamcumque aliam perpendicularem in diametrum DA, ex quouis puncto ſemicirculi ABD, ſatis erit centro D, per punctum B, vel per aliud punctum propoſitum deſcribere arcum BC, qui reliquum ſemicirculum ACD, ſecet in alio puncto C; iuncta enim BC, erit vt modò demonſtrauimus, perpendicularis ad diametrum AD. Quia verò tunc cùm arcus BD, parum differt à ſemicirculo, deſcriptus arcus BC, centro D, interuallo DB, nimis obliquè ſecat ſemicirculum ACD, operaepretium fuerit tunc arcum BC, non deſcribere ex puncto D, ſed ex alio quouis puncto prope A, ſiue citra, ſiue vltra ipſum vtcumque aſſumptum, vel etiam ex ipſo puncto A; ſic enim eiuſmodi obliqua ſectio euitabitur. Quando verò punctum ſemicirculi ABD, ex quo demittenda eſt perpendicularis, propinquius fuerit puncto D, tunc ſine errore poterit adhiberi praxis praedicta, ita vt arcus deſcribendus tunc deſcribatur centro D. Porro inuento hac ratione tertio termino DE, ex eo inuenietur quinctus, ſiue ſecundus terminus ex inueſtigandis, via non prorD ſus diſsimili à priori; neque enim hic aliud quaeritur quàm tertius terminus proportionalis ad datum primum terminum AD, & ad tertium inuentum DE; terminus enim eiuſmodi tertio loco proportionalis ad praedictos neceſſariò erit terminus quinctus à primo iuxta demonſtrata. [f] Vnde vt idem terminus quinctus reperiatur, applicanda erit in ſemicirculo ABD, recta DF, aequalis ipſi DE, videlicet tertio termino hactenus inuento, & ex puncto F, in diametrum DA, demittenda perpendicularis FH, quorum quidem vtrumque illico praeſtabitur, ſi centro D, interuallo DE, deſcribatur arcus, ſecans vtrumque circulum in punctis F, G: nam hac ratione applicata DF, erit aequalis tertio termino DE, (quam tamen ducere non erit neceſſe, cùm ſatis ſit inueniſſe punctum F) & recta FEG, erit perpendicularis ad diametrum AD, vt modò demonſtrauimus: & denique abſciſſa recta DH, ex eadem diametro AD, erit [g] tertia proportionalis ad duas rectas AD, DE, hoc eſt, [h] eadem DH, erit quincta proportionalis, ſiue quinctus terminus in ratione primae datae AD, ad ſecundam datam DB, quem ſecundo loco inueſtigare opor- E tebat.

Ex quo eodem prorſus modo reperientur terminus 9. & 17. tertio & quarto loco inueſtigandi, cùm etiam ipſi & priores duo ſint impares. Si enim centro D, interuallo DH, deſcribatur arcus ſecans circulum vtrimque in punctis I, K, nectaturque IK, ea erit perpendicularis ad diametrum, abſcindetque nonum terminum DL, cuius ſi iterum interuallo deſcribatur alter arcus, ſecans rurſus circulum in punctis M, & N, ducaturque MN, abſcindetur per eam ex diametro AD, decimus ſeptimus terminus DO, vt patet [i] ex dictis, [k] eò quòd hac ratione ſemper inuenietur tertius terminus proportionalis tum ad primum datum, tum ad vltimo loco inuentum. Immo hac praxi ſi omnes termini inueſtigandi vnà cum vltimo termino, qui praecipuè quaeritur, forent impares, inuenirentur illico ſinguli ſine vlla interruptione, & quidem omnes in diametro, ſiue in primo termino dato AD, ducendo videlicet tum arcus, tum perpendiculares praedictas. Quia verò in exemplo propoſito terminus quincto loco inueſtigandus eſt par, nempe 32. iccirco ordo hactenus obſeruatus

a 1. quarti Eucli.
b Corollar. primae propoſ. huius cap.
c 27. tertij Eucli.
d 4. primi Eucli.
e Definit. 10. primi Eucli.
f 8. Lemm. primi huius.
g 1. Coroll. 1. tertij huius.
h 8. Lemm. c. 1. huius.
i Coroll. 1. prop. tertij huius.
k 8. Lemm. primi huius.

seruatus nonnihil interrumpitur. Quamuis enim praxis, qua idem terminus 32. est inquirendus, non differat à priori; is tamen à propria perpendiculari non abscinditur ex primo termino AD, vt fuere abscissi priores termini impares, sed ex secundo termino DB, qualis est recta DR, quam abscindit recta PQ, quae est perpendicularis ad diametrum AD, demissa ex puncto P, vel Q, in quibus circumferentiam secat arcus POQ, descriptus centro D, interuallo rectae DO, hoc est, interuallo termini 17. vltimo loco inuenti, iuxta tradita hactenus praecepta. Ita vt hinc manifestè appareat, inuentionem terminorum parium nullam alia in re differre ab inuentione terminorum imparium, nisi quòd perpendiculares, quas [a] ducere oportet, ex diametro quidem, siue ex primo termino AD, abscindant terminos impares, at ex secundo termino DB, auferant terminos pares. Quod autem terminus DR, hoc modo inuentus sit 32. facilè demonstratur ex ijs, quae scholio secundo lemmatis 8. primi capitis annotauimus. Cùm enim eadem [b] sit proportio BD, ad DP, hoc est, ad DO, quae DO, ad DR, sitque DB, terminus secundus, & DO, terminus 17. à primo termino AD, erit omnino idem terminus DO, decimus sextus à termino DB; vnde cùm idem terminus DR, sit tertius proportionalis ad duos BD, DO, is erit trigesimus primus ab eodem termino DB, eò quòd bis 16. faciant 32. & dempta vnitate, remaneant 31. ac proinde si huic distantiae adijciatur vnitas, eò quòd terminus DB, vno tantùm loco distet à primo DA, erit omnino inuentus terminus DR, trigesimus secundus ab eodem primo termino AD. Hoc ipsum tamen aliter adhuc ex ipsa constructione demonstrari poterit in hunc modum. Eadem enim perpendicularis PQ, quae ex secunda DB, abscindit rectam DR, quam dicimus esse terminum 32. abscindit ex prima AD, rectam DX, quae à primo termino A, est [c] 33. Nam cùm recta DX, sit tertia proportionalis ad primum terminum AD, & ad 17. terminum DO, nempe ad DP, quem vltimo inuenimus, erit [d] eadem DX, terminus 33. à primo termino AD. Est autem [e] vt DB, ad DE, hoc est, vt AD, primus terminus ad DB, secundum; ita DR, ad DX, propterea quòd triangula rectangula BDE, RDX, ob communem angulum ad D, sint aequiangula. Ergo quemadmodum inter AD, DB, non cadit alius terminus proportionis AD, ad DB, ita nec inter DR, DX, alter cadet terminus eiusdem proportionis AD, ad DB. atque iccirco ipsum terminum DA, immediatè sequetur terminus DX. Est autem DX, vt ostendimus, terminus trigesimus tertius: ergo DR, erit terminus trigesimus secundus cum proximè antecedens, hoc est, recta DR, erit terminus, quem quincto loco inuestigare oportebat. Superest nunc, vt ex hoc tandem termino eliciamus vltimum terminum desideratum, nempe sexagesimum tertium, quem dico reperiri, si centro D, interuallo DR, quem proximè inuenimus, describatur arcus, secans circulum in punctis S, T, & puncta S, T, nectantur recta ST, secante diametrum AD, ad angulos rectos in puncto V. Abscissa enim recta DV, ex primo termino AD, eò quòd terminus quaesitus sit impar, erit ipse terminus sexagesimus tertius hactenus optatus. Si enim iungatur insuper recta DS, erit [f] AD, ad DS, siue ad DR, hoc est, vt primus terminus ad trigesimum secundum, ita idem terminus trigesimus secundus DR, vel DS, ad DV: sed per lemma octauum primi huius, tertius proportionalis ad primum, & ad trigesimum secundum terminum est terminus sexagesimus tertius, propterea quòd numerus 63. remaneat, si ex duplo numeri 31. subtrahatur vnitas. Igitur recta DV, erit terminus sexagesimus tertius, quem inuestigare oportebat. Eademque est ratio inuestigandi quoscumque alios terminos, dummodo diligenter obseruetur, vt semper interuallo termini vltimo inuenti describatur arcus, secans circumferentiam circuli in duobus punctis: recta enim nectens illa duo puncta, erit semper perpendicularis ad diametrum, siue ad primum terminum AD, auferetque ex eodem quidem primo termino AD, terminum proximè sequentem, qui quaeritur, si idem terminus est impar. Si autem inueniendus terminus est par, eum abscindet eadem perpendicularis ex secundo termino DB, vt patet exemplo, & demonstratione adducta.



Immo ex eadem demonstratione praxis hactenus traditae est manifestum, cur in inuestigatione terminorum necessariorum ad vltimum per superiorem subdiuisionem termini propositi, vnitatem quidem addere iusserimus, quando numerus, qui dividendus est bifariam, est impar, binarium verò, quando est par. Cùm enim in hac praxi ex quouis termino dato vel inuento praeter primum, inueniatur alius terminus tertius, qui à primo duplo remotiorem locum occupat, vno dempto, quàm occupauerat terminus datus, vel inuentus, vel certè alius terminus tertius inueniatur, qui ab eodem primo duplo remotiorem locum occupat, demptis duobus, quàm idem terminus datus vel inuentus occupauerat, prout videlicet ille tertius terminus attenditur, vel in primo termino AD, vel in secundo termino DB; necesse omnino fuit ita dictam subdiuisionem instituere, vt eiusmodi essent termini per diuisionem inuenti, vt ex eis, ex primo & secundo datis per dictam praxim pertenire possemus ad extremum: id quod per traditam regulam prorsus efficitur. Nam addita, verbi gratia, vnitate ad vltimum terminum sexagesimum tertium propositum, & diuiso numero producto 64. per duo, inuenitur semisis triginta duo, nempe terminus eiusmodi, ex quo per praxim traditam inueniri possit vltimus terminus sexagesimus tertius. Si enim ad primum terminum, & ad trigesimum secundum inueniatur [g] tertius proportionalis, is erit per lemma octauum primi huius, terminus sexagesimus tertius, abscinderturque ex primo termino AD, propterea quòd terminus sexagesimus tertius sit impar. Applicata enim in semicirculo ABD, recta DS, quae sit aequalis termino trigesimo secundo, abscindet demissa ex puncto S, in diametrum AD, perpendicularis SV, terminum sexagesimum tertium DV, eò quod DV, [h] sit tertia proportionalis ad AD, DS. Eademque est ratio de quibuscumque alijs terminis imparibus: semper enim addita vnitate, & producto numero diuiso bifariam, quotiens exhibet terminum, ex quo dicto modo eliciatur terminus quaesitus. Quando verò terminus quaesitus est par, qualis hic est terminus trigesimus secundus, is nullo modo inuenietur per eius semissem sedecim, si quidem adhibenda sit praxis praemissa: nam tertius terminus proportionalis ad primum & ad decimum sextum necessariò est terminus trigesimus primus, si is intelligatur abscindi à perpendiculari ex primo termino AD, aut terminus trigesimus proximè praecedens, si idem intelligatur abscindi ex secundo termino DB, vt patet ex supradictis. Vnde alius omnino inquirendus est terminus intermedius, diuersus à semisse numeri paris propositi, vt ex illo & ex primo termino AD, deprehendatur terminus trigesimus secundus; is autem erit terminus decimus septimus, qui maior est vnitate semisse numeri 32. hoc est is, qui est semisis numeri 34. qui numerum 32. superat duabus vnitatibus. Si enim ad primum terminum AD, & ad terminum decimum septimum inueniatur tertia proportionalis, [i] is foret terminus trigesimus tertius abscissus à linea perpendiculari ex primo termino AD; si verò attendatur segmentum, quod eadem perpendicularis abscindit ex secunda DB, ipsum erit terminus trigesimus secundus, nempe terminus proximè antecedens terminum trigesimum tertium, vt videre fuit in superiori praxi. Non aliam ob causam addendus est binarius cuicumque alteri termino pari, priusquam idem secetur bifariam: sic enim semper habebitur in semisse alter terminus, ex quo propositus eruatur.

Atque haec est ratio inuestigandi terminum quemcumque desideratum, etiam remotissimum, quando proportio exhibita est maioris inaequalitatis, qualis fuit proportio rectae AD, maioris, ad minorem DB. Et licet ratio similis praescribi posset pro terminis minoris inaequalitatis, vt patet ex dictis, [k] vbi docuimus, qua praxi tertia proportionalis adijciatur ad duas datas tum maior tum minor; quia tamen, dum remotior aliquis terminus inquiritur in proportione minoris inaequalitatis, figurae plerumque nimium excrescunt: iccirco libuit problema propositum solis proportionibus, maioris inaequalitatis accommodare, quae contentae sunt semicirculo, vel circulo, qui circa maiorem terminum datum describitur; illud hoc loco annotando, quo obseruato, possint ex praxi tradita etiam termini proportionis minoris inaequalitatis deprehendi: id quod fiet in hunc modum.

Termini proportionis minoris inaequalitatis conuertantur, vt fiat proportio maioris inaequalitatis, & in hac proportione inquiratur per praecepta tradita ille terminus minor, qui sit eiusdem denominationis cum termino maiori quaesito. Si enim fiat vt hic terminus minor inuentus ad primum terminum, hoc est, ad maiorem terminum datum, ita secundus terminus, hoc est, minor datus ad alium, id quod fiet per duodecimam libri sexti Euclidis: producetur terminus ille maior proportionis minoris inaequalitatis, qui quaeritur. Cùm enim tunc eadem sit proportio minoris termini inuenti, ad primum datum maiorem, quae secundi dati ad quartum, quem reperimus maiorem: distabit vtique hic idem terminus maior inuentus tot terminis à secundo dato, hoc est, à primo termino proportionis minoris inaequalitatis; quantum distat primus terminus, hoc est, maior datus à minore inuento, vel quantum distat hic minor inuentus ab eodem maiore dato. Atque haec distantia est ea, qua ponitur distare terminus quaesitus à primo in proportione maioris inaequalitatis, vt patet ex praxi. Ergo & distantia termini maioris inuenti erit ea, qua debet distare terminus quaesitus ab eodem termino minore dato; hoc est. terminus maior inuentus erit ille, qui quaeritur.

Itaque si foret proposita proportio minoris inaequalitatis BD, minoris ad DA, maiorem, quaereturque huius proportionis terminus, verbi gratia, iterum sexagesimus tertius, conuertenda esset primò proportio exhibita in proportionem maioris inaequalitatis, hoc est, maior terminus AD, habendus esset instar primi, & minor DB, instar secundi: atque in hac proportione inuestigandus esset per superiores regulas, terminus sexagesimus tertius, minor, nempe DV; hoc enim inuento, si rursum fiat vt DV, ad DA, ita DB, ad alium, is respectu termini DB, erit sexagesimus tertius, quemadmodum & DA, respectu DV, vel DV, respectu DA, est sexagesimus tertius. Atque adeo hac praxi inuentus erit in proportione DB, ad DA, terminus sexagesimus tertius, quem inuestigare erat propositum.

a 1. Coroll. primae prop. tertij huius.

b 16. secundi huius.

c 16. secundi huius. d 8. Lemm. primi huius. e 4. sexti Eucli.

f 16 secundi cap. huius.

g 1. Coroll primae tertij huius.

h 16. secundi cap huius.

i 8. Lemm primi cap. huius.

k 1. Coroll primae prop. tertij huius.

positum. Eademque est ratio de alijs. Duarum igitur linearum inaequalium proportione data &c. quod erat faciendum. A

SCHOLIVM.

ETSI verò in constructione huius problematis praecepimus, vt minor data, nempe recta DB, applicaretur ad circumferentiam circuli, quem circa maiorem datam AD, describendum esse diximus, id tamen non est absolutè necessarium: poterit enim problema absolui in quocumque etiam alio circulo maiori, in quo vtraque data applicari possit; vt videre est in hac altera figura, vbi primùm ad circumferentiam circuli ABD, applicauimus, exempli gratia, datas DA, DB, quarum vtraque minor est diametro CD, ac deinde in ratione quam habet maior AD, ad minorem DB, inuestigauimus terminum trigesimum secundum DO, modo superiùs descripto. Nam primò confecimus tabellam hic appositam terminorum, qui faciunt ad inuentionem vltimi termini, per continuam diuisionem vltimi termini trigesimi secundi quaesiti, vt in principio huius problematis monuimus. Deinde ex primo & secundo termino dato inuenimus tertium terminum DE, qui est vltimus ex terminis necessarijs per subdiuisionem inuentis, describendo scilicet centro D, interuallo secundi termini DB, arcum BP, & ducendo rectam BQP, quae iuxta demonstrata est perpendicularis ad diametrum CD, auferatque [a] ex prima data AD, rectam DE, tertiam proportionalem ad datas rectas AD, DB; cùm non secus eueniat, quàm in superiori figura, in qua perpendicularis BEC, demissa ex termino secundae in diametrum AD, abstulerat ex eadem diametro, quae illic eadem erat cum prima data, tertiam proportionalem DE. Ad haec centro D, interuallo tertiae proportionalis DE, descripsimus secundum arcum FEG, quem tamen integrè non expressimus, quòd eo opus non habeamus, vt nec rectam FG, quae nectit duo puncta F, G, in quibus dictus arcus secat circulum ABDC; satis enim est applicare regulam ad puncta inuenta F, G, atque in prima AD, notare punctum H, in quo eandem AD, regula intersecat. Nam recta DH, hoc modo ex prima AD, abscissa, erit [b] tertia proportionalis ad primam AD, & ad inuentam DE, hoc est, eadem recta DH, erit quinctus terminus in ratione rectae AD, ad rectam DB, quem quidem secundo loco inuestigare oportebat. Ex quo eodem modo inuentus est terminus nonus DL, & ex hoc denique terminus trigesimus secundus DO, qui cùm sit par, ideo per rectam MN, abscissus est ex secundo termino DB, & non ex primo AD, ex qua eadem recta MN, abscindit terminum trigesimum tertium DR. Manifestum igitur est, inueniri posse quemcumque terminum propositum, etiamsi maior data non sit diameter circuli, sed vtraque applicata sit in quocumque alio circulo, dummodo praxis tradita adhibeatur: nimirum, arcus, vt dictum est, describantur, & eorum beneficio perpendiculares ducantur in diametrum, saltem occultae; hae enim auferent ex maiori data terminos impares, & ex minori terminos pares, eos videlicet, qui ad alterum terminum quaesitum eruendum conducunt.

32
17
9
5
3
2
1



a 16. secundi huius.

b 16. secundi huius.

c 8. Lemm. primi huius.

PROBLEMA V.
PROPOSITIO V.

DVABVS datis rectis lineis mediam proportionalem adinuenire.

HAEC est propositio decima tertia sexti Euclidis, quam nos ex ijs, quae superiori capite sunt demonstrata, duplici alia via soluemus; quarum prior est haec. Sint datae rectae AB, BC, circa maiorem AB, describatur semicirculus, in eoque applicetur minor data BC. Deinde centro B, interuallo maioris BA, describatur arcus, secans protractam minorem BC, in D, & eodem centro, interuallo autem minoris BC, describatur alter arcus, secans maiorem AB, in E, nisi idem arcus fuerit priùs descriptus, tunc scilicet, quando applicata fuit recta BC. Si enim ducatur recta DE, secans circumferentiam semicirculi in F, nectaturque BF, erit recta BF, media proportionalis inter datas AB, BC: eò quòd [a] ducta DE, sit perpendicularis ad diametrum AB, ac proinde [b] eadem sit proportio AB, siue BD, ad BF, quae BF, ad BC, siue ad BE. B



a 32. huius.
b 16. sexti Euclid.

Si verò altera via inter duas datas mediam proportionalem inuenire libuerit, sic erit progrediendum. Duae datae, quales, verbi gratia, sunt rectae BC, BG, applicentur in quouis semicirculo, verbi gratia, ex termino B, ad puncta C, G. Et quoniam haec applicatio fit describendo arcus centro B, interuallis rectarum datarum, ijdem arcus producantur aliquanto vlteriùs, vt vicissim secent applicatas, hoc est, arcus descriptus interuallo maioris BC, secet protractam minorem BG, in I, & arcus descriptus interuallo minoris BG, secet maiorem datam in H. Ducta enim IH, si esset producta, esset [c] perpendicularis ad diametrum, ac proinde recta BK, ducta ad punctum K, in quo circumferentiam secat recta IH, [d] erit media proportionalis inter datas BC, BG. C

c 30. secundi huius.
d 16. secundi huius.

SCHOLIVM.

POTVISSET prior modus etiam hoc modo proponi. Descripto semicirculo circa maiorem datam AB, auferatur ex eadem BE, aequalis minori datae: atque ex E, erigatur super eandem maiorem perpendicularis EF, secans semicirculum in F: ducta enim recta BF, esset media proportionalis inter datas, vt demonstrauimus. Verùm melior est modus à nobis traditus, cùm idem colligat, quod iste, & simul doceat, qua ratione ducenda sit illa perpendicularis. D

PROBLEMA VI.
PROPOSITIO VI.

INTER duas rectas datas, quotlibet terminos medios impares interponere ex ijs, qui denominantur à numeris, qui sunt vnitate minores terminis eius progressionis duplae, quae à binario procedit. E

PROGRESSIONEM proportionis duplae, cuius in propositione fit mentio, vnà cum numeris proximè minoribus hic expressam vides.

2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512. 1024. &c.
1. 3. 7. 15. 31. 63. 127. 255. 511. 1023. &c.

Dico igitur tot medios terminos inueniri posse inter quascumque duas rectas datas, quot sunt vnitates in quolibet numerorum imparium hic descriptorum, nempe vnum, tres, septem, quindecim, &c. ita vt ijdem numeri sint instar denominatorum terminorum inueniendorum. Et quidem vnum terminum medium

interponi posse inter duas rectas datas, constat tum ex decimatertia propositione libri sexti Euclidis, tum ex propositione proximè praecedente. Tres autem interponi posse vel septem, vel quindecim, &c. ex eo manifestè deducitur, quod per eandem propositionem praemissam non solùm inter duas datas vnus medius terminus interponi possit; sed etiam tum inter vtramque rectam datam, & medium terminum inuentum; tum inter quoslibet inuentos, singulos medios interijcere liceat. Hinc enim fit, vt quando inter primum & medium inuentum; itemque inter eundem medium & tertium, siue vltimum terminum singuli termini medij interijciuntur, inter eosdem terminos extremos, tres omnino termini sint constituti; nempe medius ille primò interpositus, & duo alij inter eundem medium, & extremos interiecti. Si verò inter eosdem terminos tum inuentos tum datos, qui iam in vniuersum sunt quinque, alij

A

2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512. 1024. &c.
1. 3. 7. 15. 31. 63. 127. 255. 511. 1023. &c.

B

intrudantur medij, hi cum prioribus tribus constituunt numerum septem terminorum intermediorum. Nam inter quinque terminos quattuor omnino cadunt termini medij, nempe tot, quot sunt termini propositi vno minùs, quemadmodum etiam inter tres terminos, duos incidisse medios paulò antè aduertimus. Positis enim ordine quinque terminis, cadet inter primum & secundum primus ex quattuor, quos interponi posse diximus; tum inter secundum & tertium cadet secundus, inter tertium verò & quartum tertius; & denique inter quartum & quinctum quartus, & consequenter inter quinque terminos, si alij singuli interponantur, quattuor erunt in vniuersum, qui interponuntur, & hi cum tribus priùs inter eosdem terminos positis, septem terminos constituent. Non aliter deprehendemus octo fore terminos, qui inter septem proximè inuentos, & extremos interponi possint. Atque adeo si vnam in summam hi cum illis colligantur, quindecim esse terminos, qui hac ratione fuerint constituti inter datos, &c. Semper enim vltra terminos interpositos, si singuli interijcianter inter inuentos & datos, tot cadent alij, quot fuere priùs interpositi, vno insuper adiecto. Nam vno interposito, alij duo interijciuntur; tribus verò interpositis, alij quattuor, & septem interpositis, octo alij. Vnde etiam apertè colligitur, denominatores eiusmodi terminorum interpositorum debere esse numeros impares: siquidem & primus qui interponitur ab impare denominatur, scilicet ab vnitate. Cùm enim vno interposito interponi possint alij duo, nempe tot, quot antè, vno adiecto, si hic numerus 2. qui est par, addatur impari, nempe vnitati, componetur numerus impar 3. qui denominabit terminos, qui secunda praxi, inter duas rectas datas interponi possunt. Deinde quoniam interpositis tribus terminis per secundam praxim, interponuntur alij quattuor per praxim tertiam, nempe iterum tot, quot fuere prius interpositi vno insuper adiecto, si hic numerus 4. qui iterum est par, eò quòd fiat ex impari 3. & ex vnitate, addatur ad 3. denominatorem mediorum proximè inuentorum; erit productus numerus, 7. hoc est, denominator terminorum vltimò interpositorum iterum impar, & ita de reliquis.

Quòd autem hi denominatores sint illi numeri impares, qui sunt minores proximè terminis proportionis duplae, quae à binario incipit, hinc fiet manifestum. Idem namque est duplicare numerum aliquem, & ex producto demere vnitatem, quod duplicare eundem numerum, dempta priùs vnitate, & producto numero iterum adijcere vnitatem. Idem enim, verbi gratia, numerus ternarius inuenitur, si, verbi gratia, binarius duplicetur, & ex duplo, nempe ex quaternario subtrahatur vnitas, vel si duplicetur vnitas, hoc est, numerus proximè minor binario, & producto scilicet binario, addatur vnitas. Vnde cùm denominator vnius termini medij, qui primò omnium interponitur inter duas rectas datas, sit vnitas; nempe numerus proximè minor primo termino progressionis duplae, quam ponimus incipere à binario, erit omnino numerus ternarius, hoc est, denominator terminorum, qui secundò interijciuntur, quique duplus est denominatoris proximi, continens insuper vnitatem, aequalis secundo termino, progressionis duplae, nempe quaternario, sublata priùs ex eodem secundo termino vnitate. Item numerus 7. qui denominat terminos medios, qui tertiò interponuntur, quique continet bis denominatorem terminorum proximè interiectorum, & insuper vnitatem, aequalis erit tertio termino eiusdem progressionis duplae, nempe numero 8. sublata vnitate. Eademque est ratio de reliquis denominatoribus mediorum terminorum, qui consequenter interponi possunt inter duas rectas datas.

Itaque vt problema propositum soluatur, satis est eam tenere praxim, qua inter duas datas rectas vnus terminus medius interponitur. Nam si idem problema superiùs adhibeatur, hoc est, primo inter duas rectas imponatur vnus terminus medius; tum inter easdem datas, & medium terminum inuenti alij, &c. immissus tandem erit inter easdem rectas datas is numerus terminorum, quem immittere oportebat: dummodo idem numerus terminorum sit vnus, ex numeris imparibus, quos progressio hic adducta exhibet. Ex qua progressione facilè etiam determinabitur, quot vicibus iteranda sit praxis interpositionis vnius termini medij, vt tandem numerus terminorum propositus habeatur, si videlicet diligenter attendatur, quotum locum occupet in progressione dicta denominator terminorum propositorum. Nam quotum locum occupat eiusmodi denominator, toties iteranda erit praxis vnius termini medij. Nam vt tres termini medij interponantur inter duas rectas datas; bis repetenda erit praxis dicta, eò quòd denominator trium terminorum propositorum occupet secundum locum in progressione terminorum posibilium. Item vt inter easdem rectas datas intrudantur quindecim, necesse erit eandem praxim repetere quater, propterea quòd denominator 15. quartum locum obtineat.

SCHOLIVM.

EX his patet, quamuis via Geometrica per propositiones suprà citatas quamplurimi possint interponi termini medij inter duas rectas datas; plurimos tamen esse ac infinitos, qui per continuam immissionem vnius termini medij inter datos & inuentos nequaquam haberi queant. Cùm enim per interpositionem continuam vnius medij termini solum interponatur ille numerus terminorum mediorum, qui denominatur à numeris imparibus, in superiori progressione expressis, quive exprimeretur, si eadem progressio in infinitum extenderetur, vt manifestum est ex discursu praemisso: patet, hac via non solum vllum numerum terminorum mediorum denominatorum à numero pari; sed neque denominatores à quamplurimis numeris imparibus interponi posse. Immo non minùs facilè est, inire rationem terminorum, qui interponi nequeunt, quàm terminorum, quos interponi posse hactenus ostendimus. Numerum enim eiusmodi terminorum impossibilium, eadem ipsa series progressionis terminorum possibilium commonstrat. Vnitas enim, quae est primus terminus dictae progressionis, ostendit vnum numerum terminorum esse impossibilem inter vnum terminum, & tres, qui sunt possibiles, nempe illum numerum terminorum, qui denominatur à binario, qui est numerus medius inter vnum & tria in progressione numerorum naturali. Ternarius verò, qui est secundus terminus eiusdem progressionis terminorum possibilium, monstrat tres esse numeros terminorum impossibilium inter tres terminos, & septem terminos, qui possunt interponi, eos scilicet, qui denominantur à tribus numeris, qui cadunt inter 3. & 7. qui quidem sunt tres tantùm, videlicet 4. 5. 6. septenarius enim quartum occupat locum à ternario, cùm eum iuxta superiorem regulam continere debeat bis, & insuper vnitatem: ac prionde tres necessariò cadent alij numeri inter 3. & 7. nempe tot, quot sunt vnitates in secundo termino progressionis dictae. Itaque per immissionem continuam vnius termini medij nulla ratione interponentur aut quattuor termini medij, aut quinque, aut sex; sed neque octo, vel nouem, vel decem, vel vndecim, vel duodecim, vel tredecim, vel quatuordecim termini medij inter datas intrudentur, eò quòd septem isti numeri cadant inter 7. & 15. hoc est, inter tertium & quartum terminum eiusdem progressionis terminorum possibilium &c.

C D E

PROBLE-

PROBLEMA VII.
PROPOSITIO VII.

EOSDEM terminos medios numero impares duabus rectis datis immittere praxi peculiari.

INTER iterum datae duae rectae AB, BC, & circa totam AB, descriptus sit semicirculus ADB, centroque B, interuallo BA, arcus AG; huius enim arcus beneficio, & semicirculi ADB, immittentur inter duas datas AB, BC, quotuis mediae numero impares ex eis, quae denominantur à numeris imparibus progressionis, quam propositione praecedente instituimus. Sint enim, exempli gratia, inueniendi quindecim termini medij inter datas AB, BC: quoniam igitur hic numerus 15. est quartus terminus in superiori progressione, primò omnium inter duas datas, interque maiorem datam, & proximam inuentam, quater interponetur vnus terminus medius in hunc modum. Ex C, super rectam AB, erigatur perpendicularis, secans semicirculum in puncto D; quam perpendicularem sic facilè eduxeris: applicata in eodem semicirculo recta Bf, aequali ipsi BC, producas eandem Bf, vsque ad arcum AG, in g. Iuncta enim Cg, erit [a] perpendicularis ad rectam AB; eademque secabit semicirculum in puncto D, ad quod ducta recta ex puncto B, nempe recta BD, erit tum ex alijs propositionibus, tum ex praxi problematis quincti huius, media proportionalis inter datas AB, BC. Eodem modo si recta BD, producatur, vsque ad arcum AG, in G, eidemque BD, aequalis sumatur BE, erit ducta EG, perpendicularis ad diametrum AB, eademque in semicirculo ADB, assignabit punctum F, ad quod ducta recta BF, erit media proportionalis inter datam AB, & inuentam proximè BD, vel BE. Sumpta verò BH, aequali ipsi BF, & BF, protracta vsque ad arcum AG, in K, secabit ducta recta HK, quae rursum est perpendicularis ad AB, semicirculum in puncto I, & recta BI, erit media inter AB, BH, vel BF. Postremo producta BI, in N, & sumpta BL, aequali ipsi BI, iunctaque LN, secante semicirculum in M, erit recta BM, quarto loco inuenta, media proportionalis inter eandem datam AB, & inter proximè inuentam BL, vel BI. Atque has quattuor lineas BD, BF, BI, BM, inuenisse sat est, vnà cum tribus perpendicularibus CD, EF, HI; ex his enim inuenientur omnes reliquae, quae cum quattuor inuentis numerum quindecim terminorum mediorum continuè proportionalium constituent, quos inuestigare proposuimus. Si autem plures inferendi forent, necesse esset plures alios terminos medios immittere inter datam AB, & terminum proximè inuentum, donec videlicet tot essent inuenti medij, quot locis distat à primo ille terminus progressionis propositionis praecedentis, qui denominat seu numerat terminos, quos inbemur interponere, vt initio huius propositionis monuimus.



Sic igitur reliquos terminos per inuentos interponemus. Centro B, per punctum O, in quo vltimo inuenta BM, secat perpendicularem proximam HI, describatur arcus OP, secans circumferentiam semicirculi in P: nectaturque BP, & per puncta QRS, in quibus sequentem perpendicularem secant tres rectae BM, BI, BP, describantur tres alij arcus, secantes semicirculum in T, V, X, nectanturque BX, BV, BT, quae reliquam perpendicularem CD, vnà cum prijs ductis BF, BP, BI, BM, secent in punctis Y, Z, a, b, c, d, e. Dico quindecim rectas BM, BI, BP, BF, BX, BV, BT, BD, BY, BZ, Ba, Bb, Bc, Bd, Be, esse medias proportionales inter datas AB, BC.

Nam primò vt BA, ad BM, ita est [b] BM, ad BL, hoc est, ad BI, & vt BM, ad BI, ita est BI, ad BO, hoc est, ad BP, eò quòd LM, HI, sint perpendiculares ad diametrum AB. Igitur quattuor rectae BA, BM, BI, BP, erunt continuè proportionales. Deinde quoniam vt BM, ad BL, siue ad BI, ita est BI, ad BO, & vt BM, ad BL, ita [c] est BO, ad BH, erit quoque vt BM, ad BI, vel BI, ad BO, ita BO, vel BP, ad BH, hoc est, ad BF. Vnde recta BF, est quincta proportionalis ad quattuor praedictas. Quod autem quattuor proximè sequentes, nempe BX, BV, BT, BD, hoc est, quattuor rectae, BS, BR, BQ, BE, cum ijsdem quinque sint continuè proportionales, facilè hoc loco vel ex eo demonstrabitur, quòd [d] rectangula comprehensa, sub AB, BE; MB, BQ; IB, BR; BP, BS, sint aequalia eidem quadrato BF, atque adeo inter se aequalia. Hinc enim sequitur, [e] eandem esse proportionem AB, ad BM, & BQ, ad BE; itemque BM, ad BI, & BR, ad BQ, nec non IB, ad BP, & BS, ad BR, atque adeo PB, ad BF, & BF, ad BS. Sunt autem BA, BM, BI, BP, BF, continuè proportionales; ergo & reliquae BF, BS, BR, BQ, BE, hoc est, omnes nouem rectae, BA, BM, BI, BP, BF, BS, BR, BQ, BE, continuè erunt proportionales. Quare cùm eandem ob causam etiam rectae BY, BZ, Ba, Bb, Bc, Bd, Be, BC, sint continuè proportionales in eadem ratione cum praedictis, erunt omnino omnes quindecim rectae per traditam praxim interpositae mediae proportionales inter datas AB, BC. Quod erat faciendum.

[a] 30. secundi huius.

[b] 16. secundi huius.

[b] 4. sexti Eucli.

[c] 16. secundi huius.

[d] 16. sexti Eucli.

COROLLARIVM.

EX priore parte huius problematis patet, qua ratione inueniatur terminus maximus & minimus, eorum terminorum imparium, qui iuxta propositionem sextam, inter duas datas interponi possunt. Nam ex eo, quod, verbi gratia, numerus 15. denominator videlicet quindecim terminorum, est quartus terminus progressionis numerorum imparium, quam dicta propositione sexta descripsimus, collegimus per quattuor terminos, quorum primus sit medius inter datas, secundus medius inter maiorem datam & inuentam, tertius inter eandem maiorem datam, & proximè inuentam, & quartus denique sit medius rursum inter maiorem datam, & vltimo inuentam, inueniri terminum maximum & minimum quindecim terminorum propositorum, nempe terminum BM, & terminum Be, quorum ille, proximus est maiori datae AB, & hic proximus minori datae BC; primò enim inuenta est recta BD, media inter datas AB, BC, secundò inuenta est recta BF, media inter AB, BD, tertiò recta BI, media inter AB, BF, & denique quartò inuenta est recta BM, media inter AB, BI. Eadem est ratio de alijs, dummodo tot mediae dicto modo inueniantur, quot locis distat denominator terminorum imparium datus, à primo termino inclusiuè, supradictae progressionis numerorum imparium.

PROBLEMA VIII.
PROPOSITIO VIII.

INTER duas rectas datas propositum terminum medium inuenire, dummodo is sit vnus ex terminis imparibus propositione sexta denominatis.

REPROPOSITIONE tum sexta, tum praecedente docuimus, quotuis terminos medios interponere inter duas rectas datas ex ijs, qui denominantur à numeris imparibus, qui sunt proximè minores terminis proportionis duplae à binario incipientis: nunc vnam vel alteram viam aperiemus, qua quilibet eiusmodi terminorum haberi possit sine inuentione omnium reliquorum.

Prior modus est hic. Sint datae duae rectae AB, BC, vt in praecedente propositione, cuius figura hic repetatur; sitque inuestigandus, verbi gratia, terminus BX, qui est vnus ex quindecim terminis, qui omnes interponi possunt inter duas datas, vt vidimus in eadem propositione. Tunc autem dicitur aliquis terminus propositus, quando nota est eius distantia ab extremis, maximo scilicet & minimo, ac proinde vt terminus BX, dicatur esse propositus, necesse est, vt detur eius distantia à terminis BM, Be, qui sunt extremi quindecim terminorum. Sit ergo terminus quaesitus idemque propositus BX, quinctus à termino maximo BM, inclusiuè, & consequenter vndecimus à minimo termino Be, etiam inclusiuè, vel decimus exclusiuè: idem igitur terminus BX, erit terminus sextus à maximo terminorum datorum, nempe ab AB. Eum ergo deprehendemus in hunc modum. Per corollarium propositionis praecedentis inueniatur terminus maximus quindecim terminorum, nempe recta BM. Deinde per propositionem quartam inueniatur terminus sextus à primo termino AB, in proportione rectae datae AB, ad inuentam rectam BM: hac enim ratione inuenta erit recta BX, terminus quinctus à recta BM, quae est primus & maximus quindecim terminorum, vt patet ex vtraque propositione modò citata.

Posterior modus ita se habet. Sit rursus inueniendus ex quindecim terminis, qui interponi possunt inter datas AB, BC, terminus quinctus BX, à maximo inclusiuè, hoc est, terminus sextus à maiori data AB. Per quinctum problema huius, inueniatur inter datas AB, BC, medius terminus proportionalis BD, qui minor erit termino quaesito, eò quòd sit nonus à maiori data AB. Vnde inueniendus terminus BX, erit inter AB, & BD. Inueniatur ergo iterum alius terminus medius inter AB, BD, nempe BF, qui cùm sit quinctus à primo AB, is erit maior quaesito BX, ac proinde BX, cadet inter BF, BD, inter quas tertiò inueniatur media proportionalis BV, hoc est, terminus septimus à primo AB, qui cùm iterum sit minor quam BF, qui erat terminus quinctus, erit quaesitus terminus BX, medius propor-

proportionalis inter BF,BV, eò quòd sit sextus à primo AB. Posita igitur media proportionali inter BF,BV, inuentus erit terminus BX.

Non aliter inuenietur quicumque reliquorum terminorum, etiam ex quocumque alio numero terminorum proposito, dummodo diligenter obseruetur, quotus sit quilibet terminorum mediorum per problema quinctum interpositorum à prima, eaque maiori, vel etiam minore data. Semper enim per eiusmodi immissionem mediorum deuenietur ad terminum quaesitum, cùm is vnus sit ex omnibus, qui per continuam interpositionem haberi possunt, vt vidimus in sexto problemate.

PROBLEMA IX.
PROPOSITIO IX.

DVABVS rectis datis, ad duas rectas inter easdem datas medias ita Geometricè vtrimque appropinquare, vt tandem differentia minor sit quauis differentia proposita.

EX maiori data, verbi gratia, AB, abscindatur BC, aequalis minori datae, & circa totam AB, describatur semicirculus, quem erecta perpendicularis CD, ex puncto C, super diametrum AB, secet in puncto D, nectaturque BD, centroque B, interuallo BD, describatur arcus DE, secans diametrum AB, in E, eodemque centro B, describatur alter arcus AF, interuallo totius BA, secans protractam BD, in F, & puncta E, F, nectantur recta EF, quae arcum semicirculi secabit in puncto G, à quo ad punctum B, ducatur recta BG, secans CD, in H, & per H, describatur centro B, arcus HI, & rursum ex I, per K, in quo arcus DE, secat rectam BG, protrahatur IK, donec arcum semicirculi secet in L, à quo iterum ad punctum B, ducatur LB, secans CD, in M, & per M, L, centro B, describantur arcus MN, LO, quorum ille diametrum AB, in N, hic verò rectam BG, secet in O, ductaque per N, O, recta NO, quae arcum semicirculi secet in P, iungatur recta BP. Dico si in hunc modum ad arcum semicirculi aliae semper & aliae rectae applicentur, quales in proposito exemplo sunt rectae BD, BG, BL, BP, has continuò magisque appropinquare ad eam, quae secunda foret è duabus medijs, quae cadunt inter duas rectas datas AB, BC; sic vt alternatim minores sint maioresve eadem secunda, & minùs tandem vtraque ab eadem differat quacumque differentia proposita.



Primò enim, quoniam recta CD, est perpendicularis ad diametrum AB, erit [a] recta BD, media proportionalis inter extremas AB, BC, hoc est, vt AB, ad BD, ita erit BD, ad BC; est autem BF, aequalis ipsi AB, & BE, aequalis ipsi BD; ergo vt BF, ad BD, ita erit BE, ad BC, & consequenter EF, CD, erunt [b] parallelae. Et quia CD, est perpendicularis ad diametrum AB, erit quoque EF, ad eandem perpendicularis: & recta [c] BG, erit media proportionalis inter AB, BD. Rursum quoniam [d] est vt BG, ad BD, sive ad BK, ita BD, ad BH, hoc est, BE, ad BI, [e] erunt quoque EG, IK, parallelae. Et quia EG, est perpendicularis ad diametrum AB, erit quoque IKL, ad eandem perpendicularis, atque adeo recta BL, erit media proportionalis inter BG, BD, cùm [f] sit eadem proportio BG, ad BL, quae BL, ad BK.

Postremo erit quoque [g] NO, parallela ipsi IK, eò quòd eadem sit proportio BO, ad BK, hoc est, BL, ad BK, quae BM, ad BH, sive quae BN, ad BI, & consequenter, cùm IL, sit perpendicularis ad AB, erit quoque NP, ad AB, perpendicularis, atque adeo BP, erit media proportionalis inter BG, BL. Non aliter demonstrabitur, quascumque alias, quae dicto modo fuerint interpositae, medias fore inter duas proximè interpositas. Nam quemadmodum BG, media est inter AB, & BD, primò interpositam, & BL, media inter BD, BG, primò & secundò interpositas, & BP, media inter BG, BL, secundo & tertio loco interpositas; ita ea, quae consequenter interponeretur, esset media inter BL, BP, &c. Neque aliud per traditam praxim hic quaeritur, nisi vt dicto ordine continuò aliae atque aliae lineae mediae inter datas & inuentas interjiciantur. Atque circo, qui easdem medias quibuscumque alijs modis interposuerit, semper idem problema confecerit, vti etiam videre est in hac eadem figura, vbi tres medias BG, BP, BL, etiam eo modo immisimus, quem problemate quincto exposuimus. Nam vt inter AB, BD, interponeremus mediam BG, centro B, interuallis BD, BA, describsimus arcus DE, AF, secantes rectas BA, BD, in E, F, & per E, F, duximus rectam EF, ad cuius intersectionem cum arcu semicirculi ducta recta BG, exhibet mediam inter AB, BD, vt demonstratum est in quincto problemate praedicto. Ad ducendam verò rectam BL, mediam inter BD, BG, descripti sunt arcus DK, GQ, iunctaque recta KQ, quae arcum semicirculi secat in L. Et denique descriptis arcubus LO, GR, qui quidem idem est cum GQ, ductaque OR, inuentum est in arcu eiusdem semicirculi punctum P, pro recta BP.

Iam verò quamlibet harum linearum continuò appropinquare ad eam, quae esset secunda, si inter AB, BC, interpositae forent duae mediae, sic demonstrabitur. Cùm enim lineae hic interpositae sint eo ordine interpositae, qui proponitur lemmate decimo, erunt per idem lemma BG, BP, maiores, & BD, BL, minores illa secunda duarum mediarum proportionalium, & BP, inter maiores posteriùs inuenta erit minor ipsa BG, quae fuit inuenta priùs: recta verò BL, quae inter minores fuit posterior, erit maior priore BD. Deinde per lemma decimum quartum, vbi iterum inquiritur similis interpositio mediarum, tandem deuenietur ad aliquam, quae quidem maior sit, quàm secunda illa duarum mediarum proportionalium, quae desideratur, sed quae minùs ab eadem differat, quacumque differentia proposita: id quod etiam colligitur ex corollario lemmatis decimi quincti, ex quo etiam minores similiter appropinquare doceri potest. Nam cùm etiam in hoc lemmate decimo quincto requiratur talis immissio mediarum proportionalium, qualis hic praecipitur, per eiusdem lemmatis corollarium necessariò deuenietur ad aliquas duas, quae aequaliter distent ab extremis, quod attinet ad ordinem, quo fuerunt interpositae, quales sunt BG, BD, itemque BP, BL; quaeve tandem minùs inter se differant quacumque differentia proposita. Et quoniam semper ex duabus eiusmodi medijs altera est maior illa secunda duarum mediarum, quae quaeritur, & altera minor, iuxta demonstrata, [h] patet, vtramque ab illa secunda duarum mediarum multò minùs differre, quàm ipsae inter se, atque adeo multò minùs differre ab eadem secunda, quauis differentia proposita.

h Lemma 10. cap. 1.

Itaque vt hac arte eliciatur maior duarum mediarum proportionalium, quae cadunt inter datas AB, BC, interponendae erunt inter easdem datas continuò aliae atque aliae mediae proportionales ordine hic praescripto, donec deueniatur ad aliquas duas, quarum altera sit maior, altera minor ea, quae quaeritur, quales sunt, quae ab extremis aequaliter distant, vt suprà monuimus, quae inter se vix ampliùs differant: quaelibet enim eiusmodi linearum sumi poterit pro illa duarum mediarum proportionalium, quae quaeritur. Vel certè inter easdem duas vltimò inuentas adhuc interponatur vna media proportionalis, vel etiam media vtcumque: ipsa enim similiter sensibiliter à vera differre non poterit: immo fieri poterit, vt hac ratione, licet casu, inueniatur per interpositum vtcumque ipsa vera, quae quaeritur, dummodo haec interposita non sit media proportionalis inter duas proximas, vel maior eadem media proportionali. Nam tunc adhuc certi essemus, eam maiorem esse quaesita.

APPROPINQVATIO ad minorem duarum mediarum proportionalium.

EMMO eadem opera accedemus quoque ad minorem duarum proportionalium. Cùm enim maior duarum mediarum proportionalium applicata ad circumferentiam semicirculi ADB, ex puncto B, necessariò cadat intra BL, BP, eadem quoque cadet inter BM, BS, quae sunt partes ipsarum BL, BP. Et quia segmentum eiusdem maioris duarum mediarum applicatae ad circumferentiam, intercepta inter punctum B, & perpendicularem CD, [a] aequale est minori duarum mediarum proportionalium: eadem minor proportionalium cadet quoque inter rectas BM, BS, quae eandem habent proportionem cum BP, BL. Cùm enim [b] BR, ad BP, eandem habeat proportionem, quam BP, ad BL, & proportio BM, ad BS, [c] eadem sit quae BR, ad BP, habebit quoque BM, ad BS, eandem proportionem, quam BP, ad BL, & ideo cum BM, BS, sint minores ipsis BP, BL, minùs inter se different, quàm inter se differant BP, BL. Sed aliquae BP, BL, minùs inter se different quacumque differentia proposita: ergo BM, BS, & inter se, & consequenter à minore duarum proportionalium quaesita, multò minùs different quacumque magnitudine proposita.

a 43. secundi huius.
b 16. secundi huius.
c 4. sexti Eucli.

SCHOLIVM PRIMVM.

QVOD si hac appropinquatione non contenti, curiosiùs scire velimus, quot eiusmodi medijs interpositis deueniatur tandem ad aliquam tum maiorem tum minorem, quae à vera, eaque maiore duarum mediarum proportionalium minùs differat hac vel illa differentia determinatè proposita, id colligimus hac ratione. Sit proposita differentia T, citra quam oporteat appropinquare ad maiorem duarum mediarum propor-

a 16. secundi huius, vel coroll. 8. sexti Eucl.
b 2. sexti Eucli.
c 16. secundi huius.
d 16. secundi huius.
e 2. sexti Eucli.
f Ibidem.
g Ibidem.

proportionalium, quae cadunt inter duas AB, BD. Interponantur primò saltem duae mediae BD, BG, vt in hac propositione praecipitur: sic enim citius pertingemus ad scopum propositum. Sumptaque rectâ VX, quae aequalis sit rectae GK, nempe differentiae inter BG, BD; conferatur proposita differentia T, cum differentia VX, quae si minor deprehendatur quàm T, iam per primam interpositionem duarum mediarum BD, BG, deuentum erit ad duas lineas, quae minùs inter se differant differentia T, atque adeo quarum singulae etiam à maiore duarum mediarum proportionalium minùs differant eadem differentia T. Si verò T, deprehendatur esse aequalis ipsi VX, tunc satis erit vltra duas BG, BD, interponere alias duas BP, BL. Hae enim cùm minùs inter se differant, quàm BD, BG, minùs etiam inter se different differentia T. Ad haec si T, minor fuerit quàm VX, inuestigandum erit in primis, quoties T, contineatur in VX, & numero illi addenda erit insuper vnitas, si fortè T, in VX, non contineatur praecisè. Et hoc ideo fiet, vt sciamus, quanam parte aliquota ipsius VX, maior sit vel aequalis differentia assignata T. Ponamus verò, exempli gratia, differentiam T, vel esse aequalem sextae parti ipsius VX, vel certè esse maiorem, ita vt T, sumpta quinquies, deficiat ab VX, sumpta verò sexies eandem excedat. Constituatur deinde progressio proportionis duplae, incipientis ab vnitate, vt 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. *&c. hic factum vides, & inter eiusdem terminos quaeratur is, qui est proximè maior denominatore eius partis aliquotae rectae VX, quae deprehensa est esse minor vel aequalis ipsi T, qualis cùm paulò antè positus sit denominator 6. qui denominat partem sextam differentiae VX, sumendus erit ex terminis progressionis duplae terminus quartus 8. eò quòd sit proximè maior denominatore 6. Dico igitur, si vltra duas medias BG, BD, interponantur insuper tribus alijs vicibus binae aliae, videlicet in numero proximè minore eo numero, qui in progressione dupla denominat locum termini excerpti, nempe in proposito exemplo locum termini 8. deueniri ad duas lineas, quae inter se minùs differant differentia T. Nam si rectâ VX, intelligatur subdiuisa continuò bifariam, donec deueniatur ad partem denominatam à numero 8. quem ex progressione dupla desumpsimus (id quod fiet, si VX, ter diuidatur bifariam, primo in Y, tum rectâ VY, in Z, & denique VZ, in a,) erit rectâ Va, pars octaua totius VX, minor vna parte sexta eiusdem, atque adeo minor differentia T. Vnde cùm per interpositionem duarum mediarum inter BG, BD, iuxta regulam suprà in hac propositione traditam auferatur ex differentia, quae est inter BG, BD, hoc est, ex differentia VX, plus quam dimidium, erit illa differentia minor quàm VY, hoc est, quàm semissis ipsius VX.*

Deinde si secundo duae aliae immittantur mediae, eae ex priori differentia iterum auferent plus quàm semisse, atque adeo minùs inter se differentes semisse ipsius VY, hoc est, eorum differentia minor erit, quàm VZ, quae est pars quarta totius VX. Et denique reliquis duabus tertio loco immissis, quae iterum ex priori differentia plus auferunt semisse, deuentum erit ad duas lineas, alteram maiorem, alteram minorem, quae minùs inter se differentes semisse ipsius VZ, hoc est, minùs rectâ Va, quae est pars octaua totius VX: atque adeo eaedem lineae tum inter se, tum inter eam, quae duabus medijs inter duas datas maior foret, minùs differentes differentia data T; cùm haec minor sit deprehensa parte octaua differentiae VX; & ita de reliquis.

A

B

C

D

E

SCHOLIVM SECVNDVM.

EX his quae hactenus sunt allata, manifestè constat, solutionem problematis vniuersam in eo versari, vt inter duas datas interponantur quamplurimae mediae, quae tum per praxim communem Euclidis, tum per alias peculiares à nobis suprà traditas, inter datas immitti possunt. Et licet hac in parte nihil noui adduxisse videamur; ipsa tamen determinatio terminorum mediorum, inutiliumque abutilibus segregatio, omnino noua esse videtur, vt nihil dicam de praxi, qua facillima ratione eosdem terminos, qui propriè ad solutionem problematis faciunt, inuenire docuimus. Accedit, quòd vna eademque opera simul exhibeamus tum maiorem tum minorem ea, quae quaeritur, & quidem ita exactè, vt tandem inter eas & veram, differentia sit minor quauis differentia proposita, imitando hac in parte Archimedem, qui simili methodo ad dimensionem circumferentiae circuli in partibus diametri, adeoque ad quadraturam, quae eadem cum duabus medijs in sede morari, eademque obscuritate obuolui videtur, nobis viam aperuit. Iam verò vt adhuc manifestius appareat; quinam sint illi termini medij, qui soli proprie ad eam appropinquationem faciunt, qua hic ad alteram duarum mediarum proportionalium magis semper, magisque accedimus, placuit in hoc secundo scholio sequentem tabulam componere, in qua contineantur denominatores eiusmodi terminorum mediorum, hoc est, qui explicent, quotus quisque sit ex diuerso numero mediorum, qui per continuam interpositionem vnius medij inter duos terminos datos Geometricè interponi possunt, iuxta ea, quae propositione sexta huius capitis conscripsimus. Illic enim composuimus tabulam, quae continet numerum terminorum mediorum, qui Geometricè inter datas rectas interponi queunt. Quales etiam sunt numeri huius tabulae, qui in supremo latere sunt descripti: sunt enim singuli proximè minores singulis terminis proportionis duplae, incipientis à binario, vel quod idem est, quilibet posterior proximè est maior duplo praecedentis, incipiendo ab vnitate.*

Itaque, vt vsum tabulae hic propositae explicemus, primus numerus supremi lateris, nempe vnitas, denominat eum terminum, qui inter duas datas primo interponitur. Secundus deinde numerus nempe 3. denominat eos terminos, qui secundo interponentur, hoc est, numerus hic 3. admonet, tres fore in vniuersum terminos medios, si iterum inter primum & medium, itemque inter medium & alterum extremum terminum datum singuli medij interijciantur. Ad haec tertius numerus 7. docet septem fore terminos medios, si inter proximè inuentos & extremos singuli alij medij tertia operatione immittantur, & ita de reliquis numeris eiusdem supremi ordinis, vt propositione sexta praedicta fusius explicauimus.

	1	3	7	15	31	63	127	255	511	1023	2047	4095
I.	1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048
II.		1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024
III.			3	6	12	24	48	96	192	384	768	1536
IIII.				5	10	20	40	80	160	320	640	1280
V.					11	22	44	88	176	352	704	1408
VI.						21	42	84	168	336	672	1344
VII.							43	86	172	344	688	1376
VIII.								85	170	340	680	1360
IX.									171	342	684	1368
X.										341	682	1364
XI.											683	1366
XII.												1365

Numeri deinde antiqui, qui sunt praefixi in latere sinistro, dicunt ordinem mediorum terminorum, qui in hac propositione inter datas rectas interponuntur, ita vt I, significet primum terminum immissum, qualis in superiori figura est terminus BD: sequens verò numerus II, significet secundum terminum, nempe rectam BG, & ita de reliquis. Nam sequentes duo numeri III, & IIII, significant posteriores duos terminos medios BL, BP.

Postremò reliqui numeri intra aream tabulae descripti innuunt, quotus sit quiuis terminorum interpositorum, ex quouis numero terminorum, quos numeri in fronte tabulae positi denominant. Etsi enim, verbi gratia, BD, sit terminus medius & singularis, cadens inter extremos terminos AB, BC, idem tamen terminus BD, potest acquirere alias atque alias denominationes, respectu aliorum terminorum, qui inter easdem rectas multipliciter interponi possunt. Nam si, verbi gratia, inter duas rectas AB, BC, intelligantur tres termini medij, erit recta BD, vnus ex illis, & quidem ex tribus illis ipse erit secundus, cum prius

priùs fuerit singularis. Si verò inter easdem duas rectas AB, BC, intelligantur positi septem termini medij, erit terminus BD, ex septem illis terminus quartus. Et si interpositi termini fuissent quindecim, idem terminus BD, esset octauus: inter 31. verò terminos is esset terminus decimus sextus &c. vt videre est in tabula: nam è regione I, quam diximus significare primum terminum BD, descripti sunt hi numeri 1. 2. 4. 8. 16. &c. ijdemque sub numeris 1.3.7.15.31.&c. ita vt superiores numeri determinent numerum terminorum interpositorum, vel potiùs numerum terminorum, qui Geometricè interponi possunt; inferiores verò numeri indicent, quotus sit ex quolibet numero terminorum suprascriptorum terminus primus, inter duas datas immissus. Eodem modo primus numerus, nempe 1. qui ponitur è regione II, & sub numero 3. significat secundum terminum BG, inter tres terminos, qui inter datas possunt constitui, esse primum: sequens verò numerus 2. qui cadit sub numero 7. ostendit eundem secundum terminum 7. ex septem terminis fore secundum &c.

	1	3	7	15	31	63	127	255	511	1023	2047	4095
I.	1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048
II.		1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024
III.			3	6	12	24	48	96	192	384	768	1536
IIII.				5	10	20	40	80	160	320	640	1280
V.					11	22	44	88	176	352	704	1408
VI.						21	42	84	168	336	672	1344
VII.							43	86	172	344	688	1376
VIII.								85	170	340	680	1360
IX.									171	342	684	1368
X.										341	682	1364
XI.											683	1366
XII.												1365

Itaque ex hac tabula illico colligitur, si ordine in hoc problemate praescripto inter duas datas quotuis medij termini interponantur, quotus sit quiuis corum ex eo numero mediorum, qui interponi possunt inter easdem datas, vt ex praedictis patet. Compositio verò eiusdem tabulae facilis est, poteritque à quouis sine magno labore extendi. Numeri enim supremi ordine progrediuntur per proportionem duplam addita vnitate, ita vt primo termino posito 1. secundus terminus sit 3. tertius sit duplus secundi vna cum vnitate, hoc est, 7. &c. In secunda deinde serie, hoc est, numeri è regione I, progrediuntur per eandem proportionem duplam sine adiectione vnitatis, incipiendo rursum ab vnitate. In tertia verò & reliquis seriebus licet earundem numeri similiter progrediantur in proportione dupla; non tamen primus earum numerus ponitur sub primo numero supremae seriei; sed promouentur singuli vno loco vlteriùs, vt videre est in tabula: neque in singulis primus numerus est vnitas, sed perpetuò crescunt hac lege. Primus numerus tertiae seriei, hoc est, è regione II, est vnitas, ponitur que sub 3. supremae seriei. Quartae autem seriei primus numerus, quive collocatur sub 7. supremae seriei, est 3. hoc est, numerus duplus eius, qui fuit primus in serie praecedente vnà cum vnitate. In quintà verò serie è regione IIII, & sub 15. supremi ordinis primus numerus est 5. hoc est, iterum duplus eius, qui fuit primus in serie proximè antecedenti, sed dempta vnitate. Ad haec primus numerus sextae seriei est duplus numeri primi seriei quintae, auctus insuper vnitate, videlicet numerus 11. & huius est duplus sequens numerus 21. dempta vnitate: & ita de reliquis; semper enim numerus sequens est duplus praecedentis, alternatim addita vel dempta vnitate, vt patuit in exemplis adductis: apparebitque manifestius in sequenti discursu. Sint enim duae magnitudines A, B, sitque A, maior; & inter eas interijciatur primò primus terminus medius C, & inter A, C, secundus terminus medius D; & rursum inter C, D, tertius terminus me-

A D FHG E C B
2 465 3 1

dius E; & inter E, D, terminus quartus F, interque E, F, quintus terminus G, nec non inter F, G, sextus terminus medius H, &c. terminus igitur C, erit ille

A vnicus, qui primò fuit interpositus. Si verò inter easdem magnitudines intelligantur interpositi tres termini medij, hoc est, praeter terminum C, alij duo medij, alter inter A, C, qualis est terminus D, & reliquus inter C, B, erit idem terminus C, secundus ex illis tribus. Si autem rursum inter hos tres & extremos aly ponantur medij, hoc est, inter extremos interponantur septem termini, cùm terminus C, inter illos septem medium occupet locum, hoc est, vtrimque tres habeat terminos ex illis septem, ipse erit quartus, hoc est, denominabitur à numero 4. qui est duplus numeri 2. à quo idem terminus C, denominabatur esse secundus, ex tribus terminis priùs interiectis. Praeterea si inter eosdem terminos extremos, & septem medios praedictos alij medij collocentur, hoc est, in vniuersum termini quindecim, erit terminus C, ex eorum numero octauus, eò quòd medium inter eos locum occupet; hoc est, idem terminus C, denominabi-
B tur tunc à numero 8. qui duplus est proximi denominatoris praecedentis 4. & ita deinceps reliqui denominatores sequentes in secunda serie tabulae praeconstructae singuli dupli erunt singulorum praecedentium, tum propter rationem adductam, tum quod interpositis vno, vel pluribus medijs inter A, C, si rursum inter singulos alij medij interponantur, numerus interpositorum semper sit aequalis numero terminorum priùs interpositorum plus vno. Ac proinde si insuper addatur terminus C, qui est alter inter duos extremos A, C, quive inter priùs interpositos non erat numeratus, erit numerus terminorum posteriùs interpositorum inter A, C, vnà cum numero priùs interpositorum, vnaque cum termino C, duplus terminorum priùs interpositorum cum eodem termino C.

Rursus quoniam terminus secundus D, medius est
C inter A, C, idem terminus D, erit primus è tribus medijs, qui interponi possunt inter A, B; ac proinde in tabula sub 3. supremae seriei, & è regione numeri antiqui II, posita est vnitas: reliqui verò numeri sequentes iterum sunt dupli, singuli singulorum antecedentium, idque demonstratur, vt priùs. Nam cùm D, sit medius terminus inter A, & C, hoc est, primus ex tribus terminis, qui cadunt inter A, B, si rursum inter singulos immittantur singuli, erit procul dubio idem terminus D, secundus ex terminis septem tunc interpositis, eò quòd inter A, & D, ex eisdem illis septem terminis cadat vnicus. Et si rursum inter septem istos terminos, & extremos aly interponantur, hoc est, alij octo, qui cum prioribus faciant terminos quindecim, cadent inter A, &
D D, tres ex illis terminis quindecim: ac proinde terminus D, erit terminus quartus, hoc est, duplus denominatoris praecedentis, nempe duplus binarij. Si autem inter hos tres terminos, qui cadunt inter A, D, interque terminos A, D, alij medij interijciantur, cum interpositi sint aequales numero priùs interpositis plus vno, si cum priùs interpositis connumeretur terminus D, erunt posteriùs interpositi numero aequales priùs interpositis vnà cum termino D, atque adeo iuncti simul erunt dupli priùs interpositorum vnà cum eodem termino D. Atque haec est ratio, quare etiam tertiae seriei numeri progrediantur in dupla proportione: immo similis est ratio etiam reliquarum.

Quod autem in serie quarta primus numerus debeat esse 3. sic deducitur. Cum enim D, sit medius inter A, C, hoc est, terminus secundus ex tribus, qui cadunt inter A, B; si rursum inter singulos, & extremos A, B, intelligantur positi singuli, qualis est terminus E, medius inter DC, erit omnino idem terminus E, tertio loco im-
E missus, tertius inter septem; eò quòd ex illis septem vnus etiam tantum cadat inter A, D, hoc est, inter A, & E, cadant duo termini ex illis septem, quorum vnus est D, proximus ipsi E. Et quoniam, si rursum inter singulos septem, & extremos interponantur aly, numerus interpositorum cum priùs interpositis componit denominatorem 15. & praeter duos terminos dictos, qui cadunt inter A, E, cadunt alij tres, hoc est, vno amplius, si priùs interpositis addatur terminus E, erit hic numerus terminorum aequalis numero terminorum posteriùs interpositorum; atque adeo omnes termini simul constituent numerum duplum priorum terminorum, connumerando cum eisdem terminum E, hoc est, terminus E, erit sextus terminus ex quindecim illis interpositis inter extremos A, B.

Vbi

Vbi etiam vides, quemadmodum primus numerus A *tertiae seriei, nempe 1. duplus est minùs vnitate numeri primi secundae seriei; ita primum numerum quartae seriei, duplum esse numeri primi, seriei tertiae, continereque insuper vnitatem. Verùm hoc ipsum sic etiam licebit colligere. Quoniam terminus primus C, est secundus è tribus, & D, terminus secundo interpositus est similiter vnus ex illis tribus, ipsique C, proximus versus A; erit omnino idem terminus D, primus è tribus. Deinde quoniam idem terminus D, est secundus ex septem terminis, & terminus E, tertio loco interpositus, est ex eisdem septem terminis vnus; idemque proximus ipsi D, versus terminum B, erit idem terminus E, tertius ex septem. Item quoniam E, est sextus ex quindecim, & terminus F, quarto immissus est quoque vnus ex illis quindecim ipsi E, proximus versus A, idem terminus F, erit quinctus, hoc est, minor vnitate duplo* B *prioris termini E, qui fuerat tertius inter septem, & consequenter sextus inter quindecim, & ita de reliquis.*

Ex eadem porro tabula facilè quoque addisces, quotus sit quilibet terminorum, qui ad minorem duarum proportionalium appropinquant, quales in figura huius propositionis ostendimus esse rectas BD, BH, BM, BS, quarum BD, BM, sunt maiores secunda duarum mediarum proportionalium: reliquae verò duae BH, BS, minores. Nam per decimam sextam propositionem secundi huius, recta BD, quae est media proportionalis inter datas AB, BC, est quoque media proportionalis tam inter BG, BH, quàm inter BL, BM, interque BP, BS; ac proinde quantum distant BG, BL, BP, à media BD, tantum distabunt in quouis numero mediarum proportionalium possibilium rectae BH, BM, BS, ab eadem media BD. Quare cùm in tabula in primis ha- C *beatur, quota sit media BD, in quouis numero mediarum proportionalium, & similiter quotae sint ex eodem numero mediae proportionales BG, BL, BP. Si numerus eisdem BG, BL, BP, debitus subtrahatur ex numero debito ipsi BD, relinquentur distantiae earundem mediarum proportionalium à media proportionali BD, atque adeo si illae distantiae adiyciantur ad numerum ipsi BD, debitum, illico exsurgent numeri debiti mediys proportionalibus BH, BM, BS, hoc est, qui dicant, quotae sint hae mediae in quouis numero mediarum proportionalium, quae rectis datis via Geometrica immitti possunt. Verbi gratia, rectam BG, hoc est, secundam mediam reperio in tabula esse primum terminum ex tribus mediys: at verò rectam BD, primam mediam, esse ex eodem numero trium proportionalium secundum. Et quoniam numerus ipsi BG, debitus, nempe vnitas, sub-* D *latus ex numero ipsi AD, congruente, nempe ex binario, relinquit vnitatem, signum est terminum BG, vnico tantum termino distare à termino BD; cùm ergo terminus BH, tantundem distet à BD, quantum BG, si distantia 1. addatur ad 2. procreabitur numerus 3. ipsi BH, debitus, hoc est, qui pronunciet rectam BH, esse tertium terminum ex tribus, qui inter AB, BC, immitti possunt. Si verò numerus 2. qui dicit eundem terminum BG, esse secundum terminum ex septem mediys, subtrahatur ex numero 4. qui dicit terminum BD, esse ex eisdem septem terminis mediys quartum, relinquitur distantia termini BG, à termino BD, dupla, & haec differentia addita ad 4. conficiet numerum 6. qui debetur termino BH. Si enim inter duas datas interiectae essent septem mediae, terminus BH, esset sextus. Quem etiam numerum ex eadem tabula elicies fortasse* E *citius hoc modo. Inuento numero, qui debetur, verbi gratia, termino BG, respectu cuiuscumque numeri terminorum, vt, verbi gratia, numero 2. respectu septem terminorum mediorum, auferatur ex 7. nempe ex numero terminorum, vnitas, hoc est, numerus, vnitate minor, numero, qui debetur ipsi BG; relinquetur enim numerus 6. qui debetur ipsi BH, vt priùs.*

SCHOLIVM TERTIVM.

ETSI praxis in hoc nono problemate tradita ita sit brevis, ac commoda, vt ea contenti esse possimus; quia tamen nonnumquam etiam varietas placet, eam hoc loco insinuasse fortasse non displicebit. Primò itaque solui poterit beneficio tabulae proximae constructae problema propositum hoc modo. In dicta tabula sub aliquo numero mediorum terminorum, qui in suprema serie describuntur, accipiatur numerus ille, qui est primus in aliqua alia serie, vt, verbi gratia, numerus 21. qui subiycitur numero 63. supremae seriei: estque numerus primae seriei septimae, quae praefixum habet numerum antiquum VI. Deinde per ea, quae problemate octauo sunt demonstrata, inter duas datas inueniatur terminus vigesimus primus ex 63. terminis, qui inter easdem datas interponi possunt: hac enim ratione habebitur quidam terminus, qui tanto erit secundae è duabus mediys, nempe maiori propinquior, quanto numerus terminorum, cuius vnum terminum determinatum per problema octauum inuenimus, fuerit maior.

Nam si loco termini vigesimi primi ex numero sexaginta trium terminorum accepissemus in tabula praecedente terminum octuagesimum quinctum, ex numero terminorum 253. per eiusmodi terminum inuentum multò magis accessissemus ad illam è duabus mediys, quam inuestigare est animus. Vtrum verò terminus hac ratione inuentus maior sit, vel minor illa secunda duarum mediarum proportionalium, ipsi numeri numerum acceptum, vel praecedentes vel subsequentes in eadem tabula illico desinunt: nam si terminus acceptus in tabula maior est vnitate duplo primi numeri seriei praecedentis, terminus acceptus, & per octauum problema, deinceps erutus, erit minor secunda duarum mediarum proportionalium: si verò idem terminus acceptus fuerit minor vnitate duplo numeri primi seriei praecedentis, inuenietur per problema octauum recta maior ea, quam inuestigare oportet.

Alio modo poterit variari hoc nonum problema per ea, quae ostensa sunt problemate quincto, vbi inter duas datas docuimus mediam proportionalem interponere tum beneficio semicirculi, tum beneficio cuiuscumque segmenti circuli, cuius diameter non sit minor maiore data. Ac proinde cùm in solutione huius problematis nihil aliud requiratur, quàm vt inter duas datas, & inuentas, immittantur aliae atque aliae mediae, si id fiat beneficio segmenti alicuius circuli, & non beneficio semicirculi, confectum erit problema propositum via aliquantulum diuersa ab ea, quam praemonstrauimus, nempe ab ea, qua beneficio semicirculi problema absoluitur.

Postremo omnibus illis modis satisfiet problemati proposito, quibus inter duas datas immitti potest vna media proportionalis. Nam si eiusmodi praxis saepius adhibeatur, vt in hac propositione monuimus, factum erit quod proponitur.

SCHOLIVM QVARTVM.

VLTRA praxes hactenus traditas vel insinuatas libet hoc loco postremò adiungere adhuc aliam, qua ydem termini, quibus ad duas medias inter duas datas continuò appropinquatur, liberiùs fortasse, quàm ante, appropinquetur. Nam E *eiusmodi praxim traditam simul inueniatur, tum maior tum minor ea quae quaeritur, fieri vix potest, quin illico incidamus in confusionem linearum, sibi inuicem nimium appropinquantium. Si verò alterutra tantùm inueniatur, hoc est, vel maior, vel minor,*



fortassis confusio illa aliquo modo vitabitur. Sic ergo rem exsequemur. Principio inueniatur prima media inter duas datas; deinde altera media inter primam mediam

mediam inuentam, & maiorem datam: tum tertia media inter secundam mediam & minorem rectam datam; postea media quarta inter mediam proximè inuentam, hoc est, inter tertiam mediam, & iterum inter maiorem datam. Et hac reperta reperiatur deinceps quinta media, tum inter quartam inuentam, tum inter minorem; atque hoc modo procedatur donec libuerit. Semper enim per eiusmodi medias magis magisque appropinquabitur ad duas medias desideratas: & illae quidem, quae sunt mediae inter medias inuentas, & maiorem datam, omnes erunt maiores secunda quattuor linearum proportionalium, si prima ponatur maior data. Illae verò, quae sunt mediae inter easdem medias inuentas, & minorem datam, omnes erunt maiores illa, quae inter easdem quattuor lineas proportionales esset tertia. At verò si inuenta prima media inter datas, secunda, media interijciatur inter eandem primam mediam, & minorem datam: & deinde inter secundam mediam inuentam, & maiorem datam alia reperiatur media tertia; & rursum media quarta inter mediam tertiam proximè inuentam, & inter minorem datam, sicque procedatur vlterius; omnes illae mediae inuentae appropinquabunt ad duas medias, quae quaeruntur; eruntque omnes minores eisdem duabus medijs; & illae quidem, quae sunt mediae inter aliquam mediam & minorem datam, minores erunt tertia quattuor proportionalium; si quarta proportionalis statuatur minor data; reliquae verò, quae sunt mediae inter medias inuentas & maiorem datam, erunt minores secunda earundem quattuor linearum proportionalium.

Ceterum mediae rectae proportionales, quae hic desiderantur, commodissimè inuenientur tum per problema quintum, beneficio scilicet semicirculi, vel cuiusuis alterius segmenti: tum per decimam tertiam propositionem sexti libri Euclidis, vt videre est in appositа figura. In ea enim datae sunt rectae, AB, maior, & minor BC, constituentes angulum rectum ad punctum B. Deinde ex recta CB, protracta versus B, sumpta est BD, aequalis ipsi AB, & circa totam CD, descriptus est semicirculus DEC, secans protractam AB, versus B, in E, atque sic inuenta est inter datas AB, BC, hoc est, inter DB, BC, [a] *prima media proportionalis BE. Deinde circa AE, descriptus est alter semicirculus AFE, secans BD, in F, & per hunc semicirculum reperta est recta BF, media proportionalis inter AB, maiorem datam, & inter BE, primam mediam, prius inuentam. Ad haec semicirculus descriptus circa CF, dedit rectam BG, mediam proportionalem inter BF, proximè inuentam, & inter minorem BC: & denique semicirculus AHG, secans BD, in H, exhibuit rectam BH, mediam proportionalem inter maiorem datam AB, & inter BG, mediam proportionalem tertio loco inuentam &c.*



Et quoniam in hoc exemplo post inuentam BE, proximè inuenta est BF, media inter BE, & inter maiorem datam AB. dico rectas BE, BG, maiores esse tertia quattuor proportionalium, quarum prima est AB, & quarta BC, itemque BF, BH, maiores esse secunda earundem quattuor proportionalium, & tam illas quàm illas esse maiores, vt semper posteriùs inuentae magis magisque accedant ad veras, atque adeo per hanc praxim deueniri tandem posse ad aliquas, quae minus differant à desideratis, nempe à secunda & tertia quattuor proportionalium, siue à duabus medijs inter datas AB, BC, quacumque linea proposita. Quod ad priorem partem attinet, ea ex ipsa constructione & positione mediarum inuentarum satis est manifesta. Nam cùm BE, [b] *sit media inter extremas DB, BC, eadem quoque erit media inter duas medias, quae inter easdem DB, BC, cadunt: ac proinde maior erit, quàm sit tertia quattuor proportionalium; si prima ponatur esse maior recta DB, vt dictum est: siquidem tunc recta BE, est vicinior maximae, quàm illa tertia proportionalis. Recta verò BF, quae est inuenta secundo inter BE, & maiorem datam AB, erit maior secunda quattuor proportionalium; siquidem etiam ipsa est vicinior maximae, quàm sit secunda quattuor proportionalium. Nam secunda quattuor proportionalium est media inter maximam & tertiam quattuor proportionalium: at verò BF, est media inter eandem AB, maximam, & inter BF, quae etiam ipsa maior est, quàm illa tertia, quattuor proportionalium, vt proximè ostendimus.*

Sic etiam, quoniam recta BG, est media inter BC, & inter BF, quae est maior quàm secunda quattuor proportionalium, eadem recta BG, erit vicinior maximae DB, quàm sit tertia quattuor proportionalium, quae est media inter eandem BC, & inter secundam quattuor proportionalium. Et quia eadem est ratio de quibuscumque alijs, quae hoc modo inueniuntur, patet omnes fore maiores secunda & tertia quattuor linearum continuè proportionalium. Altera verò pars ex eo efficitur manifesta, quòd linae mediae hoc ordine inuentae sint eaedem cum illis, quae per superiorem praxim huius problematis sunt inuentae. Nam recta BE, hic inuenta eadem est cum BD, superioris figurae, dummodo in vtraque figura datae AB, BC, sint aequales: hoc enim posito, vtraque BE, BD, sunt mediae proportionales inter datas: eodemque modo erit recta BF, hic inuenta eadem cum BG, illic inuenta, cum vtraque sit media inter primam mediam & maiorem datam. Rectam verò BG, huius figurae aequalem esse rectae BM, illius figurae, quae videlicet est primò inuenta maior ea, quae foret tertia quattuor proportionalium, si inter AB, BC, immissae essent duae mediae proportionales: itemque rectam BH, huius posterioris figurae aequalem esse ipsi BP, prioris figurae, nempe ei, quae inuenta est secundo loco maior ea, quae esset secunda quattuor proportionalium, tunc demum ostensum erit, si in eadem figura priori ostendatur, rectam quidem BM, mediam esse proportionalem inter BG, & BC, hoc est, inter BF, BC, posterioris figurae, & BP, esse mediam inter AB, BM, hoc est, inter AB, BG, eiusdem posterioris figurae, sic enim aequales erunt vtriusque figurae tum rectae BM, BG, tum rectae BP, BH, &c. Hoc autem ostendemus hac ratione. Et quidem recta BL, cuius segmentum est BM, ducta est hoc modo. Ex B, per H, & D, descripti sunt arcus HI, DK, quarum hic diametrum AB, secat in I; ille verò rectam BG, in K, Ductaque IKL, quam demonstrauimus esse perpendicularem ad diametrum AB, exhibuit in circumferentia semicirculi punctum L, ipsamque adeo rectam BL, mediam proportionalem inter BG, BD. Idem quoque punctum L, sic ibidem docuimus inuenire. Centro B, interuallis BD, & BG, iussimus describere arcus DK, GQ, secantes rectas BG, BDQ, in K, Q. Recta enim KQ, secat circumferentiam in eodem puncto L, in quo prius eandem secuerat perpendicularis IKL. immo quia KQ, IL, habent segmentum commune KL, constituent vnam eandem rectam lineam: id quod tamen etiam alibi fuit demonstratum. Simili ferè ratione ducta est recta BP, media proportionalis inter BG, BL. Nam descriptis arcubus MN, LO, centro B, interuallis BM, BL, ducta est perpendicularis NO, vel eodem centro B, interuallis BL, BG, descripti sunt arcus LO, GR, secantes rectas BG, BLR, in O, R, iunctaque est recta OR, quae in circumferentia exhibet idem punctum P, quod in eadem determinat perpendicularis NO, eò quòd ducta recta BP, ad punctum intersectionis, vtroque modo inuentum, sit media proportionalis inter BL, BG, ac proinde etiam OR, NOP, necesse est, vt sit vna linea recta. Quibus positis quoniam in triangulo BNR, perpendiculari NR, parallela est recta CD, [c] *erit eadem proportio BR, hoc est, BG, ad BN, hoc est, ad BM, quae BM, ad BC, ac proinde BM, erit media proportionalis inter BG, & BC. Item quoniam NP, vt dictum est, est perpendicularis ad diametrum AB, erit* [d] *BP, media proportionalis inter AB, & BN, hoc est, BM, atque adeo BM, BP, huius prioris figurae, erunt aequales rectis BG, BH, posterioris figurae. Cùm igitur eadem sit ratio de quibuscumque alijs, quae in vtraque figura continuè inueniri possunt; iamque superiùs demonstratum sit, BG, BP, maiores secundas quattuor proportionalium semper magis ad eandem secundam accedere, & tandem minùs ab eadem differre quacumque linea proposita, idemque verum sit de rectis*

a 13. sexti Euclid.

b 13. sexti Euclid.

c 2. sexti Euclid.

d 16. secundi huius.

ctis BD, BM, &c. quae maiores sunt tertia quattuor proportionalium, patet etiam hoc posteriori modo, per continuam inuentionem mediarum proportionalium, appropinquari ad easdem quaesitas, atque ita appropinquari, vt tandem differentia sit minor quauis differentia proposita. Immo eadem est ratio etiam de illis mediys, quas diximus inueniri minores eisdem duabus mediys quaesitis, si aliter instituatur operatio, vt in principio huius scholij quarti monuimus.

PROBLEMA X.
PROPOSITIO X.

LINEAM quandam curuam describere, cuius beneficio inter quascumque duas rectas datas duae mediae immittantur. Vocetur autem proportionatrix prima.

RECTA AB, assumpta vtcumque secetur bifariam in C, & tum circa totam AB, tum circa eius semissem BC, describantur semicirculi ADB, CEB, qui sese mutuò tangant in puncto B, ex quo ad circumferentiam maioris semicirculi applicentur quamplurimae lineae rectae, quarum vna est recta BD, secans semicirculum interiorem in E, in qua, vt & in reliquis, reperietur punctum lineae proportionatricis hoc modo. Ipsi BE, segmento applicatae BD, abscindatur ex diametro AB, aequalis BF, & centro F, interuallo eiusdem BE, vel BF, describatur arcus secans eandem applicatam BD, in G, punctum enim G, erit in proportionatrice, hoc est, in linea curua, quam describere voluimus, quamque tunc demum integram describemus, si similiter in reliquis rectis applicatis singula puncta reperiantur in singulis; & denique puncta extrema A, B, cum illis punctis continuentur linea quadam curua vniformi, quae nullibi angulos efficiat, eo scilicet modo, quo per puncta, certa ratione inuenta, linea quadratrix à Clauio, & linea conchoideos à Nicomede, nec non sectiones conicae ab alijs delineari consueuere. Et talis est in praesenti figura, linea AGB, cuius haec erit proprietas praecipua, quòd ducta quauis linea recta ex B, ad circumferentiam ADB, proportionatricem secante vtcumque (hoc est, siue in aliquo punctorum Geometricè inuentorum, siue in alijs punctis intermedijs, quae licet similiter descripta non sint, pro similiter tamen descriptis habentur) si semissi ipsius applicatae ex diametro abscindatur aequalis, initio facto à puncto B, & ex eius extremo ad punctum intersectionis cum proportionatrice ducatur altera recta, haec ducta aequalis sit semissi eiusdem initio applicatae, vt patet ex eiusdem liueae descriptione. Atque hoc modo quodlibet punctum proportionatricis examinari poterit, num rectè sit inuentum nec ne.



His praemissis sint primùm datae AB, BH, inter quas ponendae sint duae mediae. Ex puncto H, erigatur perpendicularis HG, secans proportionatricem in G, & ex B, per G, eijciatur recta BD, vsque ad circumferentiam semicirculi in D. Dico rectas BD, BG, esse duas medias inter AB, BH. Cùm enim in semicirculo ADB, ex puncto H, erecta sit perpendicularis HG, & ex puncto B, ducta BD, secans perpendicularem HG, in G, sic vt sumpta BF, aequali ipsi BE, quae est semissis applicatae BD, aequalis sit ipsi FG, vt patet ex proprietate proportionatricis praedicta, [a] erunt BD, BG, duae mediae proportionales inter AB, BH. Sint deinde datae duae rectae BI, BK, quarum maior BI, non sit aequalis ipsi AB, sed vel minor vel maior. Applicata igitur data recta BI, vnà cum BK, ad rectam AB, ad punctum B, in quocumque angulo ABI, nectatur AI, & per K, ipsi AI, [b] agatur parallela KH, secans AB, in H, [c] eritque triangulum ABI, simile triangulo HBK, & proportio AB, ad BH, eadem quae IB, ad BK. Ad haec ex puncto H, educatur perpendicularis HG, secans proportionatricem in G, & ducta BGD, abscindantur ex AB, rectae BL, BM, aequales ipsis BD, BG, quae ex praecedenti demonstratione sunt mediae inter AB, BH, & denique per L, M, ducantur LN, MO, parallelae ipsi AI, secantes BI, in N, O. Rectae enim BN, BO, erunt duae mediae inter BI, BK. Nam propter parallelas AI, LN, MO, HK, [d] erit recta BI, secta in N, O, K, in eandem proportionem cum recta BA; sed recta BA, secta est in quattuor lineas continuè proportionales, BA, BL, BM, BH: ergo & BI, erit secta in quattuor lineas proportionales BI, BN, BO, BK. Quare & lineam curuam describimus, & eius beneficio inter quascumque rectas datas, duas medias immisimus. Quod erat faciendum.

a Schol. 45. secundi huius.
b 31. primi Eucli.
c Coroll. 4. sexti Eucl.
d 10. sexti Eucli.

SCHOLIVM.

HAEC descriptio proportionatricis, vel certè partis eiusdem, plurimùm etiam seruiet problemati praecedenti, ne videlicet in appropinquatione ad duas medias nimium haerere cogamur. Si enim in figura priori dicti problematis inter duas BP, BL, quarum vtraque non admodum differt à secunda duarum mediarum proportionalium, estque altera maior, altera minor eadem, interponeretur altera media proportionalis, & tum in hac, tum in praedictis duabus BP, BL, per ea, quae in hoc problemate praescripsimus, inueniantur puncta proportionatricis, eademque inuenta linea quadam curua, congruenter nectantur; vel etiam arcus circuli per eadem puncta describantur (neque enim eiusmodi arcus sensibiliter differunt ab illo segmento proportionatricis) linea illa curua secabit perpendicularem CD, in eo puncto, per quod incedit illa recta educta ex puncto B, quae inter duas datas AB, BC, exhibet duas medias.

PROBLEMA XI.
PROPOSITIO XI.

ALIAM lineam curuam, nempe secundam proportionatricem describere, eiusque beneficio inter quascumque duas rectas, datas duas medias interponere.

SVPER quamcumque rectam AB, centro C, describatur semicirculus ADB, & circa eius semissem BC, alter semicirculus BEC, priorem tangens in puncto B. Deinde ex puncto B, ducantur ad peripheriam semicirculi ADB, quotcumque rectae, & quomodocumque, dummodo sint sparsae per totum semicirculum: in omnibus enim illis lineis reperientur puncta proportionatricis secundae hoc modo. Ex puncto E, in quo semicirculum BEC, secat recta, verbi gratia, BD, quae est vna ex lineis praedictis, demittatur in diametrum AB, perpendicularis EF, ipsique FB, applicetur ad eandem BD, aequalis FG, hoc est, centro F, interuallo FB, describatur arcus secans BD, in G; punctum enim G, erit in proportionatrice. Eadem ratione inuenientur in omnibus reliquis lineis singula puncta, quibus debitè coniunctis, & inter se, & cum punctis extremis AB, vt in superiore proportionatrice monuimus, descripta erit tandem secunda proportionatrix, nempe linea curua AGB. Eius verò proprietas haec erit, vt ducta quacumque linea ex puncto B, verbi gratia, recta BD, proportionatricem secans in puncto G, si ex puncto E, in quo recta BD, secta fuerit bifariam, demittatur perpendicularis EF, in diametrum AB, rectae FB, FG, sint aequales. Hac linea descripta, inuenientur inter quascumque duas rectas propositas duae mediae proportionales in hunc modum. Nam primò sit data recta AB, maior, & minori datae ex puncto B, applicata sit ad proportionatricem aequalis recta BG, eademque producatur vsque ad peripheriam semicirculi in D, & ex puncto D, in diametrum AB, demittatur perpendicularis DH. Dico BD, BH, esse duas medias proportionales inter datas AB, BG. Diuisa enim BD, bifariam in E, & ex E, demissa perpendiculari EF, erit recta FG, aequalis rectae BF, ex proprietate huius secundae proportionatricis. Est autem [a] ipsius BF, dupla BH, propterea quod DH, EF, sint parallelae, & recta BD, ponatur secta bifariam in E. Igitur [b] BD, BH, erunt duae mediae proportionales inter AB, BG, & sic de alijs, quando maior data aequalis est diametro, siue basi proportionatricis AB.



Quando verò maior data, maior est vel minor, quam AB, qualis est recta BI, & minor data sit quaecumque, verbi gratia, recta BK, diuidenda erit in primis AB, in L, ita vt proportio AB, ad BL, sit eadem quae BI, ad BK, quod fiet, si ductae AI, agatur parallela KL. Nam si inter AB, BL, vt proximè est dictum, inueniantur duae mediae BM, BH, & ex ductis MN, HO, parallelis ipsi AI, recta BI, secetur similiter in N, O, erunt quemadmodum BA, BM, BH, BL, ita etiam BI, BN, BO, BK, quattuor lineae continuè proportionales.

a 2. sexti Eucli.
b 46. secundi huius.

SCHO-

SCHOLIVM PRIMVM.

POTEST *haec secunda proportionatrix etiam hoc alio modo describi sine semicirculo BEC, ductis ex puncto B, plurimis rectis vt prius, inueniemus in qualibet illarum, verbi gratia, in recta BD, punctum proportionatricis hoc modo. Demissa perpendiculari DH, ducatur vicissim ex H, in BD, perpendicularis HG. Punctum enim G, erit in proportionatrice. Nam diuisa BH, bifariam in F, vel BD, bifariam in E, & demissa perpendiculari EF, recta FG, erit necessariò aequalis ipsis FB, FH, eò quòd angulus rectus HGB,* [a] *necessariò sit in semicirculo descripto circa diametrum BH.*

[a] *Schol. propos. 31. tertij Eucl.*

Immo quantumuis non constaret, puncta proportionatricis hoc modo inuenta cum prius inuentis coincidere; linea tamen per eiusmodi puncta descripta non immeritò diceretur proportionatrix, eò quòd semper exhibeat duas medias inter diametrum AB, & inter quamcumque aliam lineam minorem ipsa AB. Quemadmodum enim ex inuentione puncti G, in recta BD, sequitur, quattuor lineas AB, BD, BH, BG, esse continuè proportionales; ita etiam idipsum prorsus sequitur ex alijs punctis in alijs lineis inuentis. Quod autem hoc sequatur, patet. Nam propter perpendicularem DH, rectae AB, BD, BH, [b] *sunt continuè proportionales. Et quia in triangulo rectangulo BHD, ex angulo recto H, demissa est in basim perpendicularis HG,* [c] *etiam BD, BH, BG, sunt continuè proportionales: ac proinde omnes quattuor AB, BD, BH, BG, erunt continuè proportionales.*

[b] *16. huius.*

[c] *Coroll. 8. sexti Eucl.*

SCHOLIVM SECVNDVM.

HINC *rursum accedit compendium problemati nono. Si enim per dictum problema nonum inueniantur duae aliquae lineae, quae aliquantulum accedant ad secundam quattuor proportionalium, posita maxima AB, & minima BL, quales in figura huius propositionis sunt rectae BP, BQ, interque illas interijciatur media proportionalis B'R, & denique in omnibus tribus per praecepta huius problematis inueniantur tria puncta proportionatricis S, T, V, linea curua, vel etiam arcus circuli descriptus per tria puncta S, V, T, secabit arcum circuli LG, descriptum centro B, interuallo datae BL, minimae, in puncto G, & ducta BGD, demissaque ex D, perpendiculari DH, inuentae erunt, iuxta demonstrata in hac propositione, duae lineae BD, BH, quae sunt duae mediae inter datas AB, AL, hoc est, inter AB, BG.*

PROBLEMA XII.
PROPOSITIO XII.

INTER duas rectas datas, duas medias beneficio instrumenti inuenire.

ITAR *ex aere, aut quauis alia materia solida norma ABDC, quàm accuratissimè constructa, ita vt linea ABD, sit recta, & vterque angulus ABC, DBC, sit rectus, punctumque B, exactè respondeat angulo recto DBC, factumque erit instrumentum, duabus medijs inueniendis non incommodum, cuius omnem formam vides in figura. eius verò vsus est huiusmodi.*

Sint datae duae rectae EF, EG, & circa maiorem EF, describatus sit semicirculus EHF, quem perpendicularis GH, secet in H, & centro E, interuallo EH, describatur arcus HI. Et rursum ex I, erigatur perpendicularis IK, eritque EH, vel EI, minor quidem quàm secunda ex quattuor proportionalibus, incipiendo à maiori. At recta EK, si duceretur, esset maior, quàm eadem secunda, vt patet ex ijs, quae suprà demonstrata sunt: [a] *erit igitur vt secunda ex quattuor proportionalibus, si applicetur ex puncto E, ad peripheriam semicirculi EHF, necessariò cadat ad aliquod punctum, quod est inter puncta H, K. Quae applicatio vt per instrumentum fiat, describantur priùs centro E, vtcumque aliquot arcus secantes diametrum EF, & arcum HK, in punctis inter puncta H, K; eisque descriptis, vt videre est in figura, applicetur punctum instrumenti B,* [B] *nempe angulus rectus, perpendiculari GH, & latus BA, protendatur per punctum E, idemque angulus B, sursum moueatur vel deorsum per rectam GH, donec regula AD, quae interim semper protenditur per punctum E, secet circumferentiam EHF, & altera regula BC, secet diametrum EF, ijs in punctis, in quibus eandem circumferentiam & diametrum secat vnus aliquis arcuum ab initio descriptorum; vel certè verisimile sit, & ita sensus iudicet, si per alterum illorum punctorum centro E, describatur arcus, eum transiturum esse per reliquum punctum: tali enim in situ si instrumentum consistat, inuentae erunt duae mediae inter datas. Ponamus enim centro E, per punctum L, in quo regula BC, secat diametrum, descriptum arcum transire per punctum M, in quo circumferentiam secat regula AD. Dico rectas EM, EB, esse duas medias inter EF, EG. Ducta enim MF, erunt MF, BL, parallelae, ac proinde* [b] *triangula EMF, EBL, similia,* [c] *est autem triangulo EBL, simile quoque triangulum EBG, ob perpendicularem BG, quae in basim EL, cadit ex angulo recto EBL: igitur omnia tria triangula erunt similia. Quare eadem erit proportio EF, ad EM, siue ad EL, (eò quòd EL, EM, ponuntur aequales) quae EL, ad EB, & EB, ad EG. Atque adeo inter duas datas inuentae erunt duae mediae, quas inuenire erat propositum.*



[a] *9. huius.*

[b] *Coroll. 4. sexti Eucl.*

[c] *8. sexti Eucl.*

SCHOLIVM.

HOC *instrumentum vel propterea mihi maximè probatur, quòd planum ac solidum, simplicissimumque sit, & in quo nulla mouenda sit eiusdem pars: assidua enim nos docuit experientia, instrumenta illa, quarum partes mouendae, aliter atque aliter aptandae sunt, exactè fieri vix posse, exactè vsibus deseruire nulla ratione posse. In hoc verò instrumento non tantùm eius fabrica & examinatio facilis, verùm ipsa operatio haud difficilis est: eam verò exanimare facillimum erit. Nam constituto, vt praediximus, instrumento, notanda in figura tantummodo essent puncta M, L. & circini fixo pede in E, alter extendendus vsque ad M, vel L, & circumducendus circinus, probandumque num cum reliquo exactè concordet: hoc enim inuento, iungetur recta EM, quae duas medias dabit, EM, EB; si verò non ita exactè respondeat circinus, iterum applicandum esset instrumentum, & reliqua peragenda, vt praefertur.*

Iam verò huic toti optatissimo, & ingeniosissimo problemati finem imponere decreui. Quod si soluere omnino non potui, certè tamen multò propius accedere conatus sum, quàm hactenus, quod sciam, vllus. Illud insuper ni fallor, praestiti vt inter tritas illas, difficiles tamen vias, quibus antiquorum alij medijs quibusdam curuis lineis, alij mechanicis instrumentis duas medias perue-stigarunt, nouas rationes adinuenerim, si non certiores, attamen expeditiores: quaeque pluribus vsibus, minori temporis iactura, minimaque erroris suspicione, quasi compendio esse possint. Eorum nonnulli in sequentibus proponentur, si tamen priùs de circuli ac sphaerae dimensione nonnulla dixero.

CIRCVLI AC SPHAERAE DIMENSIO.

Caput IIII.

RODO ipse disciplinae postulare videbatur, vt post inuentas medias proportionales, de earum usu mox ageremus: verùm quoniam usus mediarum proportionalium in commensuratione, & proportione figurarum & corporum potissimùm versatur, ne in ignotis laboraremus, de figuris & corporibus agendum priùs fuisset; nisi ea & maiorem indaginem exposcerent, & Mathematicis peruulgata fuissent. Verum quoniam in ijs, quae maximam difficultatem inuoluunt, nostra potissimùm versabitur disputatio, Sphaeram quippe non rarò, circulum autem saepe examinare oportebit: ideo haec non pertractanda, sed insinuanda potiùs, quae apud Mathematicos latè pertractata reperiantur; & ea tantùm explicanda, sine quibus haec nostra de mensuris disputatio stare nulla ratione posset, quae facilioribus quibusdam demonstrationibus confirmabimus. Et quidem primùm in circulo duo examinanda sunt. Primùm est circumferentiae longitudo; lineam nempe rectam inuenire, quae dati circuli circumferentiae aequalis sit. Alterum, ipsam aream, siue capacitatem circuli, aliqua communi quadrata mensura examinandam proponere: siue si mauis, quadratam planam superficiem dare, quae circuli areae aequalis sit. Quod quàm difficile sit, testantur non sapientissimi modò antiquorum scriptorum; verùm & nostrae aetatis non sapientes tantùm, sed & aliorum quamplures. Nam quos vel ipsamet simplicium terminorum apprehensio latuit, circuli quadratura sic torsit, vt paene emblemata problematum loco ab eis extorserit; non tamen propterea in hodiernum diem, quod sciam, inuenta est. Quapropter nec desore credidissem, qui vel impossibilem inuentu dicerent aut scitu; nisi manifestè testatum ab Aristotele audissent, quadraturam circuli scibilem quidem esse, nondum tamen scitam. Quae quamuis ita sint; tamen Mathematicorum omnium facilè princeps Archimedes tantum splendoris ac lucis huic obscurissimae disputationi suis ingeniosissimis demonstrationibus attulit, vt ea paene omnia, quae ad communes Reipublicae atque Mathematicorum usus exoptari possent, propemodum demonstrata videantur. Ac illud in primis demonstrat, quod ad areae dimensionem spectat, circulum quemcumque triangulo rectangulo aequalem esse; illi videlicet, cuius latus alterum eorum quae rectum angulum ambiunt, sit dicti circuli semidiametro; alterum eiusdem circuli circumferentiae aequale. Qua quidem demonstratione eò deduxit totum difficultatis pondus, vt certa aliqua ratio excogitaretur, qua linea aliqua daretur recta, circuli circumferentiae aequalis; ea enim inuenta facillimum cuiuis erit rectangulum triangulum constituere, quod circulo sit aequale; ac facilius multò quadratum exhibere praedicto triangulo, atque adeo ipsi circulo aequale. Quocirca tota quadrandi circuli difficultas in danda linea recta, circumferentiae circuli aequali consistit. In quo viam etiam facillimam ingressus est idem Archimedes, quam vtinam peregisset, nihil amplius in ea exoptari potuisset. Si enim iustam rationem inuenisset, quam habet ad circumferentiam diameter, vel contra ad diametrum circumferentia, quadrandi circuli scientia penitus comperta esset. Verum enim verò neque ipse Archimedes, neque ceterorum quisquam ad perfectam eiusmodi proportionis cognitionem peruenire vlla ratione potuit: in eo tamen laudandus non modicè videtur, quod quàm maximè ad eiusmodi proportionem inueniendam vnus ipse appropinquauerit: siquidem & demonstrauit cuiuslibet circuli circumferentiam suam diametrum ter continere, & insuper eius partem, quae minor est septima, & maior decem septuagenis primis. Quapropter cùm

Archimed. prop. 1. de circuli dimensione.

A tam parua sit differentia inter vtramque proportionem, eam videlicet, quae maior est vera, & eam quae minor est, & inter vtramque constituenda sit ipsa vera proportio, quam circumferentia habet ad suam diametrum, manifestum est, quàm parum ab ea distet, siue accipiatur maior siue minor harum proportionum. Nos verò qui non tam Mathematicum edocere, quàm mensuras inuestigare, vasaque & corpora ad eas spectantia, quae, & quanta fuerint, examinare statuimus, impeditam illam atque longissimam maximorum numerorum supputationem adducere non curauimus, satis superque huic nostrae disputationi feciße existimantes, si iuxta breuiorem illam ac faciliorem triplam sesquiseptimam proportionem, sequentium demonstrationum exempla proponeremus, iuxta quorum etiam normam sollerti Mathematico licebit idem ipsum exactioribus numeris comprobare. Iam verò vt ad rem propiùs accedamus, initio

B huius disputationis aliqua assumamus oportet, quae facilè demonstrarentur, si circumferentiae ac diametri nota esset proportio. Sit igitur primum.

ASSVMPTIO PRIMA.

DATO quolibet circulo lineam rectam constituere, eius circumferentiae aequalem. Nam si ducatur in eo circulo diameter, eaque in septem diuidatur partes, ex eisque in quauis linea recta assignentur duae & viginti; eiusmodi linea duas & viginti è septenis diametri partibus continens, loco circumferentiae substituetur, quoniam vt dixi, minima quadam parte illam superat.

ASSVMPTIO SECVNDA.

C DATA qualibet linea recta circulum describere, cuius circumferentia praedictae rectae sit aequalis. Vel quod idem est, data circumferentia circuli, eius diametrum & totum circulum constituere. Si enim data recta in partes diuidatur duas & viginti, ex eisque septenae accipiantur, ea erit diameter circuli, eaque inuenta facilè circulus ipse, qui quaeritur, describetur.

THEOREMA I. PROPOSITIO I.

DATIS duabus lineis, quod ex priori in quamlibet posterioris multiplicem fit, aequale est ei, quod fit ex posteriori in consimilem prioris multiplicem. Atque pari ratione, quod ex priori in quamlibet

D *posterioris partem, vel in quaslibet eiusdem partes fit, aequale est ei, quod ex posteriori in consimilem partem, vel consimiles partes prioris fieret. Atque hoc ipsum de quibuscumque duobus numeris demonstrabitur.*



DATIS rectis A, B, & earum aequè multiplicibus C, D. Dico primùm, id quod ex A, prima, in D, multiplicem secundae fit, aequale esse ei, quod ex B, secunda, in C, multiplicem primae fit; quoniam C, ad A, est sicut D, ad B; erunt quattuor rectae C, A, D, B, in eadem ratione. [a] Quare quòd ex A, secunda in D, tertiam fit, aequale est ei quod fit ex C, prima, in B, quartam. Quod erat primò demonstrandum.

a 16. sexti Euclid.

Rursus sint datae C, D, earumque similes

E partes, verbi gratia, tertiae A, B, eruntque rursum in eadem ratione quattuor magnitudines C, A, D, B, & consequenter id, quod fit ex C, prima, in B, quartam [b] aequale erit ei, quod ex A, secunda, fit in tertiam D. Atque hoc erat secundò demonstrandum.

b 16. sexti Euclid.

Tertiò

Tertiò tandem idem in numeris licebit concludere, cùm hic lineae omnes accipiantur habentes rationem, quam habet numerus ad numerum, & propositione decima nona libri septimi Euclidis, idem demonstretur in numeris, quod propositione decima sexta libri sexti, quam hic citauimus, ostenditur in lineis proportionalibus.

THEOREMA II.
PROPOSITIO II.

DATIS duabus lineis, si accipiatur prioris quaecumque pars, & posterioris aequè multiplex ac est prior suae partis; quod fit ex prioris parte in multiplicem posterioris, aequale est ei quod fit ex priore in posteriorem. Idemque demonstrabitur, si prioris accipiatur multiplex, & posterioris eadem pars, quae est prima suae multiplicis: tunc enim quod fit ex priore in posteriorem, aequale est ei, quod fit ex multiplici prioris in partem posterioris. Atque hoc idem in numeris verum est.

SIT prioris datae A, medietas C, & secundae datae B, sit multiplex dupla D. Dico quod fit ex C, in D, aequale esse ei, quod fit ex A, in B. Quoniam A, & D, ponuntur aequè multiplices ipsarum CB, erit A, ad C, sicut D, ad B. [a] Quare quod ex C, secunda in D, tertiam fit, aequale erit ei, quod ex A, fit in B. Quod erat primò demonstrandum.

a 16. sexti Eucli.

Accipiantur rursus datae C, D, sicque A, aequè multiplex ipsius C, verbi gratia, dupla, sicut B, est pars ipsius D, nempe subdupla. Quare cùm iterum quattuor lineae sint proportionales, demonstrabitur, vt priùs, quod fit ex C, in D, aequale esse ei, quod fit ex A, in B, vel ex B, in A, quod idem est.



Idemque in numeris licebit probare, cùm praedictae lineae accipiantur eae, quae inter se habent rationalem proportionem, ideoque ad hanc demonstrationem reuocari possit propositio decima nona libri septimi Euclidis, vt etiam in praecedenti propositione obseruauimus. Et licet in propositione solùm facta fuerit mentio proportionis multiplicis vel submultiplicis; demonstratio tamen locum habet in quacumque alia proportione: satis enim est, vt sit eadem proportio A, ad C, quae D, ad B, vt ea quae dicta sunt in propositione, verè concludantur.

SCHOLIVM.

HOC ipsum, quod binis superioribus theorematis de lineis demonstrauimus, & in numeris quoque demonstrari posse notauimus; in superficiebus etiam cùm in lineas ducuntur, vt fiant corpora, demonstrari facilè poterit. Nam si intelligatur cubus AB, cuius latus AE, sit, verbi gratia, numerus ternarius, & hic ternarius ducatur in seipsum, fiet nouenarius numerus; nempe basis quadrata AC. Iam verò si haec basis rursum ducatur in ternarium numerum, quanta ponitur altitudo AD, erit totus cubus AB, viginti septem. Quod igitur ad primum theorema spectat, si AF, complectens, verbi gratia, duas tertias partes basis AC, nimirum 6. multiplicetur in totam altitudinem AD, hoc est, in 3. prodibit solidum AG, 18. nempe duae tertiae partes solidi AB; atque tantundem fiet, si AH, 2. duae videlicet tertiae partes altitudinis AD, ducantur in totam basim AC, quae est 9. bis enim nouem faciunt 18. nempe solidum AI, quod facilè demonstrabitur [b] esse aequale solido AG, cùm vtriusque bases AC, AK, & altitudines AH, KG, sint inter se aequales. Atque idem omnino probabitur de secundo theoremate, cùm huius probationis ratio in eo potissimùm consistere videatur, quòd superficialis numerus, immo & ipsa superficies, quod ad multiplicationem spectat, in ratione numeri accipitur, cui accidit, vt sit superficialis vel solidus, nempe quod ex vnius vel plurium multiplicatione resultet.



b 31. vndecimi Eucl.

THEOREMA III.
PROPOSITIO III.

DVO triangula aequalia erunt, quorum alterum eandem vel aequalem basim habens cum aliquo tertio, duplam habet eiusdem altitudinem; alterum verò quadruplam habet altitudinem, & basim, vel eandem cum semisse basis eiusdem tertij, vel eidem semissi aequalem.

DATIS tribus triangulis ADB, AFE, ACB, quorum primum habeat eandem basim cum tertio AB, altitudinem verò AD, duplam altitudinis tertij AC. Secundum verò triangulum AFE, altitudinem habeat AF, quadruplam altitudinis tertij AC; basim verò AE, semissem basis tertij AB. Dico triangula ADB, AFE, esse inter se aequalia. Quoniam enim propositae sunt duae lineae AB, AD, estque ipsius AB, semissis AE, & ipsius AD, dupla recta AF, erit, [a] quod ex AB, in AD, aequale ei, quod fit ex AE, semisse prioris, in AF, posterioris duplam; sed quod fit ex AB, in AD, [b] est duplum trianguli ADB, sicut quod fit ex AE, in AF, est duplum trianguli AFE: [c] eadem ergo erit ratio submultiplicium, nempe aequalitatis. Quod erat demonstrandum.



a 2. huius.



b 41. primi Eucli.

c 15. quinti Eucli.

Porrò hoc ipsum etiam immediatè ex ipsis triangulis potest colligi. Cùm enim rectae AB, AF, diuisae sint bifariam in E, D, erunt in priori figura triangula ADB, AFE, dupla eiusdem trianguli ADE, & in posteriore figura triangula ADB, AFE, dupla triangulorum aequalium ADe, AdE: & consequenter ipsa inter se erunt aequalia.

d 1. sexti Eucli.

COROLLARIVM.

HINC sequitur vnumquodque ex duobus triangulis praedictis ADB, AFE, duplum esse tertij ACB, & aequale ei parallelogrammo, quod fit ex AB, basi in AC, altitudinem.

SCHOLIVM.

HOC ipsum, quod de dupla proportione basium & altitudinum demonstraui, verum etiam est in quacumque alia vel tripla vel quadrupla, vel quacumque alia proportione, si accipiantur permutatae, vt dictum est, bases, & altitudines triangulorum, quoniam in vniuersum de omni proportione demonstrata sunt, quae propositione secunda proposuimus.

THEOREMA IIII.
PROPOSITIO IIII.

AREA cuiuslibet circuli aequalis est ei, quod fit ex tota circumferentia in quartam partem diametri, vel ex semicircumferentia in semidiametrum; vel ex diametro in quartam partem circumferentiae circuli.

IN triangulo rectangulo ABC, basis BC, sit aequalis circuli alicuius circumferentiae, & latus AB, eiusdem circuli semidiametro, ita vt iuxta supradictam Archimedis demonstrationem triangulum ABC, aequale sit areae eiusdem circuli, extensaque tota diametro BD, compleatur rectangulum BL, sumptaque BE, quarta diametri parte, ducatur ex E, recta EF, ipsi AB, parallela, eritque [a] parallelogrammum BF, triangulo supradicto, hoc est, areae circuli aequale.



Archimed. lib. de dimens. circuli prop. 3.

a Ex corol. praeced.

Quod

Quod erat primò demonstrandum. Porro diuisa BC, bifariam in H, compleatur parallelogrammum BG, quod sit ex semidiametro AB, in semicircumferentiam BH: quod quidem parallelogrammum aequale est [b] parallelogrammo BF, & ex consequenti areae circuli, quod erat secundò demonstrandum.

Tandem si accipiatur BI, quarta pars circumferentiae, compleaturque parallelogrammum EK, contentum sub tota diametro BD, & sub quarta parte circumferentiae BI, idem parallelogrammum BK, aequale erit [c] parallelogrammo BF, & per consequens areae circuli. Quod erat vltimò demonstrandum.

THEOREMA V.
PROPOSITIO V.

SVPERFICIES cuiuslibet sphaerae aequalis est ei, quod fit ex tota diametro in totam circumferentiam maximi in eadem sphaera circuli.

IN eadem figura sit DB, diameter sphaerae BC, maximi in eadem circuli circumferentia, cui quidem circulo aequale est [a] parallelogrammum BF. Atque huius quidem parallelogrammi [b] quadruplum est parallelogrammum EL, quoniam vtrumque parallelogrammum inter easdem parallelas BD, LC, constituitur, estque basis BD, quadrupla basis BE, vt patet ex constructione superioris propositionis. Quare cùm Archimedes demonstret, etiam superficiem cuiuslibet sphaerae quadruplam esse circuli, qui in ea maximus habetur, erit rectangulum BL, aequale superficiei sphaerae: sit autem rectangulum BL, ex diametro BD, in circumferentiam EC; ergo superficies cuiuslibet sphaerae &c. Quod erat demonstrandum.

THEOREMA VI.
PROPOSITIO VI.

CVIVSLIBET sphaerae solidum aequale est ei, quod fit ex area circuli maximi ducta in duas tertias partes diametri; siue ex diametro ducta in duas tertias partes praedictae areae circuli maximi; siue ex semidiametro ducta in tertiam partem superficiei sphaerae, hoc est, in quattuor tertias partes areae circuli in sphaera maximi; siue ex dimidia superficie maximi circuli in quattuor tertias partes diametri, siue tandem ex dupla diametro in tertiam partem superficiei circuli maximi.

SIT parallelepipedum AE, habens basim AR, maximo alicuius sphaerae circulo aequalem, ita vt AB, sit circumferentiae circuli aequalis, & AD, quartae parti circumferentiae. Altitudo verò parallelepipedi sit AC, eiusdem sphaerae diameter. Dico primùm, hoc parallelepipedum esse sesquialterum dictae sphaerae, quoniam est aequale cylindro, habenti basim circulo maximo eiusdem sphaerae aequalem, altitudinem verò totam diametrum; de hoc enim demonstratum ab Archimede est, esse sesquialterum sphaerae. Esse autem parallelepipedum praedicto cylindro aequale, manifestum est; quoniam versusque basis eidem circulo in sphaera maximo aequalis est; altitudo verò eadem diameter. Iam verò si AF, ponatur duas tertias partes auferre diametri AC, & per F, ducatur superficies FG, basi parallela, [a] erunt duo parallelepipeda AG, AF, eandem basim habentia in ratione altitudinum: quare AG, duas tertias partes habebit totius AE. Erit igitur AG, ipsi sphaerae aequale; quoniam AE, tam ipsius AG, quàm sphaerae est sesquialterum. Fit autem AG, ex area maximi circuli, hoc est, ex AR, ducta in AF, duas tertias partes diametri. ergo sphaera aequalis est &c. Quod erat primò demonstrandum.



Secunda propositionis pars, quae est velut prioris conuersa, manifesta est [b] ex suprà demonstratis: atque consimili argumento, facilè demonstrabitur. Nam si basis AK, intelligatur complecti duas tertias partes basis AR, erecta superficie HS, parallela ipsi BE, vel CD, vtique solidum AS, contentum sub duabus tertijs basis AR, hoc est, superficiei circuli maximi, & diametro AC, complectetur duas tertias partes solidi AE: sed solidum AE, fuit ostensum sesquialterum solliditatis sphaerae: ergo solidum AS, est aequale soliditati sphaerae. Quod erat secundò demonstrandum.

Quod ad tertiam propositionis partem spectat, illud in primis supponendum est, pro eodem accipiendum esse, tertiam partem superficiei sphaerae, atque quattuor tertias partes superficiei circuli in sphaera maximi. Cùm enim [c] vt suprà notauimus, Archimedes demonstret, superficiem sphaerae quadruplam esse superficiei circuli in sphaera maximi, si quattuor superficies circuli diuidantur in tres partes, singulis obueniet vna, & vna tertia pars, hoc est, quattuor tertiae partes vnius. His ergo sic ſtarutis [d] ex suprà demonstratis manifestum est, idem fieri ex diametro AC, in superficiem AK, duas tertias partes circuli, quod fit ex semidiametro AT, in duplum ipsius AK, hoc est, in superficiem AM, quae quattuor tertias partes continet circuli in sphaera maximi. fit ergo solidum AL, aequale sphaerae. Et. hoc erat tertiò demonstrandum.

Quarta verò pars praecedentis quasi conuersa est. Demonstratum enim est, [e] quod datis duabus quantitatibus AK, AC, quod fit ex hac in illam, nempe solidum AS, aequale esse tum ei, quod fit ex AM, dupla ipsius AK, hoc est, ex quattuor tertijs partibus circuli, in AT, semissem ipsius AC; tum etiam ex DO, semisse ipsius AR, in AP, duplam ipsius AF, nempe solidum AQ. Quod erat quarto demonstrandum.

Tandem demonstratum etiam est, [f] quod datis duabus quantitatibus AK, duabus tertijs superficiei circuli, & AC, diametro, quod fit ex vna ducta in alteram, nempe solidum AS, aequale esse ei, quod fit ex DV, semisse ipsius superficiei AK, in AY, duplam ipsius diametri AC, nempe solidum AZ. Quod erat vltimò demonstrandum.

SCHOLIVM.

NOTA hanc propositio, quae quinque ostendit modos dimetiendi solidum sphaerae, alijs atque alijs rationibus demonstrari facilè potuisset, iuxta eum morem, quem nos in prioribus eius partibus tenuimus. At ne diutiùs quàm par est, in istis immoremur, satis me fecisse ingeniosis Mathematicis duxi, si quae demonstranda forent, hic tantummodo indicarem. Nihil enim aliud praesens theorema proponit, quàm quinque parallelepipeda AL, AG, AS, AQ, AZ, quae sub circuli maximi superficiei AR, & diametri AG, varijs partibus ac multiplicibus continentur, aequalia inuicem esse. Cumque initio huius propositionis ostensum sit, parallelepipedum AG, sphaerae cuidam aequale, reliqua quoque eidem sphaerae aequalia esse ostendetur.

THEOREMA VII.
PROPOSITIO VII.

HEMISPHAERIVM cuiuslibet sphaerae aequale est ei, quod fit ex area circuli maximi, ducta in tertiam partem diametri, siue ex diametro ducta in tertiam partem circuli maximi: siue ex dimidia superficie circuli maximi in duas tertias partes diametri; siue ex semidiametro ducta in duas tertias partes circuli maximi, hoc est, in sextam partem superficiei sphaerae.

EX demonstratis superiore theoremate facilè, quae hoc proponuntur, demonstrantur: nam cùm ibi sit ostensum, sphaeram aequalem esse ei, quod fit ex area circuli maximi in duas tertias partes diametri, vtique hemisphaerium aequale erit ei, quod fit ex eodem circulo in vnam tertiam partem diametri, quod sic ostendo. Sit AB, parallelepipedum simile, & aequale parallelepipedo AG, praecedentis figurae, quod erit sphaerae aequale, eiusque basis AD, erit circulo in sphaera maximo aequalis, & AC, eius altitudo erit duabus tertijs partibus diametri aequalis:

diuidaturque AC, bifariam in E, ducaturque EF, superficies basi parallela, fientque duo parallelepipeda AF, FC, inter se aequalia: cùm enim sint super eadem basi EF, erunt [a] inter se sicut altitudines AE, EC, quae positae sunt aequales. Quapropter erit A

Euclid. prop. 1. secundi. Clau. 9. Euclid. prop. 14.

erit AF, solidum, quod fit ex area circuli AD, in tertiam partem diametri AE, hemisphaerio aequale. Quod erat demonstrandum. Qua ratione reliquae omnes huius ptopositionis partes demonstrabuntur. Idemque ipsum in numeris demonstrabitur, iuxta ea quae in lineis demonstrat Euclides, & in numeris Clauius: datis enim duobus numeris, quorum alter secetur in partes, quod ex vno in alterum fit, aequale est ei, quod ex insecto in omnes alterius partes fit.

A

SCHOLIVM.

QVAMVIS, cùm in numeris habetur cuiuslibet sphaerae magnitudo, facilè possit in duas, tres, vel quotlibet alias partes diuidi; vsui tamen esse non raro poterit, certa qualibet ratione tertiam, vel aliam quamcunque partem habere, etiam si totius sphaerae magnitudo non haberetur. id quod facilè praestari poterit. Nam si area maximi circuli, & diametri duae tertiae partes tamquam duo numeri accipiantur, eorumque alter in tot partes diuidatur, in quot esset diuidenda sphaera, quod fit ex insecto in omnes alterius partes, aequale est toti sphaerae: quod verò fit ex insecto in vnam vel plures partes diuisi, si illa pars fuit vna, verbi gratia, ex tribus, erit productus numerus vna pars tertia sphaerae; si verò fuerunt duae ex tribus, producentur quoque duae partes tertiae sphaerae, &c. Semper enim producitur talis pars, uel tales partes sphaerae, quales sunt illae, quas numerus insectus multiplicat, & tot quot fuerint multiplicatae.

B

THEOREMA VIII. PROPOSITIO VIII.

C

EADEM est proportio quadrati circumferentiae circuli in sphaera maximi ad superficiem sphaerae, quae circumferentiae circuli maximi ad diametrum. Item eadem est proportio quadrati diametri circuli maximi ad superficiem sphaerae, quae diametri ad circumferentiam.

a quinta huius.

CIRCVLVS in sphaera maximus sit ABC, eiusque diametro AC, aequalis DE; circumferentiae verò eiusdem aequalis sit EF, & super vtraque recta describantur quadrata FG, DH, perficiaturque figura DI, eritque [a] tam rectangulum FH, quàm DG, superficiei sphaerae aequale. Cùm ergo parallelogramma FG, & DG, atque FH, & DG, habeant easdem altitudines, [b] erunt inter se sicut bases. Quare erit FG, quadratum circumferentiae EF, ad DG, superficiem sphaerae; vt EF, circumferentia ad DE, diametrum circuli in sphaera maximi. Item DH, quadratum diametri DE, ad FH, superficiem sphaerae, vt DE, diameter ad EF, circumferentiam. Quod erat demonstrandum.

D

b 1. sexti Euclid.



SCHOLIVM.

E

HINC facilè demonstrabitur prima & vltima pars propositionis quartae huius, circulum nempe in sphaera maximum aequalem esse ei, quod fit ex quarta parte diametri in totam circumferentiam, vel ex quarta circumferentiae parte in totam diametrum. Cùm enim ostensum sit tam rectangulum FH, quàm DG, aequale esse superficiei sphaerae, ac propterea quadruplum circuli in sphaera maximi. quarta verò pars rectanguli FH, continetur [c] sub EH, diametro, & quarta parte circumferentiae EF, manifesta erit prima propositionis pars. Quarta item pars rectanguli DG, continetur sub circumferentia EG, & quarta parte diametri DE. Ex quo manifestum fit, quod vltimò erat demonstrandum.

c prima sexti Euclid.

THEOREMA IX. PROPOSITIO IX.

CVBVS diametri, cuiuslibet sphaerae ad solidum eiusdem sphaerae est, vt tripla diameter ad semicircumferentiam circuli in sphaera maximi; vel vt sextupla diameter ad totam eiusdem circuli circumferentiam.

SIT AD, semidiameter, & AC, semicircumferentia, erit [a] rectangulum AP, areae circuli aequale. Et si ex eadem AC, sumantur duae tertiae AE, [b] cùm sit vt AC, ad AE, ita rectangulum sub AD, AC, ad rectangulum sub AD, AE, erit, quemadmodum CA, ipsius AE, ita rectangulum, sub AC, AD, hoc est, area circuli, sesquialterum rectangulum sub AE, AD, ac proinde rectangulum sub AE, AD, continebit duas tertias rectanguli sub AC, AD, hoc est areae circuli maximi. Quare parallelepipedum DS, basim habens rectangulum sub AE, AD, & altitudinem DM, vel AF, diametro circuli aequalem, erit aequale soliditati sphaerae ex secunda parte sexti theorematis huius.

a prop. 4. huius.

b 1. sexti Euclid.



Intelligatur quoque super diametrum AB, descriptus cubus AH. Dico eum ad soliditatem sphaerae, hoc est, ad parallelepipedum DS, habere proportionem, quam habet ttipla diameter AB, hoc est AT, ad AC, semicircumferentiam. Nam perficiatur quoque rectangulum DT, contentum sub semidiametro AD, & AT, ttipla diametro. Quoniam igitur LT, continet duas tertias ipsius AT, & AE, duas tertias ipsius AC; etit eadem proportio AT, ad AC, quae LT, ad AE. Deinde quoniam cubus AH, & parallelepipedum DS, eandem habent altitudinem diametrum sphaerae, erit [c] cubus ad parallelepipedum vt basis AK, ad basim AQ. Sed basi AK, aequale est LV, rectangulum; cùm tam basis AK, quàm LV, sit duplum rectanguli DL; ergo cubus AH, ad parallelepipedum DS, etit vt LV, ad AQ, hoc est, vt basis LT, ad basim AE: cùm dicta rectangula eandem habeant altitudinem. sed vt LT, ad AE, ita ostendimus esse AT, ad AC: Ergo vt tripla diameter ad semicircumferentiam; vel etiam vt sextupla diameter ad totam circumferentiam; ita erit [d] cubus diametri ad soliditatem sphaerae. Quod erat demonstrandum.

c 32. vndecimi Euclid.

d 15. quinti Euclid.

COROLLARIVM.

EX hac demonstratione sequitur etiam, vt duplum diametri ad duas tertias partes circumferentiae, ita esse cubum diametri ad soliditatem sphaerae; ostendimus enim dictam proportionem esse, quam habet LT, ad AE.

VSVS VARII THEOREMATVM hactenus demonstratorum.

IAM verò, ne in his, quae ad praxim diriguntur, circa theoremata tantummodo versemur, exemplis manifesta facere decreui, quae ex his theorematis ad dimensionem circuli atque sphaerae vsui esse potuerunt. Accipiamus autem numeros ipsos Archimedis, vt euiuis faciliora, & magis in promptu sint, quae proponemus exempla. Si ergo circuli alicuius diameter sit 7. circumferentia verò 22. aream eius circuli sic inuestigabimus.

INVENTIO AREAE CIRCVLI. Vsus I.

PRIMVM circumferentia 22. ducatur in quartam partem diametri, id est, in $\frac{7}{4}$. vel $1\frac{3}{4}$. quod enim inde fit, nempe $38\frac{1}{2}$. area est circuli.

Circumf. 22. $1\frac{3}{4}$ Area $38\frac{1}{2}$

Deinde si ducatur semicircumferentia, nimirum 11. in semidiametrum, id est, in $3\frac{1}{2}$. idem numerus $38\frac{1}{2}$. colligetur.

11 | 7
$3\frac{1}{2}$ | $5\frac{1}{2}$
$38\frac{1}{2}$ | $38\frac{1}{2}$

Ac tandem si diameter, hoc est 7. ducatur in quartam partem circumferentiae, id est, in $5\frac{1}{2}$. prodibit idem numerus $38\frac{1}{2}$. quod suprà demonstratum est.

sup. propos. 4. huius.

INVEN-

INVENTIO SVPERFICIEI sphaeraè. Vsus II.

38 1/2 / 4 / 154 Sphaerae superficies.

SVPERFICIEM verò totam sphaeram ambientem sic inuestigabimus. Sit diameter sphaerae 7. eritque iuxta demonstrata arca, maximi in sphaera circuli 38 1/2. Si ergo hic numerus per 4. multiplicetur, dabitur [a] sphaerae superficies 154.

a Archimed. de sphaera & cylindro propos. 31.

Quod si diametrum sphaerae 7. in circumferentiam maximi circuli 22. duxeris, eundem numerum 154. prodibis, per ea, quae supra demonstrauimus theoremate 8.

22 / 7 / 154

INVENTIO SOLIDITATIS sphaerae. Vsus III.

38 1/2 / 4 1/2 / 179 1/2 Soliditas sphaerae.

PRIMVM ducatur area maximi in ea circuli 38 1/2. in duas tertias partes diametri, nempe in 4 1/3. productus enim numerus 179 1/2. erit soliditas sphaerae.

Rursum si diameter 7. ducatur in duas tertias partes areae maximi circuli 25 2/3. producetur eadem soliditas sphaerae 179 1/2.

7 / 25 2/3 / 179 1/2

Deinde si semidiameter 3 1/2. ducatur in tertiam partem superficiei sphaerae 51 1/3. iterum prodibit soliditas sphaerae 179 1/2.

3 1/2 / 51 1/3 / 179 1/2

Quartò si ducatur dimidia superficies circuli maximi 19 1/4. in quattuor tertias partes diametri, nempe in 9 1/3. ad huc inuenietur dicta sphaerae soliditas 179 1/2.

19 1/4 / 9 1/3 / 179 1/2

Quintò si multiplictur dupla diameter, nimirum 14. in tertiam partem superficiei circuli maximi, nempe in 12 5/6. summa multiplicationis nempe 179 1/2. exhibebit rursum sphaerae soliditatem, vt patet ex theoremate proximè demonstrato.

14 / 12 5/6 / 179 1/2

Postremò ex theoremate nono eadem soliditas sphaerae inuenietur quoque beneficio regulae trium, duplici via. Siue enim fiat, vt tripla diameter, videlicet, vt 21. ad dimidiatam circumferentiam, id est, ad 11. siue vt sextupla diameter 42. ad totam circumferentiam 22. ita cubus diametri, qui est, 343. ad aliud, semper numerus quarto loco inuentus erit 179 1/2. nempe is, qui debetur soliditati sphaerae.

vt 21. ad 11. vel vt 42. ad 22. ita 343. ad 179 1/2.

INVENTIO HEMISPHAERII Vsus IIII.

38 1/2 / 2 1/3 / 89 5/6

PRIMVM si aream circuli maximi 38 1/2. ducas in tertiam partem diametri, id est, in 2 1/3. produces hemisphaerium 89 5/6.

12 5/6 / 7 / 89 5/6

Deinde si tertiam partem areae circuli maximi 12 5/6. ducas in totam diametrum 7. inuenies idem hemisphaerium 89 5/6.

19 1/4 / 4 1/3 / 89 5/6

Tertiò si dimidiam superficiem circuli maximi 19 1/4. ducas in duas tertias partes diametri, id est, in 4 1/3. iterum habebis desideratam hemisphaerij soliditatem 89 5/6.

25 2/3 / 3 1/2 / 89 5/6

Quartò tandem ac vltimò, si duas tertias partes circuli maximi, 25 2/3. ducas in semidiametrum 3 1/2. deprehendes eandem soliditatem hemisphaerij 89 5/6. iuxta ea, quae sunt demonstrata theoremate septimo.

INVENTIO TERTIAE PARTIS sphaerae. Vsus V.

1 5/9 / 38 1/2 / 59 8/9

PORRO tertiam partem sphaerae sic inuenies iuxta ea, quae eadem propositione superiùs [a] à nobis sunt ostensa: primum diuide duas tertias partes diametri, nimirum 4 2/3. in tres partes: deinde tertiam eiusmodi partem, quae erit 1 5/9. ducas in aream circuli maximi 38 1/2. Productus enim numerus dabit tertiam partem soliditatis seu capacitatis sphaerae, nempe 59 8/9.

[a] *In schol. propos. 7.*

INVENTIO CVBI, CVIVS LATVS sit aequale diametro sphaerae in numeris datae. Vsus VI.

FIAT vt 11. ad 21. vel vt 22. ad 42. ita soliditas cuiusuis sphaerae in numeris datae ad aliud; Quartus enim numerus proportionalis [b] erit cubus, cuius latus

[b] *9. huius.*

A *est aequale diametro propositae sphaerae; atque adeo si ex inuento cubo extrahatur radix cubica, iuxta regulas in Arithmeticis traditas, radix inuenta numerabit partes diametri in palmis, si soliditas sphaerae nota fuit in palmis cubicis, vel in quauis alia mensurâ, in qua sphaera data fuit. Hoc modo. si forte proposita sphaera est palmorum cubicorum 905 1/2. fiatque vt 11. ad 21. vel vt 22. ad 42. ita dictus numerus sphaerae 905 1/2. ad aliud, inuenietur quarto loco in regula trium, cubus 1728. & radix ipsius cubica erunt palmi 12. respondentes duodecim palmis diametri propositae sphaerae.*

vt 11. ad 21. vel vt 22. ad 42. ita 905 1/2. ad 1728.

ALIA EARVNDEM MAGNITVDINVM inuentio. Vsus VII.

B *IAM verò ex ijs, quae hactenus attulimus, duplex se ostendit via quamcumque datam sphaeram, hemisphaerium, aut circulum vel calculandi, vel examinandi. Nam si datae sphaerae diameter in septem partes diuidatur, omnia, quae his exemplis ostensa sunt, datae sphaerae facilè poterunt accommodari: vel si diameter nota sit, aut eam non velis in septenas partes diuidere, ex quacumque alia sphaerae dimensione cognita, aliam, quamcumque, immo & omnes alias inuestigare poteris, iuxta Arithmetices sollemnem regulam, quam trium, vocant. Datis enim tribus quantitatibus notis, quartam inuestigat, ad quam tertia eandem habeat rationem, quam prima ad secundam. Exempli causa: quaero quanta sit circumferentia cius circuli, cuius diameter est palmorum duodecim. Quoniam igitur [a], eadem est*

[a] *Pappus lib. 5. propos. 11.*

C *proportio diametri ad circumferentiam in quibuscumque circulis, erit procul dubio etiam diameter 12. ad suam circumferentiam, vt diameter 7. superius assumpta ad circumferentiam 22. quantam inuenisse Archimedem obseruauimus. ac propterea si fiat vt 7. ad 22. ita 12. ad aliud; inuenietur numerus 37 1/7. pro circumferentia circuli propositi.*

vt 7. ad 22. ita 12. ad 37 1/7.

Eodem modo, quoniam propositione nona demonstratum est, cubum diametri cuiusuis sphaerae ad soliditatem sphaerae habere eandem proportionem, quam habet tripla diameter ad dimidiam circumferentiam; estque secundum Archimedem dimidia circumferentia 11. si diameter ponatur 7. Si fiat vt 21. videlicet triplum diametri 7. ad 11. ita cubus superius assumptae diametri 12. nempe cubus 1728. ad aliud, quartus numerus proportionalis per regulam trium inuentus, videlicet 905 1/2. erit capacitas eius sphaerae, cuius diameter est partium 12. hoc est, sphaera illa erit palmorum cubicorum 905 1/2. si diameter statuatur, esse duodecim palmorum, & ita de reliquis traditis regulis. Hactenus dixisse satis reor de circuli ac sphaerae dimensione, cùm ea dixerim, quae sacras mensuras inuestigantibus vsui esse potuerunt: atque ideo interceptum disputationis filum retexemus, de vsu linearum proportionalium in vniuersum sequenti capite nonnulla praelibantes potius quam pertractantes.

vt 21. ad 11. ita 1728. ad 905 1/2.

D

E

DE VSV LINEARVM PROPORTIONALIVM.

Caput V.

INTER praeclara scriptorum inuenta, quae maximè hominibus vtilia fore putantur, quaeque non satis dignis honoribus aut praemijs cumulata fuisse conqueritur Vitruuius, nonnulla quasi è multis selecta exempla proponit, quae omni honore ac laude digna iudicanda non dubitauit. Sunt autem ea: Platonis inuentum de agro quadrato consimili figura duplicando: Pythagorae norma ex orthogonij trigoni deformatione: Archimedis illud vnum infinita propemodum sollertia excogitatum, quo modo portio argenti auro mista in integro opere deprehendi discernique possit: ac tandem Architae Tarentini, & Eratosthenis Cyrenaei, quae suprà retulimus, proponit inuenta. Quae quidem omnia eò potissimùm spectare videntur, vt sicut numerorum ab Arithmeticis, & linearum ab Euclide in elementis; ita etiam superficierum & corporum ratio, diuisio, & compositio cognosci, dijudicarique possit. Quae, infinita propemodum commoda Reipublicae parere poterit; nostraeque huic de mensuris disputationi non vtilis modo, sed & necessaria iudicabitur. Decet enim posti augmentum secundum (vt Platonis verbis vtar) tertium capere: vocat autem tertium augmentum profunditatem, sicut secundum vocauerat latitudinem, primum verò longitudinem. Et quidem ea omnia, quae à Vitruuio & Platone proponuntur, linearum proportionalium vsu facilè comprehenduntur: superficies enim vnica inuenta media proportionali augentur, componuntur, aut diuiduntur, corpora binis: quoniam superficies duplicata laterum ratione sibi mutuò conferuntur; corpora verò triplicata. Ex ijs verò ea tantummodo, quae huic nostrae disputationi vsui esse iudicaui, ad sequentes propositiones reduxi.

Vitruuius lib. 9. cap. 1. 2. & 3.

Plato. lib. 3 1. de Repub.

PROBLEMA I.
PROPOSITIO I.

CVIVIS datae planae figurae aequale quadratum describere.

IN primis datum sit parallelogrammum rectangulum, inueniaturque [a] inter eius basim & altitudinem vna media proportionalis; nam quod super ea fiet quadratum, aequale [b] erit dato parallelogrammo. Quod si rectangulum non sit, datum parallelogrammum, accipiatur illi aequale rectangulum parallelogrammum, & fiat vt in priore casu. Vel quod idem est; ducatur à quouis angulorum parallelogrammi ad basim perpendicularis, & inter ductam perpendicularem & basim vna inueniatur media proportionalis: eius enim quadratum aequale erit [c] dato parallelogrammo. Si verò circulo alicui inueniendum sit aequale quadratum, fiat ipsi circulo iuxta demonstrata aequale [d] parallelogrammum rectangulum, atque inter eius inaequalia latera inueniatur media, cuius quadratum aequale erit [e] inuento parallelogrammo, ac propterea dato circulo. Quod si alia quaeuis figura proponatur, cui sit inueniendum aequale quadratum, fiat priùs dictae figurae aequale parallelogrammum, & reliqua fiant, vt in superioribus casibus.

a Propos. 5. cap. 3. huius.
b 17. sexti Eucli.
c Ibidem.
d Propos. 4. cap. 4. huius.
e 17. sexti Eucli.

PROBLEMA II.
PROPOSITIO II.

DATAE cuiuis planae figurae similem planam figuram sub quauis data ratione maiorem vel minorem describere.

DATA sit in primis rectilinea figura quaecumque A, cui oporteat similem similiterque positam rectilineam figuram describere, in ea quidem ratione, quam habet recta B, ad rectam C. Sumpto igitur quouis latere figurae propositae, verbi gratia, DE, inueniatur ad rectas B, C, & DE, [a] quarta proportionalis F. Rursum inueniatur [b] inter DE, & F, media proportionalis GH, super quam describatur [c] rectilinea figura K, similis similiterque posita ipsi A. Dico ipsam esse figuram rectilineam quaesitam. Cùm enim tres lineae DE, GH, & F, sint continuè proportionales, erit [d] vt recta DE, ad F, sic rectilinea figura A, ad figuram K; sed vt DE, ad F, ita per constructionem est B, ad C: ergo figura [e] A, ad K, erit vt linea B, ad C, quod est propositum: ideoque si recta B, maior fuerit quàm C, erit & figura A, maior quàm K, & si minor, minor, & si aequalis, aequalis. Quod erat primò demonstrandum. Si verò data plana figura sit circulus, quoniam circuli sese inuicem habent, [f] sicut ex illorum diametris descripta quadrata, iccirco eodem modo circulos datos augebimus aut minuemus, quo ipsa diametrorum quadrata, iuxta demonstrata. Quod si data figura sit circuli sector vel sectio, circulus complebitur, & in data ratione augebitur, eademque erit [g] omnino ratio circulorum, atque eorundem similium partium. Vt autem constituantur sectiones & sectores similes, necesse est vt ad circulorum centra anguli constituantur aequales.



a Propos. 1. cap. 3. huius
b Propos. 5. cap. 3. huius.
c 18. sexti Eucli.
d Corollar. propos. 20. sexti Eucl.
e 11. quinti Eucli.
f 2. duodecimi Eucl.
g 15. quinti Eucli.

PROBLEMA III.
PROPOSITIO III.

DATIS quotlibet planis figuris, aequale quadratum, vel circulum aequalem omnibus simul describere.

SI datae planae figurae non fuerint quadratae, accipiantur [a] latera quadratorum ipsis figuris aequalium vel ipsa latera quadratorum, aut diametri circulorum, verbi gratia, AB, BC, CD, fiatque rectangulum triangulum ABC, & ad AC, quae angulo recto opponitur, erigatur perpendicularis CD, iungaturque DA, ex qua si fiat quadratum, ipsum aequale erit datis tribus quadratis rectarum AB, BC, CD. Nam quadratum ex AD, aequale [b] est quadratis ex CD, & CA; sed quadratum ex CA, aequale est quadratis ex AB, & BC. Ergo quadratum ex AD, aequale erit datis tribus quadratis. Quod erat demonstrandum. Quod si dati fiut tres circuli, quorum diametri sint rectae AB, BC, CD, eadem ratione ostendetur, circulum, cuius diameter sit AD, aequalem, esse circulis, quorum diametri essent AB, BC, CD.



a Prima huius.
b 48. primi Eucli.

PRO-

A

PROBLEMA IIII. PROPOSITIO IIII.

DATIS quotlibet figuris planis, atque vna alia, prioribus maiori, a maiori minores omnes auferre, reliquumque in quadratum vel in circulum conuertere.

a Ex praecedenti.

SIT [a] latus quadrati vel diameter circuli, datis omnibus minoribus figuris aequalis, recta AB, & linea C, sit latus quadrati vel diameter circuli maiori figurae aequalis; & super AB, erigatur indefinita perpendicularis AD, & centro B, interuallo BD, ipsi C, aequali circumducatur arcus D, secans perpendicularem in D. Dico rectam AD, esse latus quadrati vel diametrum circuli aequalis residuo, siue quod idem est, quadratum AB, datis omnibus minoribus figuris aequale, vnà cum quadrato rectae AD, aequale [b] esse quadrato ipsius BD. Quod erat faciendum. Idem omnino in circulis ostendetur, si eorum diametri assumantur, quod in quadratis, assumptis lateribus, ostensum est.



b 47. primi Euclid.

PROBLEMA V. PROPOSITIO V.

DATVM cylindrum in parallelepipedum eiusdem altitudinis conuertere, & datum parallelepipedum in cylindrum.

B

a 2. huius.

DATVS sit cylindrus ABC, in parallelepipedum eiusdem altitudinis conuertendus, fiat [a] basi circulari BC, aequale quadratum ED, erectisque ad angulos rectos planis, fiat parallelepipedum DF, habens eandem altitudinem cum dato cylindro EF, eritque quod ex BC, circulo sit in altitudinem BA, aequale ei, quod fit ex quadrato ED, circulo aequali, in altitudinem EF, quae ipsi AB, est aequalis. Quod si datum sit parallelepipedum FD, cui oporteat cylindrum aequalem in aequali altitudine constituere, fiet [b] primò circulus BC, ipsi basi ED, aequalis. Deinde erigetur cylindrus in eadem altitudine, habebiturque intentum.



b 2. huius.

PROBLEMA VI. PROPOSITIO VI.

DATO parallelepipedo, aequalem cubum construere.

D

PARALLELEPIPEDVM datum sit ABCD, cuius altitudo CD, latitudo BC, longitudo AB, iam oportet ipsi AD, parallelepipedo, aequalem cubum constituere. Ipsius igitur AC, basis, latus tetragonicum inueniatur, [a] hoc est, linea recta, cuius quadratum aequale sit basi AC, quae quidem linea recta sit E, atque per aliquod praemissorum problematum inter [b] rectas E, & CD, binae proportionales mediae inueniantur F, G. Aio quòd cubus ipsius rectae lineae F, aequalis sit dato parallelepipedo AD. Cùm enim parallelepipedum AD, aequale [c] sit parallelepipedo, cuius basis est quadratum ex recta E; & altitudo CD, eadem scilicet cum altitudine CD, parallelepipedi AD, cuius basis ponitur planum ABC, cui constitutum est aequale quadratum rectae F, eidemque parallelepipedo sub quadrata basi rectae E, & sub altitudine CD, [d] sit aequalis cubus ex recta F, cuius videlicet basis est quadratum ex recta F, propterea quòd vt basis cubi ex F, nempe quadratum rectae F, ad quadratum ex E, ita sit [e] recta CD, nempe altitudo parallelepipedi praedicti ad F, altitudinem cubi ex recta F, (quae quidem proportio est reciproca basibus & altitudinibus) erunt quoque inter se aequales cubus ex recta F, & parallelepipedum AD. Dato igitur parallelepipedo, &c. Quod erat faciendum.



a Vlt. propos. lib. 2. Euclid.
b Cap. 3. huius propos. 9. & sequent.
c 31. vndecimi Euel.
d 34. lib. 11. Eucl.
e Corollar. propos. 20. lib. 6. Eucl.

SCHOLIVM.

CYLINDRO etiam facilè dabitur aequalis cubus; nam si iuxta praecedens problema detur illi aequale parallelepipedum, per praesens problema poterit parallelepipedo dari aequalis cubus, qui aequalis quoque erit dato cylindro.

PROBLEMA VII. PROPOSITIO VII.

DATO solido simile solidum in data ratione maius vel minus constituere.

CONSTITVENDVM sit solidum simile dato solido A, ad quod, datum A, se habeat, vt B, ad C. Ipsius igitur solidi A, lateri cuipiam, aequalis assumatur recta linea D, & vt B, ad C, sic fiat D, ad E, atque inter D, E, duae rectae inueniantur [a] mediae proportionales F, G, atque super recta linea ipsi G, aequali, constituatur [b] solidum H, simile & similiter positum solido A, dato. Et quia [c] si quattuor rectae lineae proportionales fuerint, sicut prima ad quartam, sic est, quod ex prima solidum, ad id quod ex secunda, simile similiterque positum. Igitur solidum A, ad solidum H, est vt D, ad E; haec autem posita fuit vt data B, ad C. Dato igitur solido A, sub data ratione constitutum est simile solidum H. Quod erat propositum.

a Cap. 3. huius problem. 9. & sequent.
b 27. vndecimi Eucl.
c 33. vndecimi Eucl. & eius corollar.

C

SCHOLIVM PRIMVM.

QVOD si cylindro oporteret similem cylindrum in data ratione maiorem vel minorem constituere, id etiam facilè posset praestari, si iuxta praecedens problema, ipsi cylindro aequale constituatur solidum, quod iuxta praesens augeatur vel minuatur; eique rursum cylindrus constituatur aequalis; vel certè diametro basis dati cylindri accipiatur aequalis recta, verbi gratia, D, inueniaturque, vt prius, recta G; ea enim erit diameter basis cylindri, quem oportet constituere: qui quidem tunc demum [d] erit priori similis, si ei tribuatur altitudo, ad quam altitudo dati cylindri eandem habeat proportionem, quam diameter basis cylindri dati, ad diametrum G, inuentam.

d Definit. 24. vndecimi Eucl.

D

SCHOLIVM SECVNDVM.

QVOD si Sphaeram in data ratione oporteat augere vel minuere, eadem prorsus ratione procedetur, eo tantùm excepto, quòd pro latere dati solidi, accipiatur diameter Sphaerae.

PROBLEMA VIII. PROPOSITIO VIII.

SVB data altitudine parallelepipedum dato cubo aequale construere.

E

ALTITVDO data sit recta linea A, datusque cubus B, & sub altitudine A, excitandum sit parallelepipedum, dato B, cubo aequale. Esto C, recta linea aequalis vni laterum cubi B, & fiat [a] vt A, ad C, sic C, ad D, atque inter C, D, rectas lineas [b] media proportionalis sit E. Dico itaque parallelepipedum, cuius basis aequalis sit quadrato ipsius E, atque altitudo aequalis ipsi A, aequale esse dato cubo B. Cùm enim per constructionem tres



a Prop. 11. lib. 6. Eucl. vel per 1. prop. cap. 3. huius.
b Prop. 13. lib. 6. Eucl. vel per 5. c. 3. huius.

rectae lineae C,E,D,sint continuè proportionales [c] quadratum ipsius C, ad ipsius E, quadratum,erit vt C, ad D, vel sicut A, ad C, (ex constructione namque est vt A,ad C, sic C, ad D,) hoc est, vt quadratum, seu basis cubi B, ad quadratum ex E, quod volumus esse basim parallelepipedi construendi; ita erit recta A,quae debet esse altitudo eiusdem parallelepipedi ad C, altitudinem cubi B, hoc est, bases cum altitudinibus erunt reciprocae. Quare parallelepipedum [d] habens basim aequalem quadrato E, & altitudinem aequalem datae rectae A, aequale erit dato cubo B, quod oportuit efficere.

c Corollar. propos. 20. lib.6.Eucl.

d Prop.34. lib.11.Euclid.

PROBLEMA IX.
PROPOSITIO IX.

DATO parallelepipedo non cubico, sub data altitudine, aequale dare parallelepipedum.

DATVM parallelepipedum sit A, dataque altitudo recta linea B, & recta linea C, sit aequalis altitudini dati parallelepipedi A, rectaeque lineae D, quadratum, [a] sit aequale basi parallelepipedi A, atque vt B, ad C, sic fiat D, ad E, [b] atque inter D, & E, media proportionalis sit F. Aio parallelepipedum habens altitudinem aequalem ipsi B, datae rectae lineae, basim verò aequalem quadrato rectae lineae F, esse aequale dato parallelepipedo A.



Quia enim ex constructione, vt D, ad F, sic est F, ad E, erit [c] quadratum ipsius D, ad ipsius F, quadratum, sicut D, ad E, [d] vel vt B, ad C. At quadratum ipsius D,per constructionem est aequale basi parallelepipedi A : igitur [e] parallelepipedum habens altitudinem aequalem rectae lineae B ; basim autem ipsius F, quadrato aequalem, aequale existit dato A, parallelepipedo, quia altitudines basibus sunt mutuae. Ergo dato parallelepipedo datum est aequale parallelepipedum, quod oportebat constituere.

a 14. lib.2. Eucli.

b 13.sexti Eucli. vel per 5.tertij huius.

c Corol.20. propos. lib. sexti Eucl.

d Prop.11. lib.5.Eucl.

e Proposit. 34. lib.11. Eucli.

PROBLEMA X.
PROPOSITIO X.

DATO parallelepipedo, ad datum planum rectilineum, aequale excitare parallelepipedum.

PARALLELEPIPEDVM datum sit A, datumque rectilineum B, sitque super B, rectilineum erigendum parallelepipedum aequale dato A. Inueniantur duae [a] rectae C,D, quarum quadrata sint aequalia rectilineo B, & basi parallelepipedi A; & [b] ipsis C,D, proportionalis fiat tertia E, & altitudini parallelepipedi A, aequalis sit F. Et vt C,ad E, sic fiat F, ad G. Aio parallelepipedum habens pro basi rectilineum B, altitudinem autem G, aequale esse dato parallelepipedo A. Quia enim tres rectae lineae C, D, E, sunt ex hypothesi continuè proportionales, erit [c] sicut quadratum ipsius C, ad ipsius D, quadratum, ita C, ad E, seu F, ad G. Est autem per constructionem quadratum ipsius C, aequale rectilineo B, & quadratum ipsius D, aequale basi parallelepipedi A, atque F, recta linea aequalis altitudini parallelepipedi A. Igitur parallelepipedum habens basim B, & altitudinem aequalem ipsi G, aequale est dato parallelepipedo A. [d] Ergo dato parallelepipedo A, ad datum planum rectilineum B, excitatum est aequale parallelepipedum, quod oportuit efficere.



a Prop.vlt. lib.2.Eucl.

b Prop. 11. lib.6.Eucl.

c Corollar. propos. 20. lib.6.Eucl.

d Prop.34. lib.11.Euclid.

PROBLEMA XI.
PROPOSITIO XI.

DATAE sphaerae aequalem cubum constituere.

DIAMETER datae sphaerae sit A, circa quam circulus in data sphaera maximus describatur, eique inueniatur [a] aequale quadratum, cuius latus sit B, accipiaturque linea C, duae tertiae partes ipsius diametri A, atque inter B,C, duae inueniantur [b] mediae continuè proportionales D,E, atque super D, describatur cubus F, quem dico aequalem esse datae sphaerae. Fiat enim parallelepipedum G, cuius quadrata basis aequalis sit quadrato ipsius B, hoc est, areae circuli maximi in proposita sphaera ; habeatque altitudinem ipsi C, aequalem, nempe duabus tertijs partibus diametri eiusdem datae sphaerae ; eritque [c] solidum G, ipsi sphaerae aequale, eidemque probandus est cubus F, aequalis. id quod fiet in hunc modum. Quoniam quattuor lineae B,D,E,C, sunt continuè proportionales, erit [d] quadratum ipsius B, nempe basis solidi G, ad quadratum ipsius D, nempe basim cubi F, sicut B, ad E. Est autem permutando, sicut B, ad E, ita D, altitudo cubi F, ad C, altitudinem solidi G. Habent ergo solida G, & F, bases cum altitudinibus reciprocas ; & iccirco [e] sunt inter se aequalia. Quod erat demonstrandum.

a Prop.3. huius.

b Prop.4. huius.

c Propos.6. cap.4. huius.

d Corollar. propos. 20. sexti Eucl.

e 34.vndecimi Eucl.

PROBLEMA XII.
PROPOSITIO XII.

DATO cubo aequalem sphaeram inuenire.

DATVS dati cubi sit A, & intelligatur sphaera B, cuius diameter sit aequalis lateri A, eique inueniatur [a] aequalis cubus, cuius latus sit C, & fiat sicut C, latus cubi,ad diametrum ipsius sphaerae B, hoc est, ad A, ita ipsum latus A, dati cubi ad D. Dico sphaeram circa diametrum D, descriptam,aequalem esse cubo dato A. Intelligantur enim quattuor lineae proportionales, C, prima ad secundam A, vt diameter B, hoc est, A, tertia,ad D,quartam,iuxta constructionem : eruntque ipsis [b] insistentia similia solida cubica etiam proportionalia. At sphaera ad sphaeram habet eandem rationem, quam cubus super diametrum primae sphaerae ad cubum super diametrum secundae [c] : quoniam demonstratum est [d] ab Euclide, sphaeras inter se esse in triplicata ratione diametrorum, qua etiam ratione se habet [e] cubus ad cubum. Ergo sicut cubus super C, ad cubum super A, descriptum ; ita sphaera B, ad sphaeram, quae super D, describeretur : & permutando [f] vt cubus super C, ad sphaeram B, ita cubus super A, ad sphaeram super D, descriptam. Sed cubus super C, positus est aequalis sphaerae B, ergo & cubus A, erit aequalis sphaerae D. quod erat faciendum.



a Ex praecedenti.

b 37.vndecimi Eucl.

c Lemm.2. cap.1. huius.

d 18. duodecimi Eucli.

e 33.vndecimi Eucl.

f 16.quinti Eucli.

PROBLEMA XIII.
PROPOSITIO XIII.

DATIS quotcumque cubis vel sphaeris, vnum cubum, vel vnam sphaeram illis omnibus aequalem inuenire.

SI dati cubi aequales inter se sint, vel duo vel plures, facilè in vnum cubum coagmentabuntur, si duae quaeuis lineae accipiantur, quarum vna alteram toties contineat, quot sunt cubi assignati, ac mox cubus vnus inueniatur [a] qui habeat ad vnum ex datis eam rationem, quam maior linea habet ad minorem ; cubus enim eiusmodi inuentus aequalis erit omnibus datis. Atque eadem ratione [b] sphaera vnica inuenietur, datis quotlibet sphaeris inter se aequalibus,aequalis. Quod si inaequales sint dati cubi, [c] fiant eis totidem parallelepipeda rectangula aequalia super totidem aequalibus basibus quadratis. Nam si super alia basi quadrata dictis basibus aequali fiat parallelepipedum, cuius altitudo sit composita ex omnibus altitudinibus illorum parallelepipedorum, constructum erit parallelepipedum omnibus illis aequale, eò quòd tantundem fiat ex illa tota altitudine in suam basim, quantum ex singulis eius partibus in eandem basim, vel in alias bases ipsi aequales. Si igitur huic eidem parallelepipedo [d] fiat aequalis cubus, is erit quoque aequalis omnibus cubis datis simul sumptis : si verò inaequales sphaerae datae sint, easque libeat in vnam sphaeram colligere, fiant [e] illis sphaeris aequales cubi, & deinceps procedatur vt in superiori casu praecepimus, habebiturque cubus illis omnibus sphaeris aequalis ; atque adeo [f] si is in sphaeram conuertatur, habebitur sphaera omnibus sphaeris datis aequalis, hoc est, sphaera, quam inuenire fuit propositum.

a Ex septima huius.

b Ex scholio 2. eiusdem prop. 10.huius.

d 6.huius.

e 11.huius.

f 12. huius.

PRO-

PROBLEMA XIIII. PROPOSITIO XIIII.

A MAIORI cubo detracto minori, residuum cubo exprimere, idemque in solidis rectangulis non cubicis obseruare.

IAT in primis vt AC, latus maioris cubi ad DF, latus minoris, ita DF, ad tertiam lineam G, & tertia G, ad quartam H, & ex CA, altitudine maioris cubi auferatur CI, ipsi H, quartae aequalis: ducaturque superficies IK, basibus cubi parallela, auferetque ex cubo AB, solidum CK, dato cubo DE, aequale, quod sic ostendo. Quoniam quattuor lineae AC, DF, G, H, sunt positae continuè proportionales, [a] erit quadratum primae AC, hoc est, basis cubi AB, ad quadratum secundae DF, hoc est, ad basim cubi DE, vt prima AC, ad tertiam G. Est autem ex aequo, vt AC, ad G, ita DF, ad H. Ergo DF, altitudo cubi DE, ad H, altitudinem parallelepipedi CK, habet eandem proportionem, quam basis CB, ad basim EF: [b] sunt ergo inter se aequalia cubus DE, & parallelepipedum CK. Quod erat primò demonstrandum.



Coroll. propos. 20. xti Eucl.

34. vndecimi Eucl.

Quòd si residuum AK, per sextam huius in cubum conuertatur, habebitur intentum. Non aliter procedendum erit in solidis rectangulis. In idem enim recidit praxis praedicta & demonstrata, si loco cuborum AB, DE, sumantur quaecumque rectangula solida: immo si id quod proponitur, perficiendum foret in sphaeris vel cylindris, id fiet eodem paene modo, dummodo sphaerae priùs & cylindri dati, ad solida rectangula reducantur, & postea inuenta solida residua denuò in sphaeras vel cylindros conuertantur.

SCHOLIVM.

QVOD si aliquando plures sint auferendi cubi vel solida rectangula, vel etiam sphaerae & cylindri, ex vno cubo solido, sphaera, vel cylindro, qui omnibus illis proponitur, maior, cùm iam suprà monstratum sit, qua ratione pluribus eiusmodi solidis vnum detur aequale, manifestum est, nihil hic vltrà praecipiendum esse, sed ea potius repetenda & obseruanda, quae de singulis praecepta sunt.

Suprà 3. huius.

PROBLEMA XV. PROPOSITIO XV.

DATA quauis aquae quantitate, cubum inuenire, qui eius sit capax.

HOc problema praecipuum est in hac materia, quam deinceps tractaturi sumus, vtpote quod viam nobis aperit expeditissimam ad quascumque veterum mensuras, exactè tum inueniendas, tum examinandas. Nam vt suis locis apparebit, eius beneficio antiquum Romanorum pedem in medium proferemus, eoque posito, tum alias mensuras Latinas aequè ac Graecas atque Hebraeas, tum vel maximè veram cubiti sacri quantitatem suis partibus omnibus dabimus expressam. Hoc verò loco id efficiemus, vt quoniam ad inueniendum pedem Romanum certa quaedam aquae quantitas cubo includenda est, nihil hic eorum desiderari queat, quae ad accuratam eiusmodi problematis solutionem spectare videantur. Principio igitur hoc statuendum est, tunc aquae quantitatem dari, quando vel ipsa aqua quocumque in vase, licet illud non expleat, datur; vel quando vas sine aqua, vel etiam pondus dumtaxat aquae proponitur. Quamuis enim in posterioribus duobus casibus aqua ipsa non exhibeatur, nihilominus vase dato vel pondere, per impletionem vasis dati, vel librationem aquae iuxta pondus praescriptum, aqua habebitur, quam dare oportebat. Data igitur in hunc modum quauis aqua, fiat primò vas aliquod AB, cuius inane, formam habeat parallelepipedi rectanguli, & basis AC, sit quadrata, angulique, quos cum basi faciunt latera, sint quoad fieri poterit, inter se aequales, seu quod idem est, recti ex eis, quos solidos vocant, ipsumque vas



A saltem tantae sit capacitatis, vt dubium non sit, quin in eo aqua proposita contineri possit: qua in re sensus iudicium sufficiet, & rudis quaedam artificis aestimatio. Deinde vas eiusmodi parallelepipedum super aliqua basi firma sic statuatur, vt basis eius AC, exactissimè sit ad libellam exaequata, nisi fortè etiam orificium vasis ea diligentia fit elaboratum, vt basi AC, penitus aequidistet: tunc enim satis erit (idque fortasis fiet commodiùs) si ipsum orificium ad libellam constituatur. Vtro verò modo situatum sit parallelepipedum, non fuerit fortasis abs re etiam per ipsam aquam experiri, si vas ita sit positum, vt oportet; praesertim quando basis AC, mediocrem quantitatem excedit: tunc enim, si per aliquem canalem vel fistulam subtilem, vel alio quouis modo infusa in medium basis aqua omni ex parte aequaliter diffluit, signum erit debitè esse constitutum parallelepipedum; sin minus, aut defectus aliquis per libellam inuectus est, vel ipsa parallelepipedi basis omni ex parte aequa non est. Vbi etiam illud est aduertendum, vt aqua, quae ad librationem vasis, vasi infunditur, pars sit eius, quae ad cubum reducenda est; vel certè si aqua immissa alia fuit à data, haec per spongiam aliquam priùs exhauriatur, quàm eidem vasi aqua proposita infundatur. Quod verò ad materiam vasis spectat, ea commodiùs alibi explicabitur, vbi mensurae ipsae antiquae fusiùs explicabuntur, quantitatesque singularum definientur. Nunc problema propositum expediamus, & quod superiùs in [a] vniuersum ostensum est, id hoc loco breuiter aquae accommodemus. Itaque vase in hunc modum praeparato, infundatur ei aqua vel data, vel quae ex dato vase aut pondere fuit inuenta, & vbi penitus conquieuit, notetur diligenter eius altitudo AE, eique seorsim accipiatur aequalis recta H; recta verò G, sit aequalis lateri basis AC, & inter G, H, inuentiantur [b] duae mediae I, K; cubus enim, cuius latus est I, secunda quattuor proportionalium, si prima ponatur G, aequalis erit parallelepipedo AF, atque adeo idem cubus ex recta I, sat praecisè capiet aquam AF. Cùm enim quattuor rectae G, I, K, H, sint continuè proportionales, [c] erit quadratum ex rectae G, hoc est, basis AC, parallelepipedi AF, ad quadratum ex I, nempe ad basim cubi rectae I, vt G, ad K. Vt autem G, ad K, ita est permutando recta I, altitudo cubi ex I, ad rectam H; nempe ad AE, altitudinem parallelepipedi AF. Quare cùm bases parallelepipedi AF, & cubi ex I, sint cum eorum altitudinibus I, & H, reciprocae, erit [d] cubus ex I, aequalis parallelepipedo AF, seu aquae propositae AF, atque adeo idem cubus I, erit capax aquae AF, id quod efficere hoc problemate voluimus. Ceterum in sequentibus duobus problematis aliam industriam proferemus, qua beneficio ponderum ex vno aliquo cubo aquae, quamcumque aliam quantitatem aquae cubo sibi adaequato includemus.

a Propositi. 6. huius.

b Cap. 3. huius prop. 9. & seq.

c Corollar. 20. sexti Eucli.

d 34. vndecimi Eucl.

SCHOLIVM PRIMVM.

DIXIMVS in hac demonstratione, cubum ex I, datam aquam capere satis praecisè, propterea quod si rem iuxta trutinam Geometricam expendere velimus, cubus ex I, aequalis quidem sit penitus parallelepipedo AF, vt ex demonstratione patet: ipsi tamen quantitati aquae non omnino aequalis est, sed aliquanto minor. Superficies enim aquae non est reuera plana, qualis est superficies EF, latus parallelepipedi AF, sed est aliquantulum curua, nempe sphaerica, cuius centrum est centrum totius vniuersi, vt probatur ab Archimede in libro de ijs, quae vehuntur in aqua, soletque explicari ab [e] alijs in tractatu de Sphaera. Neque tamen propterea praxis tradita vitiosa putanda est, cùm hic tantam aquae copiam cubo non mensuremus, in qua periculum sit sensibiliter à vero discedendi; sed tantam, vt eius superficies curua pro plana sine errore sumi possit. Ceterum cùm difficile sit quantitatem eiusmodi praescribere, in qua esse possit illa differentia notabilis, & in qua nullo modo aduerti queat, ne omnem hanc difficultatem neglexisse videamur, differentiam illam, notabilis sit nec ne, in hunc fortassis modum non malè collegeris. Notata diligenter, vt praediximus, altitudine aquae AE, vel CF, in lateribus parallelepipedi AB, sume eiusdem superficiei aquae distantiam, ab orificio eiusdem parallelepipedi AB, quam in figura esse vides, rectam BF. Deinde applicanda erit ad angulos orificij oppositos regula quaepiam, & ex loco eiusdem medio inter praedictos angulos demittenda erit beneficio perpendiculi, vel alio quouis artificio, altera regula priori perpendicularis, donec aquae superficiem leuiter attingat; segmentum enim huius demissae regulae, inter priorem regulam, & superficiem aquae contentum, erit distantia curuitatis aquae, à plana superficie, orificij parallelepipedi; haec enim distantia si aequalis deprehendatur ipsi BF, nulla erit differentia notabilis inter aquam & parallelepipedum AF: at si minus inueniatur aequalis, aliquid certè erroris committeretur, si in constructione cubi, loco datae aquae

e A Clauio cap. 1. in Sphaeram

aquae, parallelepipedum AF, acciperetur; eiusmodi verò erroris differentia, subtractione minoris ex maiore, penitus innotesceret. Quod si eiusmodi diligentia alicui molesta fortassis videatur, nimiumque laboriosa, illud saltem obseruasse non videatur laboriosum, vt in constructione parallelepipedi AB, quoad fieri poterit, coarctetur basis AC, & quod latitudini basis detractum est, laterum restituatur sublimitati: Sic enim, quantumuis etiam magna fuerit aquae quantitas, imperceptibilis semper erit error, qui ex curua aquae superficie posset obrepere: immo eò erit minùs perceptibilis eiusmodi error, quò aquae quantitas maior seu sublimior exstiterit. Nam si religiosius cum Geometris loqui velimus, quo in vase AB, aquae superficies à centro mundi fuerit remotior, id quod per aliam atque aliam aquae supersusionem fict; eò superficies aquae ad superficiem planam accedet magis, & consequenter error, qui in minori quantitate fuit exiguus, in maiori erit paene nullus.

SCHOLIVM SECVNDVM.

IN eadem hac propositione illud quoque obiter obseruandum est, non esse absolutè necessarium, vt basis parallelepipedi AB, sit quadrata, cum possit esse quaecumque alia rectangula, vel non rectangula, aut etiam circularis, modò latera reliqua basi illi ad angulos rectos insistant. Nam si eiusmodi vasi iterum aqua data infundatur, & altitudo eiusdem in aliquo laterum obseruetur; per ea, quae ostensa sunt propositione sexta, cubus inuenietur aequalis illi solido, quod aqua impleuit. Cur autem in problemate quadratam potiùs basim vasi construendo praescripserimus, quàm alterius generis, id ideo factum est, quòd posita basi quadrata paxis sit expeditior, vt quiuis facilè iudicaucrit, qui hanc praxim particularem, cum illa vniuersali propositione sexta huius tradita, conferre voluerit.

SCHOLIVM TERTIVM.

SCIBITER etiam hoc loco monendus mihi lector videtur, praeceptum hoc de reducenda quauis aquae quantitate ad cubum sibi aequalem, conuenire quibuscumque alijs non solum liquoribus, sed etiam frugibus, & alijs rebus aridis, quae vasis mensurari consueuere, dummodo id diligenter obseruetur, vt posteaquam fruges, aut res aliae siccae vasi commissae fuerint, earum superficies quoad fieri poterit, complanetur, & basi efficiatur aequidistans: reliqua enim eodem modo se habent, vt de aqua dictum est. Immo eaedem illae res siccae & aridae, earumque mensurae ac vasa, cuiuscumque generis fuerint, beneficio aquae certiùs in cubum permutabuntur: si videlicet mensurae illae aqua impleantur, quae postea in aliquod parallelepipedum in hunc vsum praeparatum, quale est parallelepipedum AB, transfundatur: vel certè si mensurae illae aquam continere nequeant, loco aquae assumatur milium, sinapi, vel aliud genus leguminis, quod granula habeat perexigua: hac enim ratione mensurae cuiuscumque, etiam figurae maximè irregularis, capacitatem, cubo aequè capaci dimetiri licebit. Semper tamen praxim, quae per aquam fit, ceteris praetuleris: ea enim ita se vasi insinuat, vt nullam eius partem vacuam relinquat, id quod leguminibus non conceditur, quae se mutuò tum impediunt, tum vasis sese lateribus accommodare non possunt.

PROBLEMA XVI.
PROPOSITIO XVI.

SEPTEM metallorum, mellis item, aquae atque olei, nec non frumenti, & hordei, cum Palaestini tum etiam Romani, pondera & magnitudines, explorare, ac mutuò conferre.

SVPERIORE problemate ea proposuimus, quae in definiendis mensuris plurimum habent momenti: nunc quoniam idipsum fieri posse adiuertimus per metallorum pondera, si ea nobis planè reddantur cognita, vel certè quoniam ea, quae beneficio aquae nuper inuenta sunt, per pondera tum metallorum, tum mellis, aquae, & olei non malè

A examinantur; visum est hoc problema superiori adiungere, & res praedictas trutinae subijcere, eaque pondera tandem inuenta in medium proferre: quibus semel prolatis, quis non videt, quantum varijs hominum vsibus commodi sit accessurum? Militia certè sine cognitione ponderum metallorum in praecipua sui parte manca sit, est necesse. ea est, quae circa eiaculandos globos versatur, quorum magnitudini nisi debitum pondus respondeat, aut ponderi magnitudo, & vtrisque accommodetur tormenti bellici, vt vocant, metallica fistula, frustra laborat, qui in mittendis globis id se effecturum sperat, quod desiderat. Quàm verò expeditè ex globo vnius librae ferri, aut plumbi, atque ex eius diametro semel inuenta, diameter inueniatur globi duarum, trium, aut quattuor librarum, &c. aut si sortè diameter detur cuiusuis globi, qua industria pondus eiusdem debitè enuncietur, manifestum erit ex sequenti problemate, in quo dictas diametros ex pondere cuiusuis metalli, quod hic eruere conabimur, seorsim depingemus, & qua arte inuentae sint, aperiemus. Sed ne quispiam minùs ad rem nostram hanc facere arbitretur, is intelligat, me diu multumque in solutione huius problematis elaborasse, eam potissimùm ob causam, quòd viderem vix aliter explicari posse locum illum Ezechielis, quo praecipitur, librationem mensurarum aequam esse debere iuxta cuiusque mensuram. Vnde id mihi omnino faciendum esse existimaui, vt primùm diligenter singulorum metallorum pondera, vnà cum mellis, aquae, & olei ponderibus exquirerem, eaque demum inter se conferrem, & hinc denique, quam conuenientiam inter se habeant mensurae ac pondera, dijudicarem; quorum hoc postremum suo loco exsequemur, reliqua duo, hoc & sequenti problemate expedienus.

B

Huius verò problematis solutio, quasi conuersa videtur esse praecedentis: ibi enim datam aquae quantitatem, vel eiusdem pondere dato, ad cubicam formam, quantum ponderet, quamque, ad similis formae aliam quantitatem, proportionem habeat, demonstrare instituimus. Vt ergo à metallis exordiremur, maxima quadam diligentia cubos ex singulis sex solidis metallis fieri curauimus, nimirum ex auro, argento, plumbo, cupro, ferro, stanno, omnesque aequales habuimus & inter se, & singulas eorundem bases aequales cuidam quadrato. Fieri namque curauimus aeream laminam non valde subtilem, quae in sui medio habuit quadratum foramen, aequis lateribus & angulis; in quod quadratum foramen inducebantur singulae singulorum cuborum superficies, atque ad eiusmodi normam paulatim angulorum rectitudo & laterum paritas simul exigebatur. Atque huiusmodi quidem cubos adhibuimus ad pondera omnia, quae subijciemus examinanda.

C

* redegimus: hic cera datam vel assumptam quamlibet aquae vel alterius rei formam.

At quoniam liquida quoque simul conferre animus erat, quae non alia ratione possunt efformari, quàm si inani vase includantur, eam formam habente, quam liquidis inducere volumus, ideo & vas quoddam ex laminis aereis affabre elaboratis, inane, cubicum, fingi praecepimus, cuius latus prioris esset duplum, quadrata [a] basis, quadrupla, cubus octuplus. [b] Hunc verò cubum, quoniam eius saepe mentio facienda est, distinctionis gratia libuit Paratumcubum appellare: cuius quidem latus instrumento infrà apponendo expressum habetur.

[a] *Schol. 4 secundi Eucl.*
[b] *33. vndecimi Eucl. Infrà in fine huius cap.*

Neque verò temerè, aut sine rationabili causa aliam solidis, aliam verò liquidis rebus adhibuimus cubi magnitudinem: nam quia assidua experientia experti fueramus, non oportere esse magna pondera, in quibus minimae differentiarum partes sunt percipiendae; debuerunt metalla, quae grauiora sunt, minori forma confiari: at contrà, oleum, aqua, & mel, maiori debuerunt fieri, quò faciliùs eorundem liquorum effectus percipi possent. Ea verò, vt deinceps laboriosam, erroribusque obnoxiam proportionum supputationem vitaremus, duplicata laterum ratione auximus, in qua, vt vidimus, laterum, superficierum, ac corporum nota est proportio, eaque logisticis supputationibus aptissima. Et quamuis hac in re operae tantum posuerimus, plurimum videlicet etiam annorum inuestigationem; ac diffideremus plerumque tam immensi laboris onera posse sustinere, nisi accessisset studium ac opera sollertissimi Mathematici Patris Christophori Grienberger, publici in hoc nostro Romano Gymnasio Professoris: tamen quoniam non quantum laboris & sollicitudinis in his nostris lucubrationibus posuerimus ostentare cupimus, sed quàm maximè, quamque breuissimè prodesse peroptamus, ideo alias atque alias tabulas, varias operationes, longiores alias, alias difficiliores vias, quas ingressi sumus, silentio praetermittentes, rem totam quasi in compendium quoddam breuissimè atque dilucidè redigentes, proponemus: atque adeo metalla etiam ipsa solida, quae sub minori forma examinata à nobis sunt, ad similem, atque rerum liquidarum formae aequalem, redegimus; id quod multiplicatis per octonarium numerum inuentis numeris factum est: atque adeo si eosdem, quos nos proponimus numeros, per eundem octonarium quis diuidat, eos ipsos numeros habebit, quos nos adinuenimus; ac si forsan ipse eadem experiri velit, an eandem vel diuersam, quam nos rationem consequatur, dijudicare poterit.

D

E

His igitur quasi praeiactis fundamentis, quod ad vnciam spectat, haberi curauimus exactissimam, eamque primùm à sollerti aurifice in Hispania, iuxta eius regionis pondera, exigi mandauimus, Romamque deinde aduectam, hic ab aurificibus, alijsque artificibus cum suis ponderibus conferri fecimus, & ab omnibus aequa esse probata est haec vncia, communi vnciae, Romanaeque nostrae aetatis. Hanc igitur vnciam minimae bilancis iudicio,

cio, qua aurei nummi expendunrur, in sequentes diuisiones partiti sumus; & ferè omnia pondera bilancis eiusdem examini subiecimus. Et vt minima quaeuis ponderis differentia dijudicari ac notari facilè posset, vnciae pondus tamdiu in duas aequas partes subdiuisimus, quamdiu ad minimas quodammodo partes ventum esset, quaeque vix in minima ac iusta bilance ponderarent. Deuenimus enim octaua subdiuisione ad vnciae partes ducentesimas quinquagesimas sextas. Atque huiusmodi pondera adhibuimus metallis atque alijs rebus examinandis: verùm non vno simplici examine contenti fuimus, sed multiplici, & ex duobus ac pluribus compositò. Priùs enim singula metalla ponderauimus, & singulorum pondera seorsum notauimus, deinde biua, postmodum terna, ac tandem alia cum alijs in bilance perpendimus, & singulorum examinum pondera ordine notata, logistica supputatione composuimus, subtraximus ab inuicem, alia atque alia ratione contulimus, ac numeros tandem, omnibus bene perpensis, quos tibi paulò inferiùs proponemus, collegimus. Neque tamen adhuc his nostris accuratis examinationibus fidendum omnino esse rati sumus, dubitantes nimirum, ne his nostris breuioribus ponderibus aliqua vel minima subrepere posset erroris particula, quae in minimis licet percipi nulla ratione posset; ea tamen saepius in maioribus ponderibus repetita errorem pareret opinione maiorem: ideo & huic etiam incommodo, quatenus datum fuit, obuiare conati sumus: nam & scriptores plures perlegimus, de rerum ponderibus pertractantes, & in densissima opinionum silua viam offendimus haud difficilem, quae, quid gratissimi atque antiquissimi scriptores constanter de hac re sensissent, nobis demonstraret; eam postea suis locis patefaciemus. interim tamen hoc in praesenti praetermittendum non est, quod iuxta praedictorum scriptorum probatissimas sententias, iterum metallorum, atque aliarum rerum pondera examinauimus, collata nimirum eius, quam illi tradunt, mensurae proportione, ad nostri cubi rationem, & ponderis ad pondus: id quod haud difficile fuit iuxta inferiùs afferenda. Atque in aqua primùm, quae reliquarum ferè omnium rerum naturalium haberi potest quasi prima mensura, vtpote in qua minima reperiantur momentorum discrimina, minimum, vel potiùs nec latum quidem vnguem à recto deuiasse comperimus, ita vt huius confirmationis argumento in spem erigamur non modicam, fore, vt aliquando rectam directionis viam tenuisse credamur, qui ita parum à veritatis scopo, tam à longè viso aberrauimus. In metallis verò, in quibus examinandis nullum adinuenire potuimus impeditissimae viae, quem sequeremur, ducem, ita ratione ac discursu nos comparauimus, vt quàm minimùm ab inuento ponderum numero discederemus, & tamen certum aliquod librarum pondus alicui mensurae tribueremus. Illud verò quod vel addidimus, vel subtraximus, facilè ex quatuis metalli vel alterationc vel permixtione addi vel minui posset. Ab hac tamen mutati ponderis licentia aurùm excipimus, in quo exactissimè, quod semel ac semper prodijt, retinuimus, quò certo certius inferiùs probare possemus, cubum auri ad quantitatem palmi Hebraeorum efformatum, iustum Hebraeorum talentum semper pendisse. In argento viuo, quod intra liquorum, quod praediximus, vas appendimus, experti etiam fuimus, num Vitruuiano illi testimonio pondere respondere; affirmat enim quattuor argenti viui sextarios centum libras pendere, atque inuenimus respondere. Verùm in hoc etiam nonnihil est annotandum: nam si exactè nimis argentum viuum intra vasis orificium includere conaremur, ita vt nihil ex eo emineret, deessent fortè ad exactum Vitruuij pondus aliquot ex illis particulis: at verò si tantisper in orbem duci permitteretur, exactam quidem Vitruuij rationem exhibebat. Cuius rei duplicem licuit suspicari coniecturam: altera est, Vitruuium purioris argenti viui pondus examinasse: altera verò, ipsum quoque Vitruuium ita vasa repleuisse, sicut & nos; atque huic magis adhaeresimus; tum quia argentum viuum multiplex examinauimus, ac tandem sublimatum expendimus, quò puriùs adhiberetur; & tamen valde parum aut ferè nihil in pondere argenti viui discriminis adinuenimus: tum vel maxime, quoniam vix aut nulla ratione vas magnum, qualè fuit sextariorum quattuor, plenum haberetur, quin in vasis medio in cumulum cresceret argentum viuum. Neque verò nos ipsi eiusmodi cumuli differentiam comperissemus, nisi exactè nimis illam vitare cupientes, vas illud inane cubicum, quod ex lamibis aereis compegeramus, vndequaque concluissemus, quattuor tantummodo dimissis in superiori parte minoribus foraminibus, per quae liquor immitteretur, & inclusus aer excluderetur. atque ea ratione plenum argento viuo vas illud appendimus priùs, sicut, aquam appenderamus, & aliquanto minus adinuenimus argenti viui pondus, eo quod praescribitur à Vitruuio: sublata verò lamina illa superiore, plenoque vase, exactissimè pondus respondit. Quae omnia sigillatim, infinitis propemodum alijs praetermissis, notare decreui, ne à quoquam falsitatis vmquam arguamur, si quae tanta sollicitudine quaesita, & tanta difficultate inuenta a nobis sunt, leuiori cuidam examini comperirit forsan non respondere. Aut ne (quod est hominum ingenium) facillimè ac leuiter inuenta quis putet, quae breuissimè, facilique methodo liberaliter simul proponuntur.

Duplicis item metalli ratio exhibenda fuit, eius inquam, quod orichalcum dicitur, atque permixti aeris cuius confi-

ciendis campanis ac tormentarijs fistulis frequens est vsus. Atque vtriusque cubos reliquis pares fecimus, & diligenter expendimus, neque in vllo propemodum à cupro differre comperimus. Ex quo etiam coniecimus, orichalcum colore tantummodo immutato, in nullo à cupri substantia differre. Et quamuis aeris colorem Cadmia in aureum mutari scribat Agricola; tamen longè aliter sensisse videtur Plinius, ex quo ea se sumpsisse profitetur. is enim sic scribit: Fit(aes) & è lapide aeroso, quem vocant Cadmiam. Haec ille. Verùm quidquid de coloris immutatione sit, id nos, quod experientia edocti fuimus, libere profitebimur; Cupro stannum admixtum, colorem in aureum mutat, duritiem fermè in saxeam, pondus ferè nihil. Illud etiam obseruauimus, orichalcum ex antiquis numismatis in cubum alijs similem conflatum, pondere reliquis aequale fuisse, colore magis rufum. Quapropter & haec omnia composita metalla ad simplicis naturam reuocanda duxi. reliqua verò, quae ad metalla examinanda spectant, breui deinceps persequar. De frumento tamen & hordeo dicendum priùs aliquid videbatur, quò perfecta disciplinae huius ratio haberetur: at quoniam in tam paruo vase, quale erat Paratuscubus, vix, aut ne vix quidem apcari posse grana videbantur, quae iustam aliquam ponderis rationem exhiberent, ideo numeros hos omnes ex proportione illorum rimati sumus, quos vel probatissimi scriptores, memoriae prodiderunt, vel in magnis vasis, ponderibus experti sumus. Et quoniam longè diuersa ratio habenda est ponderis frumenti, aut hordei Palaestinae regionis, atque Romanae, ideo vtriusque seorsum ponderis rationem exhibendam duxi.

Agric. lib. 8 de nat. fossil.

Plin. lib. 34. Cap. 1.

Praemittenda igitur fuit sequentibus disputationibus, ipsius vnciae, eiusque partium ratio vniuersa. Quapropter vnciae partes, ad quas reuocanda sunt omnia pondera, ita simul in sequentem tabulam redegimus, vt in prima numerorum serie transuersa, facilè quis videat, quot ex eiusmodi partibus contineat vncia; in secunda quot partes contineat semuncia, in tertia quot vnciae quarta, & sic de reliquis. Prima verò numerorum columna eas indicat vnciae partes, quibus nos in ponderibus vtebamur; neque enim alias adhibuimus: non tamen propterea miretur quisquam, si aliquibus ex metallorum numeris quinctas harum partium partes viderit appositas: ex illa namque, quam paulò superiùs dixi, ponderum cum scriptorum sententijs collatione aliquot quinctae harum minimarum partium partes prodiere, quas nullo pondere, nulla lance deprehendere potuissemus. Quoniam verò eiusmodi quinctae partes si praetermitterentur, errorem in numeris inducerent, qui suspensum saltem eorum indagatorem tenerent, monendum horum duximus lectorem. de alijs etiam secundae columnae numeris certiorem eundem facere oportuit, nos praedictos primae columnae numeros decuplasse, vt omnes, quos vocant, fractos numeros vitaremus: reliquas praeterea subiecimus vnciae partes, quòd hae sint ab omnibus scriptoribus receptissimae, & nos de eis infra fusius suo loco tractaturi simus.

PARTES, QVAS CONTINET tum vncia, tum eius segmenta.

	Partes 256.	Partes decimas	Duellas	Scilicos	Sextulas	Drachmas	Scrupula	Obolos	Siliquas	Lentes
1	256	2560	3	4	6	8	24	48	144	192
1/2	128	1280	1 1/2	2	3	4	12	24	72	96
1/4	64	640	3/4	1	1 1/2	2	6	12	36	48
1/8	32	320	3/8	1/2	3/4	1	3	6	18	24
1/16	16	160	3/16	1/4	3/8	1/2	1 1/2	3	9	12
1/32	8	80	3/32	1/8	3/16	1/4	3/4	1 1/2	4 1/2	6
1/64	4	40	3/64	1/16	3/32	1/8	3/8	1	3/4	2 1/4	3
1/128	2	20	3/128	1/32	3/64	1/16	3/16	3/8	1 1/8	1 1/2
1/256	1	10	1/256	1/64	1/128	1/32	3/32	3/16	9/16	3/4

Assignatis nunc igitur vnciae, eiusque segmentorum partibus, nihil iam superest, nisi vt omnia simul metallorum atque aliarum rerum, quas expendimus, pondera in vnam summam redacta proponamus: illis enim diuisionibus, ac plurium partium collectionibus, quibus singula pondera expendimus, superfedendum duximus: atque alijs quamplurimis operationibus, quibus huiusmodi summam collegimus. Sequenti namque tabula omnibus ingeniosis viris satisfeciisse putaui, in qua vnico aspectu intuebitur lector, quot ex suprà enumeratis vnciae partibus penderit Paratuscubus auri, quotve cubus argenti, & sic de reliquis.

itr. lib. 7. ap. 8.

PARA-

PENDIT

PARATVS CVBVS AD EXAMINANDA PONDERA,

cuius latus est in instrumento recta Δ Θ,

	Partes 250.	Libras.	Vncias.	Duellas.	Sicilicos.	Sextulas.	Drachmas.	Scripula.	Obolos.	Siliquas.	Lentes.
Auro.	2775	1 925/1024	10 215/256	32 113/256	43 41/64	65 1/16	86 17/32	260 1/8	520 1/4	1560 3/4	2081
Argento viuo.	2220	1 555/768	8 43/64	26 1/64	34 1/32	52 1/32	69 9/16	208 1/8	416 1/4	1248 1/4	1665
Plumbo.	1724 1/5	1 8621/15360	6 941/1280	18 263/1280	26 101/320	36 267/640	53 141/160	161 103/100	323 51/100	969 153/100	1293 1/20
Argento.	1539 1/5	1 441/640	6 1/10	18 3/10	24 1/2	36 3/40	49	147	294	882	1176
Cupro.	1346 4/5	1 1067/2560	5 167/640	15 501/640	21 7/160	31 181/320	42 7/80	126 21/80	252 21/40	757 21/40	1010 1/10
Ferro.	1196 4/5	1 167/480	4 47/80	14 1/40	18 7/10	28 1/20	37 1/4	112 1/5	224 2/5	673 1/5	897 3/5
Stanno.	1110	1 555/1536	4 41/128	13 1/128	17 11/32	26 1/64	34 11/16	104 1/16	208 1/8	624 3/8	832 1/2
Melle.	222	1 111/1110	1 111/128	2 77/128	3 15/32	5 1/64	6 15/16	20 1/16	41 5/8	124 7/8	166 1/2
Frumen. Palaest.	154 1/6	1 625/13872	925/1248	1 417/1248	2 157/416	3 117/832	4 157/192	14 27/192	28 9/32	86 11/192	115 5/8
Aqua vel vino.	148	1 37/768	74/128	1 43/64	2 5/16	3 15/64	4 5/8	13 3/4	27 3/4	84	111
Oleo.	133 1/4	1 111/2080	333/640	1 319/640	2 13/160	3 19/320	4 1/10	12 9/10	24 1/20	74 13/40	99 9/10
Frumento Rom.	111	1 111/1772	111/256	1 77/256	1 49/64	2 77/128	3 15/32	10 1/12	20 1/8	62 7/16	86 1/4
Hordeo Palaest.	102 7/9	1 925/27648	1/9	1/4	4/9	1/4	8/9	2 1/8	5 1/8	16	19 1/4
Hordeo Romano.	88 4/5	1 111/1440	1 111/320	1 13/320	1 21/80	2 11/160	2 11/40	8 11/40	16 11/20	49 17/20	66 6/10

EX

Huius verò tabulae vsus sic est obseruandus. Primùm legatur titulus: Pendit paratus cubus ad examinanda pondera, cuius latus est in instrumento recta Δ Θ, vnciae partes ducentesimas quinquagesimas sextas, bis mille septingentas septuaginta quinque; libras nullam integram, sed partes tantummodo librae, quas sic licet nominare: nongentas viginti quinque millesimas vigesimas quartas: vncias decem, & insuper ducentas quindecim ducentesimas quinquagesimas sextas vnius partis; similiterque de alijs locis omnibus ac numeris iudicabis. At si non totam tabulam perlegere velles, sed tantummodo, exempli gratia, cognoscere, quot drachmas praedictus ex cupro cubus pendisset, in regula illa vel numerorum serie, cui ad sinistram vox ex cupro, J adscripta est, quaeres numerum in columna drachmarum descriptum, & inuenies praedictum cubum pendisse drachmas quadraginta duas vnà cum septem octuagesimis drachmae partibus. Plures alij possent adhiberi huius tabulae vsus, quos breuitatis studiosi, lectoris industriae relinquimus. Vnum tamen modo praeterire non debuimus, tum quòd is sit scitu iucundissimus, tum vel maximè, quod nostris his peruestigationibus sit necessarius. Est autem eiusmodi. Cùm primùm quis metalla omnia, & res alias quascumque examinandas intelligit, mox illud vnum ei occurret, & cognoscere cupiet, quanam proportione argentum, verbi gratia, ab auro superetur, aut à plumbo, aut ab ipso argento ferrum vincatur, aut cuprum. Et hoc quidem duplici ratione posset inquiri. Prima: assumpta aequali vtriusque metalli magnitudine, quanto haec ab illa praeponderet: secunda, assignato aequali vtriusque pondere, qua magnitudine hoc ab illo superetur. Quae quamuis longè diuersa à se inuicem videantur, vt reuera sunt tamen quod ad problematis solutionem spectat, pari ratione respondendum est. Nam si nos statuamus, aequali assumpta argenti viui, & stanni quantitate, duplo plus ponderare argentum viuum, necessaria illatione mox colliges, duplam stanni quantitatem pondere aequalem esse subduplae argenti viui: eadem est enim vtrobique magnitudinis argenti viui ad stanni magnitudinem proportio, quae ponderis stanni ad pondus subduplae quantitatis argenti viui. Vt ergo ad rem propiùs accedamus, cùm seorsum singularum rerum pondera, quae aequali cubi quantitate commensurata sunt, explicentur; ijdem ponderum numeri, eorum corporum proportionem, quam dixi, indicabunt. Eius rei aptissimum exemplum esse poterit, quod paulò superiùs assumpsi de argento viuo & stanno; in prima enim numerorum columna è regione argenti viui hic numerus scriptus est 2220. è regione verò stanni hic alter 1110. quocirca si illum, vtpote maiorem, per minorem hunc diuiseris, in quotiente (quod aiunt) inuenies 2. propterea que affirmabis, argentum viuum stanni esse duplum. Atque simili prorsus ratione aliarum quarumcumque rerum, quas binas contuleris, rationem facilè adinuenies. Verùm quoniam eiusmodi diuisio & difficilis est, & quae propter numeros, quos fractos vocant, non cuiuis est pertia; ideo vt hac quoque molestia & labore lectorem liberarem, tabulam sequentem apposui, in qua statim apparere poterit, quam habeant inter se proportionem praedicta corpora: hoc est, quoties maius ex illis quodlibet ex minoribus contineat. Cuius vsus intelliges, si legas, hoc ordine. Proportio quam habet cubus aut quaeuis alia quantitas, auri, argenti viui, plumbi, argenti &c. ad aequalem cubum vel quantitatem ex hordeo Romano, hordeo Palaestinae, frumento Romano, oleo, aqua, vel vino, melle, stanno &c. Si igitur quaeras, quam proportionem habeat cubus argenti ad cubum olei, argentum quaeres in superiore linea, & oleum in dextra columna tabulae, atque vbi lineae vtrimque procedentes sibi mutuò occurrunt, inuenies numerum vndecim cum quinque nonis partibus; ex quo intelliges, cubum, verbi gratia, vnius palmi argenti, pondere aequalem esse vndecim paribus cubis olei vnà cum quinque nonis partibus vnius cubi olei. atque idem in reliquis omnibus obseruabis.

PROPORTIO QVAM HABET CVBVS, AVT quaeuis alia quantitas.

Ad aequalem cubum vel quantitatem EX

	Auri	Argenti viui	Plumbi	Argenti	Cupri	Ferri	Stanni	Mellis	Frum. Palaest.	Aquae vel vini	Olei	Frum. Romani	Hordei Palaest.	Hordei Romani
Hordeo Romano	31 1/4	25	19 24/80	17 1/4	15 1/16	13 11/32	12 1/2	2 1/2	1 13/72	1 2/5	1 1/20	1 1/4	1 1/8	1
Hordeo Palaest.	27	21 3/5	16 97/125	14 123/125	13 121/125	11 2984/4625	10 4/5	2 4/25	1 1/1	1 11/25	1 17/25	1 4/25	1	
Frumento Rom.	25	20	15 9/15	13 17/25	12 74/125	10 1357/2312	10	2	1 7/13	1 3/5	1 1/5	1		
Oleo	20 5/6	16 2/3	12 17/24	11 5/9	10 3/5	8 1221/2312	8 1/3	1 2/3	1 7/104	1 9/10	1			
Aqua vel vino	18 2/3	15	11 123/160	10 1/5	9 1/10	8 1161/2312	7 1/2	1 1/2	1 1/24	1				
Frumen. Palaest.	18	14 2/5	11 37/125	9 1221/2312	8 92/125	7 4129/4624	7 1/5	1 1/25	1					
Melle	12 1/2	10	7 33/40	6 14/15	6 1/15	5 2317/2312	5	1						
Stanno	2 1/2	2	1 1071/1250	1 29/75	1 16/75	1 2317/2775	1							
Ferro	1 1707/5984	1 1279/1496	1 5984/8321	1 1107/1924	1 375/962	1								
Cupro	1 59/231	1 59/231	1 231/320	1 7/8	1									
Argento	1 167/208	1 23/29	1 231/320	1										
Plumbo	1 162/231	1 231/231	1											
Argento viuo	1 1/4	1												
Auro.	1													

NVMERI QVORVM SINGVLI MAIORES IN omnes sui minores diuisi, dant praedictas proportiones: suntque aequales omnino numeris ponderis praedictarum rerum in superiore tabula propositis.

Auri	Argen. viui	Plumbi	Argen.	Cupri	Ferri	Stanni	Mellis	Frum. Palaest.	Aquae vel vini	Olei	Frum. Rom.	Hordei Palaest.	Hordei Romani
2775	2220	1724 1/5	1539 1/5	1346 4/5	1196 4/5	1110	222	154 1/6	148	133 1/4	111	102 7/9	88 4/5

Atque his tandem proposito problemati satisfeciſſe videbimur, cùm duo illa, quae inueſtiganda proponebantur, ad pondera, & magnitudines metallorum mellis, vini olei, frumenti, hordei Palaeſtini, ac Romani inueſtiganda, & mutuò conferenda ſpectantia, ſatis explicata ſint. Quod verò reliquum eſt, de metallorum atque aliarum rerum pondere ac magnitudine, menſurarum inueſtigationi conducens, reliquis problematis quàm breuiſſime explicabimus. Verùm quò ea facilius percipi poſſint, aliquot ſcholia praemittere decreui, quae quaſi problematum lemmata aut aſſumptiones ſint.

SCHOLIVM PRIMVM.

PROſequentium problematum ſolutione illud in primis aſſumimus, quod manifeſtum quidem eſt, nullaque videtur probatione indigere alia, quàm ea, qua ſolent prima probari principia, quae axiomata vocantur, ſiue communes animi conſenſiones: ea enim cùm primùm explicata fuerint, quaſi inditum veritati lumen oſtendunt; illiſique mox animus errore aut deceptione non impeditus, quaſi naturali motus propenſione aſſentitur. Huiuſmodi eſt, quod initio proponimus, eandem nimirum eſſe proportionem partium ponderis alicuius cubi, ad totum pondus, quae eſt totidem magnitudinis eiuſdem cubi partium ad totam cubi magnitudinem. Nam ſi demus cubum, verbi gratia, auri vnam vnciam pendentis, vnciamque diuidere velimus in partes ducenteſimas quinquageſimas ſextas, magnitudinemque dati cubi aurei diuiſam intelligamus, in totidem cubicas magnitudinis partes, facilè iudicabitur eandem omnino rationem eſſe ponderis vnius vnciae auri ad partes ponderis ducentas quinquaginta ſex, quae quantitatis cubi aurei ad partes cubicas eiuſdem ducentas quinquaginta ſex. Quis enim non facilè componat, & ad idem reuocet pondus & magnitudinem, cùm ſingulos ex illis magnitudinis cubos, in quos totum cubum diuiſimus, vnam ducenteſimam quinquageſimam, ſextam vnciae partem ponderare cognoſcat? Maneat ergo firmum ac ſtabile, eandem eſſe rationem ponderis, ad partes ponderis, quae cubicae magnitudinis ad totidem cubicas magnitudinis partes.

SCHOLIVM SECVNDVM.

NOTANDA maximè ſunt ea, quae praecedenti ſcholio proponimus: plures enim vſus maximique ponderis huic poſſunt afferre diſputationi. Namque facilè quis poſſet ponderis, atque Arithmetices beneficio ea omnia exſequi, quae ad ſequentia ſpectant problemata, nimirum cubum inuenire, habentem pondus in dati ponderis quaeſita ratione, ſiue etiam magnitudinem: latus enim vnius vnciae, duarum, aut plurium, nec non vnius librae, duarum, trium aut quarumcumque; vnius item talenti, aut plurium ex auro, argento, ferro, aut alio quouis metallo, aqua item, melle, oleo, aut quauis re liquida aut ſolida, cuius pondus ſit notum, facillimum erit inuenire. Nam ſi uncia vel libra, vnciae vel librae, diuidantur in quaſcumque partes, eiuſque partium numeri, ac ſi cubus eſſet, aſſumatur radix; deinde datum pondus in ſimiles partes diuidatur, ac eius extrahatur radix: ex huius radicis proportione ad priorem radicem, ea omnia poterunt praeſtari, quae eiuiis praeſtanda proponerentur. Sed quoniam res eſt laboris plena, quaeque totum exigit hominem, ni velit in perſcrutandis numeris ſaepius aberrare; ideo operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi laborum noſtrorum fructus, ſi qui ſunt etiam in hac parte, proponerem: duas propterea ſequentes apposui tabulas, quae & leuamini eſſe poſſint, & exemplo. In earum prima numeri continentur illi, quos in ſuperioris problematis tabula deſcripſimus, eſſeque diximus partium vnciae, quas Paratuscubus tum ex auro, tum ex alijs metallis ac rebus liquidis, pariterque ſolidis ponderaret. Hoſque ſimiliter numeros tamquam cubicos accepimus, atque eorum radices ſingulis appoſuimus. Nec non eoſdem numeros tamquam ſoliditatis ſphaerarum numeros accepimus, & iuxta praeſcriptam deſuper formam earum ſphaerarum cubos, earum radices ac ſphaerarum diametros adinuenimus, atque appoſuimus. Quoniam verò Archimedes circuli quadraturam eò tantummodo perduxit, vt demonſtraret proportionem diametri ad circumferentiam, minorem eſſe ea, quam habet numerus 7. ad numerum 22. maiorem verò ea quam habet numerus 71. ad numerum 223. ideo eius veſtigijs inſiſtentes iuniores Mathematici, numeros alios excogitarunt, habentes proportionem mediam inter illas duas, atque adeo magis proximam verae; quoniam nondum quiſquam veram adinuenit diametri ad circumferentiam rationem. Ideo non ſolùm iuxta Archimedis proportionem (quam in problematis praecedentis capitis in exemplum adduximus) ſphaeras cubis vnius aut plurium vnciarum aequales, earumque diametros adinuenimus; verùm etiam iuxta numeros Buteonis atque Vietei, qui eos hactenus magis exactos tradiderunt. But. in lib. de quadr. circuli. Viet. in lib. canonis triangulorum.

In ſecunda verò tabula cubi vnius vnciae, duarum, & ſic vſque ad duodecim continentur, ac deinceps duarum, trium, ac reliquarum ordine librarum vſque ad centum viginti quinque, quae Hebraeorum complent talentum, vt ſuis locis oſtendemus. Praedictiſque numeris acceptis, ac ſi cubici eſſent (non enim ſunt reuera) eorum radices cubicae è regione ſingulis reſpondent, nec non ſphaerarum diametri. Harum verò tabularum vſus deinceps explicabimus.

NVMERI PARTIVM VNCIAE, QVAS pependit Paratuscubus ex ſingulis infraſcriptis rebus plenus, vnà cum ipſius vnciae, librae, ac talenti ſimilibus partibus.

Quibus adiectae ſunt eorundem numerorum cubicae radices, necnon cubi diametrorum cum diametris ſphaerarum, quae eiſdem cubis aequales eſſent.

Quae omnia cùm iuxta Archimedis, tùm iuxta exactiorem aliorum proportionem computata ſunt.

	Cubi vel ſphaerae in partib. 256.	Radices eorum	Cubi diametrorum in proportione Archimedis.	Diametri ſphaerarū in eiſdem cubis aequales	Cubi diametrorum in exactiorib. numeris	Diametri ſphaerarū in eiſdem numeris
Aurum	2775	$14\frac{5}{100}$.	$5297\frac{8}{11}$	$17\frac{3}{10}$	5300	$17\frac{31}{100}$.
Argent. viuum	2220	$13\frac{1}{10}$.	$4238\frac{2}{11}$	$16\frac{1}{10}$.	4240	$16\frac{1}{100}$.
Plumbum	$1723\frac{1}{2}$	$12\frac{1}{100}$.	$3291\frac{2}{11}$	$14\frac{8}{10}$.	3293	$14\frac{12}{100}$.
Argentum	$1539\frac{1}{2}$	$11\frac{15}{100}$.	$2938\frac{6}{11}$	$14\frac{1}{10}$.	2940	$14\frac{12}{100}$.
Cuprum	$1346\frac{1}{2}$	$11\frac{2}{100}$.	$2634\frac{7}{11}$	$13\frac{8}{10}$.	2572	$13\frac{70}{100}$.
Ferrum	$1196\frac{1}{2}$	$10\frac{94}{100}$.	$2284\frac{4}{11}$	$13\frac{5}{10}$.	2286	$13\frac{17}{100}$.
Stannum	1110	$10\frac{5}{100}$.	$2119\frac{1}{11}$	$12\frac{4}{10}$.	2120	$12\frac{35}{100}$.
Mel	222	$6\frac{8}{100}$.	$423\frac{9}{10}$	$7\frac{1}{100}$.	424	$7\frac{11}{100}$.
Frum. Palaeſt.	$154\frac{1}{2}$	$5\frac{46}{100}$.	$294\frac{7}{22}$	$6\frac{65}{100}$.	294	$6\frac{67}{100}$.
Aqua vel vinū	148	$5\frac{29}{100}$.	$282\frac{6}{11}$	$6\frac{16}{100}$.	283	$6\frac{57}{100}$.
Oleum	$133\frac{1}{2}$	$5\frac{11}{100}$.	$254\frac{10}{11}$	$6\frac{14}{100}$.	254	$6\frac{11}{100}$.
Frum. Rom.	111	$4\frac{80}{100}$.	221	$6\frac{1}{100}$.	212	$5\frac{96}{100}$.
Hord. Palaeſt.	$102\frac{2}{9}$	$4\frac{83}{100}$.	$196\frac{7}{11}$	$5\frac{81}{100}$.	196	$5\frac{83}{100}$.
Hord. Rom.	$88\frac{5}{9}$	$4\frac{40}{100}$.	$169\frac{2}{11}$	$5\frac{17}{100}$.	170	$5\frac{14}{100}$.
Vncia	256	$6\frac{35}{100}$.	$488\frac{4}{11}$	$7\frac{35}{100}$.	489	$7\frac{38}{100}$.
Libra	3072	$14\frac{51}{100}$.	$5864\frac{8}{11}$	18	5867	$18\frac{1}{100}$.
Talentum.	384000	$72\frac{51}{100}$.	$753690\frac{10}{11}$	$90\frac{2}{100}$	733384	$90\frac{2}{100}$.

TABVLAE HVIVS, ET SEQVENTIS compoſitio.

Notandum in compoſitione tam huius quàm ſequentis tabulae eſt, quòd cùm numeros proponimus radicis cubicae, aut diametri ſphaerae, non eos proponimus tamquam veros ac certos, quibusque nihil aut deſit aut ſuperſit ad lateris vel diametri quantitatem, ſed veris tantummodo magis propinquos. Nam cùm vtrique numeri (nimirum tam radices cuborum, quàm diametri ſphaerarum) extractis radicibus numerorum, qui praecisè cubi non ſunt, inueniantur, nulli poſſunt dari numeri, qui praecisè eorum ſint radices; quin vel veris ſint maiores vel minores. Atque vt huius quoque differentiae aliquo modo ratio haberetur, maioribus in ſignum duo puncta adiecimus, minoribus vnum. Atque haec in comperto manifeſtaque ſunt Matheſeos peritis, reliquis

quis tam obscura, vt meritò veveri possem, ne sit pluribus scandalo, qui reliqua minùs certa iudicent, quòd non praecisas habeamus cuborum radices. Verùm quamuis non omnibus ex aequo satisfieri possit: tamen huiusmodi homines monendos duxi, omnem illam differentiam decimam vnius partis partem non excedere. Ex quo fit, vt si in minoribus radicum fractionibus numeratori addatur vnitas, iam sint maiores, & si à similibus maiorum radicum numeratoribus fractionum auferatur vnitas, fiant veris minores. Quapropter nulla ratione potuerunt eiusmodi numeri veris propinquiores haberi, quin multò maiores fierent fractiones, quod legenti minùs foret vtile, quàm nobis operosum ac longum.

TABVLAE VSVS PRIMVS

HVIVS verò tabulae primus seorsum vsus is est, quem cuborum latera praeseferunt, nimirum vt quemadmodum superiore problemate propositis numeris ponderis metallorum, primùm mox occurrit metallorum inter se, & cum alijs rebus proportio, sic etiam hoc loco proportio laterum inueniatur. Cuius rei exemplum proponam. Videmus enim in tabula aequales cubos argenti viui, & mellis decuplam habere rationem ponderis. Extractis verò radicibus, comperiemus eam proportionem in lateribus esse eandem, quae est numeri tredecim cum quattuor centesimis ad sex cum sex centesimis. Quapro- A pter si fiant duo cubi, mellis alter, alter argenti viui, ita vt latus huius sit tredecim cum quattuor centesimis, illius verò sex cum sex centesimis, erunt vtique aequales pondere. id quod & in omnibus alijs obseruare facilè poteris.

VSVS SECVNDVS.

EST & alius periucundus huius tabulae vsus, nimirum inuenire latus eius cubi, qui vnam ducentesimam quinquagesimam sextam vnciae partem pendat: id quod sola diuisione lateris Paraticubi in tot partes, quot numerus radicis continet vnitates, facilè consequeris. Nam si attentiùs perpendatur, quid fiat, quando B alicuius numeri cubici radix extrahitur, inuenietur nihil aliud inquiri, quàm quoties contineat latus dati cubi, latus eius parui cubi, qui toties contineatur in maximo, quot vnitates habet datus numerus cubicus. Igitur in auro, verbi gratia, inuenta radix quattuordecim cum quinque centesimis, hoc primùm praestat, nimirum quòd si latus cubi aurei in totidem partes diuidatur, vnius ex illis partibus cubus toties continebitur in maximo cubo, quot sunt vnitates in dato aureo cubo, hoc est, bis mille septingentae septuaginta quinque: at totidem partes vnciae pendebat paratus auri cubus: ergo quilibet ex dictis cubis vnam quaesitam vnciae partem pendet. quod erat demonstrandum.

TABVLA
PARTES CONTINENS VNCIAE ET EARVM QVAE CONTINENTVR IN LIBRA, NEC NON LIBRARVM,

quae continentur in Hebraeorum talento, cum partium earundem radicibus cubicis atque insuper diametrorum cubos, & sphaerarum diametros. sphaerarum, inquam, quae totidem vncias vel libras penderent.

Numeri librarii.	Partes vnciae.	Harum partium radices.	Cubi diametrorum.	Diametri sphaerarum.
Vnciae 1	256	6 1/100	488 8/11	7 81/100
2	512	8	977 5/11	9 92/100
3	768	9 1/10	1466 2/11	11 2/10
4	1024	10 1/10	1954 10/11	12 5/10
5	1280	10 9/10	2443 7/11	13 1/10
6	1536	11 5/10	2932 4/11	14 1/10
7	1792	12 2/10	3421 1/11	15 1/10
8	2048	12 7/10	3909 8/11	15 8/10
9	2304	13 2/10	4398 6/11	16 4/10
10	2560	13 7/10	4887 3/11	17:
11	2816	14 2/10	5376	17 5/10
12	3072	14 5/10	5864 8/11	18.
Librae 1	3072	14 5/10	5864 8/11	18
2	6144	18 1/10	11729 5/11	22 7/10
3	9216	21	17594 2/11	26.
4	12288	23 1/10	23458 10/11	28 6/10
5	15360	24 1/10	29323 7/11	30 9/10
6	18432	26 4/10	35188 4/11	32 11/10
7	21504	27 8/10	41053 1/11	34 5/10
8	24576	29 1/10	46917 11/11	36 1/10
9	27648	30 2/10	52782 8/11	37 5/10
10	30720	31 1/10	58647 5/11	38 9/10
11	33792	32 1/10	64512	40 1/10
12	36864	33 1/10	70376 11/11	41 1/10
13	39936	34 2/10	76241 8/11	42 2/10
14	43008	35	82106 5/11	43 2/10
15	46080	35 8/10	87970 10/11	44 1/10
16	49152	36 6/10	93835 7/11	45 1/10
17	52224	37 4/10	99700 4/11	46 1/10
18	55296	38 1/10	105565 1/11	47 1/10
19	58368	38 7/10	111429 11/11	48 1/10
20	61440	39 5/10	117294 8/11	49:
21	64512	40 1/10	123159 5/11	49 10
22	67584	40 7/10	129024	50 8/10
23	70656	41 3/10	134888 8/11	51 3/10
24	73728	41 9/10	140753 5/11	52.
25	76800	42 5/10	146618 2/11	52 8/10
26	79872	43 1/10	152482 10/11	53 6/10
27	82944	43 7/10	158347 7/11	54 1/10
28	86016	44 2/10	164212 4/11	54 7/10
29	89088	44 10/10	170077 1/11	55 4/10
30	92160	45 1/10	175941 11/11	56.
31	95232	45 7/10	181806 8/11	56 6/10
32	98304	46 3/10	187671 5/11	57 3/10
33	101376	46 9/10	193536	57 9/10

Numeri librarii.	Partes vnciae.	Harum partium radices.	Cubi diametrorum.	Diametri sphaerarum.
34	104448	47 1/10	199400 8/11	58 4/10
35	107520	47 6/10	205265 5/11	59.
36	110592	48	211130 2/11	59 6/10
37	113664	48 4/10	216994 10/11	60 1/10
38	116736	48 9/10	222859 7/11	60 8/10
39	119808	49 3/10	228724 4/11	61 4/10
40	122880	49 7/10	234589 1/11	61 7/10
41	125952	50 2/10	240453 9/11	62 2/10
42	129024	50 6/10	246318 6/11	62 7/10
43	132096	50 10/10	252183 3/11	63 2/10
44	135168	51 3/10	258048	63 7/10
45	138240	51 7/10	263912 8/11	64 1/10
46	141312	52 1/10	269777 5/11	64 6/10
47	144384	52 5/10	275642 2/11	65 1/10
48	147456	52 9/10	281506 10/11	65 6/10
49	150528	53 2/10	287371 7/11	66.
50	153600	53 6/10	293236 4/11	66 5/10
51	156672	53 10/10	299101 1/11	66 9/10
52	159744	54 4/10	304965 11/11	67 4/10
53	162817	54 8/10	310830 8/11	67 8/10
54	165888	55 1/10	316695 5/11	68 2/10
55	168960	55 5/10	322560	68 6/10
56	172032	55 10/10	328424 10/11	69:
57	175104	56 2/10	334289 7/11	69 4/10
58	178176	56 6/10	340154 4/11	69 8/10
59	181248	56 10/10	346018 10/11	70 2/10
60	184320	57 3/10	351883 7/11	70 6/10
61	187392	57 7/10	357748 4/11	71:
62	190464	57 11/10	363613 1/11	71 4/10
63	193536	58 3/10	369477 11/11	71 8/10
64	196608	58 7/10	375342 8/11	72 1/10
65	199680	58 11/10	381207 5/11	72 5/10
66	202752	59 3/10	387072	72 9/10
67	205824	59 7/10	392936 11/11	73 2/10
68	208896	59 11/10	398801 8/11	73 6/10
69	211968	60 4/10	404666 5/11	74:
70	215040	60 8/10	410530 10/11	74 4/10
71	218112	61 2/10	416395 7/11	74 7/10
72	221184	61 6/10	422260 4/11	75.
73	224256	61 10/10	428125 1/11	75 4/10
74	227328	62 3/10	433989 9/11	75 8/10
75	230400	62 7/10	439854 6/11	76.
76	233472	62 11/10	445719 3/11	76 4/10
77	236544	63 2/10	451584	76 7/10
78	239616	63 6/10	457448 8/11	77 1/10
79	242688	63 10/10	463313 5/11	77 4/10

Numeri librarii.	Partes vnciae.	Harum partium radices.	Cubi diametrorum.	Diametri sphaerarum.
80	245760	64 2/10	469178 2/11	77 7/10
81	248832	64 6/10	475042 10/11	78.
82	251904	64 10/10	480907 7/11	78 1/10
83	254976	65 3/10	486772 4/11	78 6/10
84	258048	65 7/10	492637 1/11	79:
85	261120	65 11/10	498501 11/11	79 3/10
86	264192	66 2/10	504366 8/11	79 6/10
87	267264	66 6/10	510231 5/11	79 9/10
88	270336	66 10/10	516096	80 2/10
89	273408	67 3/10	521960 8/11	80 5/10
90	276480	67 7/10	527825 5/11	80 8/10
91	279552	67 11/10	533690 2/11	81 1/10
92	282624	68 4/10	539554 10/11	81 4/10
93	285696	68 8/10	545419 7/11	81 7/10
94	288768	69 1/10	551284 4/11	82:
95	291840	69 5/10	557149 1/11	82 3/10
96	294912	69 9/10	563013 11/11	82 6/10
97	297984	70 2/10	568878 8/11	82 9/10
98	301056	70 6/10	574743 5/11	83 1/10
99	304128	70 10/10	580608	83 4/10
100	307200	71 3/10	586472 8/11	83 7/10
101	310272	71 7/10	592337 5/11	84:
102	313344	71 11/10	598202 2/11	84 3/10
103	316416	72 4/10	604066 10/11	84 6/10
104	319488	72 8/10	609934 7/11	84 8/10
105	322560	73 1/10	615796 4/11	85 1/10
106	325632	73 5/10	621661 1/11	85 4/10
107	328704	73 9/10	627525 11/11	85 7/10
108	331776	74 2/10	633390 8/11	85 9/10
109	334848	74 6/10	639255 5/11	86 2/10
110	337920	74 10/10	645120	86 5/10
111	340992	75 3/10	650986 6/11	86 7/10
112	344064	75 7/10	656849 3/11	86 10/10
113	347136	75 11/10	662714 2/11	87 2/10
114	350208	76 4/10	668578 11/11	87 5/10
115	353280	76 8/10	674443 7/11	87 7/10
116	356352	77 1/10	680308 4/11	87 10/10
117	359424	77 5/10	686173 1/11	88 2/10
118	362496	77 9/10	692037 11/11	88 5/10
119	365568	78 2/10	697902 8/11	88 7/10
120	368640	78 6/10	703767 5/11	89:
121	371712	78 10/10	709632	89 2/10
122	374784	79 3/10	715496 8/11	89 5/10
123	377856	79 7/10	721361 5/11	89 8/10
124	380928	79 11/10	727226 2/11	89 10/10
125	384000	80 4/10	733090 10/11	90 2/10

Talen.

COMPOSITIO TABVLAE.

HVIVS verò tabulae cuiuis manifesta erit compositio: posito enim vnius vnciae numero ducentarum quinquaginta sex partium, is additur sibi, & siunt binae vnciae, quibus si addas eundem, sient tres, & sic vsque ad duodenarium, qui complet libram; estque ter millium septuaginta duarum partium: quem numerum si eidem addas, habebis duas libras; si iterum inuento duarum librarum numero, eundem vnius librae addas sient tres; & sic deinceps vsque ad talenti numerum. qua ratione qui vellet, posset hanc tabulam vlteriùs ad plures & plures libras seu talenta extendere. Quod si quis vellet quemcumque seorsum librarum aut talentorum, siue etiam vnciarum numerum habere, id in vncijs facilè inueniet, si eiusmodi vnciarum numerum per ducentas quinquaginta sex partes multiplicet. At si librae sint aut talenta, prius exquiret, quot vnciae in eiusmodi libris aut talentis contineantur, & in illis haud secus procedet, quàm in vncijs diximus. Singulis verò ex his numeris tabulae ex aduerso respondent radices cubicae, veris quàm proximae; deinde cubi diametrorum earum sphaerarum, quae praedictis cubis aequales essent: huiusmodi enim cubos primùm oportuit inuenire, quàm ipsas diametros, vt in propositione nona praecedentis capitis ostendimus. Hos verò numeros tabulae adiecimus ad vsum vigesimae secundae sequentis propositionis; ac tandem extractas horum

borum numerorum radices adiecimus, quas aequales esse diametris sphaerarum ex suppositione fit manifestum; ideoque distinctionis gratia, & vt magis essent perspicuae huiusmodi radices, diametros sphaerarum tantummodo appellare decreuimus.

TABVLAE HVIVS VSVS.

HVIVS tabulae vsus & multiplex est, & periucundus. In ea enim primùm apparet, quot vnciae numerentur in libra, quot librae in talento. At hoc, inquis, peruulgatum est: fateor, sed numquid propterea scribendum non est? immo verò maximè, cum copiosius multò nobis inferiùs disputandum sit, de numero librarum talenti, & eius iusto pondere. Est & alius etiam vsus non ita frequens, qui ostendit, quot partes vnciae contineat quaelibet vnciarum libra, quotque contineant singula talenta, ac librae, verbi gratia, tertia, decima, nonagesima, &c. Sed haec omnia leuiora sunt; illud magni momenti, quòd ex lateribus cuborum potest excerpi proportio, quam habeat cubus, vnam vnciam pendens, ad cubum duas pendentem, idque in lateribus. Si enim notauero cubi vnius vnciae radicem, esse sex cum triginta quinque centesimis; duarum verò esse octo; inde mox colligam, dato quolibet cubo, eiusque latere diuiso in partes octo, & qualibet illarum rursum in decem partes; si ex partibus octauis accipiantur sex, & ex vnius octauae decimis tres & semis (tantundem enim valent decimae tres & semis, ac triginta quinque centesimae) atque ex his partibus fiat eiusdem materiae cubus vnus, qui erit vtique prioris tam pondere quàm magnitudine subduplus: eademque ratione reliquorum omnium proportiones inuestigare facilè poteris.

VSVS VTRIVSQVE TABVLAE SIMVL.

IAM vero exponemus, quanam potissimùm causa vtramque praecedentem tabulam apposuerimus: ea enim est, vt harum beneficio inuenire quis possit, in auro, argento viuo, plumbo, argento, ac reliquis, quantitatem lateris, cuius cubus pendat vnam vnciam, aut vnam libram, duas, tres, aut reliquas vsque ad talentum. Id quod hac ratione praestari poterit. Sit, verbi gratia, quaerendum latus cubi aurei, libram vnam pendentis, in priori tabula notetur radix Paraticubi aurei, quae est, quatuordecim; diuidatur deinde latus Paraticubi in partes quatuordecim, atque earum vna diuidatur in partes decem, & si posset, in centum. Notetur deinde in secunda tabula latus vnius librae, quod est quatuordecim, cum quinque decimis; atque ex partibus decimis quartis Paraticubi accipiantur quatuordecim A *cum quinque decimis, siue quod idem est, addatur illi lateri medietas vnius decimae quartae partis, & illud erit latus quaesiti cubi vnius librae. Cuius rei ratio in promptu est. Nam cùm diuiso latere Paraticubi aurei in partes quatuordecim, ostensum sit, quamlibet ex illis partibus latus esse cubi aurei, qui vnam similem partem vnciae penderet, si ex illis addantur totidem quot desunt numero cubi aurei ad complendum numerum vnius librae, vtique totum illud partium aggregatum vnam libram penderet: at hoc idem praestatur, si radix cubi aurei augeatur uel minuatur iuxtà radicem numeri vnius librae: ergo hac ratione habebitur latus vnius librae. Quod verò idem hac atque illa ratione praestetur, sic ostendo. Cubus auri pendit ducentesimas quinquagesimas sextas vnciae partes bis mille septingentas septuaginta quinque: at in libra sunt ex eisdem partibus ter*
B *mille septuaginta duae: si ergo ab hoc numero ille auferatur, superstant ducentae nonaginta septem, quae si adderentur minori numero, fieret sine dubio vterque aequalis; nunc verò extracta vtriusque radix indicat numerum, qui bis in se multiplicatus reddit numerum, cuius est radix: ergo idem omnino fit, si addantur his millibus septingentis septuaginta quinque, ducentae nonaginta septem, ac si radici quatuordecim addantur quinque decimae, vel medietas vnius decimae quartae, quod idem prorsus importat.*

3072
2775
297

SCHOLIVN TERTIVM.

C *EX his quae modò demonstrata sunt, illud quoque fit manifestum, quod scire lector cuperet. Primùm quid praestitum sit, cùm in tabula praecedenti eos numeros apposuerimus, qui ex numeri vnius vnciae, in librae vnius vel plurium vnciarum numerum multiplicatione fiunt: deinde quanam ratione eundem librae numerum pro omnibus rebus apponamus. Nam quod ad primum, cùm uncia duodecies contineatur in libra, & in quinque libris sexagies, numerus, qui in tabula apponitur è regione vnius librae, is est, qui ex numero partium vnciae duodecies multiplicato resultat, sicut numerus quinque librarum is est, qui fit ex multiplicatione numeri partium vnciae in sexaginta numerum*
D *quinque librarum vncijs respondentem, & sic de singulis. Quod ad secundum verò spectat, cùm in totidem partes diuisa intelligatur auri uncia atque plumbi, idem omnino numerus adhibendus est ad plumbi partes computandas atque ad auri, hoc tantum ab illo distans, quod ille qui leuioris metalli partes computat mole, maiores indicat partes, qui verò grauiores, idem mole minores ostendit.*



PRO-

PROBLEMA XVII. PROPOSITIO XVII.

LATVS, cubi libram vnam pendentis ex auro, argento viuo, plumbo, argento, ceteriſque metallis: nec non ſimilem cubum mellis, frumenti Palaeſtinae, aquae, vel vini, olei, vel aliarum rerum, quae in ſuperioribus tabulis examinata ſunt, vnica ſimul operatione reperire.

DIVIDATVR in primis linea quaecumque AB, in partes quindecim, & ex illis quaelibet in decem, ita vt tota diuiſa intelligatur in partes centum quinquaginta; ponaturque linea CD, habere ex eis quatuordecim cum quinque decimis, quot nimirum partes habet latus vnius librae in ſecunda tabula ſcholij ſecundi praecedentis, & ſuper CD, deſcribatur ſemicirculus CED. notentur deinde in tabula prima eiuſdem ſcholij partes vnciae, quas pendebat Paratus cubus in ſingulis rebus; applicaturque primùm ſemicirculo linea CE, quae habeat ex partibus diuiſae lineae AB, quatuordecim, quot nimirum aſsignantur radici cubi aurei: pariſque ratione applicetur eidem ſemicirculo linea CF, habens partes tredecim cum vna decima, quot aſsignantur radici cubi argenti viui, & ſic linea CG, partium duodecim latus plumbi, linea CH, partium vndecim cum quinque decimis latus cubi argenti, linea CI, partium vndecim latus cubi cupri, linea CK, partium decem cum ſex decimis latus cubi ferri, linea CL, partium decem cum quattuor decimis latus cubi ſtanni, linea CM, partium ſex cum dimidia decima latus cubi mellis, haec nimirum dimidia decima accipienda erit pro ſex illis centeſimis, quae in tabula notantur: abijcienda enim eſt illa pars centeſima, hoc eſt, decimae decima, quoniam vix notari poteſt in his paruis lineis. At qui exactiùs operari vellet, maiores acciperet lineas, quarum quaelibet pars in centenas diuidi poſſet, atque adeo centeſimarum quoque partium rationem haberet: haec enim quae nos proponimus, exempla tantummodo haberi volumus.

IAM verò & reliqua latera applicentur ſimiliter ſemicirculo, linea CN, nimirum latus cubi frumenti Palaeſtinae, partium quinque cum tribus decimis & dimidia; linea CO, latus cubi aquae, vel vini, partium quinque, & tribus decimis aliquanto minus; linea CP, latus cubi olei partium quinque cum vna decima, & aliquanto ampliùs; linea CQ, latus cubi frumenti Romani quattuor partium cum octo decimis, & aliquanto ampliùs; Linea CR, latus cubi hordei Palaeſtinae partium quattuor cum ſeptem decimis aliquanto minùs; linea CS, latus hordei Romani partium quattuor cum quattuor decimis ac dimidia. Quibus ſic poſitis, ponatur linea CT, aequalis lateri Paraticubi lineae nimirum in inſtrumento AΘ, erigaturque ex ea linea TI, eidem perpendicularis, interſecans lineam CE, in V, lineam CF, in X, lineam CG, in Y, lineam CH, in Z, lineam CI, in a, lineam CK, in b, lineam CL, in c, lineam CM, in d, lineam CN, in e, protractam lineam CO, in f, lineam protractam CP, in g, protractam CQ, in h, protractam CR, in i, protractam CS, in l. Dico abſciſſas CV, CX, CY, &c. eſſe latera vnius librae in ſingulis rebus, quas ponderauimus. Nam ſi ducatur DE, duo triangula DEC, & VTC, ſunt vtique ſimilia, vtpote rectangula, & angulum ad C, communem habentia. Sunt igitur eorum latera proportionalia, nimirum vt CE, ad CD, ita CT, ad CV: ſed CE, poſita eſt, habens ad CD, eam proportionem, quam latus ponderis cubi auri ad vnius librae latus in ijſdem partibus: ergo CT, latus Paraticubi aurei habet ad lineam CV, eam proportionem, quam latus ponderis Paraticubi ad latus ponderis vnius librae. Si ergo fiat cubus aureus lineae CV, is pendet libram vnam. quod erat demonſtrandum. Idemque omnino in reliquis ſingulis rebus demonſtrabitur: erit namque linea CX, latus librae argenti viui, linea CY, latus librae plumbi, CZ, argenti, Ca, cupri, Cb, ferri, Cc, ſtanni, Cd, mellis, Ce, frumenti Palaeſtinae, Cf, aquae vel vini, Cg, olei, Ch, frumenti Romani, Ci, hordei Palaeſtinae, Cl, hordei Romani. quod erat tandem demonſtrandum.

SCHOLIVM PRIMVM.

EADEM *prorſus via & methodo latera inueniri poterunt duarum, trium, aut plurium librarum, ſiue alterius cuiuſuis ponderis, aut in tabula noſtra notati, aut ſecus, & in qualibet re, ſiue ex ijs, quae à nobis examinata ſunt, ſiue in quibuſlibet alijs. Nam in primis ſi pondus exquiratur ex notatis in tabula; linea CD, ponetur tot partes habere diuiſae AB, quot in tabula notantur pro radice quaeſiti ponderis, fietque ſemi-*

circulus, & reliqua; prout in problemate. Quod ſi numerus notatus minimè fuiſſet in tabula, verbi gratia, ſi quis vellet habere praedictorum metallorum latera librae vnius eum ſeptem vnciis, is in vnam ſummam colliget ex tabula numerum partium vnius librae 5072. & partium vnciarum ſeptem 1792. qui ſimul collecti efficiunt 4864. indeque radicem cubicam educet, quae eſt ſeptemdecim, lineamque CD, primum ponet partium rectae AB, ſeptemdecim, & ducto ſemicirculo, in reliquis, proceedet ſicut in problemate. Quod ſi aliarum rerum pondus exquiras, aut ea liquida ſunt vt balſamum: aut ſolida, ſed quae vaſe aliquo contineri poſſunt vt fruges: tunc enim priùs oporteret ſibi comparare vas cubicum exactiſsimum, quale nos habuimus, eidemque aequale, illudque balſamo, vel alia re, quam examinare cupit, plenum, diuiſa vncia in totidem partes, ac nos diuiſimus, appendere. Quodſi res ſolida eſſet, quae poſſet in cubum efformari vt lapis, efformanda eſſet in aequalem noſtro cubum, atque appendenda, notandusque numerus partium vnciae quas appenderat, eiuſque numeri radix, eſſet, cubica extrahenda, & in reliquis, vt praeſcriptum eſt, proceedendum. Illud verò notandum videtur, non eſſe omnino neceſſarium noſtra vti vnciae partitione, aut cubi magnitudine: cuique enim liberum eſt, quibus volet in hac parte vti. Quòd ſi rectam viam tenere, & ab ea nequaquam diſcedere exaptat, is diligentiùs animaduertat, quae ſequenti notantur ſcholio.

5072
1792
4864

SCHOLIVM SECVNDVM.

FACILEM *omnino viam ac methodum oſtendimus ſuperiore ſcholio, quo mediante, quicumque facilè poterit latus cubi adinuenire non vnius tantummodo librae ſed quarumcumque & cuiuſuis ponderis, nec tantùm in auro, argento viuo, atque in alijs rebus, quae à nobis examinatae ſunt; verùm etiam in quibuſuis alijs rebus, quas vnuſquiſque ſibi examinandas proponeret. Sed quoniam facile poſſet à recto, quem in problemate tenuimus, ealle aberrare, niſi ea omnia, quae à nobis obſeruata ſunt, & ipſe obſeruaret: ideo duo haec potiſſimum notanda, & obſeruanda duxi. Primum, oportere partes quaeſiti ponderis plures eſſe partibus cuiuſcumque rei, cuius pondus quaeritur: ſicut partes lateris librae aſſumptae fuerunt, quae quinario excedunt partes ponderis auri, quod excedit reliqua omnia pondera. Id quod propterea neceſſarium eſt, quia minores diametro lineae circulo poſſunt applicari, maiores minimè.*

Secundò aducrtendum, quòd praedicto problemate, eiusque figura, ae demonſtratione vnicum tantùm ponderis genus, videlicet libram in ſingulis rebus inuenire docuimus: nam qui vellet duas libras, aut librae partem aliquam inuenire, is aliam figuram iuxta problematis iuſſa facturus eſſet. Quae verò eadem poſſint praeſtari figura, in ſequentibus manifeſtabuntur.

PROBLEMA XVIII. PROPOSITIO XVIII.

LATVS cubi vnciam vnam pendentis ex auro, argento viuo, plumbo, argento, atque alijs rebus ſuperiori problemate propoſitis, facili methodo in eadem figura adinuenire.

APPLICETVR eiuſdem figurae ſemicirculo CED, linea Cm, quae ſit partium diuiſae lineae AB, ſex, cum triginta quinque centeſimis, hoc eſt, cum tribus decimis & ſemis, quot nimirum partes habet radix vnius vnciae in praemiſſa tabula. Et à puncto T, ducatur recta Tn, perpendicularis ad ductam Cm, quae ſine dubio parallela eſſet rectae Dm, ſi duceretur. Quapropter & triangula CDm, CTn, ſimilia erunt, eorumque latera proportionalia, nimirum CT, ad Cn, eandem habebit rationem, quam CD, ad Cm. Poſita eſt autem recta CD, habens ad rectam Cm, eam proportionem, quam latus vnius librae ad latus vnius vnciae. Ergo recta CT, latus nimirum Paraticubi habet ad rectam Cn, eam proportionem, quam latus vnius librae ad latus vnius vnciae. Quibus ſtantibus, ponatur CO, aequalis ipſi Cn, & erigatur perpendicularis Op, ſecans lineas omnes, quae latera ſunt vnius librae, tum in metallis,

tum in alijs rebus. & latus hordei Romani CSl, secetur in p. Dico lineam Cp, esse latus vnius vnciae hordei Romani, quod sic ostendo. Quoniam in triangulo CTl, ducta est recta op, basi Tl, parallela, secabit latera in partes eiusdem rationis, nimirum sicut Cl, ad CT, ita Cp, ad Co, & permutando Cl, ad Cp, vt CT, ad Co, ex quo fit vt Cl, ad Cp, habeat eandem rationem, quam latus vnius librae ad latus vnius vnciae: ergo linea Cl, quae ostensa est [b] latus esse vnius librae hordei Romani, ad lineam Cp, habebit eandem proportionem, quam latus vnius librae ad latus vnius vnciae. si fiat ergo cubus lineae Cp, capax is erit vnius vnciae hordei Romani, quod erat demonstrandum. Id quod in singulis alijs lineis in figura assignatis demonstrari eadem ratione poterit.

b Propos. praeced.

SCHOLIVM.

CONSIMILI operatione duarum, aut plurium vnciarum latera inueniri possunt, si loco applicatae rectae Cm, quae partes habet lateris vnius vnciae, aliae applicarentur, habentes partes lateris duarum aut trium vnciarum.

THEOREMA I. PROPOSITIO XIX.

INTER sphaeras cubis aequales eadem est proportio diametri ad diametrum, quae lateris ad latus, nec non diametri ad latus eadem est proportio, quae diametri ad latus, & è conuerso.

NEQVID deesse videatur huic disputationi, agendum etiam nonnihil fuit de diametris, & sphaeris corporum, quae examinare intendimus. Cuius omnis disputationis hoc theorema, quasi quoddam fundamentum est ac primum principium. Sit igitur sphaera A, cubo C, aequalis, & sphaera B, cubo D. Dico primùm eandem esse rationem diametri sphaerae A, ad diametrum sphaerae B, quae lateris cubi C, ad latus cubi D: quoniam eadem est proportio A, ad C, quae B, ad D, nimirum aequalitatis, erit etiam permutando A, ad B, eadem quae C, ad D. Harum autem proportionum in sphaeris est diametrorum triplicata, in cubis autem est laterum triplicata: ergo sicut bene demonstrauit Clauius, erit eadem subtripla diametrorum ac laterum, sicut eadem est tripla corporum: eadem igitur erit proportio diametri sphaerae A, ad diametrum sphaerae B, quae lateris cubi C, ad latus cubi D, quod erat primò demonstrandum. Ex eoque immediatè sequitur secundum: permutando enim eadem erit proportio diametri A, ad latus C, quae diametri B, ad latus D. Hinc etiam conuertendo manifestum fit quoque tertium, nimirum lateris C, ad diametrum A, eandem esse proportionem, quae est lateris D, ad diametrum B.



Clauius lemmate prop. 8. 10. Eucl.

PROBLEMA XIX. PROPOSITIO XX.

DIAMETRVM sphaerae Paratocubo aequalis; nec non diametros sphaerarum libralibus cubis aequalium, eadem problematis decimi septimi figura adinuenire.

APPLICETVR in primis linea CT, latus Paratocubi in priori semicirculo in q, extendaturque indefinita C q: notetur deinde in tabula ponderum diameter sphaerae vnius librae, quae est septemdecim cum quinque decimis, ex eisque media pars sumatur circino, cuius fixo pede stato in linea CD, alter mobilis ponatur in C, & circumducatur arcus C r f, secans extensam C q, in r. Dico lineam Cr, esse diametrum sphaerae Paratocubo aequalis. Nam cùm linea C r, secta sit à duobus semicirculis sese tangentibus in C, diuisa quoque erit [a] in eadem ratione diametrorum: at diameter CD, posita est partium lateris cubi libralis, diameter verò semicirculi Crf, posita est partium diametri sphaerae etiam libralis: ergo [b] linea Cq, ad lineam Cr. habebit eandem rationem, quam latus cubi ad diametrum sphaerae, eidem cubo aequalis. quod erat primò demonstrandum.

a Prop. 39. secundi c. huius.

b Ex praecedenti.

Ponatur praeterea linea Ct, aequalis lineae, Cr, & erigatur perA pendicularis tf, eaque abscindet lineam CE, in u, & in reliquis lineis CF, CG, CH, CI, CK, CL, CM, CN, CO, abscindet diametros sphaerarum libralium earum rerum, quarum sunt in dictis lineis latera cubica. Quod sic ostendo. Quoniam in triangulo Ctu, ducta est linea TV, basi t u, parallela, ea abscindet latera proportionalia; & permutando erit C u, ad CV, vt C t, ad CT, sed C t, ostensa est habere ad CT, proportionem diametri sphaerae ad latus cubi aequalis: erat autem ostensa [c] CV, latus aurei cubi libralis: ergo Cu, est diameter aureae sphaerae libralis, quod erat secundò demonstrandum. Atque eadem ratione in singulis alijs lineis demonstrari poterit, abscissas à perpendiculari tf, ad vsque commune punctum C, esse diametros sphaerarum librarium, quod exquirebatur.

c ex praeced. prop. 17. huius.

PROBLEMA XX. PROPOSITIO XXI.

B *DIAMETROS sphaerarum vncialium in singulis rebus in hac eadem figura inuenire.*

SICVT libralium sphaerarum diametros adinuenimus, sic etiam vncialium inuenire poterimus, si ex adiuncto puncto t, ducatur recta t s, quae sit parallela ipsi Tu; cùm enim in triangulo t s C, ducta sit recta Tn, basi ts, parallela, ea vtique diuidet latera in partes proportionales, eritque permutando Cs, ad Cn, vt Ct, ad CT; sed Cr, ostensa [a] est habere ad CT, proportionem diametri sphaerae ad latus cubi sibi aequalis: ergo Cs, ad C n, habebit [b] proportionem diametri sphaerae ad latus cubi sibi aequalis. Ponatur igitur Cy, aequalis ipsi Cs, erigaturque perpendicularis yz, secans lineam C S, in z, & alias pariter abscindet in eadem proportione, nimirum habebit Cz, ad Cp, latus vnciae hordei Romani eandem proportionem, quam diameter sphaerae ad latus cubi sibi aequalis: cumque Cp, ostensa sit latus cubi vncialis, erit Cz, diameter sphaerae eiusdem ponderis.

a Propos. praeced.

b 19. huius.

C

PROBLEMA XXI. PROPOSITIO XXII.

LATVS cubi vncialis, aut cuiusuis alterius ponderis absque vlla radicum extractione, similiterque diametrum sphaerae eiusdem ponderis in re qualibet inuenire.

EA problemata hactenus expositimus, quae ex inuentis, numerorum beneficio, radicibus & diametris, alia quoque, quae huic possent conducere disputationi, inuenire docerent. Et quamuis in Arithmeticis vel mediocriter versatis ea videatur & exactissima & facillima via; alijs tamen, qui quamplurimi sunt, quibus non ita in promptu est numerorum vsus & exercitatio, satis faciendum videbatur. immo verò tam his quàm illis ostendenda fuit facilis & expedita via: quam nobis aperit mediarum proportionalium potissimus vsus, nimirum vt ex ipsis numeris primis, tamquam cubicis, acceptis, absque extractione radicum ea omnia habeantur, quae hactenus radicum beneficio ostensa sunt. Sit igitur in primis inueniendum latus cubicum vnius vnciae aquae: & cùm vnciam in partes diuidamus ducentesimas quinquagesimas sextas, is numerus tamquam primus cubus notandus est. Secundus verò erit centum quadraginta octo, quot nimirum ex illis vnciae partibus pendebat Paratus aquae cuius. Ponatur deinde quaecumque linea AB, partium ducentarum quinquaginta sex, ex quibus habeat linea BC, centum quadraginta octo, erectaque perpendiculari CD, inueniantur inter [a] duas AB, BC, duae mediae proportionales BE, BD. Et quoniam sunt quattuor lineae proportionales BC, BD, BE, BA, erit cubus primae BC, ad cubum secundae BD, vt prima BC, ad quartam BA, nimirum vt centum quadraginta octo ad ducenta quinquaginta sex. Fiat tandem BF, aequalis lateri Paratocubi aquae, & erecta perpendicularis FG, abscindat lineam BG, quam dico esse latus cubi vncialis aquae. Quoniam BF, ad BG, habet eandem [b] proportionem, quam BC, ad BD, habebit cubus datus rectae BF, ad cubum rectae BG, proportionem, quam centum quadraginta octo ad ducenta quinquaginta sex, nimirum quam habebant inuentae partes ponderis aquae ad partes vnius vnciae. Ex quo fit [c] vt cubus rectae B G, aqua plenus vnam vnciam pendat. quod erat demonstrandum.

D

E



a Ex aliquo probl. 6. 3. huius.

b Secunda 6. Euclid.

c Schol. 1. propos. 17. huius.

Atque eadem ratione possent quorumlibet aliorum ponderum latera inueniri, si pro numero partium vnius vnciae in linea AB, signato numerus partium eiusmodi ponderis signaretur, & in reli-

in reliquis eodem modo procederetur. Quod si diameter sphaerae, vnius vnciae aquae, verbi gratia, inueniendus esset, primò inuenire oporteret cubum diametri sphaerae, qui quidem cubus, vt in propositione nona praecedentis capitis, eiusque vsu traditur, facillimè inuenitur, multiplicato nimirum dato cubo centum quadraginta octo in viginti vnum, diuisoque producto deinde per numerum vndecim: is enim numerus, qui in quotiente, quem vocant, prodibit, quadringenta octoginta octo cum octo vndecimis assignandus esset primùm in linea AB. In linea verò BC, ducentae quinquaginta sex ex illis; cumque inuentae fuerint inter eas BD, BE, duae mediae, ponetur in recta BA, linea aequalis inuento lateri cubico vnius vnciae, nempe rectae BG. Erecta namque perpendicularis ex termino positae lineae abscindet ex BE, lineam, quae erit diameter sphaerae vnius vnciae aquae. Nam tunc cubus lineae BF, ad cubum lineae BG, haberet eam proportionem, quam ducentae quinquaginta sex partes ad partes quadringentas quadraginta octo cum octo vndecimis; nimirum eam proportionem, quam habet cubus vnius vnciae aquae, ad cubum diametri sphaerae vnius pariter vnciae aquae: sed linea BF, posita est latus cubi vnius vnciae aquae: ergo linea BG, erit latus cubi diametri sphaerae vnius vnciae aquae. Atque his eisdem rationibus inuenire posses latera & diametros cuborum & sphaerarum libralium; aut aliorum quorumcumque ponderum. quod erat demonstrandum.

A

PROPORTIO QVAM HABET latus cubi auri aliarumve rerum, talentum vnum pendentis, ad latus Paraticubi.

B

Latus cubicum talenti,		Hoc est, recta.		Continet latus Paraticubi, hoc est, rectam ΔΘ.
	Auri.		AE.	$5\frac{17}{100}$
	Argenti viui.		AF.	$5\frac{17}{100}$
	Plumbi.		AG.	$6\frac{02}{100}$
	Argenti.		AH.	$6\frac{20}{100}$
	Cupri.		AI.	$6\frac{58}{100}$
	Ferri.		AK.	$6\frac{74}{100}$
	Stanni.		AL.	$7\frac{01}{100}$
	Mellis.		AM.	$11\frac{09}{100}$
	Frum. Palaest.		AN.	$13\frac{56}{100}$
	Aquae vel vini		AO.	$13\frac{70}{100}$
	Olei.		AP.	$14\frac{32}{100}$
	Frum. Romani		AQ.	$15\frac{34}{100}$
	Hordei Palaest.		AR.	$15\frac{51}{100}$
	Hordei Romani		AS.	$16\frac{10}{100}$

PROPORTIO QVAM HABET diameter sphaerae aureae aliarumve rerum, talentum pendentis, ad latus Paraticubi.

C

Diameter sphaerae talenti.		Hoc est, recta.		Continet latus Paraticubi, hoc est, rectam ΔΘ.
	Auri.		AT.	$6\frac{42}{100}$
	Argenti viui.		AV.	$6\frac{55}{100}$
	Plumbi.		AX.	$7\frac{22}{100}$
	Argenti.		AY.	$7\frac{81}{100}$
	Cupri.		AZ.	$8\frac{17}{100}$
	Ferri.		Aa.	$8\frac{42}{100}$
	Stanni.		Ab.	$8\frac{70}{100}$
	Mellis.		Ad.	$14\frac{33}{100}$
	Frum. Palaest.		Ae.	$16\frac{84}{100}$
	Aquae vel vini		Af.	$17\frac{05}{100}$
	Olei.		Ag.	$17\frac{80}{100}$
	Frum. Rom.		Ah.	$18\frac{72}{100}$
	Hord Palaest.		AI.	$19\frac{27}{100}$
	Hord. Rom.		AB.	$20\frac{31}{100}$

PROBLEMA XXII. PROPOSITIO XXIII.

INSTRVMENTVM conficere ad augenda minuendaue corpora aptissimum.

FELICITER mihi euenisse existimo, quòd longiorem hanc Mathematicam disputationem vtilissimo posim ac felicissimo fine concludere. Exponam siquidem instrumentum quoddam, constructione facile, operatione facillimum, cuius vtilitates & commoda experietur grata posteritas. Quae omnia quoniam pro dignitate pertractare non licuit, nec percensere libuit. Illud verò augendorum, minuendorumve in data ratione corporum instrumentum compellare decreui, in quo celeberrimum illud problema (quod initio huius disputationis proposui, quodque doctissimorum omnium aetatum hominum auctoritate ac votis prosequutum cubi duplicatio vocabatur) mox ac sine vlla difficultate soluitur. ex quo non minùs facilem deinceps futuram Mathematicis existimo, corporum, solidarumve figurarum additionem, subtractionem vel multiplicationem, quam hactenus superficierum, linearum, aut numerorum fuerat. Eius primùm fabrica explicanda est, quae quamuis vniuersalis sit, & ad omnes possit proportiones, omniumque corporum magnitudines aptari; tamen nostri instituti ratio & breuitatis studium nos hortabatur, vt illud ad sacras potissimùm mensuras examinandas accommodaremus. instrumentum verò ne interpositum sua magnitudine problemata impediret, ad huius capitis calcem reponimus.

Primùm igitur constituendus est semicirculus ACB, (omnis namque haec nostra disputatio ad semicirculum reduci posse videtur) sed quia plures alij semicirculi, pluresque lineae in eodem ducendae sunt instrumento, etiamsi cuiuscumque magnitudinis posset assumi praedictus semicirculus; tamen ne postmodum hic assumptus impedimento esset ac confusioni, eiusmodi libuit assumere semicirculum, qui postea in examinandis cuborum lateribus, atque sphaerarum diametris vsui esse possit. illumque aptissimum, vtpote magis exactum fore iudicaui, qui omnium esset maximus. Vt igitur illum collatione facta discernere, atque quàm magnus esse debeat, statuere possem, sequentes duas tabulas apposui, in quibus ex ijs (quae superiore potissimùm tabula logistica supputatione adinuenta sunt) radicibus cubicis, ac diametris sphaerarum Paraticubi in singulis rebus vnà collatis cum radice cubica, ac diametro sphaerae vnius talenti proportionem adinuenimus, quam latus cubicum, aut diameter sphaerae in singulis rebus haberet ad latus Paraticubi. Exemplis propositis earum fabrica erit omnibus perspecta ac cognita.

Tabula 1. scholij 2. propos. 16. huius.

Nam cùm in praedicta tabula radix cubica Paraticubi aurei sit assignata partium $14\frac{6}{100}$. atque earundem partium radix talenti sit $72\frac{22}{100}$. si hic numerus per illum diuidatur, dabit in quotiente quinarium numerum cum tali fractione, quae ad centesimas partes redacta hunc efficiat numerum $5\frac{17}{100}$. qui in tabula primae adscriptus est auro. qua etiam ratione aliarum omnium rerum adinuenti sunt in eadem tabula numeri.

Pro secunda verò tabula in eadem praecedenti notetur numerus diametri sphaerae vnius talenti, nimirum $90\frac{11}{100}$. & latus cubicum seu radix Paraticubi hordei Romani (huius enim primùm indigemus) partium $4\frac{42}{100}$. atque hic quidem numerus indicat, in quot partes intelligatur diuisum latus Paraticubi hordei Romani. Quapropter si per hunc numerum diuidatur ille alter diametri sphaerae talenti hordei, atque diuisionis fractus numerus ad centesimas partes reducatur, hunc numerum dabit $20\frac{31}{100}$. quem hordeo adscripsimus in secunda sequenti tabula, atque sic alias deinceps.

D

Hoc igitur primùm ipso primo aspectu cognoscitur, diametrum sphaerae hordei Romani maximam esse omnium linearum, quae in his tabulis describuntur, vtpote quae latus contineat Paraticubi vigesies cum vna & viginti centesimis eiusdem partibus. Vt ergo propiùs ad instrumenti fabricam accedamus, latus Paraticubi lamina aerea, quàm maximè haberi potuit plana atque expolita, describi fecimus, fuitque recta ΔΘ, eamque in centum partes diuisimus, atque lineam deinde AB, accepimus, quae vigesies dictam contineret ΔΘ, atque insuper vnam & viginti centesimas eiusdem partes, quam nimirum lineam AB, esse propterea diximus diametrum sphaerae hordei Romani, talentum Hebraeorum pendentis. Igitur super recta AB, ducatur [a] primùm semicirculus ACB, in quo describatur prima proportionatrix ADB, diameter autem circuli AB, diuidatur in tot partes, in quot partes libuerit datum cubum multiplicare vel subdiuidere: nobis modò erit vsui diuisa diameter in partes centum viginti quinque, quae numeris adscriptis notantur, vt in ipso apparet instrumento; & ex singulis eriguntur perpendiculares, secantes proportionatricem & ex altero diametri termino A, ducuntur indefinitae rectae per puncta, in quibus perpendiculares ductae secant proportionatricem; quae rectae a puncto A, ductae numeris quoque semicirculo appositis notantur, vt ratio, quam quaelibet ducta linea habet ad diametrum, ex ipsis numeris distinguatur. Neque verò omnibus lineis numeros adiecimus, nam vel in maximo instrumento confusionem parerent tot numeri; sed singulis tantùm quinis lineis: medias namque quattuor facilè quiuis computabit.

a propos. 3. huius.

E

Et quia omnis huius instrumenti vsus ex huiusmodi linearum semicirculo applicatarum diligenti situ maximè pendet, quò earum quaelibet iuxta diametri diuisae partes examinari possit, sequentem quoque tabulam adiecimus, in qua cubus diametri AB, in centum viginti quinque partes diuisae, accipitur nimirum 1953125. atque eiusmodi cubus diuiditur in partes centum viginti quinque, datque cubum vnius librae 15625. Hunc numerum si duplices, efficies cubum duarum librarum 31250. si triplicaueris, cubum inuenies trium, & sic reliquos vsque ad finem tabulae; ex quibus numeris radices cubicae extractae dant vnius librae latus partium diametri viginti quinque praecise: duarum librarum $31\frac{1}{10}$. & sic reliquas, vt in tabula videre est.

TABVLA

PROPORTIONEM OSTENDENS, quam cubi applicatarum semicirculo linearum habeant ad cubum diametri: nec non quam ipsae applicatae habeant ad diametrum ipsam in centum viginti quinque partes diuisam, quarum singulae subdiuisae rursus in denas partes intelligantur.

Librae	Cubi	Latera
1	15625	25
2	31250	31 1/10
3	46875	36
4	62500	39 2/10
5	78152	42 2/10
6	93750	45 4/10
7	109375	47 4/10
8	125000	50
9	140625	52
10	156250	53 5/10
11	171875	55 6/10
12	187500	57 2/10
13	203125	58 8/10
14	218750	60 2/10
15	234375	61 6/10
16	250000	63
17	265625	64 1/10
18	281250	65 5/10
19	296875	66 9/10
20	312500	67 6/10
21	328125	69
22	343750	70
23	359375	71 1/10
24	375000	72 1/10
25	390625	73 1/10
26	406250	74 1/10
27	421875	75
28	437500	75 9/10
29	453125	76 8/10
30	468750	77 7/10
31	484375	78 6/10
32	500000	79 4/10
33	515625	80 2/10
34	531250	81
35	546875	81 8/10
36	562500	82 6/10
37	578125	83 3/10
38	593750	84 1/10
39	609375	84 8/10
40	625000	85 5/10
41	640625	86 3/10
42	656250	86 9/10
43	671875	87 6/10
44	687500	88 4/10
45	703125	88 8/10
46	718750	89 6/10
47	734375	90 2/10
48	750000	90 8/10
49	765625	91 5/10
50	781250	92 1/10
51	796875	92 7/10
52	812500	93 3/10
53	828125	93 9/10
54	843750	94 5/10
55	859375	95 1/10
56	875000	95 7/10
57	890625	96 2/10
58	906250	96 8/10
59	921875	97 3/10
60	937500	97 9/10
61	953125	98 4/10
62	968750	98 9/10
63	984375	99 5/10
64	1000000	100
65	1015625	101 5/10
66	1031250	101
67	1046875	101 5/10
68	1062500	102
69	1078125	102 5/10
70	1093750	103
71	1109375	103 5/10
72	1125000	104
73	1140625	104 5/10
74	1156250	104 9/10
75	1171875	105 4/10
76	1187500	105 9/10
77	1203125	106 4/10
78	1218750	106 8/10
79	1234375	107 3/10
80	1250000	107 8/10
81	1265265	108 1/10
82	1281250	108 6/10
83	1296875	109
84	1312500	109 6/10
85	1328125	109 9/10
86	1343750	110 3/10
87	1359375	110 8/10
88	1375000	111 2/10
89	1390625	111 6/10
90	1406250	112
91	1421875	112 4/10
92	1437500	112 8/10
93	1453125	113 3/10
94	1468750	113 6/10
95	1484375	114
96	1500000	114 4/10
97	1515625	114 8/10
98	1531250	115 2/10
99	1546875	115 6/10
100	1562500	116
101	1578125	116 4/10
102	1593750	116 8/10
103	1609375	117 2/10
104	1625000	117 6/10
105	1640625	117 9/10
106	1656250	118 1/10
107	1671875	118 6/10
108	1687500	119
109	1703125	119 4/10
110	1718750	119 8/10
111	1734375	120 1/10
112	1750000	120 5/10
113	1765625	120 8/10
114	1781250	121 1/10
115	1796875	121 5/10
116	1812500	121 9/10
117	1828125	122 2/10
118	1843750	122 6/10
119	1859375	122
120	1875000	123 1/10
121	1890625	123 6/10
122	1906250	123 9/10
123	1921875	124 1/10
124	1937500	124 6/10
125	1953125	125

A

SCHOLIVM PRIMVM.

HAC igitur ratione duplici via possunt applicatae lineae comprobari, num exactè constitutae sint, tum ex proportionatricis cum perpendicularibus communi sectione; tum etiam ex longitudine vniuscuiusque applicatae, num respondeat numero partium diametri, in hac tabula eidem lineae assignato.

SCHOLIVM SECVNDVM.

B

QVOD si praedictae lineae à termino A, ductae bene constitutae sint, dabunt singulae duas medias proportionales inter totam diametrum, & eius partem, quae intercipitur inter punctum A, & illam perpendicularem, quae eidem rectae occurrit in proportionatrice. Exemplis haec erunt manifesta. Ex puncto F. sexagesimae quartae diuisionis erigitur perpendicularis FD, secans proportionatricem in puncto D, & per D, punctum proportionatricis ducitur recta ADC, secans circumferentiam semicirculi in C. Vtique demonstratum est [a] rectas AC, AD, medias proportionales esse inter duas AB, AF. Quapropter cubus prioris AB, ad cubum secundae AC, habebit eandem rationem, quàm prima AB, ad quartam AF, nimirum quam numerus centum viginti quinque habet ad sexaginta quattuor. Cumque idem de omnibus alijs, lineis, quae a semicirculo ACB, secantur, probari possit, per spicuum est, eas omnes lineas latera esse cuborum, ad quae cubus diametri eam habeat rationem, quam in instrumento indicant eidem semicireulo adscripti numeri. [a] prop. 10. tertij huius.

C

His igitur sic constitutis, aptissimum habebis instrumentum, quo mediante idem prorsus in cubis praestare possis ac sphaeris, quod in addendis, subtrahendis, multiplicandis, aut diuidendis numeris ac lineis, vt dixi, praestare solebas.

SCHOLIVN TERTIVM.

D

NOTANDVM hic etiam est, priusquam ad vsus instrumenti veniamus, quattuor potissimùm lineas inter omnes praedictas reperiri, quae numeris integris praecisè respondent, nimirum primam, octauam, vigesimam septimam, & sexagesimam quartam, inter quas & diametrum, diuisae in partes centum viginti quinque, binae reperiuntur mediae proportionales, integrum earundem partium numerum continentes. Sunt autem praedictae quattuor continuè proportionales hae.

prima	secunda	tertia	quarta
125	25	5	1
125	50	20	8
125	75	45	27
125	100	80	64

SCHOLIVM QVARTVM.

E

SI igitur ponatur tota diameter latus cubicum centum viginti quinque librarum, erit latus vnius librae partium diametri praecisè viginti quinque, quod sic ostendo. Ex eo quòd sint quattuor lineae continuè proportionales, primaque habeat partes 125. & secunda 25. & tertia 5. & quarta 1. fit vt quam proportionem habet prima 125. ad quartam 1. eandem habeat cubus primae ad cubum secundae: nimirum eam, quam habent cubi vel sphaerae librarum centum viginti quinque ad cubum vel sphaeram librae vnius.

COROLLARIVM.

HINC sequitur, cubum latus habentem duplum lateris cubi vnius librae, nimirum partium diametri 50. esse octuplum prioris: nam quicumque cubus latus habuerit, bis continens latus alterius, eius erit octuplus; vnitatis enim cubus est vnitas,

binarij

binarij octonarius, quod ipsa binarij bina in seipsum multiplicatio demonstrat. Quapropter quam habet rationem numerus primae 125. ad 8. numerum quartae, eandem habet cubus primae lineae 125. ad cubum secundae 50. Atque eadem ratione demonstrari poterit, triplum primae 75. esse latus cubi viginti septem librarum, & cubum quadruplae 100. esse latus cubi sexaginta quattuor librarum, cùm vterque sit numerus, cubus hic quaternarij, ille ternarij, sicut numerus 8. est cubus binarij.

SCHOLIVM QVINCTVM.

BELLVD etiam notandum est, quòd cùm in fabrica instrumenti ostensum sit, lineas semicirculo applicatas esse ordine secundas ex quaternis continuè proportionalibus à maxima incipiendo; tertias verò in eisdem lineis à proportionatrice auferri: fit vt quattuor illae lineae tertiae proportionales, nimirum 5. 20. 45. 80. praecisè dent puncta proportionatricis in quattuor illis secundis 25. 50. 75. 100.

SCHOLIVM SEXTVM.

NON tantùm praedictarum octo linearum longitudo demonstratur vt vidimus, verùm etiam earum situs, & ad semicirculum applicatio. Nam si posito circini pede fixo in puncto A, mobilis extendatur vsque ad quinctae perpendicularis terminum in diametro, & circumducatur arcus; is absque dubio abscindet quartam, tertiam, secundam, & primam perpendiculares in punctis, per quae si à puncto A, ducantur rectae vsque ad semicirculum ACB, erunt constitutae quattuor lineae 100. 75. 50. & 25. id quod facilè demonstrari poterit. Nam linea AC, secans quartam perpendicularem μλ, in puncto λ, & semicirculum in puncto C, constituit duo triangula similia, si ducta intelligatur recta BC, nimirum ABC, & Aλμ; nam & rectangula sunt, & angulum habent, qui ad A, communem. quapropter erunt eorum latera proportionalia, nimirum AB, ad AC, sicut Aλ, ad Aμ, sed Aλ, ad Aμ, habet ex constructione proportionem, quam quinque ad quattuor: ergo AB, quae est partium centum viginti quinque, habebit ad AC, eandem proportionem. Ex quo fit, vt linea AC, sit partium centum, quod erat demonstrandum. id quod & in alijs tribus lineis demonstrari similiter poterit. Atque hoc ipsum ostendi alia quoque ratione potest: nam tota diameter diuisa intelligitur in quinque partes, quarum vnam prima linea 25. ex quattuor praedictis continet, secunda 50. continet duas, tertia 75. tres, quarta 100. quattuor, cum quibus tota diameter constituit triangula rectangula, vt pote, quae in semicirculo; sed hoc idem efficit linea quinque partium cum quattuor illis praedictis perpendicularibus: ergo constituit triangula similia.

SCHOLIVM SEPTIMVM.

QVOD si cui difficile videretur, longiores lineas exactè duci posse per propinquiora illa puncta quartae, tertiae, ac secundae perpendicularis, facilè is posset similia puncta earundem linearum in pluribus alijs perpendicularibus inuenire. Nam si quicumque numerus partium diametri accipiatur, qui sit quinarij multiplex, atque super eodem centro A, arcus circumducatur ad interuallum multiplicis numeri partium assumpti, is in perpendicularibus, quae à termino diametri A, & à se inuicem tot partibus distant, quot vnitates sunt in multiplici quinarij assumpto, dabit puncta pro praedictis quattuor lineis ducendis. Nam si, verbi gratia, accipiatur denarius quinarij duplus, & iuxta decem partium diametri longitudinem circumducatur arcus, is in secunda perpendiculari abscindet lineam 25. in quarta lineam 50. in sexta lineam 75. & in octaua lineam centum, ex ijs quae à Euclide demonstrata sunt. Atque idem ipsum de alia quauis multiplicatione demonstrari facilè potest. a Euclid. lib. 6. prop. 2. & 4.

PROBLEMA XXIII. PROPOSITIO XXIIII.

DATIS quotlibet lineis inaequalibus, non habentibus continuam proportionem, alias atque alias interponere, ita vt inter omnes continua sit proportio, vel si continua esse non possit, ad continuas citra datam quamlibet accedere quantitatem.

HOC problemate instrumenti fabrica demonstratur. Datis namque AB, BC, BD, BE, BS, quinque lineis inaequalibus, vt praefertur, descriptoque super maxima AB, semicirculo ACSB, eidem applicentur & reliquae. & centro B, interuallo quartae BE, describatur arcus EF, ex eodemque centro B, describatur arcus AG, secans protractam BE, in G, iungaturque GF, secans circumferentiam in H, & rectam BC, in I, quae nimirum GF, erit a perpendicularis ad diametrum. Iungatur deinde HB, & ex centro B, describatur arcus IK, secans rectam BH, in L, ducaturque super eodem centro B, arcus HM, occurrens protractae BK, in M, iungaturque ML, secans circumferentiam in N, ducaturque BN, quae extensa secet arcum HM, in P, & ex eodem centro ducatur arcus NO, secans rectam BH, in O, & iungatur OP, quae si occurrat circumferentiae in puncto D, ibi sistendum; sin minùs, vlteriùs eadem ratione procedendum, donec perpendicularis ducta occurrat puncto D, vel citra datam differentiam eidem sit proxima; id enim fiet necessariò iuxta suprà b demonstrata. a Prop. 30. c. 2. huius. b Prop. 9. c. 3. huius cum suis scholijs.

Quod si perpendicularis OP, transeat per punctum D, facilè demonstrabitur, continuatam fuisse proportionem inter duas BC, BK. Primùm enim examinandum est, quot sint interpositae mediae inter BC, BK, iuxta c suprà demonstrata: nam cùm BH, sit media d inter BC, BI, hoc est, BK, rursumque inter BH, BK, sit media BN, & inter BH, BN, sit media BD, erunt hac triplici operatione in vniuersum interpositi inter BC, BK, termini numero septem, eritque BD, quinctus, computando a maximo. c Schol. 2. prop. 9. tertij huius. d 16. secundi huius.

Atque vt tandem ad extremas continuetur proportio, ducatur



D arcus HQ, secans rectam BG, in Q, iungaturque QR, ad punctum nimirum R, in quo arcus EF, secat rectam BH, quae si occurrat circumferentiae in puncto K, habetur intentum; sin minùs, vlteriùs esset progrediendum. Et quoniam inter BD, BK, sunt interpositi duo termini, si totidem interponantur inter BK, BE, totidemque inter BA, BC, erunt omnes termini interpositi inter BA, BE, 13. computatisque extremis, omnes erunt 15. ex quibus quartus erit BC, nonus BD, decimusquinctus BE. Totidem autem terminos interponendos esse inter BA, BC, quot inter BI, BF, vel BE, patet; quoniam BH, est media tam inter BC, BI, quàm inter BA, BF. e quare cùm pares numero positae sint lineae inter BC, BH, & inter BH, BI, pares quoque interponendae erunt inter reliquas BA, BC, & BI, BE, vel BE. e Coroll. 8. sexti Euc.

Rursum vt continuetur ad quinctam proportio ex centro B, describatur arcus SV, secans secundam BC, in V, & ex eodem centro



tionales inter lineam quamuis & aliam, quae ad eandem habeat proportionem, quàm 4. ad 5. vel quam 3. ad 5. vel quam 2. ad 5. id posset facillimè praestare, si similem praeallatae figurae super data maxima linea describeret, ac primùm ex aliquo problematum capitis huius inueniret lineam BS, maximam ex duabus medijs inter BA, datam, & BX, quintam eius partem; interpositis namque inter BA, BS, terminis 25. illi darent lineas BC, BD, BE, maximas ex duabus mediis inter diametrum AB, & lineas Ba, BZ, BY, BX, quae habent praedictam rationem partium: vt in ipso problemate ostensum est. Mediae verò reliquae facilè inuenirentur, si fieret vt AB, ad BC, ita BC, ad aliam; da-

centro describatur arcus CT, occurrens protractae BS, in T, iungaturque TV, quae si transeat per punctum E, habetur intentum: sin minùs, vlteriùs esset progrediendum, donec aliqua perpendicularis transeat per punctum E: tunc enim obseruatis terminis interpositis inter BC, BE, qui sunt in figura iuxta demonstrata 10, si totidem termini interponantur inter BE, BS, erit continuata proportio, & omnes termini inter extremas BA, BS, positi erunt 25. eisdemque BA, BS, computatis, omnes erunt 27. Atque eadem ratione ad plures ac plures alias continuari posset proportio.

A ret enim lineam Bb, tertiam proportionalem. & sic de reliquis.

SCHOLIVM PRIMVM.

HIVS problematis beneficio cum alijs supraposítis, tota appositi instrumenti fabrica demonstrari facilè posset. Nam cum solutio praesentis problematis tota versetur in interpositione vnius mediae proportionalis inter quaslibet datas, id quòd pluribus suprà problematis fieri posse ostendimus, si quis omnium linearum, quae maximo instrumenti semicirculo applicatae sunt, continuaret proportionem, seorsumque notaret, quotus ex illis terminis continuae proportionis coincideret cum singulis illarum; eiusmodi lineas facilè inuenire posset iuxta demonstrata[a].

a Prop. 6. c. 2. huius.

SCHOLIVM SECVNDVM.

ETIAMSI ad instrumenti demonstrationem hoc problemate lineas primùm media proportionatrice ad semicirculum applicauerimus, illisque mediantibus reliqua omnia fuerint peracta; tamen postquam quis sciret ex eiſdem lineis, quot termini essent interponendi inter maximam lineam 125. librarum & minimam vnius librae, cùm vtraque ex his extremis nota sit; maior ex suppositione, minor verò ex demonstratione, [b] *non amplius opus esset proportionatrice. Huius verò demonstrationis praesentis problematis figura exemplum esse poterit, in qua quattuor lineae BC, BD, BE, BF, non casu aut temere desumptae fuerunt, sed diuisa diametro AB, in partes quinque aequales, in punctis X, Y, Z, a, erectae fuerunt perpendiculares ad occultam proportionatricem, quae secta fuit in punctis f, d, e, b, per quae ductae fuerunt ad circumferentiam lineae BbC, BeD, BdE, BfS. quare iuxta demonstrata dant duas medias proportionales inter AB, diametrum, & eius partes Ba, Bz, BY, BX. Quapropter cùm inter has continuata sit proportio, vt praefertur, facilè inter omnes instrumenti lineas continuari proportio poterit.*

b schol. 3. praeced. probl.

COROLLARIVM.

HINC fit, vt si quis inuenire vellet duas medias propor-

PROBLEMA XXIIII. PROPOSITIO XXV.

DATO cuiuscumque cubi latere, latus dupli, vel quacumque ratione multiplicis, aut submultiplicis, ac plurima simul eiusmodi latera vnica facili operatione in instrumento inuenire; idemque ipsum in sphaerarum diametris praestari poterit.

B DATO in instrumento latere cuiuscumque cubi, vel diametro cuiuscumque sphaerae AE, si super AE, describatur, semicirculus, is auferet ex ductis à puncto A, lineis latera aut diametros, ad quorum cubos vel sphaeras habeat cubus lateris AB, vel sphaera eiusdem diametri AB, eandem rationem, quam indicant numeri, nimirum quam 125. ad centum viginti quatuor, & ad centum viginti tria &c. quoniam vt suprà [a] demonstratum est, semicirculi ACB, & AE, diuidunt illas omnes ductas lineas in eadem ratione diametrorum, nimirum vt tota AB, ad suam partem AE, ita & tota subsequens linea ad suam partem sectam à semicirculo AE, & permutando vt tota ad totam, sic ablata ad ablatam. quare sicut cubus totius ad cubum totius, ita cubus partis ad cubum partis: sed paulò antè demonstratum est, diametrum AB, habere ad ductas lineas proportionem, quam indicant numeri: igitur & lineae sectae à semicirculo AE, habent eandem proportionem, quam indicant numeri. Diuisus igitur erit cubus, cuius latus datur, vel sphaerae, cuius C diameter habetur AE, in partes 125. quod erat primò demonstrandum.

a prop. 39 c. 2. huius

Quod si quis cuperet datum cubi latus AE, in omnes partes numeri centum viginti quinque multiplicare, applicet lineam AE, ad primam, hoc est, ad minimam instrumenti lineam extensam, si opus fuerit, & diuisa linea AE, applicata bifariam, ductaque recta, quae eidem sit ad angulos rectos, notetur, vbi ea occurrerit diametro; erit enim ibi centrum eius semicirculi, qui [b] transibit per vtrumque punctum A, E, in prima instrumenti linea. Ducatur ergo eiusmodi semicirculus, vel intra vel extra semicirculum ACB, qui secabit omnes ductas lineas vel intra circulum, vel extensas in eadem ratione, quam indicant earum numeri, atque adeo earundem cubi habebunt quaesitam rationem. quod erat demonstrandum.

b ex coro prop. 1. ter tij Euclid

SCHOLIVM.

D QVONIAM *in hac secunda operatione difficile omnino est à minimis lineis ad maximas procedendo non aberrare, ideo notanda censui, quae operantem dirigant, ac ab omni erroris suspicione tueantur. Cùm enim in quolibet instrumenti semicirculo lineae secentur in eadem ratione, vt à maiore semicirculo secantur, fit vt iuxta demonstrata latus cubi octupli duplum futurum sit lateris cubi vnitatis. quare in linea primae semel notabitur dati cubi latus, & in octaua bis, & ter in*

ter in vigesima septima linea, & in sexagesima quarta quater: atque ita habebuntur quinque puncta, per quae transire debet ducendus semicirculus, si bene processeris; sin minus, iterum atque iterum omnia examinabis, donec comperias, vnde aut quo loco aberraueris.

PROBLEMA XXV.
PROPOSITIO XXVI.

DATO latere vnius librae auri, vel cuiusuis rei latera in instrumento inuenire duarum aut plurium librarum, necnon talenti vnius aut plurium, ac tandem vnius aut quotcumque vnciarum.

PROBLEMA hoc nihil praeterea exigere videtur aliud, quàm superioris ad subiectam materiam applicationem: ex eo enim, [a] quod superiùs ostendimus latera inuenire vnius librae in singulis metallis, aut alijs rebus, si ea ad primam instrumenti lineam applicentur describanturque per singulorum laterum terminos, vt praescribitur, semicirculi, [b] dabunt in diametro descripti semicirculi latera talenti vnius, nimirum centum viginti quinque librarum, in reliquis verò lineis latera cuborum, quos numeri indicant eisdem lineis adscripti.

Quod si praeterea plurium talentorum latera in singulis rebus exquiras, applicabis ad minimam, (si opus fuerit) extensam instrumenti lineam talenti inuentum latus, semicirculumque describes, vt dictum est. [c] qui quidem semicirculus in abscissis lineis latera dabit duorum, trium, ac reliquorum talentorum vsque ad centum viginti quinque.

Illud porro peculiare huius problematis erit, si ex dato vnius librae latere latera vnius aut plurium vnciarum exquiras, quod etiam facillimum erit iuxta demonstrata. Nam si datum librae latus ad duodecimam instrumenti lineam applices, ducasque per eius terminum semicirculum, is abscindet in minoribus lineis latera vndecimae, decimae, nonae, octauae, ac reliquarum vnciarum, nimirum latera partium assis, deuncis, dextantis, dodrantis, bessis, septuncis, semissis, quincuncis, trientis, quadrantis, sextantis, vnciae, hoc eodem quo computata sunt ordine. At in reliquis maioribus lineis latera inuenies tredecim, quatuordecim, quindecim, ac reliquarum vnciarum vsque ad centesimam decimam tertiam, nimirum librae vnius & vnciae; librae & sextantis; librae & trientis &c. vsque ad duas libras: deinde similem duarum librarum cum omnibus assis partibus compositionem dabunt lineae: & sic etiam trium & reliquarum vsque ad dictum centesimum decimum tertium vnciarum numerum.

[a] *prop. 18. ius.*
[b] *parte 2. op. praelentis.*
[c] *2. parte aeceden. obl.*

SCHOLIVM.

VIVS vltimi problematis demonstratio & vsus in eo potissimùm erit vtilissimus, quòd cùm in alijs à prioribus lineis, latera det vnius, duarum, & plurium librarum vsque ad nonam cum quincunce, post quam eadem latera alia atque alia ratione adinueneris, ea cum inuentis alia ratione lateribus si conferas, facilè experieris, an rectè in tuis operationibus processeris, aut secus.

PROBLEMA XXVI.
PROPOSITIO XXVII.

DATO latere vnius librae auri, vel cuiuslibet rei, latus librae vnà cum quauis librae parte aut partibus, nec non plurium librarum cum similibus partibus inuenire.

QVAMVIS praecedenti propositione ac scholio libras cum vncijs simul inuenire docuerimus, tamen quoniam partes librae non semper ad integrum vnciarum numerum reduci possunt; ideo illud insuper in hoc problemate addendum duximus, quod maximè vsui esse poterit. Plerumque enim accidere potest, vt non, quae in instrumento habentur lineae sufficiant, vtpote cùm aliquis numerus integer, simul cum aliqua fractione, qui numerus in instrumento expressus non esset, exquiretur. Quo in casu integrum datum numerum in partibus diametri, quas in prima instrumenti constructione signasti, à puncto A, computabis, ac sequentem partem iuxta fractionis denominatorem diuides; ex eisque diuisis partis partibus tot accipies, quot indicat eiusdem fractionis numerator, erectaque inde perpendiculari, per punctum in quo proportionatricem secuerit, lineam à puncto A, duces, atque ita quaesiti numeri lineam in instrumento habebis.

Exemplum esto. Si quaeras lineam, quae in descriptis semicirculis det latera cubi sex libras cum binis tertijs partibus pendentis; vtique septimam diametri partem à puncto A, computatam in tres partes diuides, atque per terminum secundae ex illis eriges perpendicularem, quae proportionatricem secet, atque per communem sectionem rectam à puncto A, duces, quae à descriptis semicirculis secabitur, ita vt det latus cubi sex libras cum binis tertijs partibus pendentis.

SCHOLIVM PRIMVM.

SATIS SVPERQVE praecedentibus problematis modum ac viam ostenderimus, qua singulorum tum metallorum, tum aliarum rerum ponderum latera lectori ingeniosus sibi comparare posset: non tamen propterea fecisse satis videmur vel lectoris vsui, vel nostro proficiendi studio; nisi & eadem inuenta latera in ipso instrumento expressa adhiberemus. Igitur iuxta ea omnia, quae demonstrata pluribus locis sunt, adiuueniemus diametrum AE, latus esse cubi aurei talentum, hoc est, libras centum viginti quinque pendentis, diametrum AF, latus esse argenti viui eiusdem ponderis, & AG, latus plumbi; AH, argenti, AI, cupri, AK, ferri, AL, stanni, AM, mellis; AN, frumenti Palaestinae; AO, aquae vel vini: AP, olei; AQ, frumenti Romani, AR, hordei Palaestinae; AS, hordei Romani; harum porro diametrorum semicirculi abscindunt in instrumenti lineis latera cuborum, qui eum librarum numerum in singulis eiusmodi rebus pendunt, quem indicant numeri eisdem lineis adscripti.

SCHOLIVM SECVNDVM.

QVONIAM singulari theoremate probatum est [a] eandem rationem esse diametri sphaerae ad diametrum alterius sphaerae, quae lateris cubi primae sphaerae aequalis ad latus cubi secundae sphaerae aequalis; ideo quae de inueniendis lateribus cubicis, librarum, vnciarum, aut talentorum ex vno dato diximus, ea omnia pari ratione procedunt in inueniendis in instrumento ex vna data diametro, diametris sphaerarum eiusdem ponderis. Atque vt hae etiam opera liberare lectorem possemus, ipsas quoque diametros talentorum auri, argenti viui, plumbi, aut aliarum rerum, in ipso instrumento assignauimus, & semicirculos super eos descripsimus, qui diametros abscindunt in ductis lineis librarum centum viginti quattuor, centum viginti trium, & reliquarum deinceps librarum vsque ad vnam. Est igitur diameter sphaerae talentum, hoc est, librae centum viginti quinque pendentis, ex auro AT, ex argento viuo AV, ex plumbo AX, ex argento AT, ex cupro AZ, ex ferro Aa, ex stanno Ab, ex melle Ad, ex frumento Palaestinae Ae, ex aqua vel vino Af, ex oleo Ag, ex frumento Romano Ah, ex hordeo Palaestinae Ai, ex hordeo Romano AB.

[a] *19. prop. huius.*

PROBLEMA XXVII.
PROPOSITIO XXVIII.

DATVM quodcumque corpus solidum aquae vel alteri liquori conferre, vel quod idem est, aquae quantitatem dato corpori aequalem inuenire.

CVM non omnia corpora potuerimus examinare, vt huic nostro instrumento adscriberentur, operaepretium duximus modum ostendere, quo ea omnia ad haec nostra reuocentur, quoque magis appareat plura esse instrumenti eius commoda. Sit in primis data quaelibet solida quantitas, verbi gratia, ex lapide, qui quidem lapis aqua sit gratior: praedictum igitur lapidem in aquam primùm immittes, ita vt non amplius aquam possit imbibere; moxque aqua eductum, atque leuiter extersum iusta bilance ponderabis, quantumque pendat, seorsum annotabis. sitque, verbi gratia, pondus quindecim librarum, mox tenui filo suspensum lapidem, atque alteri bilancis brachio ligatum in puram aquam immittes, ita vt solus lapis in aquae medio suspensus pendeat, bilanx & pondera, quae ex altera bilancis lance pendent, omnia sint in aere, neque aquam contingant. Quibus sic constitutis, lapidem iterum

rum ponderabis, quantumque sic pendat, notabis. Sit, verbi gratia, adinuentum pondus librarum quinque, deficiatque à priori pondere libris decem. & quoniam Archimedes ingeniosissimè quidem demonstrauit, solida leuiori humido immissa minùs ponderare, quàm in aere, eiusmodique ponderis differentiam aequalem esse, ponderi quantitatis ipsius humidi, solidae quantitati aequalis, sit vt aquae quantitas decem libras pendens aequalis sit dato lapidi. Quod si datum solidum non sit grauius aqua, aequari poterit oleo, vel alteri leuiori liquori, iuxta ea quae dicta sunt.

Archimed. lib. 1. de his quae vehuntur in aqua prop. 7.

PROBLEMA XXVIII. PROPOSITIO XXIX.

CVIVSCVMQVE rei, cuius pondus, aut quantitas explorata nobis nondum sit, latus cubicum, aut diametrum sphaerae in eodem instrumento inuenire; qui nimirum cubus, aut sphaera aequalis sit datae quantitati aut ponderi: necnon vnius, pluriumve librarum latera aut diametros inuenire.

SIT in primis propositum, lapidem, verbi gratia, ad cubum vel sphaeram reducere, vel quod idem est, latus assignare cubi, vel diametrum sphaerae dato lapidi aequalis, id quod duplici via praestari posset. Primùm si ex eiusmodi lapide cubum conficias parato nostro cubo lateris ΔΘ, aequalem, illumque pondere examinatum ad instrumentum nostrum applicueris, eadem prorsus ratione, qua nos metalla, ac alia in superioribus expendimus. Aliter tamen facilius id praestari posset, iuxta demonstrata, [a] praedictum lapidem ad aquam reuocando. Nam si exemplo superioris problematis lapis esset aequalis aquae decem libras pendenti, mox in instrumento inuenires latus cubi aquae decem libras pendentis, cuius lateris cubus dato lapidi aequalis esset, idemque inuenta priùs diametro decem librarum aquae, praestare poteris de sphaera dato lapidi aequali.

a superiori probl.

Ad inueniendum verò latus cubicum vnius librae dati lapidis in praedicto exemplo, [b] obseruabis, molem petrae libras quindecim pendentis aequalem fuisse moli decem librarum aquae, quapropter ex mutua collatione colliges molem lapidis pendentis libram vnam & semis, aequalem esse moli aquae libram vnam pendentis: ideoque inuentum [c] in instrumento latus vnius librae aquae, aequale esse comperies cubo lapidis libram vnam & semis pendentis. Qua etiam ratione inuentum latus trium librarum aquae aequale erit lapidi duarum librarum, & sic de reliquis tum cubicis lateribus, tum sphaerarum diametris philosophaberis.

b propos. praeced.

c probl. 25. huius.

PROBLEMA XXIX. PROPOSITIO XXX.

LATVS cubicum vel diametrum sphaerae cuiusuis mensurae liquorum, aut frugum, cuius in re qualibet notum sit pondus, in ipso instrumento mox assignare.

ECCE nunc tibi proponimus, lector humanissime, totius disputationis huius scopum ac finem, & dum aliud quidpiam videbamur agere, quasi ex inopinato & de repente incidimus in ea omnia, quae exoptare possemus; ita vt difficiles & asperas has omnes Mathematicorum vias meritò patefecisse videamur, qui sine vllo labore adinuenimus, quae omnibus laboribus, difficultatibus, ac molestijs spretis quaesitu dignissima sunt, inuentu non modò vtilissima, sed & iucundissima. Atque eò magis huius disciplinae studiosis haec ipsa, inuenta esse gratulor, quòd ea tum Mathematicarum peritis, tum reliquis omnibus earum etiam ignaris in promptu esse possunt ac manifesta, hoc vno tantummodo excepto, quòd Mathematicos ipsa demonstrationum vis atque efficacia in nostram coget venire sententiam; immo verò non coget: perspecta enim veritate, quadam animi propensione in eam adducet, efficietque vt in ea perpetuò maneant: reliquos, quibus demonstrationum pondera perspecta esse nullatenus possunt, pro vniuscuiusque captu suis ductos coniecturis, vel ratio efficiet, vt cum illis sentiant, vel animi affectio, ignoratio, aut error efficiet, vt ab eis longè dissentiant.

Sentiat tamen pro arbitratu suo vnusquisque; nobis hoc curae maximè est, vt ea scribamus, quae nouimus.

Ad propositi igitur problematis solutionem accedentes hoc primùm testamur, quòd cùm latera cuborum vnius librae, duarum, aut plurium ex singulis metallis, aut rebus alijs in ipso instrumento assignauerimus, si quis, verbi gratia, supponat Romanum congium aqua plenum decem libras pendere, is in semicirculo diametri AO, quaerat lineam decem librarum; ea A enim erit latus cubicum congij: & ex consequenti semipes Romanus antiquus. Pari quoque ratione, si quaerat quis latus cubicum amphorae, quam melle plenam crediderit pendere libras centum viginti, in semicirculo mellis AM, quaerat lineam centum viginti librarum: ea enim dabit latus amphorae, & ex consequenti pedem Romanum antiquum. Tandem si quis supponeret choenicem, hoc est, quattuor sextariorum mensuram auro plenam centum viginti quinque libras penderé, is facilè inueniret lineam AE, diametrum semicirculi aurei latus esse eiusmodi cubi quattuor sextariorum. Et quoniam infrà probaturi sumus, latus cubicum choenicis aequale esse palmo, hoc est, sextae parti cubiti sacri, qui lineam AE, sexies acciperet, cubitum sacrum haberet. & sic de alijs omnibus mensuris, atque eorum lateribus inueniendis procedendum est. Quod verò ad diametros spectat sphaerarum, his eisdem cubis aequalium, cùm diametri proprios habeant semicirculos, vt diximus, in illis quaerendae essent lineae, quae datorum ponderum in re quauis essent diametri sphaerarum. Atque haec obiter de mensurarum lateribus dicta sufficiant, quoniam ea alibi sunt fusiùs pertractanda. B

PROBLEMA XXX. PROPOSITIO XXXI.

RERVM omnium, quarum cubica latera in instrumento signata erunt, ponderis proportionem in ipso instrumento, in singulisque mensuris experiri.

GRATISSIMVM esse poterit legenti, sine vllo labore aut difficultate in ipso instrumento rimari, quantum, verbi gratia, choenix, quae auro plena centum viginti quinque libras pendit, pendat plena argento viuo, vel alia quauis re. quod vt assequatur, centro A, internallo AE, lateris choenicis auri describet arcum, per E, obseruabitque, ad quorum ponderum lineas secet eiusmodi arcus semicirculos reium in instrumento descriptarum, inuenietque pendere choenicem argento viuo plenam libras centum, quot nimirum illi assignauit Vitruuius suprà relatus; ferro plenam quinquaginta quattuor, stanno quinquaginta; melle decem, & sic de alijs: nam vbi integri fuerint librarum numeri, omnes ordine talento minores habebuntur in instrumento, atque adeo facilè poterunt obseruari. At verò si non praecisè in linea aliqua secaret arcus ductus ex E, semicirculum rei quaesitae, cuperetque aliquis scire quae pars aut partes lineae addendae essent, vt iustum numerum ponderis haberet, is ducat rectam à puncto A, per sectionem arcus per E, ducti, & semicirculi rei quaesitae, & à puncto communi sectionis ductae lineae cum proportionatrice, ducat perpendicularem ad diametrum; ea enim secabit in diametro numerum librarum cum parte vel partibus eius, quas pendit choenix rei propositae, vt ex ipsius instrumenti constructione patet. verùm quoniam, quae ad mensurarum & ponderum proportiones spectant, non minùs vtilia, quàm iucunda esse poterunt, examinandisque mensuris necessaria, integras de ea re tabulas proprijs huius partis locis subijciemus. C D

Vitruu.

Iam verò quoniam cupimus his nostris Mathematicis disputationibus finem imponere, eas Aristotelis insigni de circulo testimonio claudere decreuimus. Is enim mechanicas quaestiones, quas Mathematicarum contemplationum naturaliumque communes vocat, tractare aggressus: Miraculo sunt, inquit, ea quidem quae natura contingunt, quorum ignorantur causae: illa verò quae praeter naturam, quaecumque ad hominum vtilitatem arte fiunt. Enumeratis ijs, quae miranda sunt, contrariaque videntur, subdit: Omnium autem huiusmodi causae principium habet circulus. istud verò ratione contingit: ex admirabili enim mirandum accidere quidpiam non est absurdum. Percenset deinde idem Aristoteles quaedam, quae in circulo maximè sunt admiranda; eiusmodique disputationem his verbis concludit: Quapropter (vt dictum est priùs) non est inconueniens, ipsum, nimirum circulum, miraculorum omnium esse principium. Hactenus ille. E

Aristot. prooemio mechanic. quaest.

Nos verò huiusmodi testimonium in lectorum gratiam ideo adduximus, quòd haec tota disputatio nostra ad circulum reduci facilè possit. Nec tantùm ea, quae de passionibus linearum in circulo descriptarum hactenus disputauimus; verùm etiam ea, quae sequenti capite de grauium directione ac motu dicturi sumus, ad circulum reuocanda videntur; siquidem ea omnia à circumferentia ad circuli centrum diriguntur; indeque proueniunt ea omnia, quae proponemus, accidentia. Quapropter si alio esset peculiari nomine hic noster nuncupandus liber, de mirabilibus circuli nuncuparetur. Quidquid enim eximium, quidquid mirandum, aut singulare hac nostra disputatione proponitur, id omne circuli mirabilibus annumerandum est, cuius beneficio haec, ac plura his etiam mirabiliora praestare possemus; si eius naturam, & affectiones plenè perspicere daretur. Quibus, quoniam ampliùs de eis disputare non vacat, appositò sequenti instrumento finem etiam imponemus.

AVGEN-

AVGENDORVM MINVENDORVMV

316

INSTRV

In quo describuntur diametri Sphaerarum, & latera cubica metallorum, aliarumque rerum, quae hic recensentur, libram unam, duas, & r
atque Romanis usui fuêre, quantumque singulae, singu

QVOD IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS CORDVBENSIS E SOCIETATE IESV NVNC PRIMVM
Eius structura & usus his extremis potissimum, h



as deinceps usque ad centum uigintiquinque pendentium: Cubica quoque latera assignantur mensurarum, quae Hebraeis olim, Graecis,
raedictis rebus plenae, pendant, indicatur

COGITAVIT AERE QVE PRO SVO VRBIS AC TEMPLI APPARATV INCIDI EXCVDI QVE CVRAVIT.
apitis quincti problematis, latius explicatur.



eodem Apparatu Kalendis Ianuarij CIↃ IↃ XCIX.



NVM MONTVOSA REGIO VLTRA QVADRVPLVM MAIOREM sui vsum exhibeat, quàm inferioris areae spacia definiant, Vbi de centro grauitatis, & linea directionis. Cap. VI.

QVO mecum ipse attentiùs reputò, resque veterum cum rebus horum temporum atque nostratibus conferò, eò mihi scriptores ij feliciores videri solent, qui graui aliquo scribendi argumento proposito, rectum, ac sine vlla offensione cursum in suis lucubrationibus tenere potuerunt. Quam sanè felicitatem hoc mihi censeo vehementiùs expetendam, quòd elapsis iam tot annis, quibus in hoc elaborando pro viribus, atque ornando opere versor, tum doctissimorum virorum exspectatio, tum assiduae amicorum cohortationes eius exitum & absolutionem non postulant modò, sed iure suo quodammodo flagitant. Ego verò contrà ita me eorum, quae pertractanda sunt, copia, magnitudine, difficultate obrui sentio, atque adeo ita animum viresque debilitari, vix vt mihi sperare videar, me aliquando, quò cupio, facilè peruenturum: siquidem quando iam portus esset aspiciendus, nondum vnde solui, longiùs me intelligo recessisse. Verumtamen dum ego maximè grauissima, quaeque, omissis ceteris vrgere cogito; ecce tibi, repente cogor ad res Mathematicas, tamquam ad scopulum adhaerescere. Nonnulli enim non nihil cognita Israelitici populi amplitudine, ac vicissim Palaestinae regionis angustijs, cùm satis intelligere non possent, qua ratione ista inter se consentiant, affirmare non dubitant, eam regionem, quòd longè lateque sit montibus referta, eosdem vsus habere, ac si quadruplo ferè maior esset ea agri planitie, in qua montes illi sunt siti. Quod etsi rerum naturae atque experientiae ipsi repugnat; prima tamen specie plausibile nonnullis videri solet, qui aut hanc facultatem rei expendendae non habent, aut certè non satis in eius facultatis initijs persequendis & enucleandis elaborarunt. Quae cum ita sint, non possum rem tacitus praeterire; immo verò cogor vt propriam instituti mei ac muneris arbitrari. Primùm enim nos Ezechiel, vt in secundo volumine vidimus, ad agendum de Palaestina videtur impellere: deinde verò si vna disputatio de Regni Israelitici amplitudine ac maiestate scriptores illos hac de re agere coegit; cur mihi non est ea res expendenda diligentius, cui plura sunt de illo Regno & maiora dicenda? Vt igitur id via quadam & ratione tractemus, videndum erit, opinor, in primis, & quos praestet vsus terra mortalibus. & eos quidem ego praecipuos esse arbitror duos. Tellus enim est & ad exstruendas aedes, vbi homines diuersentur, & ad ferendas arbores ac plantas, quibus tum homines tum pecudes vescantur, idonea. Cùm verò aedificia plantasque omnes, vt consistere ac permanere queant, rectas esse oporteat; ea videlicet rectitudo ex huius vniuersitatis medio, quod mundi centrum dicimus, & ex ipsorum corporum medio, siue centro grauitatis per directionis lineam sumenda est. quapropter haec erunt mihi omnia ita perstringenda, vt ab instituti nostri ratione non recedam. Nam neque absoluendi cupiditas patitur me longiùs euagari, & vicissim studium, quo illi fortasse capientur totius libri perlegendi, qui eius lectionem semel degustare coeperint, me hortatur, vt neque ab alijs quidquam mutuer describendo, neque alia dicam praeter ea, quae hisce studijs atque alijs huiusmodi con- A ducant, quaeque maximè sperem iucunda fore legentibus. Porro in hac disputatione consuetudinem Mathematicorum sequemur, vt eam in suas proportiones, nonnullis initio propositis definitionibus diuidamus.

DEFINITIO PRIMA.

VNIVERSI medium appetunt omnia grauia, quod centrum dicitur mundi.

DEFINITIO SECVNDA.

CENTRVM grauitatis cuiuscumque grauis est eiusdem grauis medium.

B HANC vtramque definitionem ex Aristotele desumptam, eiusdem verbis ac rationibus licet comprobare. Is enim, dum terram sphaericam esse adstruit, inter alias validissimas rationes hanc affert: Videre autem, inquit, non est difficile modicum insistentes & diuidentes, quomodo censemus quantamuis magnitudinem grauitatem habentem, ad medium ipsum ferri. Intentam animi cogitationem, omni seposita confusione, exigere primùm videtur sapientissimus philosophus ad hanc naturalium virium, ac motuum contemplationem: deinde ad medium ferri omnia grauia, manifestis verbis expressit. Medium autem aptè dici in sphaera centrum, vel ipsa sphaerae definitio, qua vsus C est Cicero, manifestè demonstrat; sic enim de mundo scribit. Ergo globosus est fabricatus, quod σφαιροειδὲς sphaeroides Graeci vocant, cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. Haec Cicero. De centro autem grauitatis sic idem Aristoteles: Manifestum enim est, quod non quousque tangat centri extremum (centrum extremo, aut extrema sui parte, legendum putarem; centrum enim non habet partes) sed oportet praeualere quod est maius, donec vtique suo ipsius medio medium ipsum acceperit. Haec planè Aristotelis ratio mihi videtur aptissima ad centri grauitatis naturam percipiendam. Nam si sublata de medio terra, intelligamus corpus quodcumque graue, à Lunae, verbi gratia, concauo demitti, ad centrum vtique mouebitur, neque quiescet, cum extrema sui parte centrum contigerit: non enim est in centro vis aliqua, quae corpora teneat, ne inde moueantur, sed in ipsis grauibus potiùs, atque in singulis eorum partibus est grauitas, quae ducit ad centrum. Cùm ergo pars illa extrema D corporis, quae centrum contingit, quaeque si ab alijs esset seiuncta, quiesceret, comprimatur ab alijs grauioribus, quae illi supersint, & resistere non possit potentioribus, necessarium est eam cedere, à centro dimoueri, atque in oppositam partem ferri, donec totidem secum partes aequè ponderantes attulerit, quot ex hac superiore parte manent. Haec autem omnia, quae dixi, ad vnam tantummodo lineam pertinent, per quam graue illud recta via motum est. Atque hoc, quod in ea linea praedicti motus hactenus comprobauimus, idem prorsus in alia quauis linea cuiusuis alterius motus, qui a concauo Lunae ad centrum mundi fieret, pari ratione ostenAristot. 2. de caelo c. 7. tex. 107.

Cicer. lib. de vniuersit.

ostendetur. Ex quo fit, corpus illud non prius posse quiescere, quàm suo ipsius medio medium mundi contingat: tunc enim suarum partium aequè undique ponderantium ponderecorpus, illud aequeponderatum habit.

Plato in Phaedo.

Quin & de tota terra similiter philosophandum significauit Plato, illis verbis: Hoc igitur ratum fixumque in animum induxi meum, *ait*; primùm si ipsa terra in medio est vniuersi, à caelo circumquaque aequis circumducta spatijs, nullius quidem illam rei praesidio indigere, neque aëris, neque alius cuiuspiam necessarij fulcri vti ne cadat. Verum ad eam retinendam satis esse, quod caelum sibi quaqua versus simile sit, καὶ τῆς γῆς αυτῆς τῳ ἰσοῤῥοπίαν, & quod ipsa terra sit aequilibris. Res enim aequilibris in similis cuiusdam aequique medio constituta non poterit aut magis aut minus *aliorsum declinari*, quodque similiter & eodem se habet modo, in neutram inclinet partem, sed constanter permanet.

Ex his igitur, quae diximus, manifesta quoque fiunt, quae ab alijs traduntur centri grauitatis definitiones.

Papp. Alex. lib. 8. Mathem. collect.

Pappus enim Alexandrinus: Dicimus autem, *inquit*, centrum grauitatis vniuscuiusque corporis punctum quoddam interpositum, à quo si graue appensum mente concipiatur, dum fertur, quiescit, & seruat eam, quam in principio habebat positionem, neque in ipsa latione circumuertitur. *Hae autem definitione aptè quidem explicantur ea, quae praedictam centri naturam consequuntur: ex eo enim, quod centro illo intelligimus grauitatem corporis vndequaque bifariam diuidi, necessarium est, illo puncto manente totum quoque corpus manere; aequale enim ab aequali non mouetur: non ergo potest totum corpus moueri eius centro manente, neque vna aliqua ipsius pars potest alteram mouere, cui est pondere ac situ aequalis; atque adeo neque positionem mutare, neque in latione circumuerti potest, nisi accedat impetus, vel alia aliqua extrinseca ratio, de qua non est nobis sermo.*

Pedericus Comman. lib. de centro grauitatis.

Aliam affert Commandinus eiusdem centri definitionem huiusmodi. Centrum grauitatis vniuscuiusque solidae figurae est punctum illud intrapositum, circa quod vndique partes aequalium momentorum consistunt. *Hactenus plenè definiuisse videtur, idque quod nos vocamus grauis medium, ipse explicat, qua ratione sit intelligendum: corporibus etenim & figura & pondus expendi possunt, & tam pondus quàm figura in aliquibus corporibus sibi inuicem conueniunt, vt videre est in sphaera, & similibus; tamen non semper id accidit, cùm in plerisque corporibus longè diuersa sit figurae & ponderis ratio, & figurae medium longè distet à ponderis medio. Quapropter monendum videbatur in perueſtigatione centri grauitatis, ponderis tantummodo rationem habendam, non magnitudinis aut molis; idque significare voluimus, dum grauis medium diximus; atque Aristoteles, dum* suo ipsius medio *dixit, ac si apertè diceret, grauis in eo, quod grauis est attendendum esse medium. Illud verò quod definitioni superaddit explicandae definitionis gratia Commandinus, explicandum videtur: non quod dubitemus, quid vir doctus in re manifesta senserit, sed quoniam ad complementum speciat disciplinae ea remouere, quae addiscentibus, alijsve minus ea in re eruditis occurrere possent impedimenta. Is igitur:* Si enim, *inquit*, per tale centrum ducatur planum, figuram quomodocumque secans, semper in partes aequeponderantes ipsam diuidet. *Haec ille. In quibus secare & diuidere non ita accipienda sunt, vt separationem ab inuicem partium significent; sit enim plerumque, vt graue iuxta planum aliquod per centrum grauitatis transiens, diuisum in duas partes aeque ponderantes minimè diuidatur: quoniam postquam diuisae sunt grauis partes, quaelibet earum ad suum centrum habet rationem, non amplius ad prius, quod erat totius centrum. Ex quo fit, diuersam sortiri plerumque rationem ponderis respectu vnius centri ab ea, quam habuerant respectu alterius. Cuius rei ea potissimum ratio exhiberi potest, quòd partes quò magis vel minùs distent à centro, eò magis vel minus ponderant, vt infrà obiter ostendemus. Sensus igitur eorum verborum erit huiusmodi: si planum intelligatur quomodocumque transiens per centrum grauitatis, circa praedictum planum partes aequeponderantes semper erunt. Id quod & verum est, & exemplo quodam à magnitudine ad pondus translato probari potest. Sicut enim sphaerae proprium est, ex eo tantum, quod habeat punctum in medio ab aequalibus vndique longitudinis partibus circumdatum, vt sphaera in duas partes aequales diuidatur à plano per illud medium transeunte, neque vlla ratione potest in duas diuidi partes aequales, plano per centrum non transeunte: sic etiam ex eo, quod vnumquodque graue habet suum grauitatis medium, in duas partes pondere aequales secabitur à plano per centrum transeunte; neque plano poterit intelligi in duas aequas ponderis partes diuidi, quin praedictum planum per illud medium transeat.*

A

DEFINITIO TERTIA.

B LINEAM directionis vocamus eam, quae motus grauium dirigit: ducta nempe intelligitur esse à mundi centro ad verticem grauis.

GRAVIA *omnia suo naturali pondere feruntur ad medium, quod terrae ambitu continetur; & ideo quae apud nos sunt omnia, vel mouentur vel quiescunt: quae quiescunt, ideo non mouentur, quod impediuntur, & detinentur: eorum verò, quae mouentur, quaedam in motu impediuntur, alia verò expedita sunt. Exemplum videre est in aqua circa terram mota, quoniam non potest rectà descendere; & de hoc motu vtpote irregulari & iuxta rationem impedimenti accommodato, nihil nobis in praesentia dicendum: si autem minimè impediantur grauia, rectà descendent. Illa ergo*

C *linea, quae eiusmodi motum dirigit, siue quae motum dirigeret, si impedimentum auferretur, dicitur linea directionis. Hanc verò lineam necesse est à centro procedere, vel ad centrum tendere, quod idem est. Nonnulli eam vocant perpendicularem horizonti: nam tendere intelligitur vsque ad verticem: ita vt propterea Clauius horizontem definierit describi ex vertice tamquam polo: quoniam linea directionis à centro procedens, vsque ad verticem se extendens, horizontis est axis.*

Clauius libro de sphaera c. 1. §. de circulis sphaerae.

PETITIO SIVE SVPPOSITIO.

PETIMVS omnes directionis lineas habendas, ac si essent parallelae.

D *VAMVIS ex dictis constet, omnes lineas directionis in centro mundi concurrere; ideoque quò magis distant à centro, eò magis inter se ipsas distare; tamen tanta est distantia à centro, vt haec maior vel minor linearum directionis distantia nullo possit sensu percipi, nulla ratione dijudicari queat. Et quoniam de rebus naturalibus agimus; quae palmis, pedibus, atque alijs physicis mensuris dijudicandae sunt: ideo Mathematicas subtilitates praetermittendas censemus, ac de directionis lineis haud secus iudicandum, quàm si essent parallelae. in quo nobis assidua opitulatur experientia, manifestumque Astrologorum exemplum. Videmus enim in primis celsissimum exstrui nurum, cuius vtraque superficies exactè ad perpendiculum, hoc est, ad lineas directionis respondet: & tamen si in summo atque in imo mensuretur, prorsus aequalis iudicabitur, haud secus quàm si parallelis exaequaretur lineis. Exemplum verò huic nostro simillimum videmus*

E *in Astrologis, qui tam horologijs, quàm alijs instrumentis experiuntur in horizonte tunc Solem esse, cùm stuli vmbra horizonti fuerit parallela; cùm tamen horizon & solis radius vmbram dirigens, ab eodem Sole tamquam à centro simul procedant; atque adeo parallelae esse non possint: quapropter parallelas lineas pro eisdem plerumque accipiendas praecipiunt. Quae omnia doctè satis vt cetera, & in libro de horologijs, & de sphaera pertractat Clauius.*

a defin. 3. huius.

Clau. lib. de horolog. plurib. locis. & de sphaera c. 1. q. An ex terra, & aqua §. colligitur rursus.

PRO-

PROPOSITIO I.

AD motum hominis progressiuum directionis lineam moueri necesse est: idemque de alio quocumque graui intelligendum.

HAEC propositio manifesta quidem sit ex lineae directionis definitione: nam si in superficie terrae AB, cuius centrum C, intelligatur homo, vel quodcumque graue erectum AD, vtique linea directionis tunc esset DC, quoniam ea recta via duceretur, si descenderet ad centrum. Si verò AD, moueatur vsque ad BE, altam sine dubio haberet directionis lineam, nempe rectam EC: ea enim dirigeretur, si liberè descenderet ad centrum.

COROLLARIVM.

HINC fit, vt homo suo motu progressiuo horizontem quoque mutet: hominis enim AD, Zenith esset F, extensa linea ED, vsque ad F: at verò hominis BE, Zenith foret G, pari ratione exploratum. quare cùm ex Zenith tamquam polo describatur circulus horizontis, ex diuersis ad eandem sphaerae partem polis, diuersos circulos maximos describi necesse est, eundem est impossibile.

SCHOLIVM.

AEC horizontis tam crebra mutatio in rigore Mathematico intelligenda est: Astrologi enim & Cosmographi physico more loquentes, in eisdem regionibus eosdem putant manere horizontes.

PROPOSITIO II.

CVIVSCVMQVE solidi centrum grauitatis loco suo in figura dimoueri potest, cum aliquid additur, vel minuitur, vel cùm partes alia ratione constituuntur.

SIT in cubo AB, ex consimili materia conflato centrum grauitatis C, quod triplici ratione mutari potest: vel si dato corpori addatur corpus ED, tunc enim dimidium ponderis grauis AB, minus esset dimidio ponderis corporis AE: quapropter necessarium est centrum grauitatis mutatum fuisse versus additam partem. Quod erat primum. At si ex AB, detrahatur AF, erit dimidium residui DF, minus quàm dimidium totius AB, ex quo fit, centrum grauitatis recessisse à priori centro C, versus partem DB, quod erat secundum. Ac ne aliquis casus videatur desiderari, alicui etiam videri posset mutari centrum grauitatis, addendo pariter ac minuendo, quod verum est, & in triplici eti am casu potest contingere. Prismm si vtrimque addatur, & minuatur aequale pondus, & aequaliter positum, tunc idem centrum grauitatis maneret, cùm communi axiomate [a] medietas cum addita, & sublata quantitate aequali, aequalis sit alteri medietati, cum addita aeque sublata aequali quantitate. Deinde si ex additione cum subtractione ponderis inaequalitas resultet, ad casus praedictos reuocanda erit. Tandem si ex diuersa partium positione inaequalitas proueniat, ad subsequentem casum reuocanda erit operatio: ideoque non oportuit additionem cum subtractione commemorare.



Axiom. lib. 1. uclid.

Ad vltimum propositionis casum veniamus. Si ab eodem corpore auferatur pars AF, eademque corpori addatur ex altera parte, ita vt DE, sit aequalis ipsi AF: dico etiam tunc centrum grauitatis mutatum fuisse. Nam cùm ex communi axiomate AB, & HE, sint aequales, erunt [b] quoque eorum medietates aequales; cumque medietas corporis AB, commensuranda sit à superficie AI, & medietas corporis HE, ex superficie GE, necessarium est inuicem minimè conuenire posse; ex quo fit mutatum fuisse grauitatis centrum. quod erat tandem ostendendum.

5. quinti Eucl.

PROPOSITIO III.

IN sphaera ex aequaliter ponderantibus constata idem est centrum grauitatis & magnitudinis: si verò ex dissimilibus constet, & idem potest esse & longè diuersum.

DATA sit sphaera A, ex aequiponderantibus primùm constata, & quotcumque partes accipiantur ex vna parte. si totidem eisdem aequales accipiantur ex alia, has & illas ex suppositione oportet esse aequiponderantes, sed non est dare dimensionem aliquam in sphaera à centro, hoc est, à medio ad extrema, quae non sit reliquis omnibus aequalis: ergo & aequiponderans. Ex quo fiet, vt idem sit magnitudinis quod grauitatis medium, quod erat primum. At si ex non aequiponderantibus constetur, poterit esse idem centrum atque diuersum. Sint enim sphaerae portiones inter se aequales, & aequiponderantes BC, & DE, portio verò sphaerae CD, sit tota sibi inuicem aequiponderans, sed à prioribus pondere longè diuersa, & tunc idem erit centrum grauitatis sphaerae A, quod & magnitudinis iuxta demonstrata. Quod si portiones BC, DE, sint magnitudine aequales, pondere verò inaequales, manebit vtique magnitudinis centrum; mutatum verò intelligetur fuisse grauitatis centrum, iuxta superioris problematis casus.

PROPOSITIO IIII.

OMNIA grauia non impedita ita descendunt, vt centrum grauitatis non discedat à linea directionis.

IN graui AB, sit centrum grauitatis C, à quo ad centrum mundi D, ducatur recta CD. dico descendente graui AB, punctum C, non recedere à linea CD; ea enim est breuissima extensio. Quare cùm à nullo impediatur graue, atque aequalium momentorum partes dictum punctum C, circumstent, nihil prohibere poterit, quò minùs relictis omnibus longioribus vijs breuissimam peragret.

PROPOSITIO V.

OMNE corpus puncto insistens tunc stabit, cùm linea directionis per punctum, cui innititur transiens, per centrum quoque grauitatis eiusdem transierit: cadet autem si transierit extra centrum grauitatis.

PONATVR pyramis ADB, cuius grauitatis centrum C, puncto D, insistat. Quod si linea directionis HD, extensa transierit per punctum C, corpus stabit; quoniam eius omnes partes aequiponderantes ex aequo distant à praedicta linea. Ex quo fit vt nullae partes, reliquas in alteram partem perducere possint: stabit igitur pyramis. At verò si pyramis EDF, ita sit constituta, vt linea HD, extensa transeat extra G, centrum grauitatis pyramidis EDF, cadet pyramis, quoniam partes DCF, plus ponderant quàm reliquae DCE.

SCHOLIVM PRIMVM.

HOC ipsum quod de pyramide dixi, de sphaera quoque intelligendum est, & de alio quouis corpore, quod puncto possit insistere. Quoniam quod ad punctum, cui insistit, & ad centrum grauitatis spectat, eadem est in omnibus ratio.

SCHOLIVM SECVNDVM.

NON aliter iudicandum videtur de corpore, lineae insistenti; quàm de eo, qui insistit puncto; ideoque de eius insistentia haud secus iudicandum est, quàm si alicui ex punctis lineae cui insistit, tantummodo insisteret.

PROPOSITIO VI.

PERFECTE sphaericum si graue sit, & perfecto plano insistat, nec impediatur, semper mouebitur, donec ad plani punctum perueniat, in quo tantum quiescere potest.

GRAVE AD, perfectè sphaericum insistat perfectè plano AB, & centrum mundi sit C, & ex C, intelligatur ducta sphaera EF, quae praedictum planum contingat in puncto F, ducaturque CFG. tunc dico sphaeram AD, nisi impediatur, moueri, donec insistat puncto F, in quo tantùm consistere potest. Nam si per punctum A, cui insistit sphaera AD, ducatur recta CA, & extendatur ad I, cadet infra punctum D. Iam si plano AB, iungatur recta AF, fiet triangulum CFA, in eodem existens plano, & in eodem plano sphaera EF, abscindet circulum EF. Et quoniam linea AF, circulum EF, contingit, [a] angulus CFA, rectus erit, & [b] angulus CAF, minor recto; cumque [c] angulus IAH, sit aequalis angulo CAF, erit minor recto, & angulus FAI, maior recto; maior igitur est portio sphaerae manens in maiori angulo EAI, quam reliqua manens in minori angulo IAH. ea igitur praeponderabit, & trahet sphaeram in F. In puncto verò F, quiescet; quoniam cùm duae sphaerae CF, & FG, [d] esse contingant in F, quae à centro vnius C, ad centrum alterius G, ducetur, recta transibit per vtriusque contactum F, ideoque [e] tunc stabit, iuxta demonstrata.



a 18. tertij Euclid.
b 32. primi Euclid.
c 13. primi Euclid.
d ex praeced.

SCHOLIVM.

HOC totum alia quoque ratione poterit demonstrari; in eadem enim figura cùm totum planum AB, sit extra sphaeram EF, habeantque punctum F, commune, fiet vt centro C, omnium quae imaginari possunt in plano punctorum, maximè sit proximum punctum F, reliquorum, quò vnumquodque magis remouetur à puncto F, eò etiam magis distet à centro C; quò verò magis appropinquat illi, huic etiam magis sit proximum; ideoque ab omnibus alijs punctis mouebitur, donec veniat ad punctum F, vt magis appropinquet mundi centro.

PROPOSITIO VII.

GRAVIA quae quantitati insistunt, tunc stabunt, cum directionis linea per medium quantitatis, cui insistit graue, ducta, per centrum grauitatis transibit: vel cum ducta linea directionis per dictae quantitatis extremum transierit per centrum grauitatis, vel saltem dimiserit illud ex parte quantitatis cui insistit graue: quod si ex altera parte dimittet illud graue, dubio procul cadet.

ESTO graue ABCD. cuius centrum grauitatis sit E, insistat quantitati BC; si igitur linea directionis FE, transiens per punctum K, medium quantitatis BC, transierit per punctum E, vtique graue stabit: quoniam partes grauis, quae circumstant punctum E, aequiponderantes sunt. quare neque hae illas trahere possunt, neque ab illis trahi: ex quo fit vt totum graue quiescat. At si graue augeatur ex altera parte quantitate CDG, ita vt centrum grauitatis sit H, si linea directionis transiens per extremum C, quantitatis BC, extensa transierit per punctum H, adhuc corpus stabit. Cuius rei ratio est: nam si corpus initeretur, puncto C, tantùm, staret: [a] nihil igitur obstare poterit, quò minùs stet, insistens toti quantitati BC. Deinde si linea FC, extensa non transierit per punctum H, si dimittat illud versus punctum E, vtique corpus stabit. Nam si graue puncto IC. poset insistere quanto magis stare poterit insistens quantitati

a 5. huius.

A CK; super quam necesariò existet centrum grauitatis: impossibile namque est quantitatem ABCD, cuius centrum erat E, auctam ex parte dextra ipsius E, centrum grauitatis retrahere ad oppositam partem, nimirum ad E, quare centrum manere necesse est inter puncta H, E. atque lineam directionis transire inter puncta CK, atque adeo corpus stare.



Tandem si linea FC, extensa dimittat centrum corporis, quod sit, verbi gratia, L, ex altera parte quantitatis EC, cui insistit graue, illud cadere necesse est. Nam cùm pondus CLG, sit aequale ponderi CLA, ex suppositione centri grauitatis, maius erit pondus quantitatis CHG, pondere quantitatis CHA. Trahet igitur maior pondere quantitas minorem; ideoque cadet ex parte G, quia in ea grauis parte inuenitur centrum grauitatis, & consequenter maius pondus.

B

SCHOLIVM.

HIS septem propositionibus, quae in vniuersum demonstrata de omnibus corporibus sunt, viam nobis aperuimus expeditissimam, ad inuestigandos hominum motus, vnà cum reliquorum animalium atque auium insistentijs, & progressionibus. eisdem etiam diiudicare poterimus sculptorum statuas et pictorum imagines, quibus plerumque contingit huius scientiae ignoratione deceptos statuam ita effingere vel figuram, vt nulla ratione stare posset, si viueret. Omnem enim hominem, qui vel rectè stat, vel sedet, aut se inclinat aut quiduis aliud agit, necessarium est inniti, atque

C *suo grauitatis centro ac directionis linea seipsum dirigere ne cadat. id quod nonnullis ex sequentibus propositionibus ostendemus.*

PROPOSITIO VIII.

SI homo pedibus ita insistat, vt linea directionis per extremum pedis, cui innititur, transiens transeat etiam per centrum grauitatis, si brachium extendat ex ea parte qua pendet, dubio procul cadet.

D HOMO AB, brachiis corpori admotis ita insistat sinistro pedi B, vt linea directionis per extremam sinistram partem pedis B, transiens transeat etiam per centrum grauitatis hominis, quod sit C. tunc dico, si corpore immoto manente brachium sinistrum extendat, casurum eum in sinistram partem. Nam cùm brachium extensum habeat rationem vectis, siue longioris staturae bracchij, plus poterit propendere in eam partem, ad quam extensum est. Ergo ex diuersa partium positione mutatum [a] erit centrum grauitatis extra lineam CB, magisque ponderabit figura ex parte sinistra, quàm ex dextera. Quare cùm maius pondus minorem pertrahat figuram, cadere necesse est.

a prop. 2. huius.

SCHOLIVM.

E QVOD si quisquam manifestis rationibus minùs sit assuetus assentiri, atque experiri cupiat in se huius propositionis argumentum; is in medio pauimenti alteri pedi insistat; tunc enim maior habenda est aequilibrij ratio, & corpore immoto extendat brachium quasi quidquam arripturus ab aliquo; hoc namque modo facilè intelliget, quot, & quanta eum docuit prouida natura, quorum ipse numquam conscius fuerat, neque eorum munerum benignissimo largitori gratias egerat, sine quibus vix aut nulla ratione tutus gressus suos, aut motus poset dirigere.

PRO-

A

PROPOSITIO IX.

NVLLVS homo poterit se inclinare, aut in anteriorem aut in posteriorem partem, aut ad latera, quin linea directionis transiens per extremam partem quantitatis, cui innititur ex ea parte, in quam se inclinat, transeat etiam per centrum grauitatis corporis, aut hoc immineat quantitati, cui innititur: nam si extra illam maneat, cadet.

FIGVRA ABCD, sit dextro pedi B, insistens, quae in dextram partem D, inclinet se. Dico necessarium esse, ne cadat, lineam directionis transeuntem per extremum pedis B, versus pollicem, transire per centrum grauitatis, vel vt dimittat illud ex parte pedis in posteriorem figurae partem: nam si centrum maneat in anteriori parte, absque dubio cadet, vt suprà [a] ostensum est. Huic igitur necessitati prouidit natura, doceus hominem, cùm se inclinat, vt dixi, sinistrum pedem in posteriorem partem extendere, qui quasi vectis in statera praeponderet capiti: neque id tantummodo plerumque sufficit, praesertim si ad terram vsque inclinare se velit homo; sed etiam cum pede corporis partem posteriorem sensim retrahit, quoniam, vt dixi, stare non poterit, nisi aut linea directionis per centrum grauitatis transeat, aut saltem dimittat illud ex parte opposita ei, in quam se inclinat.

2 7. huius.

SCHOLIVM.

NEQVE verò huic etiam propositioni deerit modus, quo experiri quis possit ea, quae proponit, vera esse. Nam si quis vtrumque pedem coniunctum ac totum corpus muro cuicumque erecto ab eo auersus adaptet, atque inferiori parte muro coniuncta manente, sese in anteriorem partem inclinare velit, cadet. indeque discet hominem quodam naturali instinctu ductum quoties se inclinat, illa praestare quae diximus; quae quia impeditus à muro praestare non potest, cadit.

PROPOSITIO X.

QVOTIESCVMQVE homo sedet vt se erigat, necessarium est, vt pedes sedi quàm maximè habeat propinquos, caputque in anteriora educat. D

HAEC omnia eueniunt, quòd dum homo sedet, sedi insistit, atque sedili erigit superiorem corporis partem, quae eminet; crura enim & reliquam corporis partem, quae pendet, non opus est vt dirigat. At postquam pedibus insistere cupit, necessarium est, vt totius corporis centrum grauitatis quàm maximè sit propinquum lineae directionis, quae transeat per pedes, quibus insistere vult: atque ideo corpori submittit pedes, caputque educit, vt pedibus ipsis immineat, adiutusque viribus naturalibus se erigit. ea verò quae ad lineam directionis spectant, ex suprà demonstratis manifesta sunt. E

SCHOLIVM.

HVIVS propositionis praxim experietur facilè vnusquisque, si lento nimis gradu se erigit; quoniam motus velocitas & impetus nonnulla ex his praeuenit, alia ne facilè sensu percipiantur efficit.

PROPOSITIO XI.

NVLLVS homo, qui totus extensus supinus iaceat, se eriget ita vt erat extensus, quin cadat; sed necessarium est ei, vt corpus complicet, & superiorem partem corporis priùs erigat, ac pedes corpori submittat, & sic se eriget. Quod si iaceat pronus, manibus primùm innitatur simul ac pedibus, mox genua in anteriorem partem complicabit, atque ita se eriget.

B

VANDO totus homo iacet, secundum omnes corporis sui partes consistit, atque adeo linea directionis non indiget. At verò cùm pedibus insistere vult, qui maximè sunt remoti à centro grauitatis corporis, oportet vt eos paulatim ad se colligat, ac priùs caput erigat, & corpus, mox illa praestet quae sedenti necessaria sunt, [a] vt se erigat. Quod verò ad secundam propositionis partem spectat, sequenti problemate, quo de quadrupedum insistentia & motu tractamus, manifestum erit.

a Superiore prop.

C

SCHOLIVM PRIMVM.

HVIVS propositionis tam nota est experientia, vt explicatione non indigeat.

SCHOLIVM SECVNDVM.

PRAECEDENTIVM propositionum argumentis aduersari videntur ea, quae à funambulis & alijs ioculatoribus fieri passim videmus: ipsi enim nonnumquam supini iacent, ac extensi se videntur erigere haud secus quàm si essent lignei. Ad quae respondebimus, omissis ijs, quae praestigijs ac malis artibus fiunt: de quibus non est nobis modò dicendum; duo praeterea consideranda sunt, in horum similibus motibus. Primùm velocitas motus, in qua ita sunt exercitati, vt in admirationem non modicam rapiant praesentes. Atque iccirco quamuis hos motus, quos dixi, aliqua saltem ex parte obseruent; tamen à nullo spectantium percipi possunt. Non enim possumus tam veloces esse visu, quàm hi sunt motu. Quamuis enim visus omnium sensuum ac motuum velocissimus esse videatur, tamen quoniam quandam exigit attentionem, qua percipiantur ea, quae oculis obijciuntur, ideo veloces motus oculorum aciem plerumque effugiunt. id quod experientia docemur: si enim quis regulam aliquam filo alligatam velociter circumducat, visum decipit, ac continuatum videtur conspicere rotam, haud secus quàm si regula esset simul in illis omnibus spacij partibus, quae pertransit, quoniam visus non potest tam citò aduertere, & videre illam in singulis.

Secundò etiam notandum est, plura hominem sua vi atque impetu in motu praestare posse, quàm quae grauium legibus coarctanda sint: ipse enim homo sibimet imprimit nonnumquam impetum, ita vt totum suum corpus & pondus erigat, in aere quoque erectus tantisper detinet se, dum pedibus motus illos praestet saltantium, quas capriolas vulgò Hispani & Itali vocant. His igitur eisdem rationibus possunt hi, qui maximè exercitatione & viribus pollent, sibi aut eiusmodi imprimere impetum, quo plura ex ijs, quae diximus, suppleant. atque adeo nihil haec atque eiusmodi alia nobis aduersantur, qui de motu loquimur, & de animalium situ, quatenus grauia sint atque propendent; non verò quatenus viuentia sunt, alioquin motus atque alios praestare possunt.

PROPOSITIO XII.

QVADRVPEDIA tunc ſtabunt, cùm linea directionis per extremum ſuperficiei, quam inter extremos pedum terminos operiunt, tranſiens pertranſierit etiam per centrum grauitatis eorum, uel dimiſerit illud ex parte ſuperficiei, cui inſiſtunt: ideoque cùm progrediuntur, ſi vtrumque dextrum pedum ſimul erigunt cadent, niſi linea directionis tranſiens per extremum reliquorum, tranſierit per centrum grauitatis, aut reliquerit illud ex parte pedum. At cùm ſua corpora poſterioribus tantum modo pedibus innixa erigunt; & poplites, & magnam corporis partem à pedibus in poſteriora retrahant neceſſe eſt, vt centrum grauitatis ad lineam directionis pedibus ſuperimponant.

EQVVS ABCDE, cuius centrum grauitatis ſit A, quattuor pedibus inſiſtat BCDE; quantitas igitur cui inſiſtit, habenda erit tota ſuperficies BCDE. de qua philoſophandum eſt iuxta demonſtrata. At quoniam frequenter ſolent animalia ita ſe conſtituere inſiſtentia, vt maximè conſiſtere poſsint, ſit vt linea directionis EA, per medium quantitatis, cui inſiſtunt, G, tranſiens ſe extendat ad centrum grauitatis A. Atque adeo cùm incedit, ſi à terra ſimul ſubleuetur (*Sup. 7. huius.*) vtrumque dextrum pedem BE, cadet equus, niſi linea directionis per pedem C, tranſiens, tranſeat etiam per centrum grauitatis, quod ſuprà demonſtratum eſt. Ac tandem ſi ſe erigat equus, ea præſtat, quae in extrema propoſitionis parte propoſuimus, & in appoſita figura quiuis obſeruare poterit.

COROLLARIVM.

EX dictis ſit manifeſta ratio, propter quam equitantes moueamur, non tantùm iuxta progreſſum equi, verùm etiam alijs atque alijs motibus, quibus nonnumquam vehementer nos concuti experimur: nam vt dixi, eiuſmodi motus omnes nunc ad latus ſiniſtrum, mox ad dextrum, deinde ad ſiniſtrum, vt ſua pondera libret equus, ſunt neceſſarij. Vehementiores autem, atque moleſtiores eos eſſe in diuerſis equis motus experimur, qui quare diuerſi ſint, ſi examinare velimus, habenda nobis ratio eſt, virium, velocitatis motus, atque exercitationis: vſu enim ac diſciplina alijs atque alijs moribus bruta ipſa animantia imbuuntur.

PROPOSITIO XIII.

AVIVM, cùm pedibus inſiſtunt, eadem quae de bipedibus habenda ratio eſt. Cùm verò volant, quoniam alis ſuſpenduntur, neceſſarium eſt, vt linea directionis per alarum medium tranſiens, tranſeat etiam per grauitatis centrum.

AEC omnia, quae de auium inſiſtentia, & motu proponimus, manifeſtè ex antecedentibus demonſtrantur: nam quae in priori parte dicenda eſſent, ea omnia communia hominum inſiſtentiae ſunt; eo tamen excepto, quòd homines, qui ſemper exſtant, raroque in anteriorem partem ſe inclinant, duplici & altera alteri contraria complicatione flectuntur, vtpote qui genua complicant antrorſum, coxas retrorſum: at aues, quae caput & corpus ad manducandum ſemper inclinant, crura retrorſum complicant, vt linea directionis per pedes tranſiens, tranſeat etiam per centrum grauitatis; quod exemplis fiet manifeſtum. Sit enim auis AB, cuius centrum C, inſiſtens pedibus D, cùm caput inclinat, neceſſarium eſt, vt crura E, retrorſum complicet, vt linea directionis DC, per medium pedum, quibus auis inſiſtit, tranſiens tranſeat etiam per centrum C. id quod quilibet poterit quotidie obſeruare. Quod verò ad ſecundam partem ſpectat, cùm auis volans, duabus alis quaſi fulcris ſuſtineatur, ne totum corpus in anteriorem, aut poſteriorem partem praeponderans inclinet, neceſſarium eſt, vt pondus corporis ex aequo libretur: quod non fiet, niſi linea directionis per fulcrum, & centrum grauitatis tranſeat. Huiuſmodi autem auium indigentiae prouidiſſe videtur natura, quae auibus, quarum ob alias atque alias cauſas colla decuit eſſe longiora, crura dedit etiam longiora, vt his atque illis pariter extenſis, vtrimque ex aequo ponderarent. Aliud quoque librandi genus volucres à natura edoctae ſunt. Nam cùm anteriorem corporis partem ſurſum eleuare volunt, & poſteriorem deprimere, alas, hoc eſt, fulcra, quibus ſuſtinentur, in anteriorem partem extendunt: cùm verò contrà inferiùs ſuum volatum dirigunt, in poſteriorem partem alas retrahunt; hoc enim vel illo modo facilè efficiunt, vt grauitatis centrum ſaltem in volantium corpore loco mutetur. Eadem ratione ab ea parte, quae propendet, alas retrahentes, aequa trutina aues ſeipſas librare conſueuerunt. id enim faciunt, quod faceret, qui ab axe, cui inſiſtit ſtatera, pondus remoueret, aut ſi axem remoueret à pondere; vtraque enim pariter ratione pondus aequiponderaret. Sed de viuentibus iam ſatis, ad plantas & inanimata examinanda accingamur.



PROPOSITIO XIIII.

ARBORES, plantae, & herbae niſi impediantur, ad angulos rectos ſe erigunt; non quidem pauimenti, cui inſiſtunt, ſed horizontis, nempe ſecundum directionis lineam, per trunci ima ad grauitatis centrum deductam.

IN accliui latere ABC, montis ABCD, ducatur recta AC, ex cuius puncto B, erigatur ipſi AC, perpendicularis BF, atque per idem punctum D, B, erigatur linea directionis DBE. Iam ex eodem puncto naſcatur arbor BE, quam dico non poſſe ſtare, ſi iuxta rectitudinem lineae BF, naſceretur. Nam cùm tota arbor cum omnibus ſuis ramis & trunco nullum habeat fulcrum, cui innitatur, praeter quantitatem B, cui aſſixae ſunt radices, ac non ſolùm centrum grauitatis arboris, verùm tota arbor propendeat extra lineam directionis DBE, cadet abſque dubio, niſi aliunde aut teneatur aut fulciatur. Quapropter arbor naſcetur horizonti recta, nempe iuxta lineam directionis DE.

Arbores rectae naſcuntur vt ſtare poſsint.

Cuius rei rationem aliam quoque aſſignare poſſumus; quòd cùm arbor & truncus eò ſint ſtabiliores quò directiores; naturaque eorum procreatrix arborem conſeruari, ac maximè ſtare ſemper intendat, eidem rectitudinem praeſiniuit lineae directionis. His etiam accedit, arbores ac plantas, quod calorem & vitam à caelo & ſideribus expetant, naturali quaſi motu in caelum ferri. quod ipſa quoque experientia compertum eſt: arbores enim, quae in opacis locis naſcuntur, prae ceteris eiuſdem generis altiùs ſurgunt, quò Solem, vt fertur, exquirant. At naturalis motus non impeditus ſemper eſt rectus (exemplo ſunt grauia omnia & leuia) ex quo ſit vt arbores ſecundum directionis lineam ſurſum, crigantur. Atque hoc ipſum, quod de arboribus & plantis diximus, de herbis etiam intelligemus, maiori prorſus earundem indigentia permoti: nam quò teneriores ſunt, & ſubtiliores earum calami, eò magis oportuit rectitudine fulciri, cùm minori etiam pondere preſſae rumpantur. Excipimus ab his tamen, vitem, cucurbitam, hederam, portulacam, atque his ſimiles, quae caulis debilitate ſeipſas rectà non poſſunt ſuſtinere.

Rectitudinem arboribus natura praeſcribit, eas maximè conſeruari volens.

Arbores rectà in caelum tendunt, vnde calorem & vitam ſuſcipiunt.

Naturalis motus non impeditus ſemper eſt rectus.

Plantae & herbae magis egent rectitudine.

EXA-

EXAMINATIO PROBLEMATIS initio propositi.

HIS *praemissis, quasi primis eorum quae dicenda sunt, principijs, ad illud, quod initio proposuimus, examinandum propius accedamus. Equidem non tantùm eius sententiae scriptores affirmant, quadruplo maiores esse vsus, quos montuosa terra parit, quàm quos plana eidem substans; verùm etiam magnitudine ipsa quadruplos esse montes subiectae areae. Quapropter tria nobis examinanda sunt. Primum, an maior sit superficies montis ea superficie plana horizontis, qui illi substat.*

Secundum, an sit quadrupla. Tertium tandem, quos vsus seminibus afferat. Ac primi quidem facillima responsio est, quam vna tantùm eaque brevissima propositione absoluemus.

PROPOSITIO XV.

MONTIVM aut vallium superficies maiores sunt plana superficie, quae illis substat, vel his superstat.

QVONIAM plana superficies, breuissima à linea in lineam extensio est, sit manifestum, acclives sine inclinatas, vno verbo non planas, planis maiores esse, tantoque maiores, quanto magis à rectitudine discedunt vel montes ascendendo, vel valles descendendo. Haec autem pauca de primo sufficiant. In secundo, quamuis veritas ipsa se prodat, quoniam varias possunt montes induere formas, quae vtinam regulares essent, ideo vt ad regulares eas reuocemus, supponemus ea, quae de sphaera suprà demonstrata sunt. Nunc de conis & cylindris vnam atque alteram praemittere debui propositionem huiusmodi.

PROPOSITIO XVI.

AEQVICRVRIVM conorum, quorum latera aequalia sunt, superficies, demptis basibus inter se sunt vt basium diametri.

DVO coni recti sint ABC, DEF, quorum latera AB, DE, aequalia sint. Dico superficiem coni ABC, dempta basi ad superficiem coni DEF, dempta basi, esse vt est diameter BC, ad diametrum EF. Sectis enim diametris bifariam in G, H, sit I, media proportionalis inter AB, BG; & K, media proportionalis inter DE, EH: erunt [a] igitur circuli semidiametrorum I, K, aequales superficiebus conicis, demptis basibus: ideoque eandem inter se proportionem habebunt circuli, quam conicae superficies. Est autem circulus semidiametri I, ad circulum semidiametri K, vt BG, ad EH, hoc est, vt diameter BC, ad diametrum EF, propterea quòd tam circuli habent proportionem duplicatam diametrorum vel semidiametrorum I, K, [b] cùm sint vt quadrata diametrorum, [c] quàm rectae BG, EH, proportionem duplicatam I, ad K. propterea quòd tam rectae AB, I, BG, quàm rectae DE, K, EH, continuè proportionales sunt, initio facto ab eadem recta, siue ab aequalibus AB, DE. Igitur & superficies coni ABC, ad superficiem coni DEF, demptis basibus erit vt diameter BC, ad diametrum EF, quod erat demonstrandum.

[a] *Archim. prop. 14 lib. de sphaera & cylindro.*

[b] *2. duodecimi Eucl.* [c] *28. decimiquarti Euclid.*

PROPOSITIO XVII.

SVPERFICIES cylindri recti demptis basibus dupla est superficiei coni aequicruris, dempta basi, quae eandem cum cylindro basim vel aequalem habeat, & latus lateri cylindri aequale.

SIT cylindrus AC, & conus EFG, habens basim FG, basi cylindri BC, aequalem, & latus EF, lateri AB, aequale. Dico demptis basibus, cylindri superficiem superficiei coni duplam esse. Inuenta enim H, media proportionali inter AB, BC, & K, media proportionali inter EF, & HI, semissem diametri, basis; erit [a] superficiei cylindri aequalis circulus semidiametri H, & [b] superficiei coni circulus semidiametri K, aequalis. Et quoniam hi circuli duplicatam proportionem habent H, ad K, & proportio BC ad FI, est quoque duplicata proportionis H, ad K, vt in praecedenti theoremate diximus, erit vt BC, ad FI, ita circulus ad circulum, id est, ita superficies cylindri ad superficiem coni. Cùm ergo BC. ipsius FI, dupla sit, constat propositum.



[a] *13. primi de sphaera & cylindro.* [b] *14. primi de sphaera & cylindro.*

COROLLARIVM.

HINC fit superficiem cylindri recti, quae aequalem vel eandem cum cono habeat basim, altitudinem verò lateri coni subduplam, aequalem esse superficiei coni propositi. Nam si diuisa AB, altitudine cylindri bifariam in L, ducatur planum LM, vtrique basi parallelum, non tantùm cylindrus erit ab eo diuisus bifariam; verùm ipsa quoque cylindri superficies demptis basibus erit diuisa bifariam. Quare cùm superficies cylindri AC, sit dupla tam superficiei cylindri LC, quàm superficiei coni EFG, erit haec superficies illi aequalis.

PROPOSITIO XVIII.

FORMAM montis vel vallis inuestigare, cuius superficies quadrupla sit eiusdem basis.

MONTES vt dixi, nulla sunt aequabili aut regulari figura, quae Mathematicis rationibus possit expendi. Haec verò examinatio eò est difficilior, quòd non alicuius vel aliquorum formas, sed omnium ad vnam examinandi normam renocare contendimus: ideoque non iustam aliquam eorum mensuram indagare proponimus, sed quae viam legentibus aperiat, de singulis montibus circiter iudicandi. Primum igitur, quoniam ab angulis maximè abhorret natura, vtpote quos videt corruptioni obnoxios, ideoque tamquam prouida mater, quae rerum non procreationi tantùm, verùm etiam conseruationi inaximè inuigilat, circularem formam rebus paene omnibus inducit. Cuius rei exempla proferre non minùs superuacaneum esset, quàm longum, cùm quocumque oculos, vel ad seipsum conuertat lector, perplura videat huius propositionis exempla. Sunt igitur plerumque montium bases in orbem ductae vel eiusmodi, quae ad circulos possint reduci. In circulari autem basi vel hemisphaerium, vel cylindrus, vel conus potest insistere, vel aliqua alia forma, quae partim sit conica, partim cylindrica, partim verò sphaerica. Ad has igitur omnes montium forma reuocari facillimè poterit. Si ergo mons totus hemisphaerij figuram habeat, superficies montis vniuersa, quae conspicitur; dupla tantummodo est superficiei circularis, cui mons insistit, vt suprà ostensum à nobis est.

Ab angulis abhorret natura, ab acutis maximè.

Sup. cap. 4 huius.

At verò si mons conicam potius habeat figuram vel illi similem, vt superficies montis quadrupla sit necessarium est, acclivitatem montis duplam longitudine esse diametri basis. quod sic ostendo. Sit conus ABD, cuius basis BCDE, eiusque diameter BD, semidiameter BF, atque AB, latus coni sit aequale lateri AD, & duplum diametri BD. Tunc dico superficiem coni ABD, quadruplam esse superficiei basis BCDE. Quoniam enim Archimedes [a] demonstrat, cuiuslibet coni aequicruris superficiem ad suam basim eandem habere proportionem, quam latus ipsius coni ad semidiametrum basis: erit superficies coni ABD, ad basim suam BCDE, sicut AB, ad BF; sed AB, est quadrupla ipsius BF, vtpote quae posita est dupla diametri BD. Ergo dati coni superficies quadrupla est suae basis. quod erat demonstrandum.



[a] *Archimed. lib. de sphaera & cylindro prop. 15.*

Tandem si forma montis sit cylindrica, tunc cylindri superficies demptis basibus quadrupla erit suae basis, cùm cylindrus habuerit altitudinem diametro basis aequalem. Fiat enim in praecedenti figura cylindrus GI, cuius basis IH, sit aequalis basi coni BCDE, & altitudo HG, sit aequalis diametro BD, erit-

que

b Ex Coroll. praeced.

que b superficies cylindri GI, demptis basibus aequalis superficiei coni ABD, dempta basi: quoniam AB, ponitur dupla diametri, hoc est, altitudinis HG, cylindri GI. quod erat demonstrandum.

His igitur sic statutis, facilè quis poterit de singulis montibus, num quadrupli sint suarum basium, iudicium ferre: nam si aequiformi figura sit mons ad aliquam trium, quas proposuimus, vel totus, vel secundum omnes sui partes reducetur, & earum more mensurabitur. Quod verò ad cylindricam formam spectat, quamuis superficiei dimensio ita sit commensuranda vt dixi; tamen quod ad humanos spectat vsus, de quibus mox agemus, vix vllum erecta eius superficies praestare poteſt alium quàm muri, aut sepimenti: cumque superior basis aequalis omnino sit inferiori, nihil ad eorum causam momenti affert, qui quadruplo maiores vsus in montibus exquirunt in huiusmodi. Immo verò de huiusmodi montis plana superficie, quae nihilo maior est inferiore, & quamplurima affert incommoda ascendendi, difficiliùs humorem recipiendi, & alia eiusmodi, nihilo secius iudicandum est, quàm de puteo, aut valle, vel voragine aliqua, cuius latera ad perpendiculum descendant: in his enim quò maior est laterum altitudo, eò sunt minùs ad omnes humanos vsus proficua. Tota igitur commensurationis ratio ad sphaeram & conum erit reuocanda.



Sit igitur mons ABC, cuius basis BCD, circularis sit eiusque superficies BE, sit conica: reliquum autem superficiei EAF, sit hemisphaerij forma, vel minor aliqua sphaerae portio, ex cuius circulari basi EF, cylindrica superficies perpendicularis, descendat, auferens ex basi BCD, circularem superficiem GHIK, c eritque superficies hemisphaerij EAF, dupla basis GHIK, vel minor dupla, si cacumen montis EAF, sit portio sphaerae hemisphaerio minor. Vt verò reliquam montis superficiem inuestigemus, supponamus esse superficiem decurtati coni aequicruris, (vt ad maximè regularem figuram reducatur: de reliquis enim, quantum ab his differant, facilè iudicabitur) extendanturque latera coni BE, CF, donec concurrant in L, intelligaturque tota superficies coni LBC, dempta basi: vt igitur ea sit quadrupla basis, oportet d latus BL, vel CL, duplum esse diametri basis BC, vel quadruplum semidiametri BN, intelligaturque diuisa superficies basi EF, totius coni basi parallela, eritque superficies ablati coni LEF, quadrupla basi EF, hoc est, GHIK, cùm latus LE, duplum sit diametri GI, vel EF. Nam cùm e sit vt LB, ad BC, ita LE, ad EF; sit autem LB, ipsius BC, duplaterit quoque LE, ipsius LF, vel GI, dupla quadrupla nimirum semidiametri GN.

c Cap. 3. huius.

d Archim. prop. 16. de sphaera & cylind.

e 4. sexti Euclid.

Cùm igitur ostensum sit totius superficiei conicae LBC, ad totam basim BCD, eandem esse proportionem, quae ablatae superficiei conicae LEF, ad ablatam basim GHIK, erit eadem quoque & reliquae superficiei conicae EBCF, ad reliquam basim BDCMGKIH, inter duos circulos BDCM, GKIH, positam; nimirum quadrupla. Vt ergo superficies BE, sit quadrupla dictae residuae superficiei basis, necessarium est latus EB, quadruplum esse lateris BG, vt verè est in proposito exemplo. Cùm enim tota LB, totius BN, quadrupla sit, & ablata LE, ablatae GN, erit quoque reliqua EB, reliquae BG, quadrupla. Adhuc tamen totius montis ABC, superficies multò minor erit quadrupla superficiei basis BCD, vt patet ex demonstratis.

Hoc ipsum quod de montibus hactenus demonstratum est, de vallibus quoque verum erit: nam eadem habent valles superficies, quas aequales montes, qui intelligerentur inuersi. His igitur rationibus manifestum fit, longè à vero aberrasse eos scriptores, qui montium quorumcumque superficies quadruplas esse basium affirmarunt, cùm contrarium omnino doceat frequens experientia. rarissimi enim montes sunt, qui eiusmodi proportione suas bases excedant: si qui verò sunt, ij erunt tanta proceritate sublimes, vt nullis propemodum humanis vsibus deseruire possint. Quapropter ad terrenos vsus quos hominum consuetudini praestant, prae planis montes, inuestigandos veniendum nunc tandem est.

PROPOSITIO XIX.

QVOS vsus praestent hominibus prae planis montes aut valles.

TERRAM perambulare solemus, iactisve fundamentis aut seminibus, aedificare vel seminare. Quod verò ad perambulandum spectat, cùm infinita propemodum humanis vsibus afferant commoda, varias regiones peragrare litterarum beneficio, absentium etiam amicorum consortio frui, proprias merces diuendere, alienas comportare, & alia eiusmodi quamplurima, quae longum esset percensere, omni humanae vel bestiarum ambulationi commodior multò est plana regio, quàm montuosa: haec enim longioribus ac difficilioribus itineribus viam potiùs intercludere videtur ambulationibus, quàm aperire. quapropter inter hos vsus & commoda, quae hominibus afferunt montes, hoc minimè computandum duxi, cùm potiùs inter incommoda recensendum sit. sed tamen nollem ita videri hanc disputationem suscepisse, quasi Palaestinae regionem, quam plures alij scriptores laudibus & honoribus prosequuti sunt, ego difficultatibus obnoxiam censeam, cùm è contra se res habeat; vt quam illi non satis neque pro meritis laudarunt, nos eximijs ac dignis honoribus cumulemus. Quoniam verò nulla maior cordatis viris haberi posset vituperatio, quàm aliquid ita commendare, vt totum laudationis corpus ex illis rebus constaret, quae aut verae non sunt, aut laude non dignae, aut omnibus eiusdem generis communes (in eo enim laudis studiosus quodammodo proficeretur, id quod laudatur, veris carere laudibus, aut tot vituperanda in eo esse, vt laudandum sit in eo, quod in alijs contemneretur: aut nihil proprium, nihil magnificum, nihil gloriosum eidem ineſſe, quod non sit alijs omnibus rebus commune, ac peruulgatum) ideo vt ab huiusmodi suspicione omnino liberemur, in eo maximè omnem nostram operam atque industriam ponendam duximus, vt semotis ijs, quae vera non sunt, dimissis communioribus & minùs dignis, ea tantummodo in commendatione Palaestinae percenseamus, quae vera sunt, quaeque propria, & quae eximia ac magnifica laude digna sunt. Hae igitur potissimùm de causa ambulationibus, commercijs, admittendis nimirum peregrinis hominibus, atque dimittendis proprijs accommodatam esse Palaestinae regionem negamus: atque id non temerè, aut sine iusta ac graui causa factum fuisse ostendemus, sed, vt gens illa suis finibus contenta, rerum omnium copiam & affluentiam à Deo suo tantummodo exspectans, eius cultui & venerationi prae omnibus alijs studijs atque exercitationibus vacaret. & hac ex parte commodissimam fuisse affirmamus. Id quod Dominus significare voluisse in Deuteronomio videtur, ad Israëlem loquens: *Terra enim*, inquit, *ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae, sed montuosa est & campestris, de caelo exspectans pluuias.* Quo loco composita oratione insinuat Dominus labores & aerumnas, quas perferat necesse est, qui Aegyptias cupit metere fruges: id enim significat, *iacto semine, & aquae ducuntur irriguae*; vel vt ex Hebraeo vertit Steuchus, & pedibus superinduces aquas. Quibus verbis etiam Rabbi Salomone attestante, labores agri colendi significantur. Contrà verò cùm de montuosa Palaestinae regione loqueretur, nec seminis, neque irrigationis meminit, sed diuinae largitatis & beneuolentiae tantùm. In eo verò quod subditur: *Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatisque dijs alienis, & adoretis eos*, praecipi videtur, vt finibus suis contenti, ne extra eos diuagari ludeant, ne fortè externarum gentium consuetudine in prauos inducantur mores; ita vt qui corpore à patrio solo recesserunt, animis quoque ab auita recedant religione, sordibusque & idololatria polluanturid enim indicare videntur Hebraea, quae sic habent, ne fortè dilatetur cor vestrum: vt vertunt aliqui, Sanctum Hieronymum sequuti, qui alijs in locis ita verbum illud conuertit, vt in Iaphet filio Noè videre est, quasi finium dilatationem seductioni proximam fore significet.

Deut. 11. verſ. 10.

Aug. Steu. Eugub. in Pentat.

Rab. Salom.

Deut. 11. verſ. 16.

פן יפתה לבבכם pen iiphthen lababcecn.

Propterea Christus Dominus, dum adhuc manerent antiqua alia legis praecepta, Apostolis suis praecepit: *In viam gentium ne abieritis*. Has autem leges, haec praecepta seruasse videtur populus, cùm virgo dicebatur. Testis est Sanctus Hieronymus, scribens: virgo appellatur, & filia Hierusalem, quia cunctis gentibus simulacra adorantibus hominum mortuorum, haec sola conseruet castitatem religionis Dei, & vnius diuinitatis cultum. Sed iam satis ostendisse videor vtilitatem & commoda, quae percipere poterat ex montuosa terra populus Dei, ad animum pertinere, nihil ad corpus. quare ad alios vsus examinandos accedamus.

Matt. 10. verſ. 5.

S. Hieron. super Isai. 37. ver. 22. Montes animis potiùs Hebraeorum, quàm corporibus vtiles.

PROPOSITIO XX.

AEDIFICATIONI minùs vtile est accliue solum, quàm planum illi substans.

SVPEREST nunc tandem, vt duplicem vsum, quem è terrae solo percipere solent mortales, examinemus: atque inter planum, & asperum dijudicemus, vtrum eorum magis sit in vtroque genere proficuum & vtile. In terra igitur partim domos, palatia, vrbes, atque opida aedificamus; partim arbores, plantas, fruges, atque herbas serere consueuimus. Atque haec sunt potissima terrae munia, quibus tamquam vberibus, officiosa nutrix nobis efficitur, dum eorum altero nos sustinet ac fouet; altero verò recreat & alit: vtroque pariter à caeli inclementia & iniurijs, non minùs quàm à propria indigentia & incommodis nos tuetur & protegit. Et primùm quod ad aedificia spectat, cùm non maiora fiant in maiori superficie montis, ijs, quae fierent in planis, eisdem montibus subia-

Terra hominibus officiosa nutrix.

subia centibus, planè non video in quo sint aedificijs montes vtiliores, quàm plana illis subiacentia. Atque vt ostendamus non maiora in montibus exstrui posse aedificia, quàm illa forent, quae aedificarentur in planis; sit montis accliue A B, eidemque substans plana superficies sit A C, eriganturque duo muri AE, CF, quos cùm fieri constet secundum directionis lineam, vt sibimet iuxta demonstrata insistant, necessariò affirmandum est, eos non magis à se inuicem distare, quàm si superficiei AC, insisterent, atque in eadem altitudine distantia computaretur. Nam si F B, linea directionis vlteriùs extendatur vsque ad centrum mundi G, absque dubio transibit per terminum C, superficiei AC; id enim significare volumus, quotiescumque aliquam superficiem alteri subsstare dicimus; idemque iudicium erit de tota superficie muri ED, quae si vlteriùs dirigatur, congruet dubio procul cum termino A, superficiei AC, ideoque non maior domus aedificari potest in maiori acclui superficie AB, quàm aedificaretur in minori plana, eidem situ respondente AC. Nisi quis huic nostrae demonstrationi se opponat, adhuc contendens eisdem Mathematicis rationibus posse probari, maiores in montibus, quam in planis eisdem subiacentibus aedificari posse domos, non quidem propter maiorem accliuem superficiem: id enim vt demonstrauimus, est impossibile: sed quoniam magis remouentur à centro. Nam cùm lineae directionis EAG, & FCG, quae vtrumque murum contingunt, in centro mundi sibi mutuò occurrant, quò magis à centro remouebuntur, eò etiam magis à se inuicem distabunt. Huic verò argumentationi libenter assentimur: ac ne ea nobis à quoquam obijceretur, subiunximus computandam aequalem vel inaequalem murorum distantiam inaequali eorundem altitudine. Verùm quamuis haec ita sint, nihil prorsus oppositae sententiae conducunt: eiusmodi enim excessus tam est exiguus, vt nullo videatur sensu percipi posse. Quis enim vmquam in celsissimis turribus ac castellis, quae montium instar aliquando eriguntur, eiusmodi maiorem in superioribus distantiam, quam in inferioribus expertus est; cùm tamen eadem ratione probetur, altiores muros crassiores esse, magisque ac magis à se inuicem distantes? Quapropter cum de ijs, quae sensu percipi, & hominibus vtilia esse possunt, nunc loquamur, firmum omnino maneat, aedificijs commodiora esse plana loca; montuosa verò incommodiora. Nam praeterquam quòd materiae lapidum atque aliarum omnium rerum comportatio difficilis est & molesta, aliaque damna inferat aedificantibus; illud vnum silentio praetereundum non est, oportere eum, qui domum, quam diximus in monte AB, aedificatam incolere voluerit, vel totam terram ABC, eruere, vel inane ABD, opplere, è quibus quid sit operosius, iudicabunt alij: nobis enim ad vlteriora progrediendum est.

PROPOSITIO XXI.

NVM plures vsus afferant cultoribus in montibus agri, quàm in campis.

SVPERIORIS iam de medio ijs, quae minus cognita difficultatem aliquam huic nostrae disputationi possent afferre, reliquum est vt illud examinemus, cui totum disputationis pondus insidet: ac videamus, num vberiores sint prae campis colles, & qua potissimùm de causa: & tandem quantum illi sint magis proficui. Ac in primis illud in memoriam reuocandum est, quod nos assidua docuit experientia, manifestisque posset rationibus comprobari, montes clementer arduos humanis vsibus deputari, nimia proceritate sublimes feris potiùs ac volucribus esse tantummodo pernios: in quibus vix possunt homines, aut alia animantia consistere, nedum eos arare aut fodere; iacta quoque semina facilè dilabuntur, aut si fortè nascantur, imbribus defluentibus terra circumquaque dilabitur, herbaeque ante maturitatem arescunt, nec fructum ferre possunt. Atque iccirco de huiusmodi montibus agendum nobis non est. Nam quamuis hominum vel industria vel indigentia modum adnuenerit excitandi muros, atque exaequandi aliquas montium partes, in eis quasi quasdam scalas constituentes, adhuc tamen de illis agendum non est, cùm planè manifestum sit, eorum montium areas omnes simul minores esse subiacente montis area; illis saltem omnibus pactibus, quibus interiecti muri respondent.

De reliquis igitur montibus, quos clementer arduos vocare decreuimus, disputandum nobis est. Et si quidem inquiramus, in qua parte terrae, in decliui an verò in plana, plura possint spargi seminis grana? facillimè respondebitur, plura posse in decliui spargi. Nam cùm suprà ostensum sit, acclium superficiem maiorem semper esse subiacente plana, maior planè plura recipiet eiusdem seminis aequalia grana, quàm minor: id quod in propatulo omnibus est, ita vt probatione non indigeat; tamen quò magis innotescat, eius rei manifestum exemplum proponam. Disponantur in quadrata vnius palmi tabula tot frumenti grana sese mutuò contingentia, quot possint totam complere superficiem, eorumque numerus seorsum notetur: haud dubium quidem est, quin, si fiat eadem tabula eiusdem latitudinis ac duplae longitudinis, duplo plura seminis grana capiat. Atque hoc ipsum, quod de granis diximus, sese ita vndequaque contingentibus, vt superficiem operiant, verum quoque est de granis pari vndequaque longitudine à se inuicem disiunctis. Nam si in eodem proposito exemplo in prima serie granorum primum, decimum, vigesimum, & reliqua denario numero computata suis locis dimittantur; reliqua verò ex ea serie grana auferantur, idemque ipsum in decimo, vigesimo, atque alijs à denario numero computatis granorum ordinibus obseruetur, deinde alij omnes medij granorum ordines auferantur, remanebunt vtique adhuc plura grana in superficie duorum palmorum, quàm in vnius plani superficie. Quapropter manifestum est, plura eiusdem seminis grana paribus interuallis à se inuicem distantia in montuosa superficie, vtpote maiori, seminari posse, quàm in plana illi subsistente, vtpote minori. Atque haec de iaciendis seminibus dicta sufficiant.

Plura grana in monte seminari possunt quàm in subiacente plano, non tamen crescere & multiplicari.

At verò si quaeras, in qua parte terrae possunt plures arbores nasci, pluresve plantae eiusdem magnitudinis procreari, quae definitam exigant à se inuicem distantiam? affirmare audebo, non plures posse in montuosa quàm in plana illi subiacente produci. Quod vt probem, intelligatur accliue montis AB, & ducatur à termino supremo montis perpendicularis superficies AC, & plana superficies CB. Dico non plures arbores posse produci in decliui montis AB, quàm in plano CB. Accipiatur enim in plano CB, minima distantia, in qua possit produci arbor, verbi gratia, pinus, aut ficus, ita vt in minori produci vix possit: sitque CD; eidemque accipiantur aequales distantiae DE, EF, FG, & erigantur indefinitae perpendiculares DQ, ER, FS, GL, secantes accliue montis AB, in punctis Q, R, S, L, super quibus intelliguntur pini plantatae QM, RN, SO, LP, & super punctis D, E, F, G, similiter intelliguntur plantatae pinus DH, EI, FK, GL, & quoniam supposuimus arbores DH, EI, FK, GL, plantatas in minima distantia, & arbores omnes, quae sunt in acclui montis, nempe QM, RN, SO, L P, sunt plantatae in eadem distantia, non poterunt ibi plantari plures quàm in plana superficie CD, plantarentur. Hoc tamen ipsum probari vel potiùs explicari poterit hac ratione. Cùm omnes arbores vt suprà probauimus, eriganturne secundum directionis lineas, quae perpendiculares & parallelae sunt, [a] erigentur quidem QM, RN, SO, TP, secundum directionem ductarum perpendicularium DM, EN, FO, GP, cumque perpendiculares secundum omnes suas partes aequidistent, aequidistabunt supremae arbores inferioribus, hoc est, tanta est distantia inter arborem QM, & arborem RN, quanta inter duas DH, EI, & sic de reliquis. Cumque omnes distantiae DE, EF, FG, sint positae; aequales erunt superiores arbores & inter se, & cum inferioribus in eadem distantia: cumque inferiores sint in minima distantia, non poterunt superiores constitui in minori: ergo non possunt plures arbores constitui in decliui montis AB, quàm in eius plano CB. quod erat demonstrandum. Et hoc ipsum similiter probabitur in granis frumenti, & quibuslibet leguminibus, aut herbis, quia similiter illae ascendunt perpendiculariter haud secus quàm arbores, & requirunt debitam distantiam, citra quam suffocantur.

a Ex petitione huius.

Verùm adhuc alicui posset nonnihil supereße difficultatis: nam cùm quantitas terrae RQ, quae est inter arbores QM, & RN, maior sit quantitate terrae DE, quae est inter arbores DH, & EI: maior erit distantia inter arbores superiores, quàm inter inferiores. Et confirmatur, quia nos suprà probauimus maiorem esse superficiem montis AB, plana superficie CB: & quod ad lineas AB, & CB, spectat, eas etiam inaequales esse, maiorem verò AB, ex [b] Euclide demonstratur. Atque adeo si tota CB, sit diuisa in partes aequales, verbi gratia, quinque, & linea AB, in totidem aequales partes, maior erit: quincta pars lineae maioris, quàm quincta pars lineae minoris; quia sicut tota se habet ad totam, ita pars ad similem partem.

b 19. primi Euclidis.

Haec autem dubitatio hoc vnum petit examinandum, quae ratione sit commensuranda arborum distantia: quoniam etsi in superficie terrae maior sit distantia QR, quàm sit DE, vt bene probat propositum argumentum; aliter tamen accipiendam esse distantiam, ostendendum est. Igitur primùm supponimus non à quolibet puncto vnius arboris ad quodlibet alterius accipiendam esse arborum distantiam, quia si sic acciperetur, nihil certi statui posset; eaedem namque arbores essent in maiori & minori & aequali distantia, quod absurdum dictu foret. Patet enim ad sensum, maiorem esse distantiam inter punctum H, & punctum E, quàm inter idem punctum H, & punctum I, aut quàm inter punctum D, & punctum E. Quare arbores DH, EI, erunt in maiori, & minori distantia, quod est inconueniens. Quare cùm distantia arboribus, plantis, atque herbis conueniens, de qua loquimur, non sit imaginaria, sed vera & certa, vtpote quae conducit, aut obest procreationi naturali arborum; erit etiam certa quae-

ta quaedam ratio naturalis de distantijs iudicandis. Distantia A verò ea computanda est secundum breuiorem lineam, quae ab arbore ad arborem duci potest, nempe per lineam vtrique perpendicularem. Sint enim duae arbores DH, EI, & à quolibet puncto prioris, verbi gratia, D, ducatur eidem perpendicularis DL. Dico secundum quantitatem lineae DE, accipiendam esse distantiam praedictarum arborum: ea enim breuissima est inter distantias, quod sic probo. Ducatur ex H, puncto prioris arboris quaeuis alia linea, verbi gratia, HE, & quoniam linea HE, maior est, e quàm DE, & subinde obliqua, non est reliquarum congrua mensura: nam semper regula accipienda est constans & certa, non autem incerta: linea verò DE, dicitur B

e 19. primi Euclid.

Mathematicis ad vtramque DH, EI, recta aut perpendicularis, vtpote quae vtrique arbori stat ad angulos rectos; reliquae omnes lineae obliquae sunt, & potiùs à recta mensurandae sunt, quàm ipsae constituantur aliarum mensurae. Rectum enim Aristotele teste, est iudex sui & obliqui: ex quo fit, vt quoniam inter arbores superiores QM, & RN, atque inter inferiores DH, EI, est aequalis distantia recta DE, vtrisque parallelis DM, EN, pariter recta, omnes etiam quocumque modo ducerentur, inter easdem arbores similiter positae, etiamsi obliquae, pariter aequales ostenderentur. Sint enim parallelae rectae ductae HE, QR, illae pariter erunt aequales, d vtpote parallelae, & inter easdem parallelas. Idemque ipsum demonstrari posset, si inter aequidistantes, non verò inter easdem ducerentur. Nam si ad eosdem angulos intelligantur ductae rectae HE, & IE, erunt etiam inter se aequales. Nam cùm trianguli HDE, duo anguli HDE, rectus, & DHE, posti sint aequales duobus IEF, recto, & EIF, trianguli IEF, & insuper latus DE, prioris trianguli aequale sit lateri EF, posterioris, erunt & reliqua latera inter se aequalia. Quapropter e linea HE, aequalis erit lineae IF. quod erat demonstrandum. Maneat igitur, quod probatum est, firmum, arborum seu herbarum distantias penes rectas lineas computandas esse, non verò iuxta obliquas.

Aristot.

d 34. primi Euclid.

e 26. primi Euclid.

At quamuis haec ita sint, negari tamen non potest, nonnihil conferre frugibus & arboribus montium leniter inclinatas superficies: quamuis enim in proposito exemplo superiores arbores in eadem constituantur inferiorum distantia, quae minima est: tamen cùm ratio distantiae in arboribus non tantùm ex Mathematica dimensione accipiatur; verùm eius etiam ratio multiplici ex capite definiatur, fit vt arbores in minori distantia posint in superioribus constitui, quàm in inferioribus. Ratio enim, quare arbores DH, EI, non possint propiùs plantari, ea esse plerumque solet, quòd excrescentibus vtriusque arboris ramis sibi inuicem obuiarent; & impedimento essent, ne ampliùs crescerent, atque adeo Solis radios accerent, qnò minùs subiacentem terram lumine & calore secundare possent. At contra fit in superioribus arboribus: nam cùm rami M, arboris QM, eminentiores sint ramis N, arboris RN, fit vt hi ab illis minùs impediantur, atque adeo possint in minori distantia constitui. Verùm haec & alia, quae ingenij subtilitate inuestigari possent, montuosae regionis commoda ita sunt exigua, vt nisi aliae accederent vberratis causae in Palaestina, non equidem digna foret, quae tantopere à sacris scriptoribus commendaretur.

Ea verò quae diximus omnia, luculentissimo Sancti Hieronymi, viri quidem in sacris Scripturis exercitatissimi, fidissimique atque oculati testis testimonio ita confirmantur, vt ampliùs in controuersiam à cordato viro non videantur posse reduci. Illud autem est huiusmodi: Reuera nihil terra repromissionis pinguius, si non montana quaeque atque deserta, sed omnem illius latitudinem consideres. Haec Sanctus Hieronymus. Quibus facilè conuincuntur decepti fuisse scriptores illi, qui quadruplo maiores vsus suis cultoribus Palaestinam regionem afferre, consueuisse testantur, quòd montuosa sit; cùm contrà Hieronymus sentiat, montuosam regionis partem vnà cum campestri & inculta ab vberrimi soli collatione abijciendam. Quamobrem disputationem hanc absoluere decreuimus; quoniam ad mensuras templi inuestigandas nos reuocat instituti series.

S. Hieron. super Isai. 5.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE ROMANIS, GRAECIS, HEBRAICISQVE PONDERIBVS, ATQVE NVMISMATIS SECVNDAE PARTIS APPARATVS LIBER SECVNDVS IN QVATTVOR DISPVTATIONES TRIBVTVS.

DE PONDERIBVS ET MENSVRIS IN VNIVERSVM DISPVTATIO PRIMA.

QVOS VSVS REIPVBLICAE AFFERANT PONDERA, ATQVE MENSVRAE, *deque eorum primo inuentore. Caput I.*

QVARE SIT de mensuris agendum.

QVAMPLVRIMA tum ex ijs, quae adhuc in explanatione Prophetae diximus, tum ex his, quae hoc Apparatu dicturi sumus, ita sunt cum exacta ponderum, & mensurarum ratione connexa, vt absque illa vix, ac ne vix quidem a nobis perspici, atque cognosci queant: ideoque facturum me operae pretium iudicaui, si numismata, & pondera, mensurasque Reipublicae Hebraeorum perpenderem, & quàm diligentissime perscrutarer. Sane huius examinis non modicam, nec vnius diei molestissimam operam libentissimo animo praetermisissem, si alij doctissimi, atque ingeniosissimi viri, hanc eandem viam ante me ingressi, ad optatum exitum peruenissent; & rem multis difficultatum laqueis impeditam diligentiùs, atque accuratiùs expeditam suis ipsi posteris reliquissent. Neque enim vacabat, vt aut operam luderem, aut multiplicatis verbis, auctoque volumine ex varijs doctorum virorum laboribus, vigilijsque rerum materias vndecumque in nostra isthaec commentaria Apparatumque apportarem, aut vt (quod aiunt) actum agerem. Quin etiam hasce ipsas, quales quales lucubrationes meas, quas huic disputationi necessarias iudicaui, nequaquam susce pissem; aut susceptas statim A in ianua dimisissem, nisi spes aliqua affulsisset fore, vt, Deo conatus meos adiuuante, ex his tandem densissimis tenebris emergerem, & facem, lucemque aliquam, in re alioqui obscurissima, alijs praeferrem. Atque hoc ipsum non ingenij mei perspicacitati (quod scio quam sit exiguum) non assiduis laboribus, vigilijsque tributum volo, sed Deo, Optimo donorum omnium largitori, qui, quòd me ad haec studia quodammodo delegerit, expeditiorem quandam, facilioremque mihi viam monstrauit, qua, tot opinionum, & sententiarum obuolutionibus, impedimentisque reiectis, rectum iter, idemque in omnibus nullo indice, sacra tantum scriptura, duce, perpetuo quodam tramite tenerem. Neque verò aliorum scriptorum vitio, aut incuriae B adscribendum duco, quòd non idem illi sint iter ingressi; sed quoniam eorum quidam Graecas, Romanasque mensuras studiose inuestigantes, ab Hebraeis, quas tum ipsi quaerere proposuerant, tum verò optimo iure debuerant, abstinuerunt: alij attigerunt quidem eas, ac delibarunt, sed ex Rabbinorum traditione, & scriptis, quasi e turbidis fontibus impuras aquas, & pura pura, mendacia, anilibusque non rarò consperta fabulis, velut delibatum, merumque e caelo nectar, vt est in fabulis, & hauserunt ipsi sitientibus animis, & ceteri, quod est pernicio sius, propinarunt. Atque vtinam illustria illa suae antiquae

CAVSAE percensentur, ob quas hactenus plenè de mensuris Hebraeorum disputatum non sit.

RABBINI non bene de mensuris tractant.

Reipublicae Rabbini ornamenta cognouissent, non vtique nobis Graeca, Arabica, vel alterius cuiusque regionis; quam exsules incolunt, propria pro germanis Hebraeis, corruptissima quidem, eaque & immanissimis figmentis admista, pro veris obtrusissent: alij, pijne magis, an ignari, dum ex Sacrae Scripturae versionum, & interpretum varietate alia, atque alia longè diuersa ponderum, ac mensurarum Hebraicarum discrimina, rationesque venantur, minus forsan cognouerunt fieri minimè posse, vt vnius nationis, linguae, aut Reipublicae vasa omnia, numismata, pondera, ac mensurae alterius Reipublicae, aut gentis consimili supellectili aequa proportionis ratione respondeant: ex quo fit, vt optimi interpretis munere functus videatur is, qui mensuram proximam verae pro vera suffecit, quoties vera defuit, quam proferret. Huc accedit, quòd, propter iampridem extinctam, longeque à nostra aetate distantem Hebraeorum Rempublicam, mensurae, quibus illa vteretur, vix, aut ne vix quidem explicari queunt, nisi eae cum externis Graecorum, aut Romanorum mensuris conferantur: atqui saepenumero accidit, vt, dum Graecorum scripta peruoluunt, qui de Romanis loquuntur historijs; vel contrà Romanorum, qui de illorum annalibus scripsere, plurima infinitis propemodum difficultatibus implicentur. Plerique enim ex eiusmodi scriptorum numero aliena pondera, vel mensuras proprijs suae regionis voeibus explicarunt, quòd vel res illae, etsi non eaedem omnino, tamen non longè diuersae viderentur; vel quod externis vocibus, quamuis res plurimum inter se differre cognoscerent, in ijs conscribendis vti nollent.

VERSIONum varietas non conducit ad inuestigandas mensuras.

PROPTER Hebraicae Reipublicae antiquitatem difficillimè eius percipiuntur mensurae.

Et fortasse illud quoque vitium veteribus scriptoribus irrepsit, quod in recentioribus saepenumero deprehendas, vt ea consignata litteris posteritati mandarent, quae ipsi non satis, superque cognoscerent. Nos igitur, dum horum scriptis minùs credimus, veritatis, quae adhuc latitabat, desiderio incensi, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, post tot libros in lucem editos, in idem quoque studium incumbere, sedulamque operam impendere non grauamur: sapientis lectoris erit ferre iudicium, num veritatem ipsam postliminio reuersam simus consequuti. Neque enim dubitamus haud de futuros, qui haec ipsa, quae nos scribimus, augeant, illustrent, &, quod non inuiti omnibus concesserimus, exactiori corrigant virgula, notaque censoria: reprehensores enim, vt non videmus, ita religiosa animi demissione non perhorrescimus. Illud tamen fortasse profiteri, ac polliceri quispiam de nobis posset, firmioribus quidem, ac solidioribus, quàm adhuc alij, fundamentis molem hanc superstruere conatos sedulò fuisse.

Iam verò ad institutum nostrum propius accedentes, in omni bene ordinata Republica, vt Aristoteles auctor est, à magistratibus instituitur magnitudinum dimensio, ponderum quantitas, rerum humidarum, aridarumque mensura: his enim quotidianus vsus maxime indiget, vtpote, quibus consistit, atque extat humana societas. Quapropter non aliter legum conditoribus censetur perfecta venditio, quàm admensa, appensa, annumerataque sint ea, quae numero, pondere, atque mensura continentur. Constant autem huiusmodi dimensionibus non corpora tantùm, sed & cetera omnia: nam & scriptum est in libro Sapientiae: *Omnia in mensura, & numero, & pondere esse disposita.* In hac igitur mundi speciosissima, ac perfectissima vniuersitate omnia, quae facta sunt, suis ordinata sunt numeris, dimensionibus exactissimis, ac proprijs quaeque aptata sunt locis: Quemadmodum enim sapientis architecti munus est, tum in aedificio constituendo, tum vel maximè in eius rei magistro, atque praeposito instruendo, totius aedificij partium mensurationes, numerumque praescribere, ac suis quaeque locis constituere, solidissima fundamenta perpendere, certissimoque librata pondere confirmare (sine his enim praeceptionibus architectus institui, architectura ipsa, multoque minùs aedificium aliquod nulla poterit ratione constare) ita planè Rempublicam instituentis munus est, certam quandam numerandi rationem, iustas regulas, stata pondera, definitas mensuras ciuibus constituere, quibus colligata societas permanere queat; eiusque principes, gubernatores, ac iudices, qui quasi quidam architecti Rempublicam augent, tuentur ac prouehunt, facilè possint ei praestare subsidia; humanaeque societatis, atque commercij vnusquisque ciuium commoda percipere. Qua enim alia ratione locorum distantias, rerum longitudines, multitudinem, pondera; liquorum, ac frugum quantitatem examinare, atque haec mutuò conferre, permutare, aut diuendere poterit is, qui à numeri mensurae, ac ponderis vsu, ac ratione sit longè lateque semotus? Iam, si commercia tollas, Respublica, seu ciuitas, quae nihil est aliud, quam hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata, tollatur oportet: nedum augeri, illustrari, exornari possit.

Sap. 11. V. 21 MENSVRAE debitam quantitatem, numerus ordinem pondus loci constitutionem in rebus significat.

REIPVBLIcae gubernatoribus, haud secus, quam aedificiorum architectis, ratio mensurarum necessaria est.

Iam verò quotusquisque erit, qui infinitas propemodum vtilitates, & commoda, quae Reipublicae afferat mensurarum, ac ponderum vsus pereensere, ac numerare queat? Mihi verò, etsi plurima agnosco, illud tamen satis esse videri solet, quo ceteros ad nostram hanc sententiam, si quis nobiscum fortasse non sentit, reuocemus; sine ponderum, mensurarumque ratione Rempublicam vllam vt institui, ita nec conseruari posse diutius. Quid quod commercia, quibus cum res familiares, opesque augentur, pondere etiam, mensura, numeroque nituntur? Domus ipsae, habitationes, atque vrbes, quibus vitam tuemur, atque à caeli iniurijs quasi defendimus, ponderibus, mensurisque librantur. Bella, quibus pacem, ac vitae tranquillitatem ab hostium iniurijs vindicamus, hasce artes suas, quasi parentes, atque institutrices agnoscunt. Quis enim exercitum in partes tribuere, aequa forma componere, aptare machinas, agmen ad pugnam euocare, hostem insidijs, ac vi circumuenire, hos illis, illos his substituere, aut subducere pro belli ratione, commoditateue locorum, & alia eiusmodi paene infinita praestare possit, sine harum artium disciplinarumque praesidijs? Atque vt omnia vno verbo comprehendam, nulla est in Republica ars, nulla rerum contrahendarum ratio, quam non pondus, numerus, aut mensura bona mater edat in lucem, & editam tollat. Sed de his, alijsque sexcentis aliorum esto iudicium.

COMMERcia sine mensuris non exercentur.

DOMVS sine mensura aedificari non possunt.

BELLA SINE numero inualida.

Verùm enimuero historiam attexamus, quae hac nostra aetate contigit, & me etiam testem agnoscet; quam ideo hoc loco referendam censui, vt vel ex ipsis incommodis ponderandarum, ac men-

Arist. lib. 9. Metaph. MENSVRAE in Republica constituuntur, vt humana consistat societas.

LEGE quod saepe. paragrapho in ijs, quae. ff de contrahenda emptione.

ac mensurandarum rerum disciplinas, earumque necessitates facilè quisque intelligat. Delatus fuit ditissimus quidam vir, publicae monetae praefectus, quòd plus iusto singulis cudendi argenti libris ex aere admiseceret: quoniam lege sancitum erat, qua proportione id faciendum. Iam, quoniam experimento didicerat reus, difficilem eam causam fore, quae sine numerorum, ac ponderum perfecta cognitione nulla ratione percipi potuisset, à suprema potestate obtinuit, vt duo constituti iudices seorsim causam attentiùs examinarent, sententiamque seorsim proferrent. Mirum dictu, eodem die iudex vterque ex eisdem actis, causa, atque libellis cognitis, & confessione rei audita, sententiam protulit: earum altera eundem reum plurima aureorum millia Reipublicae soluere iussit, ac turpissima plectendum morte damnauit, reliquis omnibus eius bonis fisco adiudicatis; altera verò sententia eundem tamquam legis iura exequutum libetum dimittendum, ac ab omni eiusmodi accusationis instantia absoluendum iudicauit. Cumque impossibile fuerit, reum à vera miscendi aeris ratione pariter aberrasse, & non aberrasse, dicendum omnino videbitur, eiusmodi iudices, vel eorum alterum, in graue Reipublicae, ac proximi damnum, ponderum, ac numeri iguoratione aberrasse. Atque haec quidem damna manifesta cuiuis esse poterunt, quibus remedium adhiberi facilè potuisset.

IVDICIA iusta sine ponderum ratione proferri nequeunt.

MEDICINAE damna, sine mensuris grauissima.

Grauiora omnino ea, quae à medicorum inscitia proueniunt damna: quae quoniam manifesta esse nequeunt, tamquam vtilia remedia, ipsa lethalia medicamenta magnis sumptibus a miseris aegrotis coëmuntur. Iure optimo medicus & ipse Agricola sic scribit: Atque aliorum errores humana ratione depelli possunt, medici, si fuerint magni, nonnumquam diuina tantùm. Etenim mercator, cùm metitur, vel ponderat, si extra modum incuria prodit, ipse accipit detrimentum: sin dolo quidpiam de ijs detrahit, defraudat emptorem; sed in eo, quod facilè rependi queat: medicus, si vel inscitia, vel negligentia, vel maleficio vtitur, maioribus, quam par sit, mensuris, & ponderibus, praesertim cùm medicamentis purgantibus medetur, aegroti robur minuit, aut eum omnino interficit: si minoribus, quamuis id minori fiat valetudinis iactura, non rarò tamen etiam tunc medicamentum, quod purgat, nocet aegrotanti. Sacrarum verò litterarum studiosis, quorum potissimùm commodis hic liber scribitur, quantas afferat vtilitates ponderum, ac mensurarum intelligentia, vel ex eo maximè colligi potest, quòd quamplurimi sacrotum interpretum hoc argumentum tractauerunt non modo transcursim, & aliud agentes, verùm editis de hac re integris commentarijs. Et quidem ipsamet sacra biblia plena sunt cubitorum, sicli, talenti, bati, ephi, atque similium ponderum, ac mensurarum commemoratione, quae qui bene nouerit, sensum genuinum eiusmodi locorum eruere facilè poterit; sicut eum ignorari necesse est ab eo, qui mensuras ignorauerit. Quapropter consultum illis à me fuisse sperabo, si lucem aliquam huic difficilimae tractationi his meis elucubrationibus attulisse cognouero. Sed ad institutum nostrum reuertamur; atque firmissimo quodam argumento confirmemus, mensuras Reipublicae non vtiles modò, verùm & necessarias semper fuisse. Illud verò manifestum erit perpendenti, iam tunc ab initio fundatae primae mundi vrbis, ac Reipublicae, ponderum, ac mensurarum vsum inuentum fuisse. Id quod memoriae proditum accepimus à Iosepho, non modicae auctoritatis scriptore. Is enim Cainum reprehendit, quod fraternae caedis castigatione mutatus in melius minimè fuerit; quin potius per vim, & rapinas delitijs, atque auaritiae maximè indulserit: ac subdit: Ad haec, simplicem hactenus viuendi rationem, excogitatis mensuris, ac ponderibus, immutauit, pristinamque sinceritatem, & generositatem, ignaram talium artium in versutiam deprauauit. Primus agrorum terminos fixit, vrbemque exstructam, & communitam, coactis in vnum domesticis, inhabitandam tradidit, Enoso nomine imposito, ab Enoso liberorum natu maximo. Haec ille. Quae quamuis vera sint, vtpote sacris litteris valde consentanea, non tamen defuerunt, tum è Graecis, tum etiam ex Latinis scriptoribus plurimi, qui alios mensurarum, ac ponderum inuentores retulerint. Etenim Gellius Palamedem, Strabo, & Plinius Phidonem Argiuum, Diogenes Laërtius Pythagoram mensurarum inuentores fuisse commemorant, Agricola teste. Sanctus verò Isidorus Moysen primùm in eremo filijs Israël pondera, & mensuras dedisse tradit. Neque verò esse potuit, quin Moyses, qui quasi deperditam diuturna seruitute Hebraeorum Rempublicam instauratiuerit, eis quoque mensurarum, & ponderum antiquam rationem non instituerit. Subdit tamen idem Isidorus: Primus Sidon Argiuus ponderum rationem in Graecia constituit. Et licet alij antiquiores exstiterint, iste hac arte experientior fuit. Videtur verò Isidorus eos vocare solitus artis, vel scientiae alicuius inuentores, qui in ea excelluerunt. Fuisse autem eiusmodi mensuras à Caino inuentas simplicissimas, maximè vniformes, regulares, atque à naturalibus humani corporis dimensionibus petitas, nobis etiam tacentibus, res ipsa loquitur; quae quidem per manus tradita ad posteros vsque emanarunt. Quod & ipsa dimensionum nomina, pes, cubitus, palmus, facilè demonstrant. Nam & Noë primariam regulam, humanum nempe cubitum adhibuit aedificio arcae, ex mandato Domini, construendae. Qui quidem cubitus, instaurata post diluuium gentis politia, legalis atque ciuilis habitus est; eodemque vsi sunt, cùm reliqui Heber posteri, tum etiam Moyses in ligneo tabernaculo exstruendo, atque Salomon in marmorei templi fabrica dimetienda: id quod manifestis rationibus suis locis fusius ostendemus. Nunc enim ad singula pertractanda veniendum est, ac primùm de mensuris in vniuersum.

Geor. Agric.

INITIO institutae Reipublicae institutae mensurae sunt.

CAIN PRIMUS mensurarum inuentor.

ALII, QVI dicuntur mensurarum inuentores.

Strabo lib. 5. Plin. lib. 7. Diog. lib. 9. Agricola in prooem. lib. de rest. pond. S. Isidor. lib. 16. Originum c. 24.



MENSVRARVM PONDERVMQVE

Iustam rationem à Deo iniungi, tum quòd in foro venali iustitiae instrumenta; tum verò maximè, quòd in iudiciali aptissima iustitiae symbola sunt.

Cap. II.

CVM primùm ad ea accessi, quae hoc capite tractanda proponuntur, sese mihi obtulit insignis Leuitici locus, quo Deus Optimus Maximusque Hebraeorum Rempublicam instituens, iustam iniungit mensurarum, ac ponderum rationem. Quo quidem facilè probare potuissem superioris capitis argumentum. Quibusdam enim praeceptionibus diuina sapientia videtur significare voluisse, tamdiu Rempublicam duraturam, quamdiu mensurae, ac ponderis iusta ratio tenebitur: ea verò deficiente ruituram protinus. Verùm quoniam in re manifesta diutius comprobanda immorari non vacat, ad loci interpretationem proposito capitis instituto maximè conducentem veniamus. Is autem sic habet: *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura, statera iusta, & aequa sint pondera, iustus modius, aequusque sextarius. ego Dominus Deus vester.* Hebraicè: לא תעשו עול במשפט במדה במשקל ובמשורה מאזני צדק אבני צדק איפת צדק והין צדק יהיה לכם אני יהוה, lo thaghasu ghauel ba-, misphat bamidah, bamisceal vba mesurah meozne tsedech, abne tsedech, ephat tsedech, vehin tsedech, Ihieh lachem ani Adonai. Quae quidem verba sic conuertit Regius codex: Non facietis iniquitatem in iudicio, in mensione, in pondere, & in mensura, statera iustitiae, lapides iustitiae, epha iustitiae, & hin iustum erit vobis: ego Dominus. Quo quidem loco praecepti huius, quod ad mensuras spectat, dignitatem primò demonstrant ipsa ad finem appositaverba: *ego Dominus*. Hanc enim legem proponens populo Moyses, quo maiori reuerentia obseruaretur, eam quasi Dei manu subscriptam tradidit: habetur enim in Hebraeo ineffabile Dei nomen. Lex autem iniquitatem prohibet, quae עול ghauel Hebraeis dicitur. Ea, vox iniustitiam, iniuriam, atque id omne significat, quod contra leges, & iura committitur, quod proximo iniuriam, vel damnum aliquod irroget: id propriè, quod ex corde in os, indeque in externum etiam opus contra ciuilem iustitiam prorumpit: quod in publicis, ac priuatis mensuris, ac ponderibus facilè admitti ab iniquis solet. A qua quidem voce originem fortasse duxit, quae vulgo Italicè vsurpatur gabella, qua exactiones, ac principum impositiones nominantur: non quod eae omnes damnandae tamquam iniustae sint, sed quod vulgus eas tamquam iniquas damnare ab initio coeperit. Cuius rei argumentum nobis esse poterit, quòd publicani tributorum exactores male audirent, ac peccatores vocarentur ab Hebraeis. Id verò quod principibus iusta ratione permittitur, nempe vt ex singulis mensuris, verbi gratia, frumenti, vini, aut olei, quas quis vendiderit, nonnihil minus recipiat emptor, quod principi exhibeatur, vt Rempublicam sustinere, ac tueri possit, idipsum singulis ciuibus propria auctoritate facere, diuina lege tamquam iniquum prohibetur.

Quattuor autem sunt ea, quibus ne iniquitas adhibeatur, edicitur, nempe iudicium, regula, pondus, mensura. Iudicium verò Hebraeis משפט mispat dicitur, cuius vocis notio latissimè patet: significat enim iudicium, mensuram, normam, regulam, praeceptum, legem, dispositionem. Huius vocis vim explicare videtur insignis ille Psalmus, qui totus in describendo beato, ac felici homine, vel potius veram hominis felicitatem versatur; in duos, & viginti versus Hebraeis tributus, à totidem alphabeti litteris perpetua serie incipientibus, atque in decima littera י iod, quae & prima ineffabilis Dei nominis existit, hanc subiungit humanae felicitatis summam, יכלכל דבריו במשפט iecalcel deuaraiu bemispat; *Disponit sermones suos in iudicio*. Metietur verba sua, vel res suas in mensura, hoc est, secundum legem, & normam, vel in iudicio, hoc est, discretè. Rabbi Dauid ad superiorem versum videtur ea verba referre; vt quoniam dixerat, *iucundus*, felix, beatus, *homo qui miseretur, & commodat*; metieturque res suas, id est, dona sua; & impensas suas faciet in mensura aequali, secundum iustitiam, & iudicium. Rabbi verò Salomon: reget res suas, id est, voluntates suas in mensura, vel res suas, quae sunt necessariae in cibo, ac potu, indumentisque in mensura secundum facultates suas. Rabbi verò Abraham, in iudicio, inquit, nempe vt par est, vt decet. Euthymius: non fortuitò, aut inconsideratè loquetur, sed cum iudicio, & discretione, vel quia Graeca, inquit, dictio λόγος logos, non tantùm verba, & sermones, sed rationes etiam significat: dic quòd vir iste, qui timet Dominum, recto ac sano iudicio rationes, & negotia sua omnia semper disponet: quemadmodum etiam Symmachus reddidit. Et quidem non tantùm ab Graecae vocis notione, vt probat Euthimius, sumenda videtur eiusmodi interpretatio, sed multò magis ab Hebraicae דבר dabar, quae verbum, sermonem, aliquid significat: non enim accipitur pro simplici voce, seu dictione, sed pro integra rei narratione; immo & pro ipsa re dicta. Iuxta quem loquendi morem intelligendi videntur pastores, ad inuicem dicentes: *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est.* Significat ergo Latina vox dicta, & facta omnia, ita vt Psalmi sensus sit: omnia sua negotia, ac solicitudines disponet in iudicio. Vox verò altera יכלכל iecalcel, cui Latina, *disponet* substituitur, significat mensurare, vel continere quasi intra mensurae terminos. Cui quidem voci Latinam calculi affinem nonnulli faciunt, quasi sit ad calculum, vel summam disponere, dispensare, aut continere. Quapropter Sanctus Hieronymus pro *disponet*, dispensabit, Latinè reddit. Quae quidem omnis rerum, ac negotiorum dispositio, vel dispensatio, vel commensuratio in iudicio, iusta trutina facienda praedicitur. Et quidem rerum omnium aequam constitutionem nullum aliud sym-

Leuit. 19. V. 35. & seq.

EGO DOMINUS; ad finem latae legis adhibitum, quasi Regia subscriptio est.

GHAVEL Hebraica vox iniquitatem significat, è qua forsan deducta fuit Romana gabella.

TRIBVTORUM exactores publicani, & peccatores dicebantur Hebraeis.

QVOD Principibus nonnunquam licet mensuras imminuere, id diuina lege priuatis personis prohibetur.

IVDICIVM plura significat.

Psal. 111. V. 5.

Rab. Dauid in comment.

Rab. Salom.

Rab. Abr.

Symmach.

VERBVM plura significat Hebraeis.

Luc. 2. V. 15.

DISPONERE pro mensurare aut continere vsurpatur.

S. Hieron.

symbolum aptiùs significare videtur, quàm lancium aequa libratio, earumque iudicium, seu examen, quod in medio librae erigitur, aptissime demonstratur. Inter bina librae brachia stylus quidam ad angulos rectos constituitur, hoc est, ad aequales angulos: omnes enim recti anguli aequales sunt. Ex quo sit, vt suspensa ex medio libra, tunc librae stylus perpendiculari filo respondeat, cùm lances aequa pondera sustinebunt. Quòd si altera in alteram partem praeponderet, in eam quoque inclinare stylum necesse est, quo rectè iudicet hanc prae altera ponderare. Quòd si ad inaequales angulos stylus erigatur, contrà eueniet, vt tunc in medio perpendicularis fili constituatur stylus, cùm maiore pondere pressa erit lanx illa, à qua magis recessit iniquus stylus, peruersè quoque iudicans. Atque hoc quidem iniustitiae genus prohibetur à Deo, nempe vt in neutram partem inclinet iudicaturus quisque; sed in medio constans, ac rectus aequa dijudicet: idque non in foro contentioso tantùm; verùm etiam in venali foro. Ac propterea cùm primùm negatiuum proposuisset praeceptum; *nolite facere*, inquiens, *iniquum aliquid in iudicio*, &c. subdit affirmatiuum, dicens, *statera iusta*, &c. quasi idem sit iudicium iniquum, quod iniqua statera: sicut è contrà iusta statera aequum iudicium denotat. Tribus item alijs iustitiae administris iniquitatem permiscri prohibet, nempe במדה bamidah, *in regula* conuertit vulgatus, & meritò; vsurpatur enim ea vox ferè semper, ad significandum pedem, palmum, cubitum, calamum; idque mensurae genus, quo interualla, vel rerum longitudines metimur: במשקל bamischal, in pondere, quo rerum momenta perpendimus, cuius iudicio metalla, reliquarumque omnium rerum aestimatio ac pretium sistuntur; atque omnia ferè alia, quae quauis mensura coaequantur: במשורה bameschurah, in mensura, quae duplex est, rerum liquidarum altera, vini videlicet, aut olei altera verò rerum solidarum, vtpote frugum, & similium, quibus mensurae mox respondent, ephi aridorum, & hin liquorum, vt suis locis patebit. His igirur verbis iniungit magistratibus Israëliticae Reipublicae, quam instituebat Deus, vt iustitiae illibatam nomam in omnibus teneant, ius suum vnicuique reddentes, cùm in foro iudiciali, & contentioso, rum in foro venali, in publicis, & priuatis commercijs atque contractibus. Quod praestari facilè poterit, creatis incorruptis iustitiae administris, animatis, quales sunt iudices, Reipublicae administratores, ac magistratus; nec non restitutis prioribus inanimatis iudicibus, quales sunt vetus regula, legitimum pondus, & mensura iusta: non enim minus humanae vitae consuetudo ab huiusmodi iudicibus pendet, quàm ab illis; neque minus detrimenti patimur, cùm ab iniqua regula, mensura, vel pondere fraudamur, quàm cùm ab iniquo iudice calumniam sustinemus. Quibus addendum videtur, quod saepius his, quàm illis iudicibus sistimur: ad magistratus enim non nisi discordes, ac mutuò litigantes accedimus; ad mensuras verò etiam concordes, quantumuis aequitatis obseruatores, plerumque recurrimus. Quid enim est aliud, si rectè perpendas, vlna metiri continua, grauia pondere, fluida mensura, quàm apud eiusmodi iudicem nostra iura tueri, integerrimique iudicis stare decretis? Nam quia celebratur quoddam iudicium in foro venali, cum consorte contractus, haud secus, quàm in contentioso cum actore, vel reo, ideo apud omnes ferè nationes, & gentes vsus obtinuit, iudicij nomina, & phrases ponderibus tribuere, & contrà. Id quod disertis verbis testatur apud Isaiam Dominus: *Ponam*, inquit, *in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*, Hebraicam vocem קו cau Hieronymus vertit *in pondere*, lineam, regulam, longitudinis mensuram alij: at satius cum vulgato extenta, atque in directum protracta librae brachia intelligemus, quae sicut libram vocamus, sic & pondus, vel ponderatorem nuncupare licebit. Quoniam autem in medio longitudinis librae examen erigitur, cuius est iudicare de aequalitate, vel inaequalitate ponderum in lancibus existentium, ideo aptissimè iudicium librae, seu lineae examini tribuit, ponderibus iustitiam; elegantissima bilancis comparatione significans Dominus, se iustè praemia largiturum, vel poenas pro ratione meritorum; cohaeretque aptissimè superioribus sensus: vt quoniam inani spe delusos se esse conquererentur Israëlitae, lapidis firmissimi Christi promissione eos firmat, in quo omnis spes vitae, ac salutis bene fundatur; iubetque eos bono animo esse; *qui* enim *crediderit non festinet*; vel, vt Paulus interpretatur, *non confundetur*. Hispanorum phrasis eodem verbo vtrumque significante dicerct, no se corra, non erubescat, non cadat à spe sua, longanimiter perseucret, quia iustè Deus reddet meritorum praemia, ponens in pondere iudicium. Sensum attendentes Septuaginta conuertunt: ponam iudicium in spem, & misericordia mea in statera. Neque verò hic dicendi modus, quo statera iudicium, aequo pondere iustitia significatur, sacris tantummodo literis frequens est; verùm etiam profanis. Nam & Romani Imperatores aequitatem, quam ostentare, ac sibi arrogare cupiebant, suis numismatis effingebant; idque stantis, atque incorruptae virginis specie aequam bilancem dextra manu tenentis: sic Vespasianus, Galba, Gordianus, & Macrinus apud Antonium Augustinum. Sed & Cicero: Ad ea probanda, inquit, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Et iterum: sed ego hoc meis ponderibus examinabo, quid cuique debeam. Sic etiam Virgilius.

Iuppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, & fata imposuit diuersa duorum,
Quem damnet labor, & quò vergat pondere letho.

Festus verò: Examen, inquit, est & aequamentum, & iudicij inuestigatio. Atque sexcentis alijs locis eadem obseruare licebit.

Verum non leue argumentum ad probandum mensuras iustitiae obseruandae aptissima esse instrumenta, desumi potest ex eo, quòd iniquissimi illi pauperum hostes sese ad impietatem mutuò hortantur, illis verbis: *vt imminuamus mensuram*, vtique, qua frumenta diuendimus, *& augeamus siclum*, vtique illum, quo iustum siclorum, quos recipimus, pondus examinamus. Quoniam enim antiqui illi pondere siclos, & numismata omnia examinabant (id quòd hodie Romae in aureis nummis frequenter fit) quoddam pondus ex ae-

LANCIVM aequa libratio iustitiam aptissime significat. *Axiom. 12. prim. lib. Euclid.*

IVDICII nomina, & phrases ponderibus, & ponderum contrà iudicijs tribuuntur. *Isai. 28. ℣. 17.*

IVDICIVM in pondere quid sit.

NON SOlum in iudiciali foro, verùm etiam in venali iustitia obseruanda praecipitur.

MIDAD Hebraea vox mensuram significat, qua interualla metiebantur.

IVDICIBVS integris, aequa regula, pondere, & mensura omnis iustitiae administratio fit.

AD IVDIces discordes, ad mensuras etiam concordes recurrunt.

Roman. 9. ℣. 33.

A. August. in lib monet. discorso 2. n. 18. Cic de Orat. Cic pro Plan. Virgil. 12. Aeneid.

Festus.

MENSVRAE obseruandae iustitiae aptissima instrumenta: *Amos 8. ℣. 5.*

AVGERE siclum ad fraudandum quid sit.

re, vel quauis alia graui materia prae manibus habuisse credendi sunt, quod cùm iustum sicli pondus haberet, in altera librae lance constitutum, facilè ostenderet, an siclus in altera lance constitutus aequo pondere fuisset, eòve maior, vel minor. Hunc ergo siclum, vel sicli pondus dicas, augere vltra iustum pondus decreuerant, quo siclos omnes iusto minores fuisse falsò ostentarent; qua ratione sperabant fraude capiendos emptores, qui cogerentur denis, verbi gratia, quibusque siclis siclum vnum superaddere, eò quod decima sicli parte à iusto deficere siclos emptoris iniqua fraude ostenderetur. Neque verò simplici fraude contenti, sicli pondus augebant, sed & stateras dolosas supponebant; vt si quae merces pondere essent examinandae, fraudi paterent. Atque adeo sibi facilè pollicebantur fore, vt breui, non modo pauperum substantias deuorarent, sed & ipsorum liberos, libertatem, & sanguinem. quod & ipsi testantur, dicentes: *vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis*. Cuius quidem sceleris acerbam vindictam comminatur Deus apud Micheam prophetam: *Adhuc*, inquiens, *ignis in domo impij thesauri iniquitatis*. Vix existentibus in domo impij thesauris, iniquitate, fraude, ac rapinis comparatis, ignis scelerum vltor diuitias consumens aderit. *Et mensura minor* iusto *irae* Dei vindicis *plena*. *Numquid iustificabo*, hoc est, in iudicio iustam decernam, vel non vlciscar, *Stateram impiam, & sacelli pondera dolosa?* quasi dicat, minimè; sed vindictam sumam, non patiar, non feram. Sunt autem huiusmodi comminationis sacrae litterae plenae, quibus consultò supersedemus. Haec autem pauca perstrinximus, quò non se putent à consimilis sceleris labe immunes ij omnes, quorum culpa dolosae stateraе, iniqua pondera, imminutae mensurae, decurtatae regulae pro veris, ac certis nobis intruduntur, quò non pauperum fraudi solùm studetur, sed, quòd maius est, sacrarum litterarum studiosis caecitatis offunduntur tenebrae, ac dum limpidissimos sacrae historiae fontes, quasi quibusdam obscuritatis nebulis contegunt, sitientes animi prae aquarum penuria aestuant, excruciantur, torquentur; ita vt, quae certissima sunt, aliarumque rerum quasi examina, ac iudices, ea diuinatione potius, quàm certa scientia percipienda videantur. Apud Xenophontem Socrates illos omnes insanire aiebat, qui diuinatione exploranda illa esse arbitrabantur, de quibus decernendis data est hominibus à dijs facultas. Si enim quisquam interrogat, vtrum illum aurigam praefigere quadrigis melius sit, qui bene teneat artem; an illum, qui non bene sciat: aut vtri, gubernandi perito sit nauis commendanda, an imperito: quaeque liceat, aut numero, aut mensura, aut pondere scire, si qui sunt, qui deos de illis interrogent, hos nefaria facturos opinabatur. Quae quidem doctrina percipi dij voluerunt, discere homines oportere; quae verò incerta hominibus sunt, illa diuinatione conari à dijs consequi: deos namque his, quibus propitij sunt, ista aperire. Hactenus ille. Qui, quamuis certissima esse ea omnia putet, atque hominibus peruestigatione manifesta, quae numero, mensura, aut pondere constant, tamen si ad haec nostra tempora peruenisset, quibus ipsam mensuram inter difficillima quaeque licebit computare, non miraretur sanè, si diuina potius ope freti, quàm humani ingenij, aut alicuius disciplinae praesidio hanc disputationem aggredimur.

INIQVI pauperum non substantiam modò, sed & liberos, libertatem, ac vitam deuorant.

Amos 8. ℣. 6.

Michae. 6. ℣. 10.

POENAE iniquis ponderibus decernuntur grauissimae.

Ibid. ℣. 11.

QVAE damna afferat iniqua sacrorum ponderum per tractatio.

Xenophon. lib. 1. de dictis, & factis Socratis.

DE MVLTIPLICI MENSVRARVM GENERE, *deque earum mutua collatione, & aequalitate.* *Cap. III.*

MERITO sanè, allato Leuitici testimonio, tres percensentur venalis fori integerrimi iudices: ad hos enim omne iudicium defertur. Siue enim agros, domos, praedia, interualla, pannos, aut vestes metimur, ea omnia regula examinantur, aequa num sint, maiora, vel minora: aut aurum, argentum, aes, medicamenta, aut quaeuis alia ponderantium genera conferimus; quae quidem omnia statera, ac pondere examinantur: vel tandem vinum, oleum, aut quosuis liquores, siue frumentum, hordeum, aut fruges, aliasvè eiusmodi res examinamus, ea omnia mensura dijudicantur. Duplex verò mensurae genus, ephi frugum, & hin liquorum inibi percensetur. Neque plures his adinuenire licet; numeri namque ratio vniuersalis est, & quae omnia pariter recensetur: Quare quot sint interualli pedes, passus, stadia, cubiti; quot sicli, vnciae, minae, talenti; nec non logi, sextarij, bati, aut ephi examinandum est. Atque adeo ad haec tria capita deducenda duximus omnia mensurarum, ac ponderum genera, ad regulam, pondus, & ad mensuram, quae duplex est, liquorum altera, altera frugum, & ad eadem capita omnem nostram disputationem reuocabimus. Prius tamen, quàm ad singula pertractanda veniamus, agendum videtur in vniuersum de mensurarum, ac ponderum mutua collatione, & aequalitate. Non enim temere praeallato Leuitici textu, linea, pondus, ephi, & hin simul recensentur, & pari aequitatis norma seruanda praecipiuntur, sed accuratè satis, summa quidem prudentia atque consilio: ea enim omnia intantum sibi mutuò conueniunt, & connexa sunt, vt, si regulam teneas, pondera atque mensuras facillimè consequaris; atque è contrario, si mensuram ignores, aut pondera, reliquas ignorare cogaris. Pendet enim pondus à mensura, mensura componitur regula; atque ex ipsa mensura facillimè, sicut à pondere, deducitur regula. Nam si numquam satis laudatum est in Romana Republica, quòd ad regulam omnes mensuras exegerit, cùm falso id illa sibi arroget, quasi eiusmodi rationes prima inuenerit, quid dicendum est de Republica illa, infinitis propemodum saeculis ante Romanam diuinis legibus instituta? Dicemus sanè id, quod

TRES SVNT venalis fori iudices, regula, pondus, mensura.

REGVLA cognita, mensuraे, & ponderа cognoscuntur, sicut his ignoratis illa quoque ignorari necesse est.

res est,

ROMANI politiae aemulatores non inuentores fuere.

res est ; aemulatores quidem politiae Romani fuerunt , non auctores ; imitatores fuerunt, non inuentores. Sed si laude digni sunt hi, qui aliorum bonos mores imitati sunt, quanto magis illi, apud quos primò viguerunt, quique omnis prudentiae, tamquam à Deo instituti, exemplar fuere? Fuit sanè laude dignum Romanis, quod ex regula , pedis inquam humani longitudine, liquorum mensuram trina dimensione parem fecerunt ; quam propterea quadrantal nuncupauere, eiusque tertiam partem modium frugum mensuram constituerunt. Idem verò ipsum, vel si quid perfectius in Dei populo excogitari poterat, extitisse, ac perpetuò conseruatum fuisse non dubitabimus : non enim decebat à Deo institutam Rempublicam, à qua ceterae, quidquid vsquam habuerunt ornamenti, mutuatae sunt, hac laude priuari, quae maxima est. Nam si certa ratione exaequetur regulae pondus, huic mensura, quis cogitatione persequi poterit, nedum MAXIME Reipublicae prodest, regulae mensuras, & pondera conuenire. verbis exprimere, quot, & quantas eiusmodi ponderum, lineae, atque mensurae analogia afferat hominum societati vtilitates, & commoda ? quis fructus percensere poterit, quos inde perciperent ciues ? quàm facilè sua quisque iura tueretur, dum iustam mensurarum, ac ponderum rationem sibi speraret futuram esse praesidio ; cùm, si quid de regulae longitudine subtractum fuisset, facilè mensura permanens prodere, & si quid his detractum dolo malo fuisset, facilè pondus ipsum, ac libra demonstrare potuisset ? Quae quidem ratio condecens maximè videri poterit, Rempublicam à Deo, optimo, sapientissimoque principe institutam, sanctissimisque legibus instructam, hisque potissimum, quae ad mensuras, & pondera spectant, iuxta ea, quae superiore capite ostendimus. Quapropter non coniectura modo, sed asserendis manifestis rationibus hoc primò statuimus, Cainum palmo suae manus, longitudine QVA RATIONE Cainus suae manus palmo mensuras, & pondera composuerit. inquam extensae manus, ab extremo maximi ad extremum minimi digiti, quae longitudo dimidio cubito aequalis est, vas quadratum omni ex parte, (cubum Geometrae vocant) fieri curasse; idque בת bath dictum, quo fruges , & liquida pariter metiretur : mox hoc vas hordeo plenum ponderasse ; idque pondus ככר chichar dictum (talentum vocare licebit) pondus omnium maximum atque legitimum constituisse. Ac tandem, ARGVMENTum totius disputationis de mensuris , & ponderibus. hordei, atque tritici seruata proportione, tantundem ponderis è tritico appensum vas aliud constituit, quod & בת bath nuncupauit , quem distinctionis gratia minorem Batum apellabimus. HORDEVM subsesquialtera proportione pondere a tritico superatur. Qui quidem Batus priori minor est subsesquialtera proportione; quoniam subsesquialtera proportione pondere superatur à tritico hordeum. Neque tantum bati hi, hordeo, atque frumento pleni talento Hebraeorum pondere exaequantur, verùm etiam hic minor batus grauiori vino rubro Palaestinae plenus talentum pendet. Quae quidem omnia, subductis rationibus, suis quaeque locis probabuntur. Interim tamen viam tantummodo lectori ostendam, quam in probandis his, quae proposuimus , tenere decreuimus ; qua etiam ratione totius operis quasi argumentum proposuisse videbimur.

DVPLEX BATus probatur ex sacris litteris. 3. Reg. 7. ℣. 27.

Ac primùm duplicem batum probant Sacrae Scripturae testimonia, quae templi aenei maris capacitatem commemorant : nam in libro Regum bis mille batos capere dicitur ; at in libro

A Paralipomenon ter mille Batos . Cuius sententiae difficultatem emollire conatus vulgatae editionis auctor, *tria millia metretas* aptissima ratione, quam suo loco ostendemus, scripsit. Quae quidem testimonia necessario exigere videntur, duplici mensura commensuratum fuisse idem vas, quod harum tria millia caperet, illarum verò duo millia ; fuisseque maiorem minoris sesquialteram : tantundem enim ternarius numerus binarium superat, quantum maior minorem superabat. Fuisse autem ex his mensuris maiorem semicubiti, vel palmi cubici vel ex eo constare poterit, quod aenei maris forma, eiusque longitudo, latitudo, altitudo, ac circuitus, cubitis commensurata describuntur in sacris litteris. Ex

B quo fit, vt, si geometricas rationes sequaris, facilè inuenias bathi maioris capacitatem aequalem omnino fuisse semicubito cubico ; id quod nos proprijs quoque rationibus suo loco subducemus. Ex quibus omnibus rationibus, cùm primùm manifestatae à nobis fuerint , manifesta quoque fiet regulae, ac mensurae proportio, & aequalitas. Alia duo supererant probanda; nempe, liquorum, ac frugum mensuras aequales, & has, atque illas ad iustam ponderis rationem exactas fuisse. Quae quidem pari ratione probantur celeberrimo illo Ezechielis testimonio, quod suprà à nobis explicatum est, atque infrà latius pertractabitur ; siquidem in eius gratiam totus hic susceptus est labor. Is verò sic habet : *Statera*

C *iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis : Ephi, & batus aequalia, & vnius mensurae erunt; vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi : iuxta mensuram cori erit aequa libratio eorum*. Probaturi autem infra sumus, quod & eodem Ezechielis capite manifestum fuit, bathum liquorum mensuram fuisse; vtpote qua oleum mensuraretur; ephi verò mensuram aridorum, vtpote, quae frumentum, & hordeum commensuraret. Quare prima fronte apparet in textu, ephi aridorum mensuram parem omnino fuisse bato liquorum mensurae. Alterum verò quod probandum supererat, manifestum omnino fiet, si consulantur Hebraea, in quibus mensura dicitur תכן thochen, libratio verò מתכנתו matheuntho,

D quae vtraque vox ab eodem verbo תכן thachan deducitur, quod est mensurando expendere, pensum mensurare, mensurata pensitare. Cuius rei exempla quamplurima adduci potuissent ; illud vnum pro omnibus esse poterit, quod habetur in libris Regum : *Dabant eam* pecuniam *iuxta numerum atque mensuram* , Hebraicè מתכן hamthuchan, id est, pondere mensuratam ; vel potius in numero , ac pondere . Inde deducitur תכן thochen , mensura appensa , vel pensum ad mensuram. Vnde rectissimè , & ex propria verbi notione vertit Hieronymus , cùm scripsit : *erit aequa libratio eorum* . Nam pondere examinabatur bathus, an legalis esset, ac iustae mensurae ; appenso videlicet vino, vel frumento, quo bathus

E compleretur. Qua etiam ratione talenti pondus examinabatur .

Bati verò latus iuxta mensuram palmi exaequabatur . Quae quidem omnia cùm sibi mutuò responderent, tum mensurae omnes legitimae, legitimumque pondus habebatur . Haec autem omnia, atque eorum singula quoniam suis quaeque fundamentis fulta manifestanda sunt, ideo nunc praetermittenda duximus . illud tantummodo

BATVS MAior semicubiti fuit cubus.

BATVS MAior quantus fuerit.

MENSVRAE liquorum , & frugum aequales fuerunt , & ad ponderum rationes exactae.

Ezech. 45. ℣. 10. & 11.

BATVS LIquorum mensura.

EPHI MENsura aridorum.

MENSVRAS, & pondera aequalia fuisse probat ipsa Hebraica vox.

4. Reg. 12. ℣. 11.

modo ex dictis affirmantes, huiusmodi analogiam, qua nulla posset dici, vel excogitari ingeniosior, vel magis commoda, in Hebraeorum Republica diuinis legibus instituta perpetuò asseruatam fuisse. Qua ratione nobis pollicemur fore, vt, si semel iustum talenti pondus, vel bati aequam capacitatem, vel exactam cubiti longitudinem assequamur, ceteras quoque mensuras omnes, omniaque pondera facilè consequuturos.

Ac primùm experiri conabimur, num certi quidquam rimari possimus, quo manifestam ponderum rationem percipiamus. Nam quamuis ea, quae ad Hebraeorum pondera spectant, ita nobis manifesta videantur in sacris litteris, vt pro reliquorum omnium fundamento, & quasi primis principijs assumi possint; ea tamen tot sunt quaestionibus, atque difficultatibus implicata, vt vix explicari sine magna difficultate queant. Atque adeo ad aliena pondera examinanda, & mutuo conferenda, quasi quadam impressa vi cogimur accedere. Nos vero ea ex omnibus antiquis primùm seligenda duximus, quae, antiqua cùm sint, aetati tamen nostrae prae caeteris essent tempore, nominibus, & ratione coniunctiora. Sunt autem ea Romana pondera: quamuis & de Graecis etiam nonnihil dicendum sit: sic enim fiet, vt, plurium scriptorum de diuersis ponderibus collatis testimonijs, atque mutua omnium ponderum consensione probata, magis firma, ac stabilis maneat nostra sententia. atque ita euenturum speramus, vt Deo nos bene iuuante, lucem aliquam disputationi de Hebraeorum ponderibus afferre possimus; qua mediante, & alias eorundem mensuras, & longitudines facilè percipiamus, quas ad pondera referentes examinabimus. Quo autem consilio de Romanis, ac Graecis mensuris libro hoc, qui res sacras tantummodo tractare statuit, agamus, sequenti capite aperiemus.

A paribus comparare, alienas cum alienis, vel alienas cum suis: atque omnino ostendere conati sunt, quoties maior ex alienis contineat minorem ex proprijs, vel quoties vna ex his contineat aliquam ex illis; vt, cum vna aliqua ex illis cum alia quapiam ex proprijs, vel ex aequo respondere noscatur, vel eam data proportione superare, vel ab ea deficere, tunc arithmetica suppurationc, reliquae omnes mensurae cognoscantur: id quod & in ponderibus, pari ratione contingere necesse est. Quapropter mirari nemo poterit, si, qui suae Reipublicae, suaeque aetatis mensuras pertractarunt, breuissimè, ac nullo paene negotio rem totam expedierint; quoniam nimirum eiusmodi mensurae scribenti pariter, ac legentibus assidua B experientia erant notissimae: at contrà, qui externas, vel diuturnitate temporum à se longè remotas tractauerunt, & infinitis propemodum difficultatibus se implicuerunt, & ingentia volumina conscripserunt. an vero id, quod instituerant, feliciter consequuti sint, nondum omnino iudicio comprobatum est. Nam & illud ipsum, quod rebus omnibus caducis, ac fluxis euenire consueuit, id omne mensuris ipsis, ipsisque ponderibus contigisse, ac eorundem disputationi simul accidisse cognoscimus. Etenim quo magis vnaquaeque mensurarum ratio, à nostra aetate, temporum interuallo, distare probatur, eò magis quasi vetustate detrita ab hominum pene memoria excidisse cognoscitur: ac vix tandem, C post assiduos, in peruestigandis scriptoribus multorum annorum labores, vnum, aut alterum inuenire conceditur, qui vnam aliquam ex antiquioribus mensuris cum aliqua alia ex proprijs ita comparet, vt eius certa ratio haberi queat. Ideoque, dum omnium mensurarum antiquissimas, vtpote mundi primas inquirimus, necessario cogimur, quasi per gradus ascendendo, atque aetatum seruato ordine procedere; ita vt antiquas primùm inuestigemus, mox antiquiores, ac tandem ad antiquissimas deueniamus.

QVI SVAE aetatis, & Rei publicae mensuras scripserunt, breuissimè, ac facillimè; qui alienas, pari obscuritate, ac prolixitate.

ROMANAE antiquae primùm, deinde Graecae antiquiores, ac tandem antiquissimae Hebraeorum mensurae perueſtigandae sunt.

Et quoniam hoc eodem antiquitatis ordine à nostra aetate seiunguntur Romanorum Imperatorum mensurae, hae à Graecis, & ab his Hebraicae, fiet, vt disciplinae ordinem sectantes à D notioribus nobis incipiamus, quarum comparatione postmodum, illas ipsas ab hominum memoria maximè remotas percipere possimus. Atque adeo in hoc, ac sequentibus huius partis libris ita progrediemur, vt de Romanorum antiquis ponderibus, numismatis, atque mensuris primum disputemus, eas mutuò inter se conferentes; deinde Graecorum mensuras easdem ipsas inter se; postea cum Romanis antiquis mensuris conferamus. Demum Hebraeas mensuras, pondera, atque numismata inter se, deinde ea cum Graecis, ac Romanis antiquis, ac tandem omnia cum nostris Hispanis, ac Romanis comparabimus.

Et quamuis ea, quam diximus, firmissima ratione disputare de Romais mensuris, ponderibusque minimè cogeremur; de eis tamen agendum esset, vel propterea saltem, quod earum exemplo comprobare facilè possemus id, quod superiore capite de mensurarum, ac ponderum mutua collatione percensuimus. Romani enim illi antiquae Reipublicae auctores, quidquid politicae artis, in exteris quibusque gentibus, obseruare potuerunt, id omne in suam Rempubli-

ROMANI quidquid politicae artis in exteris gentibus obseruarunt, id omne in suam Rempublicam transferre conati sunt.

cam

DE ROMANIS AC GRAECIS PONDERIBVS, *mensurisque agendum, quoniam ea mutua collatione percipiuntur.* *Caput IIII.*

OMNIS de mensuris, ac ponderibus tractatio eò potissimùm spectare videtur, vt mensuras cum mensuris conferre noscamus, cum ponderibus E pondera. Facili enim negotio vna aliqua mensura cognosci-

TRES MODI conferendi mensuras.

tur, omnes non ita, nisi cum cognita illa conferantur. Ex quo fit, vt omnes, quotquot de mensuris, ac ponderibus agere instituerunt, instituerunt autem quamplurimi, nihil aliud egisse videantur, quàm vel proprias mensuras inter se, maiores, videlicet, cum minoribus, vel pares cum

tam transferre omni ope, atque opera conati sunt; quoniam, vt dixi, ex pede longitudinis, mensura quadrata, liquorum mensuram composuere, & ex hoc rursum duplicato medimnum, atque ex tertia quadrantalis parte modium, frugum mensuram fecere. Neque his tantùm contenti fuerunt mensurarum aequis rationibus, sed & his A pondera, & ponderibus has ipsas mensuras examinandas proposuerunt. Ex quo fit, vt qualibet mensura, aut quocunque pondere perspecto ac cognito, reliquae omnes mensurae, ac pondera, reliqua facilè examinentur, ac dignoscantur. Quae omnia suis quaeque locis latius probaturi sumus.

ROMANA ANTIQVA PONDERA ATQVE NVMISMATA.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE ROMANORVM LIBRA, PONDO, ET ASSE CAP. V.

DE hoc argumento, scriptores B tur, pondus. Huius rei elegantissima transla-
non contemnendi, integra volumina non parua conscripserunt; nos verò, quoniam illa in omnium versantur manibus, à longioribus quaestionibus abstinentes, ea praelibabimus tantummodo, quae, si abessent, mutilam, ac mancam hanc nostram disputationem redderent. Et quoniam ponderum aequitatem vtilitatis, ac fructus non parum Reipublicae afferre consueuisse, initio huius libri ostendimus, damnaque quamplurima oriri probauimus ex iniquitate ponderum, ideo praetermittam etiam commemorare leges, ac iura, quae grauissimas poenas censent in eos, qui pondera immutauerint. Comminationis porro, & indignationis diuinae aduersus eos, qui pondera, vel mensuras vitiant, plena sunt sacra eloquia: eorum nonnulla suprà retulimus, nunc omnia praetermittimus.

l. annonam de extraordin. criminibus. l. siquis vxori de furtis.

sup. c. 2. huius libri.

LEGIBVS humanis, ac diuinis poenae censentur in vitiatores ponderum, aut mensurarum.

Hoc tamen notandum maximè initio duxi, Romanos, vel hac vna potissimùm ratione permotos, vnicum tantùm pondus, vnicam libram suis omnibus commercijs adhibuisse, quo omnis propemodum immutandorum ponderum ratio, & via iniquis, auaris vniuersis intercluderetur. In quo Hebraeos imitati, à Graecorum diuersitate maximè recesserunt. Hoc ita ab omnibus receptum est, vt à nullo, quòd sciam, negetur: ita, vt Grsepsius, cuius omnis labor in eo versatur, vt omnes mensuras, & omnia pondera multiplicet, nullam inuenerit vel leuissimam coniecturam, qua posset libram Romanam, sicut alia omnia, pondera, & mensuras discindere, &, quasi conterere.

LIBRA ROMANIS semper eadem.

Gn. Grsep. libell. de multipl. siclo, & talento.

Est autem libra à librando dicta. Primaeua sui institutione libra instrumentum illud significat duas habens vtrinque lances, quibus aeque constitutis, vel earum alterutra depressa, aut eleuata iustum deprehenditur rerum, quae examinan-

LIBRA VNde dicta

tio hoc ita fit, vsus tamen apud probatissimos scriptores obtinuit, vt libra plerumque vsurpetur pro certo quodam, & firmo Romanorum pondere, quo omnia ponderanda librabantur. Idem ipsum librae pondus indeclinabili voce significabatur: ideoque ni fallor, librae vox pondo additur Latinae linguae & vsus peritissimis. Nam Liuius coronam auream librae pondo Ioui dicatam fuisse; & Columella, calami pondo libram scribit. Neque librae tantummodo addebatur pondo; verumetiam cuicumque alij ponderi. Plautus.

Cic. Tuscul.

PONDO LIbrae additur à probatis scriptoribus, & cuiuis eius parti.

Liu. lib. 4. Colum. lib. 12 ca. 2.

Plaut. Asin. act. 3. sc. 3.

Neque piscium vllam vnciam pondo hodie cepi.

Verùm tamen est, nonnunquam pondo, & libram seorsum vsurpari, atque idem ipsum quod separata significare, vt videre est apud Catonem, sic scribentem: adipis pondo duo, casei libram. Et Plinius: Quibusdam generibus, inquit, per se pondus, sicut balearico modio tritici panis pondo triginta reddit, quibusdam in binis mystris, vt Cyprio, & Alexandrino, viginti propè libras non excedentibus. Haec ille. Huiusmodi libram assem quoque appellatam fuisse tradit Varro: Multa, inquit, pecuniae signatae vocabula sunt, aeris, & argenti haec, as ab aere, dupondius, à duobus ponderibus, quod vnum pondus assipondium dicebatur, id ideo, quod as erat librae pondus. Hactenus Varro. Huius vero denominationis originem, & rationem reddere videtur Plinius: Is enim dum tacitè reprehendit luxum, atque intemperantiam populi Romani, quae à minimis incipiens paulatim excreuerit ad magna, pecuniam, quae omnis luxus atque intemperantiae radix est, percensere aggreditur, eius-

PONDO pro libra.

Cato c. 128.

Plin. lib. 18. c. 7.

Varro lib. 4. de ling. Lat.

Plin. lib. 33. ca. 3.

ciusque excessus, atque varias mutationes enumerat, vtpote quae ab aere ad argentum, ab argento ad aurum vsque peruenerit: Populus Romanus, inquit, ne argento quidem signato, ante Pyrrhum Regem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis (Petus legit appellabatur, nec displicet eiusmodi lectio.) His verbis Plinius illud primùm significare videtur quid diceretur assis, nempe vna libra aeris, quae vsque ad Plinij tempora assis quoque libella vocabatur, sicut duo asses, siue duae librae dipondius.

VSVS ARgenti signati quando Romanis esse coeperit.

Et quoniam omnium monetarum vsum appenso tunc aere supplebant, fiebat, vt vna, binis, vel pluribus aeris libris appensis commercia exercerentur omnia, stipendia tam militum, quam seruorum, & artificum soluerentur: ex quo fiebat, vt vsu breuitatis studioso as diceretur, quasi aes, subintelligendo librale, atque ideo vnam libram assem dicebant, & reliquas dupondium, tripondium, centumpondium, &c. Plautus his vsus est, dum ait.

ASSIS VNDE dicatur.

Plaut. in Asi. act. 2. sc. 3.

Ad pedes cùm alligatus es aequum centumpondium.

Plin. vbi supra.

Hinc plures ortae loquendi phrases, de quibus Plinius: Quare, inquit, aeris grauis poena dicta. Et adhuc expensae in rationibus dicuntur: item impendia, & dependere. Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandae pensatores libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, quae mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur. Haec ille. Hoc ipsum sensisse videtur Paulus apud Festum: Pendere poenas, inquit, soluere significat, ab eo quòd aere graui cùm vterentur Romani, penso eo, non numerato debitum soluebant, vnde etiam pensiones dictae. Poenas pendere propriè dicitur, qui ob delictum pecuniam soluit; quia penso aere vtebantur. Hactenus Pauli sunt verba. Quibus duo maxima populi dispendia significantur, quae rudis illa ac barbara grauis aeris pensio afferebat. Alterum, quòd semper ad manus cogerentur habere bilancem, aut staterem: alterum, & illud quidem grauissimum, quod difficillima cuiuis esset diuisio, ac maximi ponderis pro minimo pretio asportatio. Quae incommoda non diu potuit ad incrementa vergens populus sustinere, rerumque assidua experientia doctus, ea cupiens vitare, aes primum signauit. Huius auctor est idem Plinius: Seruius Rex primus signauit aes: antea rudi vsos Romae Remeus tradit: signatum est nota pecudum; vnde & pecunia appellata. Haec Plinius. Fuisse autem hanc primam pecuniam librarium assem, eiusdem Plinij verbis illis planum fit, quae aliàs à nobis pertractanda sunt.

STIPENdium, & poena vnde dicta.

Paul. apud Fest. Pomp.

QVAE DAMna afferret grauis aeris pro leui moneta, antiquus vsus.

Plin. vbi sup.

QVIS PRImus Romanis aera signauerit, & cur pecuniae dicantur.

Assem, libram, & pondo in duodecim partes secuerunt Romani, quorum singulas vocarunt vncias, quasi vnas. Hoc autem vsi sunt potissimùm in partitionibus numero, quòd is Vitruuio teste, ex duobus senarijs perfectis numeris constet: nisi & in hoc etiam, sicut in quamplurimis alijs rebus Hebraeorum imitati sunt mores Romani, hoc vno ab illis distantes, quòd illi eius rei causam Deo auctore cognouerunt, hi penitus ignorabant. Aliam verò rationem assignare videtur Fannij versus.

QVARE AS in duodenarium vnciarum numerum sit distributus.

Vitruu. lib. 3. cap. 1.

Fannius.

Vnciaque in libris pars est, quae mensis in anno.

Quasi verò naturae ordinem, ac distributionem imitari voluerint Romani duodenario numero: videbant enim non tantùm humano ingenio, sed natura ipsa duce solarem cursum, quem annum appellarunt, duodenis Lunae circulis, quos menses dixerunt, vt plurimùm compleri. Aliam verò rationem potissimam fuisse crediderim, quòd duodenarius numerus in plures aliquotas partes diuidatur, quas paulò inferius ostendemus. id quod in bene ordinata Republica obseruatum est, atque obseruari debuisset in omni. Singulas autem vnciarum partitiones suis proprijs nominibus distinxerunt, quae supra retulimus, Atque à minimis partibus progrediemur ad maximas, idque Varronis exemplo atque testimonio: Vncia, inquit, ab vno, sextans ab eo, quod sexta pars assis, sicut quadrans ab eo, quod quarta, & triens tertia pars, semis, quasi semissis, id est, dimidium assis (vt supra dictum est) septunx à septem & vncia collisum: reliqua obscuriora, quod ad diminutionem, & ea, quae demuntur, ita sunt, vt extremas syllabas habeant, vt à duodecim vna dempta vncia, deunx, dextans dempto sextante, dodrans dempto quadrante, bes, vt olim des dempto triente. Haec ille. Quae oportet attentiùs percipiat, ac memoria retineat lector, si facilem sibi aditum ad sequentia velit patefacere: harum enim ignoratione vocum quamplurima ignorari necesse est. Ideoque nos Fannij quoque ea de re versus, ac compendiariam quandam harum partium enumerationem afferemus; si priùs tamen Pompeij alteram bessis interpretationem commemoremus: Bes, inquit, appellatum est, quod bis triens sit, quamuis dura compositio fiat bessis ex triente: bessis vnciae octo sunt, triens quattuor. Haec ille. Fannius verò sic.

Varro lib. 4. de ling. Lat.

PARTIVM assis nomina, & imponendorum ratio.

HAS VOCES memoria retinere necessarium est, ad sequentia intelligenda.

Sext. Pomp.

Fannius.

Vncia nam libraesi deest, dixere deuncem:
At si sextantem retrahas erit ille decuncis.

DECVNX vnde dicta.

Vocem hanc, quae diuersa est ab illa receptissima Varronis, composuisse videtur Fannius ex duabus, decem, & vncijs: sublatis enim nonnullis litteris fit decuncis. Difficiles admodum sequentes duo versus sunt: eos tamen adhibuisse videtur, quibus binas illas voces semuncia, atque sexuncia exponeret: ea propter & eos explicare debuimus.

SEMVNCIA quid.

Sed nullum reliquo nomen semuncia certum
Dempta dabit: nec enim est huius sescuncia triplex.

Semuncia composita vox ex semis, & vncia: semis verò quasi semissis dicitur, hoc est semis assis iuxta Isidorum. Haec si auferatur ex asse, reliquum, nempe vndecim, ac semis, nulla certa voce nominari potest. Vox autem sesquiuncia vnam vnciam ac semis denotat, hoc est, tres semuncias: ea verò si detur ex asse, nullum reliquo certum nomen dabit; repetendam enim censeo prioris partis periodi sententiam, ad intelligendam alteram.

S. Isidor. lib. 16. orig. cap. 24.

Bud. lib. 1. de asse.

De particula verò illa, sesqui, plura Budaeus, quae tantumdem ac semis significat, si cuilibet rei partibili iungatur, vt sesquipes, sesquidigitus, sesquimensis, sesquiopera, hisque similibus. Significat etiam superparticularem (quam vocant Mathematici) proportionem, ac tunc numero iungitur; dicimusque sesquialteram, sesquitertiam, sesquimillesimam proportionem. Quoniam verò (vt Clauius tradit) eius sunt plures species, vnaquaeque distinguitur numero, cui iungitur particula haec, sesqui. Nam sesquialtera proportio ea est, quae quantitatem continet eius-

SESQVI quomodo vlurpetur.

Clau. super definit. 4. 5. Euclid.

que

que alteram partem; sesquitertia tertiam insuper partem, & sic reliquae. Græci verò, quoniam vna vôce carent, qua hanc proportionem significent, eleganti & ipsi vtuntur paraphrasi, pro sesquimina tres semiminas scribentes. Cuius rei plura exempla qui cupit, legat Budaeum: nos enim illud tantummodo hic notabimus, Fannium Graecorum phrasim imitatum, sesquunciam semunciae triplicem dixisse. Sed ad reliquos Fannij versus accedamus.

Dodrantem reliquum vocitant, quadrante retracto.
Cumque triens desit, bessem dixere priores.
Iidem septuncem, dempto quincunce, vocarunt.
Post haec semissis solidi pars maxima fertur.
Nam quae dimidium superat, pars esse negatur,
Vt docuit tenui scribens in puluere musa.

Hi quidem versus illud exigere videntur, vt duodenarij numeri naturam attentiùs perpendamus, quae non huic tantummodo disputationi vsui esse possit, sed & alijs. Id quod sequenti capite praestare decreuimus.

DE PARTIBVS ASSIS, ET DVODENARII *diuisione. Cap. VI.*

QVONIAM in partes duodecim as diuiditur, id examinandum priùs est, quare hoc potiùs, quàm alio diuisionis numero vsi sint antiqui. Numerus hic in partes sibi mutuò aequales, quas aliquotas vocant, quincuplici diuisione tribuitur: cuiuscumque diuisionis partes sic denominabis, binas, ternas, quaternas, senas, duodenas; non enim in plures aliquotas diuidi potest. Atque vnaquaeque ex huiusmodi partibus à numero diuisionis denominatur: nam quae bifariam diuidit, semis dicitur, quae in tres, triens, quae in quartuor, quadrans, quae in sex, sextans; quae in duodenas, iam, non à diuisionis numero nomen accepit, sed ab vnitate dicta est uncia. Et quoniam quae à maiori numero denominantur partes, sunt minores, quae à minori, maiores, vt ratio ipsa in schemate partium assis infra apponendo ostendet, fit, vt, quoniam numerorum minimus est binarius, partes, quae eo diuidere procedunt, sint omnium maximae, id quod figura ipsa demonstrat. Nam aliquota pars est, vnitas, binarius, ternarius, quaternarius, senarius, & hic est reliquorum omnium maximus numerus. Bes autem, dodrans, dextans, & deunx potiùs dicendi sunt partes, quàm pars, id quod intuenti in ipsa figura manifestum fit. in qua etiam apparet ratio, propter quam peritissimi illi Romanorum institutores semissem, trientem, quadrantem, sextantem à propriae diuisionis numero compellarunt; bessem verò, dodrantem, dextantem, & deuncem ab ea parte, qua asse minores erant; partis enim potissima ratio habenda est, reliqui non ita: atque adeo partes, vt, residua parte dempta, ab ipsa denominentur parte, quae habet suae diuisionis proprium nomen. Sed ad alia de asse considerauda propiùs accedamus.

PARS A NVMERO, quo continetur, denominatur, partes à parte, quae deficiunt à toto.

Infra cap. 8. huius.

A Et quoniam, quae hactenus diximus, de signato librali asse intelligenda sunt, id etiam animaduertendum occurrit, non semper librales asses cusos; ram grauis enim pecunia asportationi, & commercijs inutilis erat & molesta, occasioneque arrepta caurum fuit, vt minores asses ferirentur, quo ciuium vsui parirer ac Reipublicae emolumentis consuleretur. Huius rei auctor est Plinius sic scribens: Librae autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cùm impensis Respublica non sufficeret, constitutumque vt asses sexrantario pondere ferirentur (hoc est ex sextante assis binas pendente vncias) ita quinque partes factae lucri, dissolutumque aes alienum, &c. Postea vero, inquit, Hannibale vrgente, Q. Fabio maximo B Dictatore, asses vnciales facti. Haec ille.

ASSES LIBRA minores cusi.

Plin. lib. 33. cap. 3.

Sed de partibus assis iam satis: illud tantummodo norandum superest, assis nomine plura significare consueuisse Romanos, vnum in numero nonnumquam. Exstat eius rei exemplum apud Columellam: Duco, inquit, quinctam partem longitudinis, fiunt ducenti quadraginta, & quinctam partem longitudinis, hoc est, viginti quattuor: his vtriusque summis singulos asses adijcio, qui efficiunt extremos ordines, quos vocant angulares. Fit ergo altera summa ducentorum quadraginta vnius, altera viginti quinque. Haec ille. Eandemque saepius loquendi phrasim ibidem vsurpat. & Vitruuius: Supra sex adiecto asse ἔφεκτον ephecton; quem locum quamuis paulò in- C ferius nos aliter referamus, vt pari ratione de septenario, atque alijs numeris loquatur, & sexrantem pro asse scribamus, tamen posset etiam assis manere, si pro vnirate in numero accipiatur. Sed & Romanus etiam pes in totidem assis partes diuisus, eisdem quoque vocibus solet distingui. Huius rei frequens est vsus Virruuio: Deinde, inquit, regulae bipedales ex vna parte supra marginem canalis imponantur, ex altera parte bessalibus laterculis pilae struantur. Bessales laterculos vocat Vitruuius eos, qui octo vnciarum essent. Et iterum de templorum gradibus: Crassitudines autem eorum graduum ita finiendas censeo, vt neque crassiores dextante, neque tenuiores dodrante sint collocatae. Quo loco dextantem posuit pro decem, dodrantem pro nouem pedis Romani vncijs. Ille verò peculiaris est dicendi modus, quo vsus est Columella: sed non est, inquit, dupondij, & dodrantis altitudo, quae istud effieere possit; accepit enim dupondium pro duobus pedibus, quasi pedes asses ponderales essent. Sed huiusmodi loquendi modus, quod ad assem, & partes eius spectat, frequens est inrer Iurisperitos. id quod Vlpianus his verbis testatur: Hereditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quae assis appellatione continentur. Habent autem & hae partes propria nomina, ab vncia vsque ad assem, puta haec: sextans, quadrans, rriens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as, & alibi saepe fit harum partium mentio. Vnicum verò ego rantummodo exemplum Ciceronis nunc afferam, quo ostendam, non tantùm assis partibus vsos in diuidenda heredirate antiquos, verùm etiam in ipsius vnciae diuisione, de qua post pauca agendum nobis est. Is sic: Facit haec, inquit, heredem ex deunce, & semuncia Caecinnam, ex duabus sextulis M. Fulcinium, Ebutio sexrulam aspergit. Quo loco illud obiter notandum duxi, deuncem & se-

ASSIS DICEBATUR vnitas in numero.

Colum. lib. 5. cap. 3.

Vitru. lib. 3. c. 1.

ROMANVS pes, vt assis, in duodecim partes diuiditur.

Vitru. lib. 7. cap. 4.

Colum. lib. 4. cap. 1.

DVPONDIVM pro duobus pedibus.

Vlp. l. seruum. inf. de hered. instit.

Cic. pro Caecinna.

DE VNCIA, DRACHMA, ATQVE *earum partibus.* *Cap. VII.*

VNCIAE, ET cuiuſuis numero nomina ipſa partium aſsis tribuuntur.

& ſemunciam vocari à Cicerone aſſis decem partes cum dimidia, quibus nempe ad aſsis complementum ſemuncia deſit: idque duplici voce, quoniam vna carent eiuſmodi voce Latini, ſicut ſupra ex Fannio notatum à nobis eſt. Neque verò duodenis tantummodo aſsis partibus praedictae denominationes tribuebantur, ſed etiam ſenarij numeri partibus. Quod cùm ſine vlla notatione vſurpauerit Vitruuius, cui maxima debetur in his fides, argumento mihi eſt non leui, quemcunque numerum, quaſcumque etiam diuiſibiles res his partibus, atque earum nominibus diuidi, & denominari conſueuiſſe. Locus autem Vitruuij celeberrimus eſt, qui quoniam deprauatus valde, nec ſatis à commentatoribus explicatus eſt, operaepretium me facturum exiſtimaui, ſi illum priſtinae integritati reſtitutum

VITRVVII locus reſtitutus, & explicatus.

quàm breuiſsimè explicauero. Mathematici vero, inquit contra diſputantes, ea re perfectum eſſe dixerunt numerum, qui ſex dicitur, quod is, numerus habet partitiones eorum rationibus ex numero conuenientes; ſic ſextantem vnum, trientem duo, ſemiſſem tria. Hactenus partes ſenarij, quas partes tantùm vocari dixit ſuprà relatus Fannius, noſque aliquotas partes vocari diximus, enumerauit Vitruuius. Atque ea ratione ſenarium numerum perfectum dixerunt Mathematici, quod hae omnes partes inſimul ſumptae ſenarium reddunt. Nam vnum, duo, tria efficiunt ſex. Haſque Mathematicorum rationes ex numero conuenientes vocauit Vitruuius, & reliquas ſenarij diuiſiones, quae partium ſunt, multiplices ſubiungit his verbis. Beſſem, quem δίμοιρον dimoeron dicunt, quattuor; quinctarium, quem πεντάμοιρον pentamoeron dicunt, quinque, perfectum ſex. Hucuſque parum variant codices; deinceps mendoſi ſunt omnes. Nos verò ſic textum referemus, vt contextus coniectura corrigendum ſuaſit: quicumque volet lectionem noſtram cum alijs conferre, facile inueniet, quibus partibus, & qua ratione ab illis diſſentimus: nam non eſſe huius loci duximus, ſingula verba ſeorſum examinare. Cum autem, inquit, ſupputatio ratio creſcit ſupra ſeſe, adiecto ſextante, ſextans creſcit ſupra ſeſe, adiecto ſextante, ſextans alterum, qui ἕβδομον ephecton dicitur, cuM facta ſunt octo, quod eſt tertia adiecta, triens alterum, qui τρίτριτος epitritos dicitur: dimidia adiecta, cum facta ſunt nouem, ſeſquialteram, qui ἡμιόλιος hemiolios appellatur, quia duabus tertijs partibus additis, & decuſſi facto, bes alterum, quem ἐπιδίμοιρον epidimoeron vociant: in vndecim numero, quod adiecti ſunt quinque, quinctarium alterum, quod ἐπιπεντάμοιρον epipentamoeron: duodecim autem, quod ex duobus ſimplicibus numeris eſt effectus, διπλασίονα diplaſiona. Hucuſque Vitruuij ſunt verba, quibus plures explicat antiquas locutiones, quarum vna tantummodo nobis eſt in vſu, qua explicata, reliquae omnes manifeſtae ſient. Nam ſicut numerum, qui ſolidum continet, ac inſuper ſemiſsem alterius, ſeſquialterum dicimus, quaſi ſemis alterum, ſic etiam olim dicebant ſextans alterum eum, qui ſolidum continebat, & ſextantem: pariſque ratione de reliquis omnibus ratiocinandum videtur. Eiuſmodi verò numeri omnes ſenario comparati, longè diuerſas apud Mathematicos ſortiuntur appellationes, quas, quicumque voluerit, videre poterit apud Clauium. Sed de aſſe iam ſatis: reliquum eſt, vt de vnciae quoque partibus non nihil dicamus.

SESQVIALterum quare diceretur.

Clau. ſup. definit. lib. 5. Euclid.

SESQVIALterum quare diceretur.

Claui. ſuper definit. lib. 5. Euclid.

VNCIA ab vno dicta.

VNCIA ab vno dicta, quod ſit vna ex duodecim partibus aſsis. Fuit autem Romanorum proprium pondus, ſicut ipſa vox indicat, quod & ad Graecos tranſlatum, & pondere, & voce idem omnino ſemper fuit: quod paulò inferiùs probaturi ſumus, dum drachmam examinabimus. Quoniam verò non omnis duodenaria diuiſio magnum aliquod totum ſufficienter diuidit, neceſſarium fuit ipſam rurſus vnciam in alias, atque alias partes tribuere. Ac primùm in duas ſemuncias, ſic dictas, quia, Varrone teſte, ſe valet dimidium, ac ſi dicas, ſecta vncia. Paulus: ſemis, inquit, ſemodius, ſemuncia ex Graeco trahuntur, ſicut & alia multa, quae S, literam pro aſpiratione eorum habent, vt ἑπτὰ ſeptem ὕλη ſilua: ſic iſta ab eo, quod illi dicunt ἥμισυ, declinata ſunt. Haec ille. Eius meminit Columella illis verbis: Pro ſilphio mellis adijcies pondo ſemunciam. pondo vſurpauit pro vniuerſali, non pro certo pondere, cùm aliàs conſueuerit pro libra vſurpari. Eandem vnciam rurſum diuidunt in partes tres, quas duellas vocant, qua deductione, non ſatis teneò: ea enim, quam affert Petus, haud ſatis mihi probatur. Dicta eſt, inquit, à duabus coniunctis ſextulis: pari enim ratione quaelibet aſsis, vel vnciae pars, quae alicuius minoris eſſet dupla, dici potuiſſet duella. Neque Peto fauet allatus ab eo Fannij verſus, huiuſmodi.

Colum. lib. 12. cap. 37.

DVELLA quare dicatur. *L. Petus lib. 5. de pond.*

Sextula cum dupla eſt, veteres dixere duellam.

Ea enim poëtica phraſis nihil aliud ſignificat, quàm illa eiuſdem Fannij:

Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier audis Sicilicus.

Pro duella duas ſextulas vſurpauit Cicero, mox afferendus, quòd ea voce vt minùs eleganti vti fortè noluerit. Idemque obſeruatum à Columella fuit, qui plures aſsis partes enumerans duellae non meminit. Sicilicus igitur quarta eſt vnciae pars: ſic dicitur Feſto, quod ſemuncian ſecet, qui ſicilicum neutro genere protulit. Sicilici mentio fit apud Plinium, verùm de partibus pedis loquentem; ſed nihil refert, cùm partes aſsis, librae, ac pedis eiſdem prorſus nominibus, atque eadem proportione cenſeantur. Tribus ſicilicis, inquit, infra quattuor pedes, totidemque infra ſemipedem craſſitudinis. Qui quidem dicendi modus perinde eſt, ac ſi dixiſſet, menſam latam fuiſſe pedes tres, vncias vndecim, cum quarta vnciae parte craſſam vncias quinque cum quarta item vnciae parte.

Colum. lib. 5. cap. 1.

SICILICVS quaſi ſemuncian ſecans. *Feſt. Plin. lib. 13. c. 15.*

Sextula ſexta eſt vnciae pars, quod ipſum nomen indicat; id quod expreſsè teſtatur Varro: Aeris, inquit, minima pars ſextula, quòd ſexta pars ſit vnciae. Eius quoque meminit Cicero: Teſtamento facto, inquit, mulier moritur: facit haec heredem ex deunce, & ſemuncia Caecinnam; ex duabus ſextulis M. Falcinium libertum

SEXTVLA ſexta eſt vnciae pars. *Var. lib. 4. de ling. Latina. Cic. pro Caecinna.*

ſu-

superioris viri: Eburio sextulam aspergit. Quo loco Cicero, vt bene notat Budaeus, hereditatem, hoc est, assem, in deuncem, semunciam, & tres sextulas diuisit. Ex quo liquet, sextulam tertiam partem fuisse semunciae, vnciae sextam, atque totius assis septuagesimam secundam, id quod in schemate infrà apponendo liquet.

Bud. lib. 1. de asse.

DRACHMA quasi obolorum manipulus Graecis dicitur.

Drachma Iulio Polluci dicitur, quod sit quasi manipulus obolorum, quem δραγμὴν dragmin vocant. Fuit autem drachma, sicut nomen ipsum indicat, Graecorum proprium pondus, & signatum numisma, quod, cùm rerum potirentur Graeci, ad Romanos translatum, ab ipsis frequenter vsurpatum est; sicut è contrà Romanorum vnciae pondus, & nomen ad Graecos translatum est. id quod afferenda Graecorum, ac Latinorum testimonia facilè demonstrabunt. Fuit autem drachma octaua vnciae pars, quod disertis verbis testatur Fannius.

Vncia fit drachmis bis quattuor.

DRACHMAE octo in vncia.

Ex quo, arithmetica supputatione, constabit, libram, siue assem drachmis constare sex & nonaginta; octies enim duodecim fiunt nonaginta sex, ex quibus quattuor tantùm desunt, ad complendum numerum centenarium. Quae omnia illis versibus complectitur Fannius.

Accipe praeterea, paruò quam nomine Graij
Mnam vocitant, nostrique minam dixere priores:
Centum hae sunt drachmae, quod si decerpseris illis
Quattuor, efficies hanc nostram denique libram.

Cleopatra lib. de mundi-tijs.

His concordat Cleopatra: Libra, inquiens, habet vncias duodecim, drachmas nonaginta sex; scripula ducenta octoginta octo. Vncia habet drachmas octo, scripula viginti quattuor. Hoc ipsum testatur Dioscorides: Vncia verò, inquit, drachmas habet octo, scripula viginti quattuor. Atque Galenus: Idcirco, inquit, quod denarialis vncia octo drachmas pendet. Ex quibus omnibus testimonijs illud liquidò constare poterit, vnciam Romanam octo drachmis Graecis constare, octoque drachmas Romanas vnciae Graecorum aequales esse; siue, vt clarè loquar, non aliam esse apud Graecos vnciam ab ea, quàm re, & nomine à Romanis sunt mutuati: sicut nullius alterius drachmae fit mentio Latinis ab ea, quàm re, & nomine Graecorum more vsurparunt. Eam verò peregrinae vocis enumerationem meritò praetermisit Columella, qui & duellam quoque non connumerauit inter partes assis, quod hanc, vt dixi, minùs elegantem, illam omnino barbaram iudicaret. Sed iam reliquas vnciae partes prosequamur. Quoniam vncia scripulos continet viginti quattuor, ijdemque grammata dicuntur, & drachma tribus constat scripulis, assem diuidunt in scripulos ducentos octoginta octo: scripulus verò diuiditur in duos obolos, semiobolos quattuor, siliquas sex, lentes, seu lupinos octo. quae omnia, ne diutiùs immoremur, commemoratis Fannij carminibus manifesta fient. Illud vnum praenotandum duximus, nos consultò Fannium imitatos, scripulum dixisse, quoniam subtiles alias scripuli indagationes tamquam minùs proficuas abiecimus. Adde his etiam, quod, quoniam non eundem, quem Fannius, sequuti sumus ordinem, ne confusionem pariat ijs, qui tum eius carmina, tum has nostras tractationes percipere cupiunt, nostrum schema illis ob oculos propo-

Dioscor. lib. de ponderib. Galen. lib. 6. de comp. medicam. secund. genera.

DRACHMA eadem Romanis, quae Graecis, sicut eadem Graecis vncia, quae Romanis.

Colum. lib. 5. cap. 1.

SCRIPVLI quot in vncia.

SCRIPVLVM quare dicamus.

nendum esse censemus: sic enim fiet, spero, vt singula nullo negotio percipiant. Is verò sic habet.

Ordiar à minimis, post haec maiora sequentur.
Nam maius nihil est aliud, quàm multa minuta.

Iuxta subiectam materiam verum planè dicit; physicas verò, subtilesque disputationes sicut ille non curat, sic nos tractare non decet.

Semioboli duplum est, obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, scripulum nostri dixere priores.
Semina sex alij siliquis latitantia curuis
Attribuunt scripulo; lentes veraciter octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesque lupinos
Bis duo. Sed si par generatim his pondus inesset,
Seruarent eadem diuersae pondera gentes.
Nunc variant: etenim cuncta non foedere certo
Naturae, sed lege valent, hominumque repertis.
In scripulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis.
Holcèque à drachma non re, sed nomine differt.
Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis
Sicilicus. Drachmae scripuli si adiectio fiat,
Sextula, quae fertur, nam sex his vncia constat.
Sextula cùm dupla est, veteres dixere duellam.
Vncia fit drachmis bis quattuor: vnde putandum
Grammata dicta: quod haec viginti quattuor in se
Vncia habet; tot enim formis vox Graeca notatur,
Horis quot mundus peragit, noctemque, diemque.
Vnciaque in libra pars est, quae mensis in anno.
Haec maior Latio libra est, gentique togatae.
Attica nam minor est, &c.

Hoc ipsum confirmari potest Galeni testimonio, qui libram Romanam duodenas vncias habere testatur, ac subdit. Vncia drachmas octo: hae & olcae quibusdam dicuntur. Olca, quae & drachma, habet ceratia, id est, siliquas octodecim. Aiuntque in ea esse tres scrupulos, scripulos potiùs legendum, vt suprà notaui, in scrupulo obolos duos. Quae omnia Galeni verba cum Fannij versibus apprimè concordant: illud tamen addere videtur, drachmam siliquas continere octodecim, quod etiam manifestum fiet, si quae dicta sunt à Fannio bene computemus: is enim drachmae scripulos tribuit tres, scripulo sex siliquas: ex quo fit, vt drachma octodecim contineat siliquas; ter enim sex efficiunt octodecim. Reliquas autem Galeni diuisiones praetermittendas duxi, quòd eae non concordent cum aliorum scriptorum diuisionibus; illa tamen excepta, qua siliquas ceratia vocat; tria enim ceratia in obolo constituit, in quo totidem sunt siliquae, vt videre est in subiecto schemate, quod ad finem sequentis capitis adiecimus: quoniam difficillimum esse iudicauimus, omnes assis, vnciae, atque scripuli partes memoria retinere; neque faciliùs fore librum euoluere, ac pluribus locis inquirere, quid de singulis partibus agatur. ideoque omnes in vnum schema congestas in locum vnum reiecimus.

Galen. lib. de ponder.

EXPLICATIO

SCHEMATIS, PARTES ASSIS;

libræ, atque vnciae simul colligentis: necnon de earundem partium proportione. Cap. VIII.

VT ea omnia, quae diximus, ob oculos haberi, ac facillimè, vel ex ipsa loci ordinata distributione memoria retineri possint, subsequens schema apponere decreui; in quo assem, vnciam, ac scripulum seorsum in partes secuimus: ita tamen, vt ad latera numeros apponeremus, indicantes, quoties as, vncia, vel scripulus eiusmodi partem contineret. Illud etiam superadiunximus, vt quoniam as in duodecim vncias diuiditur, partibus duodenarij numeri assis partes explicaremus hoc ordine, vnciam vnitate, sextantem binis, quadrantem ternis, trientem quaternis, quincuncem quinis, semissem senis, septuncem septenis, bessem octonis, dodrantem nouenis, dextantem denis, deuncem vndenis, assem duodenis. Pari quoque ratione, quoniam vncia diuiditur in scripulos viginti quattuor, huius numeri partibus vnciae partes expressimus; atque eisdem declarauimus scripuli partes: nullus enim alius minor numerus admittit scripuli diuisiones. Illi verò Romani numeri, qui à latere pyramidis dextro cernuntur, hoc indicant, assem continere semisses duos, trientes tres, quadrantes quattuor, sextantes sex, vncias duodecim, semuncias viginti quattuor, duellas triginta sex, sicilicos quadraginta octo, sextulas septuaginta duas, drachmas, seu denarios nonaginta sex, scripulos ducentos octoginta octo, obolos quingentos septuaginta sex, semiobolos mille centum quinquaginta duos, siliquas mille septingentas viginti octo, lentes, speltas, siue lupinos bis mille trecentos quattuor. Et haec de partibus assis in vniuersum dicta sufficiant.

PARTES assis quomodo in schemate exprimantur.

VNCIAE partes in schemate.

Vnciam deinde ostendunt sinistri numeri diuisam in semuncias duas, duellas tres, sicilicos quattuor, sextulas sex, drachmas, siue denarios octo, grammata, siue scripulos viginti quattuor, obolos quadraginta octo, semiobolos nonaginta sex, siliquas centum quadraginta quattuor, lentes, speltas, siue lupinos centum nonaginta duos. Tandem scripulus diuisus est in obolos duos, semiobolos quattuor, siliquas sex, lentes, speltas, seu lupinos octo. Et quamuis haec, quae attulimus, satis viderentur ad exprimendam assis, eiusque partium diuisiones, ac proportiones; tamen, quoniam exacta quaedam plurium ex his partibus computatio reperitur apud Columellam, cuius facilis intelligentia ex schemate desumi potest, quaque intellecta, non parum tota haec disputatio illustratur, eam breui percurram, numerosque omnes schemati apponam, vt eos omnes simul perpendere lector possit, atque

EXPLICANTUR numeri partium assis, quos nobis reliquit Columella.

ex eorum supputatione singulas assis partes examinare. Et quidem Columella iugerum velut assem in partes suas distribuit, non quidem omnes, vt ipse testatur, sed in quamplurimas. Vocat autem iugerum duas areas quadratas, singulas ducentorum viginti pedum, siue vnam aream oblongam, longitudinis pedum ducentorum quadraginta, latitudinis pedum centum viginti. *Colum. lib. 5. cap. 1.*

IVGERVM quid.

Quae vtraeque summae, inquit, inter se multiplicatae quadratorum faciunt pedum viginti octo millia & octingentos. Ac post pauca subdit: Iugeri partes non omnes posuimus, sed eas, quae cadunt in aestimationem facti operis: nam minores persequi superuacaneum fuit, pro quibus nulla merces dependitur. Igitur, vt diximus, iugerum habet quadratorum pedum viginti octo millia & octingentos, qui pedes efficiunt scrupula ducenta octoginta octo. Vt autem a minima parte, id est, a dimidio scrupulo incipiam, pars quingentesima septuagesima sexta pedes efficit quinquaginta, id est, iugeri dimidium scrupulum. Pars ducentesima octuagesima octaua pedes centum, hoc est, scrupulum. Pars centesima quadragesima quarta pedes ducentos, hoc est, scrupula duo. Pars septuagesima secunda pedes quadringentos, hoc est, sextula, in qua sunt scrupula quattuor. Pars quadragesima octaua pedes sexcentos, hoc est, sicilicus, in quo sunt scrupula sex. Pars vigesima quarta pedes mille ducentos, hoc est, semuncia, in qua sunt scrupula duodecim. Pars duodecima duo millia & quadringentos, hoc est, vncia, in qua sunt scrupula viginti quattuor. Pars sexta pedes quattuor millia & octingentos, hoc est, sextans, in quo sunt scrupula quadraginta octo. Pars quarta pedes septem millia & ducentos, hoc est, quadrans, in quo sunt scrupula septuaginta duo. Pars tertia pedes nouem millia & sexcentos, hoc est, triens, in quo sunt scupula nonaginta sex. Pars tertia & vna duodecima pedes duodecim millia, hoc est, quincunx, in quo sunt scrupula centum viginti. Pars dimidia pedes quattuordecim millia & quadringentos, hoc est, semis, in quo sunt scrupula centum quadraginta quattuor. Pars dimidia & vna duodecima, pedes sexdecim millia & octingentos, hoc est, septunx, in quo sunt scrupula centum sexaginta octo. Partes duae tertiae pedes decem nouem millia & ducentos, hoc est bes, in quo sunt scrupula centum nonaginta duo. Partes tres quartae pedes vnum & viginti millia & sexcentos, hoc est, dodrans, in quo sunt scrupula ducenta sexdecim. Pars dimidia & tertia pedes viginti quattuor millia, hoc est, dextans, in quo sunt scrupula ducenta quadraginta. Partes duae tertiae & vna quarta pedes viginti sex millia & quadringentos, hoc est, deunx, in quo sunt scrupula ducenta sexaginta quattuor. Iugerum pedes viginti octo millia & octingentos, hoc est, as, in quo sunt scrupula ducenta octoginta octo. Hactenus Columellae sunt verba. Quae nemo mirabitur post tot de eadem re allata testimonia me retulisse, si intelliget nihil vel ex ijs ipsis, quae receptissima sunt, in controuersiam non verti. Vt igitur testatissimum omnibus sit in asse diuidendo consensisse omnes antiquos scriptores, haec retulisse sufficiat, atque subiecto schemate, & partium assis collatiora adiecta, finem huic capiti imponam.

SCHE-

SCHEMA
PARTES ASSIS
LIBRAE ATQVE VNCIAE
SIMVL COLLIGENS.

COMPVTATIO IVGERI VELVT ASSIS EX COLVMELLA.

AS



IVGERVM CONTINET

	Pedes quadratos.	Scripula.
	28800	288
Septunx	16800	168
Semis	14400	144
Quincunx	12000	120
Triens	9600	96
Bes	19200	192
Quadrans	7200	72
Dodrans	21600	216
Sextans	4800	48
Dextans	24000	240
Vncia	2400	24
Deunx	26400	264
	1200	12
	600	6
	400	4
	200	2
CXLIV	100	1
XXXXVIII.	50	
XCVI.		
CXLIIII.		
CXCII.		

PARTIVM ASSIS MVTVA COLLATIO INDICANS QVOTIES MAIOR QVAEVIS QVAMLIBET CONTINEAT MINOREM.

C O N T I N E T

	Libra	Deunx	Dextans	Dodrans	Bes	Septunx	Semissis.	Quincunx	Triens	Quadrans.	Sextans	Vncia	Duella	Sicilicus	Sextula	Drachma	Scripulus	Obolus	Siliqua	Lens
Lentes	2304	2112	1920	1728	1536	1344	1152	960	768	576	384	192	64	48	32	24	8	6	4	1
Siliquas	1728	1584	1440	1296	1152	1008	864	720	576	432	288	144	48	36	24	18	6	1 1/2	1	
Obolos	576	528	480	432	384	336	288	240	192	144	96	48	16	12	8	6	2	1		
Scripulos	288	264	240	216	192	168	144	120	96	72	48	24	8	6	4	3	1			
Drachmas	96	88	80	72	64	56	48	40	32	24	16	8	2 2/3	2	1 1/3	1				
Sextulas	72	66	60	54	48	42	36	30	24	18	12	6	2	1 1/2	1					
Sicilicos	48	44	40	36	32	28	24	20	16	12	8	4	1 1/3	1						
Duellas	36	33	30	27	24	21	18	15	12	9	6	3	1							
Vncias	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1								
Sextantes.	6	5 1/2	5	4 1/2	4	3 1/2	3	2 1/2	2	1 1/2	1									
Quadrantes	4	3 2/3	3 1/3	3	2 2/3	2 1/3	2	1 2/3	1 1/3	1										
Trientes	3	2 3/4	2 1/2	2 1/4	2	1 3/4	1 1/2	1 1/4	1											
Quincunces	2 2/3	2 1/3	2	1 4/5	1 3/5	1 2/5	1 1/5	1												
Semisses	2	1 5/6	1 2/3	1 1/2	1 1/3	1 1/6	1													
Septunces	1 5/7	1 4/7	1 3/7	1 2/7	1 1/7	1														
Besses	1 1/2	1 1/3	1 1/4	1 1/6	1															
Dodrantes	1 1/3	1 2/9	1 1/9	1																
Dextantes	1 1/5	1 1/10	1																	
Deunces	1 1/11	1																		
Libras	1																			

PARTIVM assis proportio.

Neque verò schemate tantummodo Lectori satisfeciſſe me putaui, quamuis facili quodam diſcurſu ipſe poſſet ſingulas aſſis,& vnciae partes deprehendere: atque ex appoſitis numeris intelligere, quam vnaquaeque illarum ad aliam rationem habeat: ſed & adhuc tabulam partium aſſis mutuam collationem indicantem adieci, in qua primo aſpectu cognoſcere poſſit, quoties maior quaelibet aſſis pars quamlibet minorem contineat; ex quo vniuſcuiuſque partis ad alias omnes proportio haberi poterit. ſchematis verò,& tabulae vſus ita eſt manifeſtus, vt nulla alia interpretatione indigére videatur.

SCHEMATIS & tabulae vſus facilis.

DE

DE ROMANORVM DENARIO, EIVSQVE, ET *asium permutatione.* *Cap. IX.*

QVAMVIS denarius adrem nummariam potiùs, quàm ad pondera pertinere videatur, tamen hoc loco, quod ad eius pondus potissimùm pertinet inquirimus, id eoque eum huc potiùs referendum, quàm in alium locum differendum duximus: idque propterea maximè, quòd praecedenti capite de Attica drachma disseruimus, quae denario Romano aequalis pondere dicitur. At quis non vereatur densissimam opinionum siluam ingredi, in qua negotium facessere exotio voluisse videntur scriptores. Crucem fixisse Grammaticis Plinij verba fatetur Alciatus, in quam vtinam non ipse impegisset. Magna est enim inter scriptorem hunc, & Agricolam motalis, dum hic septenis, ille octonis drachmis denarium exaequari contendit. Ille quidem litibus, & causis assuetus arcem se tueri posse, nec sinere causae iugulum perfodi profitetur: hic medicamentorum naturam ac vires perpendens, causae caput, & iugulum, latera, & viscera minimè posse defendi confidit. Sanè mota lis haec, si in detrimentum cedat clientum, grauis omnino sit, ac periculosa: substantiam enim deperdunt Iuristarum errores, Medicorum vitam: sed quoniam vix, aut nulla ratione tuemur sine substantia vitam, ac nihil prodest sine vita substantia, omnia, quodammodo haec magna bona horum subijciuntur decretis, eorum lites dirimere, atque vnumquemque in rectam veritatis semitam deducere operepretium esse existimaui. Ac primùm vterque ex aequo doctè satis, & eruditè partes suas tuetur, atque defendit; decipitur tamen in eo, quod alterum reprehendit. Nam si contendat Alciatus lapsum fuisse Agricolam, asserentem septenos denarios aequales fuisse aliquando octonis Atticis drachmis, lapsus est Alciatus: id enim planè testatur Plinius affirmans, iustum denarij pondus esse, cum octoginta quattuor è libra signentur. Quod si octoginta quattuor denarios in duodenas vncias distribuas, inuenies singulis vncijs septenos denarios exaequari. At quoniam octo drachmae vnciae, vt dixi, aequales sunt, communi Mathematicorum axiomate fit, vt, quae sunt eadem vnciae, sint eadem inter se. Deinde si contendat Agricola, deceptum fuisse Alciatum existimantem, denarij, & drachmae idem omnino pondus fuisse, decipitur Agricola: namque id expresè, non obiter, aut aliud agens testatur idem Plinius, professus primùm, quoniam in mensuris quoque, ac ponderibus crebrò Graecis nominibus vtendum sibi erat, interpretationem eorum se semel eo loco positurum: igitur drachma, inquit, Attica (ferè enim Attica obseruatione medici vtuntur) denarij argentei habet pondus. Haec ille. Ac tandem, quoniam vera est vtriusque sententia, si alter ab alterius reprehensione abstineat, in eo vterque deceptus est, quod tempora non distinxit: varijs enim temporibus Romani vnciam in septem denarios, libram in octoginta quattuor partiti sunt, quibus denarius drachmae ac septimae vnciae parti aequalis fuit. Non decet nos immorari in confutandis omnibus omnium scriptorum erroribus, ijs maximè, qui ex supputationis ignoratione procedunt: nam facilè lector eos animaduertet, si primis saltem arithmetices rudimentis sit imbutus; sin minùs, eum amicè hortamur, vt ab his abstineat, vel ludimagistros consulat, priusquam opus, & operam in his ludat. Sed ad litem nostram componendam reuertamur. Agricola, ne nimium litigiosus videatur, triplicem constituit Romanorum argenteum denarium; grauem, vtpote, pendentem Atticam drachmam vnam cum dimidia; mediocrem, qui drachmam, & septimam eius partem; leuem, qui plerumque drachmam pendat. At illos graues vbi reperierit, non video; neque verò scriptorum vllus dixit, immo neque somniauit, apud Romanos denarios, non ad rationales vnciae partes, conflatos fuisse. Quod si denarius eiusmodi conflaretur, aut computes sex denarios, & efficient drachmas nouem, aut quinque, & efficient drachmas septem cum dimidia, quod vtrumque cum historiarum fide, & Romanorum politia ex aequo pugnat. Rationes verò fundamenta, seu fulcimenta dicas, huius fluxae, atque inanis opinionis ipsa sua sponte corruunt, cùm imperuestigata potiùs videantur, ad iter impediendum, quàm oblata. Nam quamuis Liuius in triumpho Quinctij affirmet, signati argenti octoginta quattuor millia fuisse Atticorum, tetradrachmam, inquit, vocant, trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus, non bene tamen inde colligit Agricola, denarium sesquidrachmam pendere; potiùs colligere debuisset cum Brisciano, quem ipse reprehendit, drachmam vnam, ac tertiam insuper drachmae partem continere: at inquit, non iustos tres denarios pendet tetradrachmon, sed fere tres. at cùm illud, ferè, non magis indicet, ternos denarios à iusto tetradrachmi pondere deficere, quàm hunc ab illis, intelligamus Liuium loquutum de denariis, qui septimam partem vnciae pendent, ac tetradrachmon dixisse, tres ferè, hoc est, tres & semis pendere: illos namque graues denarios Agricolae, grauioribus viris examinandos relinquimus. Tandem Agricola totam causam Alciato relinquit, ea tantum lege, vt concedat denarios illos drachmales leues, ac non legitimos vocitari. Verùm priusquam id illi concedatur, ostendat Agricola necesse est, quo maiori iure potiti sint Dictatores, vel Consules, aut Triumuiri illi, qui denarios ex septima vnciae parte percusserunt, aut, quo minori Respublica ipsa, quae, Q. Fabio Maximo Dictatore, monetas omnes imminuit? quoniam nisi id ostendat, nos pari ratione legales compellare decrequimus drachmales denarios, senatusconsulto percussos: idque potiori sanè ratione, quàm illos alios maiores, vel minores. Accedit huc Portius, haec eadem disertis verbis confirmans: Crescente enim, inquit, auaritia, ad imitationem Graecorum pondere drachmae denarij signari coeperunt, & hi frequentiores apud auctores, & in ruinis, & in thesauris passim reperiuntur, & talento, & minae, & sestertio magis conueniunt, ex quibus plurimos antiquissimos, & diuersis notis signatos, diuersissimisque in regionibus repertos

Alciat. de pond. & men.

Georg. Agric. in resp. ad ea, quae Alciat.

Liu. lib. 34.

Plin. lib. 33. cap. 9.

VNCIA IN septem denarios fuit olim diuisa.

DENARIVS postea aequalis drachmae. *Plin. lib. 2. cap. 34.*

NVLLIBI reperiuntur denarij graues drachmae vnius, & dimidiae.

Port. lib. 1. de fester.

tos vidi, & appensos omnes ponderi drachmae conuenire deprehendi, quod maximam fuisse coniecturam Romanae iustitiae Regi Taprobanes, Plinius attestatur, cùm in capriua pecunia denarios pari pondere, & diuersarum imaginum reperisset (etsi magnitudinum, & non imaginum in libris impressis corruptè legatur: tamen in antiquissimo manuscripto, imaginem, & non magnitudinum legi, & rectè;) & hos fuisse propriè denarios, vel magis communes, attestatur Liuius, cùm scribit, Acheos à Flaminio admonitos redemisse seruos Itali generis per totam Achaiam, eamque redemptionem centum talentis stetisse Achaeis, cùm quingentos denarios pretium, quod redderetur dominis, pro singulis seruis statuissent: mille enim & ducentos ea ratione Achaia habuit. quod si rectè computetur, constabit talentum sexaginta minarum, & Atticum sex millium denariorum extitisse. Idem Liuius, si cum Plutarcho conferatur, comprobabit denarios, & drachmas eiusdem aestimationis fuisse, cùm alter ipsorum drachmas, alter totidem bigatos Badio Nolano à Marcello donatos referant. Et Appianus scribit Octauium quingentas drachmas Veteranis, quos ex mancipijs collegerat, promisisse. Cicero idem exprimens, totidem denarios dedisse scribit. Idem, si rectè, & non deprauatè legarur, attestatur Plinius, cùm exprimit tertiam parrem minae, denariorum triginta trium habere pondus (vt in codice manuscripto legitur) quamuis, triginta octo, corruptè legatur in impressis. Hactenus ille. Atque eius rationibus libenter assentimur cum Plinio, Cleopatra, Plutarcho, Liuio, Budaeo, atque alijs, denarium drachmæ Atticae pondere aequalem fuisse existimantes. Et hactenus fecisse satis videremur, quod ad denarij pondus spectat.

Plin. lib. 6. c. 22.

Liu. decad. 4. lib. 4.

Appia. lib. 3.

Cic. lib. 16. epist. ad Att. epist. 6. & epist. ad Q. frat. & alibi.

DENARIVS drachmae Atticae aequalis fuit.

Plin. lib. 21. cap. 34.

Cleop. lib. de mundit.

Plutarch. in Antonio.

Tit. Liu. lib. 34.

Bud. lib. 5. de asse.

Verùm quoniam aliàs saepe occurret, vt de denario nummo, quotque assibus permuretur, agendum sit, ne iterum hanc eandem disputationem resumere cogamur, hic breuissimè subijciemus ea omnia, quae de denario dicenda videntur, quamuis non nihil ab instituto distrahamur. Fuit is quidem argenteus nummus sic dictus, quòd decem asibus permutaretur. Huius rei testis est non modicae auctoritatis Vitruuius: Nostri autem, inquit, primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos aereos constituerunt, & ea re ad hodiernum diem denarij nomen retinet; etiamque quartam eius partem, quod efficiebatur ex duobus asibus, & tertio semisse, sestertium vocitauerunt. Sic corrigo locum hunc ex punctis ijs, quae in textum è marginalibus notationibus irrepserunt, quaeque difficiliorem contexrum reddebant. Subscribit Vitruuio Volusius Metianus. Is enim: denarius, inquit, primò asses decem valebat, vnde & nomen traxit: quinarius dimidium eius, id est, quinque asses, vnde & ipse vocatur: sestertius duos asses, & semissem, quasi semis tertius, Gra ca figura ἥβδομον ἡμιτάλαντον, hebdomon himitalanton; nam sex talenta, & semitalentum eo verbo significantur. Lex etiam duodecim tabularum argumento est, in qua duo pedes, & semis sestertius pes vocatur (sic autem scribendum est, non semisis tertius.) Accedit & his Plinius, tempus pariter indicans, quo primùm signatus fuir denarius. Argentum signatum est, inquit, anno Vrbis D LXXXV. (nihil nostra interest, siue mendum subsit huic annorum numero, siue non) Q. Fabio Consule, quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarius pro decem libris aeris, quinarius pro quinque, sestertium pro dipondio, ac semisse. Horum verò trium scriptorum, quos nemo in hac parte non recepit, libenter testimonia retuli; quoniam ijdem ipsi consequenter referunt denarij aestimationem immutatam, in quo à quamplurimis non recipiuntur, fortè quia non percipiuntur. Subiungit ergo allatis verbis Vitruuius: Postea quoniam animaduerterunt, vtrosque numeros esse perfectos, & sex & decem, vtrosque in vnum coniecerunt, & fecerunt perfectum decusi sex (sic corrigo, quo Graecae voci similis facta vox, magis conueniat; ipsi enim δεκαέξ decaex dicerent.) Huius autem rei auctorem inuenerunt pedem: e cubito enim cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quattuor palmorum; palmus autem habet quattuor digitos: ita efficitur, vti habeat pes sexdecim digitos, & totidem asses aereos denarius. Hoc ipsum tenet Metianus, superioribus verbis subiungens: Nunc denarius sexdecim, victoriarus, & quinarius octo, sestertius quattuor asses valet. Sed & Plinium referre necessarium duxi, quo illum, dum plurium correctionum morsibus vindicamus, nostram sententiam, & alia obiter scitu iucunda breui aperiamus. Is verò sic habet: Librae aurem pondus aeris imminuto bello Punico primo, cùm impensis Respublica non sufficeret, constitutumque, vt asses sextario pondere ferirentur: ita quinque partes factae lucri, dissolutumque aes alienum. Nota aeris fuit, ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis; in triente vero, & quadrante rates. Quadrans antea triuncis vocatus à tribus vncijs, postea, Hannibale vrgente, Q. Fabio Max. Dictatore, asses vnciales facti: placuitque denarium sexdecim asibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis: ita Respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem asibus datur. Hactenus Plinius.

DENARII aestimatio quando immutata.

Tria his Plinij verbis continentur, quae cum eruditissimis viris disputanda sunt. Primum, quod ad sexdecim denarij asses spectat, in quo Budaeo erit satisfaciendum. Secundum, quod ad loci correctionem, in quo de sexrantarijs asibus, de quinque partibus priùs lucraris, & de dimidio lucro cum Alciato differendum, ac tandem de stipendio militari Lipsij videndus est locus.

Bud. lib. 5. de asse.

Alciat. lib. de pond. Iust. Lipsi.

Et quod ad primum spectat, quamuis disertis verbis testatum sit à grauissimis viris, quos attulimus, denarium sexdecim asibus permutari solitum, tamen asylum quoddam inuenit Budaeus, quo confugerer, tantorum testium fidem abrogare contendens. Is verò Sextus Pompeius Festus est, qui sic scribit: Sextantarij asses in vsu esse coeperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum secundum, quod cum Hannibale gestum est, decreuerunt Patres, vt ex asibus, qui tum erant librarij, fierent sextantarij, per quos, cùm solui coeptum esset, & populus aere alieno liberaretur, & priuati, quibus debitum publicè solui oportebat, non magno detrimento afficerentur.

DENARIVS sexdecim asibus permutabatur.

Sext. Pomp. Fest.

Quorum verborum fides quàm sit suspecta, indicant ea, quae censoris iudicium adhuc exquirunt: tot enim mendis scatet, vt, si expurgari velit, in suam à quocumque sententiam perduci facilè possit. Et illud in primis reliquorum hi-

storijs

DENARIVS sic dictus, quòd asibus decem permutaretur.

SESTERTIVS duos asses valet cum dimidio, quòd ipso nomine indicatur.

Volus. Met. lib. de pond. & mensur. monante multos annos inuento.

Plin. lib. 33. cap. 5.

ARGENTVM quando primum Romae signatum.

storijs non concordat, quòd bello Punico secundo tradit, asses primùm sextantarios constitutos, cùm primò factos constet. Sed quamuis, quod ad asses attinet, septennio tantummodo perduravisse sextantarios, concederemus Budaeo, & Festo, tamen non propterea denarios ad primaeuam institutionem redijsse concedendum esset, cùm vel maximè Iustiniani constitutione, atque apud alios, atque alios probatissimos scriptores sestertium assibus quattuor, denarium sexdecim aestimari legamus. Neque his obstant Varro, Apuleius, Aruntius, Pompeiusve, scribentes denarium asses decem, quinarium, seu victoriatum quinque, sestertium duos, & semissem valuisse; quoniam, vt bene notat Antonius Augustinus, hi omnes scriptores praeteriti temporis aestimationem expresserunt, & id, vnde primaeua earum vocum institutio manauit. Pariqué ratione Plutarcho, Dionysio, ac ceteris respondendum censet, è quibus argumenta erroris optimi quoque viri desumpsere. Eiusdem rei argumentum apparet in quodam C. Titinij denario, capiti Romae, quod in altera parte signatum est, adiecta hac nota X V I. vt in alijs multis X. nempe, quia feriundae pecuniae is praefectus fuerit, cum assibus sexdecim permutatus est denarius, qui pro decem antea dabatur, vt auctor est Dalecampius, Fuluium Vrsinum sequutus.

Leg. vlt. C. de donat.

Varro lib. 4. de ling. Apul. apud Prisc. lib. 6. Arunt. apud eund. lib. de pond. Ant. August. lib. 2. emend. cap. 7.

Dalecamp. notat. in Plin.

Quod verò secundo loco examinandum proposuimus, illud est, quod Alciatus verba Plinij, quae praeposterè in sermonis contextu posita, crucem fixisse Grammaticis tradit, ipse in crucem tollere, ac disturbare videtur: contendit enim non sextantario pondere, sed dextantatio asses percussos, eosque sextantarios dictos, quia sextans illis deesset. Redarguit verò hanc vocum perturbationem Festus, sic scribens: Graue aes dictum à pondere, quia deni asses, singuli pondo librae, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum. Sed de bello Punico Populus Romanus pressus aere alieno, ex singulis assibus libralibus senos fecit, qui tantundem valerent. Quibus verbis Festus ipse se explicat, ne putet Alciatus paruo detrimento affectum dici populum, cui sexta pars aeris ablata est, qui maximo affectus esset, si quinque sextas partes in singulis assibus perdidisset: nam ad monetae pretium respexit Festus, non ad aeris pondus. Cumque tantundem valerent sextantatij asses, quantum valebant librales, non magno detrimento afficiebantur ciues, quibus sextantarij dabantur pro libralibus. Ex quibus manifestum quoque fit, Rempublicam tunc quinque partes, non quinctam partem lucratam fuisse. In eo verò maximè alucinatur Alciatus, quod subdit Plinius, Rempublicam videlicet dimidium fuisse lucratam, cùm vnciales asses fecit ex sextantarijs, & denarios sexdecim assibus permutari mandauit. Veritati propiùs accessit Budaeus, qui scopum penitus attigisset, si de solis assibus loquutus fuisset Plinius, cùm Rempublicam dixit dimidium lucratam; vncia enim dimidium sextantis est. verùm, cùm pariter enumerasset asses vnciales, & denarios sexdecim assium factos, tunc ea verba adiunxit, planè significans vtriusque monetae permutatione, dimidium lucri obtigisse Reipublicae. id quod in aere bene collegit Budaeus; in argento verò manifestum fiet, si perpendamus, denarium tunc decem asses valuisse: cumque

Festus.

QVOMODO Respublica quinque partes lucrata sit, cùm sextantarios asses ex libralibus fecit.

QVOMODO dimidium lucrata sit Respublica, cum asses vnciales ex sextantarijs fecit, & denarios sexdecim assium factos, tunc ea verba adiunxit, planè significans vtriusque monetae permutatione, dimidium lucri obtigisse Reipublicae. id quod in aere bene collegit Budaeus; in argento verò manifestum fiet, si perpendamus, denarium tunc decem asses valuisse: cumque deinceps sexdecim permutari praeciperetur, in singulis denarijs sex asses lucrabatur Respublica, qui excedunt medietatem denum assium. At quoniam militum maximè tunc indigebat Respublica, ne eorum subiret indignationem, cauit pariter, ne huiusmodi numismatum immutatio quidquam detrimenti militibus pareret; immo verò lucri tantundem, quantum Reipublicae.

rios asses valere iussit sexdecim.

Atque hoc significare voluit Plinius: In militari tamen stipendio, inquiens, semper denarius pro decem assibus datus: quamuis deinceps Ducum, vel etiam Impetatorum auaritia factum, vt pro denario decem asses darentur. id quod conqueruntur apud Tiberium rebellantes milites, attestante Tacito. Enimuero, inquiunt, militiam ipsam grauem, infructuosam, denis in diem assibus, animam, & corpus aestimari: hinc vestem, arma, tentoria; hinc saeuitiam Centurionum, & vacationes munerum redimi, &c. Nec aliud leuamentum, quàm si certis sub legibus militia iniretur, vt singulos denarios mererent. Hactenus ille. Cumque haec, & alia quamplurima postularent, placidè respondit missis litteris Tiberius, & inter alia concesit, vt denarius diurnum stipendium foret. Quo loco bene notat Lipsius, denarium tunc temporis, non denos, sed plures asses valuisse. Ab eo tamen non possumus non dissentire, qui duodenum assium, aut praeter propter fuisse conijcit denarios, cùm sexdecim assium fuisse comprobatum sit tot scriptorum manifestis testimonijs. Illud tamen praetermittendum nulla ratione duxi, quo confirmari quodammodo posset, denarium drachmae aequalem fuisse: siquidem denarius militis Romani stipendium fuit, drachma Graeci, quod ex Thucydide docte colligit idem Lypsius. Sed de denario iam satis.

Cornel. Tac. lib. 1. Annal.

Lipsi. elector. 1. cap. 2.

QVO TRVTINAE GENERE VTI DECEAT *mensurarum, ac ponderum indagatores, ne decipiantur. Cap. X.*

QVO staterae genere vti deceat mensurarum indagatorem, declarandum hic est. Atque id quidem praetermisissem lubens, sicut alicui forsan omnino praetermittendum videretur; nisi è densissimis tenebris, ac tetra caligine, in quam magno Reipublicae litterariae damno Petum, atque eius asseclas iniqua statera coniecerat, in clarissimam lucem, bilancis ac ponderum beneficio tandem aliquando emersissemus. Id quod eò magis necessarium duximus, quod Romae degimus, vbi (quod pace omnium dixerim) vix sit vlla commercij ratio, in qua propter staterae modos, quos induxit cupiditas, vix, aut nec vix quidem certus possit esse emptor, se iustum pondus

dus accipere etiam in pretiosissimis quibusque mercibus. quod in auro ipso, & argento coëmendo ego ipse expertus sum. Constituamus igitur hoc primum, oportere eum, qui mensuras, & pondera indagare cupit, stateram illam deuitare, cui inaequalia brachia sunt, cuiusque idem pondus in longiori brachio motum, distinguit, ac signat varia pondera; Hispanis Romana propriè dicitur, quòd eius vsus Romae maximè vigeat. Nam, praeterquam quòd infinitis propemodum erroribus subiaceat, prout infrà manifestum erit, ea quodammodo prohiberi videtur lege, qua iustae bilances haberi praecipiuntur: *Statera iusta, & aequa sint pondera*. Hebraicè מאזני צדק מאזני mozne tsedec abne tsedec, bilanx iustitiae, lapides iustitiae. Est autem vox מאזני mozne deducta à radice אזן azan', quae aurem significat, proferturque frequenter duali forma, quòd duas lances quasi binas aures habeat. Huius meminit psalmus: *Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum*. Ex Hebraeo sic conuertit Vatablus: Veruntamen filij hominum vani sunt, mendaces filij viri; & notat filios hominum vocari plebeios, & infimae sortis; filios viri, principes, optimates, praestantes, & meritò: leguntur enim in Hebraeo binae illae voces, de quibus suprà latiùs; prosequiturque interpretationem psalmi his verbis: si simul ponantur in bilance, ipsa vanitate leuiores erunt. Hunc eumdem psalmum dum interpretatur Genebrardus, bilances nobis ob oculos ponere videtur; ait enim: si ascendat in alteram libræ lancem inanitas; in alteram verò vniuersum humanum genus, profectò inanitas ipsa praeponderabit. Elegans planè hyperbole, & ad deijciendum omnem humanum fastum aptissima. Non me latet vsurpari etiam ab Hebraeis vocem פלס peles, quam in stateram conuertunt eorum nonnulli, eamque diuersam esse arbitrantur à bilance: Rabbi enim Himmanuel: manifestum est, inquit, quod פלס peles, & מאזנים moznaijm sunt nomina imposita instrumentis, quae sunt facta ad eleuandum ponderabilia. Et פלס peles quidem est sicut virga ferrea, quae est apta, atque disposita ad ponderandum magna pondera: at מאזנים moznaijm est instrumentum ad ponderandum parua; & lapides ponderales sunt in vna parte, venalia in altera. At Rabbi Dauid sic scribit: פלס peles est rectitudo stateraram, & est illud, quod ponderans sua capit manu, in cuius medio est lingula stateraram.

Hanc verò interpretationem, vtpote radici vocis magis consonam, secutus fuisse videtur Vulgatae interpres tum in Isaia, tum in Ecclesiaste: Isaias enim ait: *Quis appendit tribus digitis molem terrae, & librauit in pondere montes, & colles in statera*. Dei Optimi sapientissimam prouidentiam omnipotentiae connexam, mirabili hac translatione praedicat Isaias: Deum enim solertissimo comparat artifici, qui argentea, verbi gratia, vel aurea plurima vasa fabrefacturus, totam priùs auri massam altera lance constituens, altera verò pondera, libras, vnciasue totidem: ac bilancem filo, quod in medio eius est, tribus digitis eleuans, iuxta sapientiae suae artem constituit ponderis, quantum toti operi sit praescribendum, ac mox singulis vasis, aut operis partibus condecentia distribuit pondera, huic maiora, illi aequalia, & alij minora. Id enim significat molem terrae, montes, & colles librare. In quo non tantùm de naturali elementorum constitutione loquutum crediderim prophetam, sed multò magis de rerum humanarum dispositione, ac peculiari prouidentia: creata namque omnia hominis institutioni, & vsibus à benignissimo creatore destinata sunt. Quo loco vocem פלס peles in ponderis conuertit Vulgatus, qua lancis iudicium, vel examen significare voluisse videtur potiùs, quàm diuersae stateraе genus. Ex quo liquidò constare videtur, perperam voces explicari ab Himmanuele. Nam qui bilance in paruis, statera in magnis rebus ponderandis vtuntur artifices, id instrumentorum defectu, viriumque imbecillitate solent; non verò quòd rerum ratio, aut natura id exigat. At verò cùm Dei omnipotentiam exprimere vellet propheta, vt id aptissimè significaret, ipsum inducit tribus digitis libram sustinentem, cuius altera lanx totam terrae molem, altera verò tantundem ponderis contineat. Atque eiusdem sapientiam mirificè expressit in fabricando lancis accuratissimo instrumento, cuius tam immensa magnitudo nihil impediat, quò minùs exigui etiam colles eodem possint appendi, & minutissimi ponderis granulis dijudicari.

Atque hoc ipsum, quod perpetua allegoria indicauit Isaias, expressit ac declarauit Sapiens, sic scribens: *Pondus, & Statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi*, vel sacculi. Vbi etiam pro voce Hebraica פלס peles, Vulgatus vertit aptissimè *pondus*, examen, lingula, siue iudicium lancis, *& statera, iudicia Domini sunt*. Non eget Deus Optimus mechanicis his vestris instrumentis, ad dijudicandum rerum pondera, vel aestimationes; sed ipsa Dei iudicia sunt eius stateraе, amussis, lances, & libra. Neque putetis deesse Deo posse lapides ponderales, *opera eius* sunt *omnes lapides sacculi*, hoc est, omnia ponderum genera, quae omnibus anteactis, praesentibus, vel futuris saeculis excogitari possunt. Alium non longè diuersum indicat sensum huiusmodi versio Vatabli: Statera, bilanx, iudicium Domini sunt, omnia pondera opus eius sunt: quasi dicat: proprium Dei est, omnia iusta trutina ponderare. Decipiuntur omnino, qui propria industria, & astu putant rerum gubernationes, status, aut regna posse, aut vitra praescriptam à Deo magnitudinem augere, aut citra, aliorum statu comprimere, quòd vulgò Romae dicitur, dar la bilancia, cùm bilanx, & pondera, quibus mundi regna, vel deprimuntur, vel eleuantur, vel aequiponderant, in hominum non sint potestate; Domini enim propria sunt.

Lapides sacculi hoc loco conuertunt ex Hebraeo quamplurimi, duplicem Hebraeorum morem pariter indicantes; alterum quòd pondera ex lapidibus conficiebant durioribus; alterum quod, quo simul ea reponerent, ac conseruarent, sacculis imponebant. Vtrumque respexisse videtur Dominus in Deuteronomio huiusmodi legem ferens: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus; nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iustum, & verum, & modius aequalis, & verus erit tibi*. Ex Hebraeo sic verti potest: Non erit tibi in sacculo tuo lapis & lapis, maior, & minor: Non erit tibi in domo tua ephi & ephi, maior, & minor: lapis integer (siue retributionis, quod Hispani diceremus de dar

STATERA inaequalia habens brachia, vtranda maximè.

Leuit. 19. Ÿ. 36.

BILANX Haberi praecipitur à Domino.

Psal. 61. Ÿ. 10.

Vatabl.

Sup. tom. 2. Ezech. 27. Ÿ. 2.

ELEGANS hyperbole ad deijciendum humanum fastum aptissima.

R. Himmanuel.

Rabbi Dauid in lib. rad.

Isai. 40. Ÿ. 12.

EI OPTIMI admirabilis prouidentia statera significatur.

Prouerb. 16 Ÿ. 10.

STATERA ET pondera Dei quae sint.

CONTRA Politicos.

HEBRAEI lapideis ponderibus vtebantur, quae saeculo asseruabant.

Deut. 25. Ÿ. 13. 14. & 15.

de dar y tomar, & iustus erit tibi: ephi item iustus erit tibi. Quam quidem legem minimè obseruatam ab Hebraeis fuisse exprobrat apud Micheam Dominus oratione illa, indignationis & irae plena: *Numquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate &c.* Quibus omnibus locis, cùm, quoties staterae, aut bilancis fit mentio, lapidum quoque ponderalium indicetur vsus, manifestum fit, bilancis vsum Hebraeorum Reipublicae fuisse communem; eundemque à Deo iunctum; vtpote aequitati magis consonum; quem tenuisse quoque Romanos illos antiquos, omnis politicae aequitatis aemulatores, probare poterit Marci Catonis locus, inter cellae oleariae instrumenta haec commemorans: Trutinam vnam centumpondium incertum vnum, pondera certa. Quem locum accuratè sanè interpretatur Lucas Petus, cuius verba referre operae pretium duxi, quoniam antiqua Romanorum pondera, qualia fuerint, bene explicant: Incertum, inquit, centumpondium intelligo ego pondus librarum centum, ex diuersis diuersorum ponderum massis; non autem ex vna sola massa constitutum. habebant enim antiqui pondera ex lapidibus quibusdam nigris, venis quibusdam viridibus obscurissimis commaculatis, quae non nisi madidis lapidibus, & diligenter intuentibus apparent, silicea duritia, expolitionem ita recipientes, vt intuentium imagines redderent. ex quibus maiora duobus ferreis anulis, siue ansis, in superiore parte plumbo ferruminatis, minora vno suspendebantur. decem pondo, & infra id pondus plerumque sine ansa; quorum adhuc maxima copia diuersarum magnitudinum, à centum vsque ad selibras, trientes, & quadrantes Romae inspiciuntur &c. quarum vnam cum huiusmodi inscriptione ad calcem operis apposuit, ex qua probat curam, & custodiam ponderum ex Senatusconsulto ad Quaestores vrbis pertinuisse. Igitur Cato, inquit, vt ad eum redeamus, ne patremfamilias multis ponderibus, sex ponderum massis oneraret, in ea olearia cella centumpondium vnum incertum requisiuit, id est, tot certa pondera, vtputa massam alteram librarum quinque, alteram decem, aliam viginti, aliam viginti quinque, aliam quadraginta, quae summam librarum centum constituetent, vt ex his certis ponderibus illud incertum centumpondium constitui posset. Certum enim Iurisconsultus Paulus illud appellari testatur, cuius species, vel quantitas aut nomine suo, aut ea demonstratione, quae nominis vice fungitur, qualis, quantaque sit, ostenditur: ideoque istud centumpondium appellauit incertum Cato, quia per se corpus non haberet, sed ex alijs diuisis certis ponderibus, re exigente, constitui posset: putauit enim ille hoc modo emptori, & venditori, & in paruo, & magno librarum numero consultum esse posse, cùm amphorae, & seriae, & vasa alia, quibus oleum diffusum conseruabatur, vix centumpondium excedere possent. Hactenus Petus. Quae vel propterea tantùm referenda videbantur, quod ipsius testimonio

Micheae 6. v. 11.

BILANCIS vsus, vtpote aequitati magis consonae à Deo praeferibitur.

EADEM bilanx antiquis Romanis fuit.

Luc. Petus lib. 5. de ponderib.

l. certum. de rebus credi-tis.

A liquido appareat in trutinae vsu lapsum fuisse eum, quem non latuit, bilance, ac varijs ponderibus antiquos vsos fuisse, non verò trutina, & vnico pondere. At quamuis bilanx deceptioni, ac iniquitatibus minùs subijciatur, quam trutina, modum tamen adinuenit malitia, quo certi nihil ipsa bilance, ac ponderibus dijudicari, aut percipi possit. Nam cùm librae perfecta ratio in eo potissimùm consistat, quod ex recta regula à medio suspensa, ex vtraque parte sit sibi vniformiter aequalis, crassitudine, longitudine, figura, & pondere, atque vt omnino recta sit, & ab eius extremis binae aequales, & vniformes pendeant lances: tamen Romae, quas vidi bilances, omnes ex curuatis sutsum B regulis pendent, ex quarum constitutione hoc vnum necessario sequitur, vt quamuis aequissima pondera lancibus adhibeantur, quiescere tamen nulla ratione possint; atque adeo necessarium sit ponderantem, dum ponderat, semper bilancem tabulae admouere, vt in aequilibrio brachia librae constituat, ac mox eleuare, vt videat, in quam partem propendeat. Quod si tabula, quae subtus est, inclinata sit, non ad libellam constituta, in inferiorem partem inclinare necesse est bilancem eiusmodi, aequissima quamuis pondera sustineat.

QVAE SIT bilancis ratio, quae aequitatem pariat.

INCVRVATae bilancis deceptiones.

Mitto hic infinita propemodum alia decipiendi genera, quae illo breuissimo tempore, quo bilanx à venditore suspenditur, admiscerí C possunt, quo minus emptor deprehendere possit, aequiponderentne bilances, aut secus. Porro vtriusque bilancis figuram apposui, quo ab iniqua diiudicari possit, quae aequa sit. Verum quoniam non Reipublicae iura dicere, aut ciuium iniurias repellere statui, sed mensurarum examinatorem monere: illud Vrbis Quaestoribus perpendendum relinquo; hoc vnum sollertem Lectorem admonitum velim, vt, si mensuras pondere, aut pondera ipsa examinare desiderat, bilancem adhibeat, quae recta sit, quaeque adhibitis aequis ponderibus, ac ex aliquo stabili clauo suspensa immota maneat, ita vt semel, iterum, atque iterum examinare, & dijudicare possit, num in alteram partem inclinet, ac quantum; ac mox idem ipsum commutatis ponderibus è lance in lancem certissimè dijudicare possit. semper enim decet eum, qui propria experientia aliquid certi statuere cupit, sibi non nimis fidere, sed diu multumque esse suspectum, vel propterea maxime, quod ipse expertus fuerit, se fuisse deceptum, vel saltim propter Hippocratis celeberrimum illud dictum, experimentum fallax. Sed de trutina, atque bilance iam satis, ad eius vsus explicandos properemus.

NVM

NVM CERTI QVIPPIAM STATVI POSSIT *de Romanis ponderibus, quo eorum ratio habeatur.* *Cap. XI.*

MIRARI sanè Lectot non debet, si ea, quae hoc capite pertractanda proponimus, ita dubitanter proponamus, ac si praeter morem illum, quem perpetuò tenuimus, quaestionem mouere, & aliorum sententias percensere, deinde nostram aperire, & confirmare, ac tandem, ea confirmata, aliorum fundamenta, rationesque dissoluere dialecticorum more velimus; cùm contrà se res habeat. Nam si in alijs fugienda mihi est ea disputantium methodus, in his maximè, in quibus coniectandi ars plurimùm, experimenta non multum, ratiocinatio minimum valere censenda est: tot enim, ac tam varijs difficultatibus, sententiarumque multitudine obuoluitur, vt non iam, quot sunt capita, tot sint sententiae, sed quot possunt capitum partes excogitari, vel potius, quot sunt hominum cogitationes, tot reperiantur in re hac opiniones, argumenta, coniecturae, experimenta, quae vim mentis quasi obtundere, & excaecare videantur. Qua in re ita desperandum videbatur posse nos in clarissimae veritatis semitam deduci, vt atrogantiae adscribi posset, si quis hac tempestate aliquid de ea re certò affirmare praesumeret. Huius igitur notae labem vitare cupientes, tem totam in dubium reuocauimus, quo Lectorem suspensum tenetemus, ac dubium, donec lectis ijs omnibus, quae nos proponimus, quid de eis sentire debeat, secum ipse statuat. Nos enim totam hanc disputationem dilucidè, ac quàm breuissimè poterimus, explicare decreuimus.

QVAM SIT haec disputatio dubia.

Ac primum lecto integro Agricolae libro de restituendis ponderibus, atque mensuris, illud mihi visus sum consequutus, vt rem arbitrarer inuentu non solùm difficilem, quam inquirimus, verùm etiam impossibilem. Nam res naturales, cuiusmodi sunt fruges, singulas ptimùm percensens, incertas esse contendit, mox ad numismata, denariosque antiquos descendit: & Portium refellit, quod suam libram affirmet antiquae aequalem fuisse, cùm neque, qua id ratione probet, explicet, neque, quam suam libram appellet, id enim vsui esse potuisset, vt alijs experimento notum esset, an deceptus fuisset Portius: Alciatum deinde, Budaeumque redarguit, quòd non denarios adhibuerint iustos, neque eos, quos adhibere debuissent: ac tandem ipse in ea sententia conquieuerit, vt putet, septenis appensis aequis, patibusque denarijs, vnciam restitui debere, qua mediante reliqua pondera, atque mensurae restitui facilè possint. Verùm, cùm difficilè non minùs sit credere Agricolam iustos denarios, paresque antiquis inuenire potuisse, quàm ipse credat Alciatum, aut Budaeum aequam denariorum rationem tenuisse, ideo adhuc animus haeret, dubiusque est vel propterea maximè, quod Agricolae opinio circa denarium minùs, vt vidimus, certa exploratáque sit. Certiorem viam ingressus fuit ante non multos annos Petus, ingeniosus vir, ac sollers, ni infeliciter in via ita deficeret, vt posteris ferè omnibus à vero aberrandi causa esset, & auctor: aquam enim ad examinanda pondera aptissimam adhibuit, vtpote, quae minimùm pondere variet: quippe, quum ego ipse viginti aquae vncias ex diuersissimis aquis ponderauerim, vixque repererim drachma vna à se inuicem distare. Quod ipsum antiquorum quoque exemplo, testimonijsque probabitur. Mensuram certam, exactamque adhibuit idem Petus, cui licuit Farnesianum antiquum congium apud se habere, metiri, examinare, ponderare. optimo, ni fallor, iudicij acumine eam tenuit ex multis sententiam in ponderum, ac mensurarum proportione censenda, quae vera, certaque est, nimirum congium Romanum aqua plenum decem libras Romanas pendere. Quod & nos firmissimis testimonijs confirmauimus, eumque certiorem reddidit conueniens interpretatio illarum duarum litterarum, quae congio adscriptae sunt, P. X. siquidem pondo decem ipse, vt debuit, legit. Quis verò credat huiusmodi virum tot, ac tantis praesidijs munitum, tot quasi praeeuntibus facibus ad optatam veritatis sedem peruenire non potuisse? adhibita namque trutina, quae ponderum omnium aequissimus esse solet iudex, omnium ponderum rationem consequi facilè potuisset. Sed, proh dolor, iniquum sortitus iudicem, eiusque sequutus sententiam, & oleum, & operam perdidit, & parum abfuit, quin ingenia falleret, acutissima quamuis, & perspicacissima. Sicque plenum, inquit, cum iustissima trutina, qua hodie Romae vtimur, cum appendissem, inueni aquam, qua eum compleueram, libras nostri temporis nouem, vncias sex semis efficere, quibus vncias quinque, drachmas quattuor, scripulum vnum, & grana quattuordecim (de quibus nullam rationem habendam esse putaui) ex antiquis libris praedictis pendere inueni. Hactenus ille.

Luc. Pet. lib. de antiq. liquid. & arid. mensuris.

AQVA, quae minimùm pondere variat, aptissima est ad examinanda pondera.

Ea verò multis nominibus mihi suspecta fuerunt. Quibus omnibus praetermissis, illud vnum mihi maximo argumento fuit, illum fuisse deceptum, quod trutinam adhibuisse testatur, cuius vsus frequens est Romae: nam cùm ea, quae superiore capite de trutina dixi, diligentet perpendissem, atque assidua multorum annorum experientia comperissem, omnium deceptionum aptissimum esse trutinam seminarium; inde fieri existimaui, vt, ad quam quisque vellet opinionem, Romanam recentem trutinam facile posset accommodare. Atque ideo cogitate coepi, num & ego ipse possem eiusdem esse expetimenti particeps, oculatusque testis: verebar tamen maximopere, ne si quid ego in medium proferrem, quod praedicti Scriptoris testimonio aduersatetur, vel meum minùs haberetur certum, vel vtriusque patitet in leuitatis, ne dicam falsitatis suspicionem incideret. Verùm Dei optimi benignitate factum est, vt eiusmodi testes adhibere nostri experimenti possim, quorum auctoritas, & fides nulli posit esse suspecta. Quapropter cogor nostri quoque experimenti rationem reddere longiorem, atque eo magis, quo maior est auctoritas, & laus eius Scriptoris, quem refellimus.

TRVTINA deceptionum seminarium: eam namque in suam quisque adducit sententiam.

AGRICOLA, dum restituere pondera contendit, nihil de eis probari posse ostendit.

RES NATVrales, siue etiam denarij ad restituenda pondera minùs sunt vtiles.

Quum

CARDINALIS Farnesij benignitas commendatur.

Quum igitur Illustrissimo Domino Odoardo Cardinali Farnesio significarem desiderium, quo tenebar videndi, pariterque mensura, ac pondere examinandi antiquum illum congium, quem in suo ditissimo antiquarum rerum promptuario diligenter asseruat, magnique facit: is, tum propter innatum studium, quo bonarum artium tenetur; tum vel maximè propter singularem animi beneuolentiam, qua ordinem nostrum prosequitur, annuit, quamuis illi antea neque de nomine, vt credo, notus essem: neque tantùm hoc, quod petieram, concessit, sed & illud promisit, quod neque optare quidem auderem, se velle hæc nostra experimenta suo benignissimo aspectu honestare, suaque dignitate, atque auctoritate ab omni falsitatis, atque deceptionis suspicione tueri. Igitur statuto die, qui fuit tertio nonas Martij, anni proximè præteriti nonagesimi octaui, hora quoque statuta, cum iustam bilancem, quam attuleram, filo appendissem ex alio ferreo, qui in media fenestra pendebat, variaque pondera, alia maiora, alia minora attulissem, ex durissimis saxis in eadem bilance examinata, allatus est mihi congius, à Luca Peto relatus, & rubra cera, qua possem tenuissimas congij rimulas obturare. Adstitit mox Illustrissimus Dominus, à quo perhumaniter exceptus fui, adstitit pariter nobilis vir Petrus Albertiniùs Iuris vtriusque Doctor, eiusque publicus professor in alma huius vrbis Academia, eiusdemque Cardinalis familiaris, cuius opera hoc in me beneficium fuerat collatum; aderantque ex eadem familia aliquot viri nobiles pariter, atque ingenioſi. Aderat & Pater Christophorus Griembergerus, è nostra societate, cuius admirabilem sollertiam in exquirendis his rebus aliàs commemorauimus, quemque mihi socium adsciueram, vel potiùs eorum omnium, quae peragenda forent, experimentorum effectorem, & iudicem; ministrabantque nobis ad nutum Cardinalis iussu adstantes eiusdem famuli. Igitur primùm vas illud antiquum aqua bene dilutum fuit, ne quid postea aquae ponderandae sua imbiberet siccitate, atque exinanitum, in altera pendentis librae lance erectum constituimus: in altera verò lance pondera temperauimus, inani vasi aequiponderantia. Mox eidem lanci, in qua erant pondera, lapidem vnum imposuimus, decem aequas libras pendentem. Attuleramus & nos ampullam vitream, vulgò, Italis, Hispanisque vna caraffa, in qua saepius appenderamus aquae purae vncias viginti, assignauerамusque extrinsecùs in angustiori collo eiusmodi aquae terminum. Et quoniam congij denae librae vncias viginti supra centum complectuntur, quarum sexta pars sunt vnciae viginti, ideo rogati constanter asserebamus, ampullam illam ad vsque praedictum colli signum plenam, sexies effusam, totum illud magnum vas expleturam. Quod quamuis admirationi ferè omnibus, qui tunc aderant, fuit (non enim semper aequa iudicat inexpertus oculus) rem totam breuissimo quodam experimento confirmandam testabamur. Allata est igitur continuò è limpidissima cisterna aqua purissima: quinquies ampullam in vas illud magnum effuderat Pater Griembergerus, & bonam sextae partem, cùm adhuc vas eleuatum, fidente pondere, manebat: tantaque omnes expectatione, ac sollicitudine tenebantur, vt

PLVRIBVS adstantibus congius examinatus.

SEXTARIVS adhibitus ad mensurandum congium.

A vehementer etiam ipse Pater Griembergerus dubitare inciperet; nec tamen propterea paulatim aquam infundere desistebat. Mirum dictu, effusa tandem ampulla, vas vsque ad colli terminum ex aequo plenum, pondera simul eleuata, libraeque examen ita in medio fixum stetit, vt non mobilis libra videretur, sed fixa, ac permanens; atque ita permansit, donec cominus omnes accedentes, oculati possent esse testes iustae librationis vasis ex aequo pleni: ita tamen, vt aqua, madefaceret potiùs, quam operiret latiorem illam vasis partem, quae, vt bene notauit Petus, addita videbatur ad conseruanda suprema congij labra. Verùm, quo omnes certiores magis multò redderentur, non defuit adstantium vnus, B qui numerum insusarum aquae ampullarum in dubium reuocaret. quare congium in argenteum magnum guttum paulatim profundere coepimus, ne quidquam aquae effluueret, atque eo deinde ampullam implebamus, & in argenteam perpulchram concham sexies, omnibus pariter numerantibus, effudimus. quo factum est, vt eadem aqua, congij mensurae, sextariorum numero, ac decem librarum ponderi, omnium probante iudicio, ex aequo respondere probaretur. Supererat tamen aliud experimentum, quo non minùs tunc indigere arbitrabamur, quàm reliquis: nondum enim illas omnes mathematicas rationes, quas libro superiore explicauimus, excogitaueramus; ideoque cubicum C inane ligneum vas, cupressinis tabulis, ac nuceis è semipede Romano antiquo confecimus, quem, perlectis plurium scriptorum sententijs, nostris nos permoti rationibus selegeramus. quod quidem vas ita oleo, coloribusque, quibus pictores vtuntur, obliniuimus, vt aquam continere facilè posset, effundere, aut imbibere nulla ratione posset. Hoc igitur vas aquam illam, quam mensura, pondereque examinauimus, ex aequo capere testati sumus. id quod minùs verisimile videbatur: nam latè patens in argentea concha limpida illa aqua tanta erat, vt ligneum illud vas bis expletura videretur; verùm ita illud ex aequo compleuit, vt ne vna quidem aquae gutta vel addi, vel detrahi posse ad iustam cubi mensuram iudicaretur. Quapropter mens, at- D que animus eiusmodi experimentis ita conquieuit, vt non amplius in dubium reuocet, aquam, cuius congius ille capax est, pondere lapidi illi aequalem esse, quem nos decem librarum fuisse diximus.

RESPONDIT ex aequo decem Romanis libris congij aqua.

AQVA congij decem libras nostri temporis absque dubio pendi.

Verùm cùm alioqui nos integro ac libero iudicio comperissemus, libras illas singulas, duodenis vnciis constare ex ijs, quarum tum in tota ferè Hispania, tum Romae, vt suprà diximus, vsus est frequens; ita etiam constanter asserimus, antiquam Romanorum libram, vnciam, ac pondera, tot aetatum successione, ac Romani imperij perturbationibus minimè immutata fuisse, sed eadem per manus tradita, vsque ad nostra tempora perduraſſe. id quod facilè suaderi cuiuis posset, E numismatum, & ponderalium lapidum indicio, quorum apud antiquos illos Romanos tanta fuit copia, vt non solum ad proximos quosque integra permanarent; verùm ad nos vsque ab ea tempestate maximè semotos. Meritò igitur Alciatus sic scribit: Vncia apud antiquos eadem fuit, quae & nunc est. cuius rei duplex est argumentum: alterum, quod Plinius auctor est, aureos, qui apud veteres didrachmales

Sup. lib. 1. huius part. cap. 5. prop. 16.

Alciat lib de pond. & men.

Plin. lib. 33. c. 3.

males erant, quadraginta octo in libra fuisse: hodie vero, cum noster aureus drachmalis sit, videmus nonaginta sex in ea appendi, & paulo plus, propter colybum, & auctoramentum principalis monetae: alterum est, quod etiam num reperiuntur vetera numismata cum hac ✳ denarij nota eiusdem ponderis, cuius drachma est nostra. Denarium autem idem quod drachmam fuisse, supra docuimus. quod si qui leuiores denarij reperiantur, id ex intertrimento euenit, vel quia aliqui principes, propter difficultates nummarias, leuiore pondere eos percusserint. Hactenus Alciati sunt verba. Quae immeritò sanè reprehendit Agricola, duplici potissimùm argumento ductus. Alterum, quòd non vnciam expresserit, quae antiquae aequalis habenda sit: cui Agricolae difficultati facilè respondebimus nos, qui hoc constanter tenemus, vnciam numquam Romae immutatam fuisse. B

DIVERSA librarum genera diuerso earundem vnciarum numero plerumque constantur.

Ad ea vero, quae affert de Mediolanensij librarum diuersitate, & multitudine, cùm eadem in Hispania ferè tota, in nostra potissimùm Baetica prouincia vsu venire consueuerit, respondebimus, nihil obstare, diuersas libras eisdem vncijs constare: maximam duabus & triginta, mediocrem sexdecim, argentariam octo: atque adeo nihil ea ratio prohibet, quin & Mediolani eadem esse possit nunc vncia, quae Romanis eadem perpetuò fuit. Qua etiam ratione secundo Agricolae argumento satisfit, Mediolanensem drachmam aequalem esse antiquae, qua non maior, sed aequalis fuit denarius antiquus, si tempora consulantur, vt suprà ostendimus. In hoc verò & ipso Alciati firmiori nitimur fundamento, quòd ille C minima quaedam denariorum adhibuit pondera, in quibus maior error, ac ponderis differentia difficiliùs, ac minùs percipitur: nos verò decem librarum pondus, vnciarum nimirum centum viginti, drachmarum verò nongentarum sexaginta, adhibuimus: ex quo pondere, certo certiùs elicitur drachmae pondus, à quo si vel minimum synapis granulum auferretur, vel eidem adderetur, toties multiplicatum maximam, maximeque perceptibilem efficeret ponderis differentiam.

Sup. cap. 9. huius.

IVSTA RATIO ponderis decem libris haberi commodè potest.

Verùm nos etiam numismatum examinato pondere, & calculo subducto, haec eadem confirmare poterimus, & alia his ipsis non minùs vtilia, scituue iucunda statuere. Ea autem sunt huiusmodi. Hebraeorum siclum probaturi mox sci- D mus, cùm ex pluribus veteris, ac noui testamenti collatis testimonijs; tum ex Iosephi idem manifestè testantis sententia, tetradrachmo Attico aequalem fuisse, eundemque nullus dubitauit semunciae Romanae exaequari, quod diser-

EX HEBRAEORUM siclis certa hauritur ponderum ratio.

S. Hier. sup. Ezech.

tis verbis affirmat Sanctus Hieronymus: nos verò singulari Dei beneficio plures ex antiquis Hebraeorum sortiti siclos, iusta lance expendimus: ideoque hoc etiam affirmare non dubitamus, antiquum siclum aequalem semunciae nostrae aetatis Romanae, & Hispanae sine vlla differentia fuisse. Quocirca, cùm idem siclus antiquae quoque Romanae semunciae aequalis fuerit, communi animi consensione nostri temporis semuncia antiquae exaequabitur, vtpote quòd E vni tertio, eidem nimirum siclo antiqua, & nostri temporis semuncia exaequatur. Ea verò omnia, quae diximus, certa esse facilè comperiet ipsa experientia lector, nisi iniqua statera decipiatur sit, quod Lucae Peto sollerti, & ingenioso viro contigisse, non sine animi sensu, & commiseratione comperimus. Atquae haec de statuendo certo vnciae pondere dicta sufficiant; cùm, iuxta ea, quae ostensa pluribus suprà sunt, perspecta vnciae quantitate, facilè possit Romana etiam libra certò cognosci, atque Romana omnia antiqua pondera haberi, quod erat in primis, ac maximè optandum in hac disputatione.

EXPERIMENTO haec nostra poterunt comprobari, nisi iniqua obstet trutina.

DE ROMANORVM NVMISMATIS, EORVMQVE *materia, pondere, & aestimatione. Cap. XII.*

DISPVTATIONIS ordo.

QVIS poterat numismatum ratio cognosci, quae ex eorum pondere maximè pendet, quin ponderum haberetur ratio perspecta: pondera vero neque ponderibus conferri, neque ipsa per se expendi possunt, nisi trutinae, cuius est eiusmodi iudicium, iusta habeatur forma, iniquae vitentur deceptiones. Quapropter hanc, quam instituerамus de Romanis ponderibus disputationem, intermittere quodammodo coacti fuimus, vt de trutina statueremus, cuius mox beneficio certam Romanae vnciae, ac librae cognitionem haberemus. His igitur quasi praeiactis fundamentis, reliquum est, vt, quoniam de denarijs, assibusque, & alijs numismatis inter pondera disputandum fuit, reliqua numismatum genera, aurea potissimùm, eaque per genera, & quam breuissimè pertractemus. Romanorum namque numismata singula percensere si vellem, iustum volumen conficerem: id quod alijs quamplurimis vsu iam venit. Sunt verò alij non pauci, quibus nondum satis perspecta, & cognita videtur esse numismatum disputatio, qui non horas modò, sed menses, annos, aetatem denique ipsam, facultates, vitam ponere non grauantur in ipsismet nummis conquirendis auidiùs, conseruandis diligentiùs; ijs denique assiduè, ac sine vlla defatigatione considerandis. hi, si quos fructus ex ea re perceperint, posteritati non inuideant, propria volumina, vberioresque commentarios quamprimùm edere omni ope, atque opera curabunt: nobis enim haec obiter pertractanda sunt, atque ex editis iam libris ea tantummodo praelibanda, quae ad nostrum hoc institutum de Hebraeorum numismatis explicandis conducere videbuntur. quae omnia intra breuitatis fines coarctanda ita sunt, vt quanta maxima poterunt perspicuitate dicantur. Ac primùm librarios asses, atque dupondios vidimus, semisses, trientes, quadrantes, sextantes alijs, atque alijs figuris, & imaginibus signatos, ex quibus asses oblonga vna lineola litterae I simili discernebantur, vel littera L, libram indicante; dupondia eiusmodi lineis binis, semisses littera S. reliquae verò assis partes, exstantibus quibusdam punctis instar hemispheriorum, ostendebant, quot essent in singulis vnciae. Nam trientem quattuor puncta,

MODVS NVmismatum percensendorum.

ASSES, DVpondia, trientes, quadrantes, sextantes, aerei quo modo notarentur.

cta, quadrantem tria, sextantem bina, vnciam A vnum eiusmodi punctum discernebat ab alijs. Et quamuis plures trutina diligenter expenderimus, nullas binas consimiles partes, quae sibi mutuò responderent, inueninus; nedum cum antiquis vncijs, atque ponderibus. Ex quo mihi hoc vnum confici posse videtur, antiquissimis illis Romanis temporibus, quibus adhue supererat grauis aeris vsus, asses, semisses, trientes, ceterasque partes, quae priùs pondere tantummodo examinabantur, signari coeptas fuisse, tum vt ciues molestia liberarentur afferendi secum stateram, ac pondera ad examinanda permutationis aera, id quod Sinis in vltimis illis Asiae Indicae finibus vsu adhue venire retulerunt nobis è nostris aliqui oculati testes: tum B verò maximè ne deceptionibus, fraudibusue pateret aditus. Quae ratio omnes nunc ferè nationum Principes, Respublicasque impulit, vt numismata cudant, diligenterque caueant, ne à quoquam vel imminuantur, vel immutentur. Sed postquam signari coepta sunt permutationis pondera, iam non ampliùs iusto vnciarum pondere constiterunt. pars enim subtrahenda videbatur, quae percussoribus, alijsque monetarum ministris alendis sufficeret. Quantùm verò à statuto, ac certo vnciarum pondere deficerent haec signata aera, quamuis ea, vt dixi, perpenderimus, nulla certa ratione dijudicare potuimus. Nam vetustas, frequensque vsus, atterit, consumit, imminuitque ipsa metalla, durissimaque saxa; eoque ampliùs, quo grauiora sunt, & magis ponderosa. Haec porro signata aera in marsupijs, aut sinibus portari minimè poterant, sed in saccis, plaustrisque imposita. id quod Conscriptis, quos vocabant, Patribus, accidisse memorat Liuius, cùm & ipsi graue aes, quod in publicum militis stipendium tunc primùm decretum fuerat, in aerarium conferebant. Et quia nondum, inquit, argentum signatum erat, aes graue plaustris quidem ad aerarium conuehentes speciosam collationem faciebant. Postea verò, quàm aes imminutum fuit, vt diximus, quamuis priorum exemplo suis imaginibus, superscriptionibus, alijs, atque alijs emblematis, aut signis asses, D semisses, trientes, ceterasque partes, eisdem eriam retentis nominibus cuderent Reipublicae moderatores; tamen qua ponderis ratione id facerent, à nullo, quod sciam, ex historicis memoriae proditum est. Nam quamuis sextantarios, vncialesque asses commemoret Plinius; tamen vix poterit deprehendi, cùm ex millibus duo non detur aerea numismata, adinuenire, quae sibi mutuò pondere respondeant. quapropter ab his incertis abstinendum iudicaui. Neque verò eo, quòd diximus, compendio imminuti aeris contenti fuerunt Romani; sed quo commereijs commodiorem aperi- E rent viam, argentum signare decreuerunt. Igitur argentum, Plinio teste, signatum est anno Vrbis CCCCLXXXIIII. Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum bellum Punicum. Hunc annum Eusebius olympiadi centesimae vigesimae septimae adscribit, Et placuit denarius pro decem libris, quinarius pro quinque, sestertius pro dipondio, ac semisse. Hucusque Plinius. At Varro nummorum appellationes illis verbis explicat: In argento nummi, id à Siculis. Denarij quod denos aeris valebant, quinarij, quod quinos; sestertius, quod semistertius. Dupondius enim, & semis antiquis sestertius est, & veteris consuetudinis, vt retro aera dicerentur, ita vt semistertius, semisquartus pronunciarent: sestertius igitur ab semis tertius dictus. Nummi denarij decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parua. Sembella, quòd sit libellae dimidium, quod semis assis. Teruncius à tribus vncijs sembellae, quod valet dimidium, & est quarta pars, sicut quadrans assis. Haec ille. Quibus verbis quamplurima innuit Varro, quae non parum ad rei nummariae disputarionem conducere iudicaui, ideo ea quàm breuissimè perstringenda decreui.

Ae primùm à Siculis acceptum denarij vsum memoriae proditum accepimus: Siculi autem sicut loco Graecis propinquiores, ita eorum mores, & consuetudines citiùs, ac faciliùs multò imitabantur, quàm Romani; quare cum Graecis argenteam drachmam, vt mox videbimus, in vsu fuisse compertum sit, ea facilè à Graecis ad Siculos, & ab his ad Romanos transferri potuit. Ex quo non leui coniectura probari posset illa Agricolae sententia; qua contendit Latinos scriptores Graecorum libros conuertentes, drachmam semper in denarium conuertere consueuisse, quamuis ea paria inter se non fuerint: quoniam initio, vt dixi, denarius ex vnciae parte septima cudebatur. Sed cùm primùm imminutus fuit, ad suam pristinam originem redactus fuisse videtur: siquidem Graecorum drachmae factus suit aequalis. C

Secundo loco manifestè confirmat Varro argenteorum numismatum sex tantùm fuisse genera, maximum denarium, minimum teruncium, media quinarium, vel victoriatum sestertium, libellam, sembellam. Hae autem omnes denarij sunt partes; quotae verò sint, indicant eorum nomina, prioris denarij institutionis habita ratione. Cùm enim primò decem assibus permutaretur denarius, sicut nominis indicat notio, fit, vt quinarius denarij medietas quinque assibus esset aequalis, sestertius quinarij medietas, denarij pars quarta duobus assibus ac semis, libella denarij decima, quinarij quincta, sestertij binae quinctae, libra vna dicta fuit pondo, & as: huius verò medieras, nimirum denarij vicesima pars sembella dicebatur, cuius item medietas denarij quadragesima à tribus assis vncijs teruncius dicebatur. Et hoc fuit minimum antiquorum argenteum numisma. Verùm cùm pondere, ac magnitudine ita esset exiguum, vt non sine magno labore cudi potuisset, facillimeque è manibus elaberetur, ac perderetur, id perpendentes posteri, non ampliùs visi sunt, voluisse minima haec numismata ex argento cudere, sed denario, eiusque medietate, quinario, & quarta denarij parte sestertio argenteis retentis, reliqua ex aere percusserunt. Cuius rei argumentum est, quòd cùm plures ex his viderimus, nullum tamen ex illis videre potuimus, neque ab aliquo recentiorum scriptorum à se visum scribi comperimus. Fuit igitur denarij nota X. quinarij V. sestertij IIS. quae quidem notae assium numerum indicabant, quem singulae ex eiusmodi monetis continerent. Verùm cùm eisdem litteris, & nomina plerumque rerum, aut ho-

SESTERTIVS denarij pars quarta, libella decima, sembella vicesima, Teruncius quadragesima.

A SICVLIS Romani denarij vsum acceperunt.

G. Agric. in respons. ad Alciat. vbi de denar.

PRO DENARIJS drachmas substituunt Graeci, sicut Latini pro drachmis denarios.

DENARIVS, quinarius, sestertius, libella, sembella, teruncius, argentei nummi.

ARGENTEORum numismatum proportio.

NVMISMATum notae.

SIGNATAE monetae cautae.

GRAVIA aera in saccis, non in loculis; nin plaustris non in sinibus portabantur. *T. Liu. lib. 4. histor. in fine.*

AEREI ASses quantum fuerint imminuti, non facile deprehenditur.

ARGENTVM primò signatum quando fuit.

Plin. lib. 33. cap. 3.

Euseb. in Chronic.

M. Varro lib. 4. de ling. Latin.

minum indicarentur, & numeri, quò omnem auferrent dubitandi rationem, numeros plerumque lineola quadam transuersa discernebant. Ex quo factum est, vt denarij nota in asterisci vergeret, binae II. sestertij in litteram H. commutarentur, atque adeo apud ipsos scriptores plerumque HS. sestertium denotat.

Leonar. Port. lib. 2. de ses. Cuius rei Portium auctorem habemus, quamuis in sestertij nota ab eo discedamus, qui putat illas rectas lineas L. litteram denotare, quas nos potiùs, vt I. accipimus vnitatis indicem.

Quinarij originem, alteriusque denominationis rationem indicat his verbis Plinius.

Plin. lib. 33. c. 1.

QVINARII origo, & victoriati nomen.

Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est: antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus victoria, & inde nomen.

NVMISMATUM denominatio.

Haec Plinius. Neque alia ratione bigati, aut quadrigati dicti sunt nummi, & ratites asses, quàm quod illi bigas, aut quadrigas referrent, hi rates. Ac ne quidquam ex ijs, quae ad perfectam tractationem conducere videntur, praetermittere consultò iudicemur, illud etiam hic obiter notandum fuit, quod & nos ipsi vidimus, & Antonius Augustinus planè testatur; in aliquibus denarijs huiusmodi notam reperiri XVI. in victoriatis VIII. quod mirum in modum confirmat ea, quae supra ex Plinio, & Vitruuio probauimus, denarij manente aestimationem excreuisse, ita vt qui priùs assibus decem permutaretur, iam sexdecim valeret, victoriatus octo, sestertius quattuor. Nec me mouet, quòd nullus nostra aetate conspiciatur sestertius, notam habens IIII. vt relatis denarijs, ac victoriatis responderet; quoniam vel eiusmodi sestertij omnes, quod essent minimae quantitatis, perierunt; vel si hoc minùs videatur probandum cùm in fictilibus, alijs, atque alijs vasis reperiantur quamplurima vetustissimorum numismatum genera, ab omnibus vetustatis, & aeruginis damnis immunia, credi potest ab eiusmodi nota abstinuisse Triumuiros, ne forsan pro alia aliqua longè diuersa vsurpari contingeret, ac potissimum ne IIII. viros referre putaretur. Quòd si cui ne haec quidem probetur coniectura, meliorem ab illo inueniendam esse contendam, quoniam validissimis argumentis nixa sententia, quamplurimisque denarijs, ac victoriatis confirmata repudiari non debet, si sestertij nummi eiusmodi nota signati nulli nunc reperiantur. Minimos argenti nummos, quos retulimus, commemorant etiam scriptores alij praeter Varronem: Plautus enim: At ob eam, inquit, rem mihi libellam pro eo argenti ne duis. Et Cicero: Ecquis, inquit, Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? Sembellam Volusius etiam Metianus vsurpat. Teruncium idem Cicero: Vt enim, inquit, obscuratur, & offunditur luce Solis lumen lucernae: & vt interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae; & vt in diuitijs Croesi teruncij accessio: & gradus vnus in ea via, quae est hinc in Indiam: sic cùm sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis, & magnitudine obscuretur, & obruatur, atque intereat necesse est. Hactenus Cicero. Nosque de argenteis nummis egisse iam satis videbimur.

DENARII sexdecim assium, victoriati octonum, sestertij quaternum.

Ant. Aug. dialogo 1. delle medaglie.

Plaut. in captiu.

Cic. lib. 4. in Verrem.

Volus. Met. in distrib. denarij.

Cic. lib. 3. de finib.

Enim vetò de aureo nummo dicendum est aliquid: atque in primis Plinij locus asserendus, qui, quòd corruptus sit maxime, negotium dedit quamplurimis, sollertissimisque scriptoribus, quos diutius detinuit, atque impediuit: nos verò illum breui discutiemus, certa pro certis asserentes, incerta non confirmantes, sed vt sunt vel ab alijs trádita, vel à nobis excogitata, sic ea referentes: nam sollerti historico de rebus suae Reipublicae differenti fidem non adhibere inconueniens putaretur, in ijs potissimùm, quae rationi non aduersantur: at hoc loco à nullo non carpitur, cùm ita sibimet sit aduersus, vt librarij vitio singulis prope orationis membris singuli adscribantur errores; quos ita vnusquisque pro arbitratu corrigit, vt dicere contendat Plinium, quod corrigens dici vellet à Plinio. Is verò in omnibus propemodum exemplaribus impressis sic habet. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus; ita vt scripulum valeret sestertijs vicenis, quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios DCCCC. Post haec placuit XL. M. signari ex auri libris, paulatimque Principes imminuere pondus: minutissimus vero ad XLV. M.

PLINIO fides adhibenda.

Quo in loco, vt inde exordiamur, vnde maior possit haberi certitudinis ratio, receptum ab omnibus est, millenarium illum numerum quadragenis, vel quinis quadragenis aureis è libra percussis additum, esse quidem additicium, & ab omni veritatis specie alienum; nobis verò haec aliorum sententia probatur, non tantum propter eorum rationes, quas etiam probamus, verum etiam propter alias, quae in eam nos adducunt sententiam, vt putemus errorum etiam causam exploratam, atque perspectam nobis fuisse. Nam cùm omnia vetustissima manuscripta exemplaria in Vaticana bibliotheca inspexissem, in omnibus ferè aberat priori loco nota illa M. & vox ipsa millia: at vnum exemplar post alia rem omnem facilè ostendit. Cùm enim eadem numerorum notas praeferret, quas alij, nimirum XL. & XLV. insuper litterae E duo puncta superimposuerat scriptor sibi mutuò connexa, quibus in antiquis quamplurimis exemplaribus litteram a. suppleri obseruauimus, quo faciliùs intelligi posset illa enunciatio, quadraginta, & quadraginta quinque. Atque ea puncta facilè decipere potuerunt lectorem, vt illa duo puncta pro littera M. acciperet, qua millenarium numerum indicabant antiqui. Quod verò deceptus fuerit, illud planè indicat, quod in posteriori numero haud secus, quàm in priori eidem litterae L. addita sunt illa puncta ante litteram V. quate vel legendum foret, quadraginta millia, & quinque; vel, cùm id nemo legat, fatendum est mendo lectoris, atque librarij millenarium illum numerum adiectum fuisse. His igitur sic statutis, facilis erit intelligentia loci. Post haec placuit, inquit, quadraginta signari, ex libris nimirum singulis, non quadraginta duo, vt corrigebat Agricola, neque quinquaginta, vt putabat Budaeus. Quid verò hic quadragenarius numerus indicaret, significare voluisse videntur exemplaria, quae sic habent, X. XL. hoc est, denarios quadraginta. Neque mirandum est, denarij nota nummos ipsos aureos indicari, cùm denarius tunc fuisset vsitatissimus nummus, cuiusque nota omnia propemodum

PLINIVS emendatus, & explicatus.

Georg. Agr. de pond. & temp. monet. Bud. lib. 3. de asse.

DENARII nota aureis indita.

mis-

mismata significarentur. id quod de nùmmo paulò inferius ostendemus. Ex his igitur, quae in promptu sunt, facilè etiam Plinij mens conijci, ac pene perspici poterit in illis, quae ita obscura sunt, vt propemodum delitescere videantur. Cùm enim explicare instituat Pliuius aureorum, qui Romae primùm percussi fuerunt, pondus, & aestimationem, defeciſſe omnino crederetur, si, quantum valeret aureus, scripulusve, explicasset, nullamque aurei nummi rationem reddidisset. Quocirca, cùm & apud omnes scriptores receptum sit, mendum hoc loco irrepsisse, & id ipsa ratio demonstret, quae indicat sibi mutuò aduersantia, omninoque contraria illis verbis contineri, perspicuum sanè est, ita integritati restituendum locum, vt quàm minima verborum mutatio fiat, eaque substituantur, quae quàm maximè indicare possint aurei nummi tunc primùm percussi pondus, atque aestimationem. Quod vtrumque significare voluisse videtur Plinius, cùm, quantum valeret auri scripulum declarans, tum ostendens, quot aurei signarentur ex libra. Deinde illud etiam ad hanc coniecturam conducere posse non parum putaui, quod minimos aureos ea tempestate percussos, è librae parte quincta & quadragesima fuisse testatur. id quod factum fuisse confirmat, cum aureus è quadragesima librae, in quadragesimam quinctam imminutus fuit. Ex quo duo pariter licet conijcere, primum, quod, cum aureus initio percussus est, maior planè effectus fuerit, quàm illi, quorum quadraginta libram explerent; ac perinde pauciores annumerandi sunt. Alterum est, non multò inferiorem numerum quadragenario debere substitui, cum sensim, & quasi furtiuè aurcum imminutum fuisse indicet illa altera differentia quadragenarij numeri, & quadragesimi quini: hic enim illo maior est octaua illius parte, huius nona. His igitur sic constitutis, Plinij locum sic corrigendum censeo. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus, ita vt scripulum valeret sestertijs vicenis, quod efficit in libras (cùm ratio ipsa ostendat libras non posse cum sestertiorum numero conuenire, eius vocis loco aliam substituo, quae rem omnem, vt mox ostendam, explicat) quod efficit in senos, subaudi, aureos, ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios nongentos. Post haec placuit quadraginta signari ex auri libris, paulatimque principes imminuere pondus: minutissimus vero ad quadraginta quinque. Neque verò coniecturae desunt, quae suadere possent, senarium potiùs, quàm alium numerum, librarum loco substituendum. Prima, eaque potissima, quòd hic tantùm numerus allatis rationibus, ac omnium numerorum supputationi conuenit, alij non item: altera leuior: nam si forsan librarius, qui initio Plinij libros descripsit, senarium hunc numerum, quem substituimus, notis VI. scripsit, & litterae illius V. crura plus nimio diuaricauit incautus, occasionem profecto praebuit lectoribus, illam pro L. legendi, atque ita libras legerunt pro senis.

Iam verò, si iuxta hoc Plinij testimonium auri aestimationem, hoc est, quam haberet tunc ad argentum proportionem, & quo pondere primum percussi sunt aurei, cognoscere cupimus, res est in promptu: nam cùm sestertius quarta sit denarij pars, scripulum verò sit tertia pars denarij, nimirum eius, qui tunc erat, drachmae constitutus aequalis, fit vt viginti sestertij quinis denarijs argenteis exaequentur: auri verò drachma quinis denis. Neque his obstat, quod alibi Plinius, de varijs lini generibus agens, scribit, qui cùm byssino principatum in toto orbe dedisset: Proximum byssino, inquit, mulierum maxime delicijs circa Elim in Achaia genito, quaternis denarijs scripula eius permutata quondam, vt auri reperio. haec enim quattuor denariorum scripulis singulis commutatio, quae in drachmas singulas efficit duodenum denariorum aestimationem, duodenariamque auri ad argentum proportionem, ex auri copia nata est, prioremque illam ita subsequuta, vt ad nostra ferè tempora perdurauerit, vt suo loco videbimus. Quod verò ad aurei illius primi nummi aestimationem, & pondus spectat, si nongenti sestertij in senos diuidantur aureos, singulis aureis centum quinquaginta obuenient sestertij, qui rursùm quater secti denarios triginta septem & semis aureo nummo aequiparant. atque haec fuit prima aurei aestimatio. Pondus verò hac alia supputatione constabit. habet libra, prout in schemate vidimus, scripula ducenta octoginta octo, quae si in vicenos sestertios, quos valet auri scripulum, ducantur, ostendent auri libram quinque millibus septingentis sexaginta sestertijs computandam. qui numerus si in sestertios centum quinquaginta, quos ostendimus aureum nummum valuisse, diuidatur, prodibit numerus trigintà octo cum binis quinctis partibus, totidemque aureos nummos ex libra primùm signatos fuisse confirmabimus: qui deinde imminuti, effecti fuerunt quadraginta, postmodum quadraginta quinque, ac sic deinceps, bonitate, pondere, atque aestimatione magis, ac magis imminuti sunt aurei. Atque haec forsan ratio fuit, quae Plinium mouit, quo minus aureos, quos contineret libra, exprimeret, aut quot scripula continerentur in aureo, quod neuter horum numerorum certa posset ratione supputari, quin semper particulae superessent aliquot, quarum commemoratio legentibus impedimento potiùs foret, quàm lumini. Satis igitur prudenter se gessit, qui vno tantummodo numero sestertiorum, qui senis annumerantur aureis, expresso, auri valorem, aureique quantitatem omnibus legentibus expressit: Arithmeticae autem peritis non hoc tantum, sed aurei pondus, proportionem ad denarium, quotque signarentur ex libra, atque alia quamplurima scitu iucunda certa ratione confirmanda proposuit. Quapropter, si, quot drachmas penderet tunc aureus, scire quis cuperet, is numerum nonaginta sex drachmarum, quas continet libra, diuidat in numerum, quem diximus, aureorum, obuenientque singulis aureis drachmae binae, ac semis. atque adeo in senis aureis, quos computauit Plinius, erunt drachmae quindecim, quae triplicatae faciunt scripula quadraginta quinque, quae in vicenos, quos valent, argenti sestertios ductae efficiunt sestertios nongentos, quos, propter librariorum ignauiam, commentatores tot editis voluminibus adhuc eruere nequiuerunt.

Nos igitur, vt eorum, quae disseruimus, magis habeatur perspecta ratio, pristinae integritati restitutum Plinij locum adijciamus. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quàm argenteus, ita vt scripulum valeret

QVAE RATIONES possint Plinij correctioni conducere.

PRIM AVREI aestimatio.

900 6
150

150 4
37-1/2

EIVSDEM aurei pondus. *Cap. 8. huius.*

2 9 8
2 0
5760

5760 38-2/3
150

QVOT EX illis aureis ferirentur ex libra.

QVARE Plinius apertè non dixerit, quot aurei primum signarentur ex libra.

QVOT drachmas penderet aureus.

Plin. lib. 19. cap. 1.

Plin. lib. 33. c. 3.

INTEGRITATE donatus Plinij locus.

PLINII LOCUS pristinae integritati quomodo restituendus.

AVRI AD argentum primùm proportio.

leret sestertijs vicenis, quod efficit in senos ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios nongentos. Post haec placuit quadraginta signari ex auri libris, paulatimque principes imminuere pondus: minutissimus verò ad quadraginta quinque. Haec Plinius, quae commodius, sequenti capite explicabuntur.

QVO TEMPORE, QVAQVE RATIONE IMMI-nuti fuerint aurei nummi; & de aureis solidis. Cap. XIII.

HE primaeua aurei nummi apud Romanos institutione satis hactenus disputatum est. at quoniam Plinio, alijsque scriptoribus testatissimum est, aureos deinceps imminutos fuisse, id quod prae se ferunt ipsa numismata, breuiter examinandum duxi, quibus temporibus, ac quantum aurei imminuti fuerint. Igitur apud Romanos primùm aurei triguntaocto cum binis quinctis partibus ex libris singulis signabantur, deinde quadraginta, postea quadraginta quinque, ac tandem quadragintaocto percussi fuerunt ex libris singulis. Qui quidem aureorum numerus aureos singulos drachmis duabus exaequat: nam si nonaginta sex librae drachmas, in quadraginta octo aureos diuidas, singulis aureis binae drachmae obuenient. Atque hoc quidem aurei nummi pondus diu, multumque durauit. Nam cum ex quamplurimis aereis, argenteisque monetis, quas apud Laelium Pasqualinum sollerter appenderam, nullas reperissem iusto ponderi respondere: binis tamen drachmis respondebant ex aequo plures seorsum aurei. cui consonat, quod à Budaeo, & Agricola appensi nummi eiusdem inuenti sunt ponderis. Quapropter huius sententiae auctores habemus quamplurimos, ac in primis Didacum Couarruuiam, Leonardum Portium, Budaeum, Georgium Agricolam, atque alios, qui omnes propterea constanter in hac sententia sunt, quod antiquorum plura testimonia, rationesque perplures videantur habere, quamuis illa, quae adstruunt ex Plinij loco superiùs à nobis explicato, nihil illis opitulentur, cùm eius aetatis aureorum minimus in libra numerus quadraginta quinque non excesserit. Illud verò solidum mihi videtur esse testimonium Iulij Pollucis ad Commodum Caesarem scribentis: Aureus enim nummus, inquit, duas drachmas Atticas habebat. At Heliogabalum prodigum eum quidem, ac profusissimum Imperatorem, ad quinquagenos aureos ex libra signasse confirmare videtur Aelius Lampridius, cuius verba, quoniam & de plurium aureorum forma quid sentire debeamus, nos admonent, hic referre non grauabimur. Vectigalia, inquit, de Alexandro loquens, publica in id contraxit, vt qui decem aureos sub Heliogabalo praestiterant, tertiam partem aurei praestarent, hoc est, tricesimam partem: tumque primum semisses aureorum formati sunt; tunc etiam, cum ad tertiam partem aurei vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans, vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet: sed cum potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantum, solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vsque ad bilibres quoque, & centenas, quas Heliogabalus inuenerat, resolui praecepit, nec in vsu cuiusquam versari, atque ex eo his materiae nomen inditum est, cum diceret, plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si, cum multos solidos minores dare posset, dans decem, vel amplius, vna forma triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Hactenus Lampridius: Ratio verò, qua ductus Imperator, minores solidos, hoc est, iusti ponderis fieri iussit, sublatis è medio binarijs, ternarijs, alijsque maioribus formis, ea est, ne cogatur Imperator triginta, quinquaginta, siue etiam centum aureos solidos vna forma donare, cùm plus donasse videatur, dans plures formas minoris plerumque ponderis, atque aestimationis. Ex quo illud in primis perspicuum est, binarias, ternarias, denariasque formas compellari eas, quae binos, ternos, aut denos aureos continerent. Deinde illud alterum haud obscurè innuitur, quòd cum denarias etiam, atque eo amplius vsque ad bilibres quoque, & centenas percussas fuisse formas tradat, tricenas etiam, atque librarias factas fuisse, non est ambigendum; cùm praesertim Imperator ipse has tres formas seorsum commemoret, eam nimirum, quae triginta aureos contineat, alteram, quae quinquaginta, hoc est, librariam, ac tandem illam, quae centum aureos contineat, hoc est, bilibrem. Cùm igitur apud Romanos libra immutata nunquam fuerit, eaque nonaginta sex drachmas tantummodo contineat, aureos ex binis drachmis conflatos, quadragintaocto tantummodo libra contineri arbitramur; atque tunc aureos imminutos existimamus, cùm quinquaginta percussi sunt è libris singulis, qui ab aliorum pondere vigesima quarta illorum parte deficerent, drachmae verò quadragesima octaua, hoc est, binis nonagesimis sextis. Non enim possum à Budaei, aliorumque sententia non dissentire, qui Romanam argentariam, siue nummariam libram quinquaginta drachmarum confingunt, quam nullo firmo testimonio, aut certa ratione probant. Quamuis enim Plinium, aliosve Latinos scriptores adducant, qui, dum aliqua Graecorum testimonia referunt, libram pro mina substituunt, ea tamen ratio non probat libram minae aequalem fuisse, cùm satis fuisse videatur historico, si vocem suam alienae substitueret, quae libram significaret, à minae pondere non longè diuersam, cùm haec drachmarum sit centum, illa verò nonaginta sex. Libuit potius Agricolae in hac parte adhaerere sententiae, qui ex eiusdem Plinij testimonijs probat libram à mina diuersam fuisse.

Illud etiam obiter hic annotandum, semisses, ac tremisses aureorum ab Alexandro Seuero signatos, qui nimirum aurei nummi partem alteram, vel tertiam continerent, neque his minores signatos, cùm ratio, quae tremisses fieri suasit, nimirum vectigalis imminutio, cessauerit in quartario, propterea quod vectigalia imminuere nequiuerit; fieri autem minores aureos minus

AVREI DIdrachmi quando percussi.

Did. Couarr. lib. de veter. collat. numif. Leonar. Port. lib. 1. de sest. Bud. lib. 3. de Asse. G. Agric. lib. 1. de monet. & 2. de pond. & temp. mon. Iul. Poll. lib. 4. de vocab.

HELIOGAbalus quinquaginta aureos nummos ex libra percussit. *Aeli. Lamp. in Alex. Seuero.*

SEMISSES, & tremisses aurei quando primum signati.

BINARIOS aureos, quartarios, & bilibres Heliogabalus percusserat.

QVID BINAriae, ternariae, ac centenariae formae significent.

CVM QVINquaginta aurei percussi sunt è libra, imminuti sunt aurei non aucta libra.

G. Agric. lib. 4. de pond. Rom.

LIBRA ROmana semper à Graecorum mina diuersa fuit.

MINORES tremissibus aurei quare numquam fuerint in vsu.

nus existimabatur Reipublicae vtile fore, cùm facillimè è manibus elaberentur, non sine magna ciuium iactura. Neque enim moris fuit priscis illis temporibus monetas in subtiles laminas diducere, sed crassiores omnibus nostris etiam maioribus illarum minimas efficiebant. In cudendis enim nummis illud potissimum curabant Imperatores, vt suas, carorumque suorum ad viuum vtrimque expressas gestarent imagines; id quod vix, aut nulla ratione in subtilioribus bracteis fieri poterat. Quae ratio vna cum alijs non contemnendis Lelium Pasqualinum sollertissimum antiquitatis indagatorem, atque obseruatorem in eam sententiam induxit, vt crederet, numismata olim minimè facta fuisse, vt à nostris fiunt. Hi enim primùm argentum, vel aurum in tenues laminas longiores extendunt, quas forficibus abscindunt, & paulatim ad rotundam formam adducunt, dum eas pondere examinant, donec ad iustam ponderis rationem sint exactae, ex quibus plures simul intra forcipem ad id percommodum comprimunt, malleisque omnes super incude ad rotundam formam, quoad fieri potest, magis exactam conformant, ac tandem sigillis ferreis nummos percutiunt, qui priùs nihil habuerant impressum, sed laeues fuerant, ac plani. Contrà Romani fusum aurum, vel argentum in argillosam terram ad id praeparatam, priùs pondere, ac rotunda figura conformabant, ac simul rudi Imperatorum imagine signabant, quam deinde sigillis ad perfectam formam effingebant: haud secus, quàm Romae modò aereas illis imagines plures conficiunt, quas vulgò medaglias vocant, quasi metallicas, eodem prorsus nomine, quo antiqua solent compellare numismata. Atque hanc putabat ille esse causam, quòd ex multis numismatum aureorum, argenteorum pariter, ac aereorum millibus, quae apud se habet, vix duo, nedum tot, quot aut Agricola, aut Budaeus, aut ipse Plinius inuenta fuisse testantur, eiusdem ponderis numismata inuenire potuerit. cuius rei ego ipse oculatus sum testis: nisi fortè alia illi, alia nos, pondera examinamus trutina; aut fortè aequiponderantia vocant illi, quae, ternis, quinis, aut duodenis tantummodo granis differunt. Nam nullum credo lectorum non ancipitem tenebit, aut dubium, quod viderit Portium de denarijs, quos passim in ruinis Romae, atque thesauris reperiri testatur, sic scribentem: Ex quibus, inquit, plurimos antiquissimos, & diuersis notis signatos, diuersissimisque in regionibus repertos vidi, & appensos omnes ponderi drachmae conuenire deprehendi. Haec ille; Pliniumque pro se adducit, qui libertum quendam circa Arabiam sub Claudio nauigantem Aquilonibus raptum memorat Taprobanem insulam appulisse, in qua percontatus à Rege, enarrauit Romanos, & Caesarem. Mirum in modum, inquit, in auditis iustitiam ille suspexit, quod pares pondere denarij essent in captiua pecunia, cum diuersae imagines indicarent a pluribus factos. Et hoc maxime sollicitatus ad amicitiam, legatos quattuor misit. Haec Plinius. Id quod nobis longè aliter accidisse testamur: nam cùm duos, ac plures denarios appenderemus eiusdem formae, inscriptionis, ac pene magnitudinis, atque ita similes, vt non eodem tempore, sed eodem prorsus die percussos fuisse conijceres; tamen eos deprehendimus quinis, nouenis, aut denis granis pondere à se inuicem distare; cùm alij ab his plus

ARGENTI cudendi vsus modernus ab antiquo diuersus.

ANTIQVI Romani fusos seorsum singulos nummos sigillis percutiebant.

Leonar. Port. lib. 1. de sest.

Plin. lib. 6. c. 22.

PARES pondere nummi iustitiae principis argumentum.

nimio differrent. Ex quo facilè licet conijcere scriptores illos, qui aequalia fuisse numismata Romanorum confirmant, huiusmodi differentiam minimam iudicasse, ac propterea contemnendam. Sed ne longiùs ab instituto nostro diuagari videamur, tandem ad Iustiniani aureos solidos explicandos veniamus.

SOLIDVS quare dicatur aureus. *S. Isid. lib. 16. orig. cap. 24.*

Aureus nummus, postquam semisses, ac tremisses aurei cudi coepti sunt, solidus dictus est Isidoro, quia nihil illi deesse videtur: Solidum enim antiqui integrum dicebant, & totum. quod factum fuisse videtur, vt ab alijs aureis nummis, qui partes erant solidi, hoc nomine distingueretur. Is igitur sub Constantino, aut sub Iuliano Imperatoribus, ita pondere imminutus est, vt sextam effecerit vnciae partem. Huius verò ponderis solidum tunc fuisse, ita perspicuum est, vt negari a cordato sapientique viro minime possit, cùm eius rei perspicua exstet constitutio, cuius haec sunt verba iuxta Didaci Couarruuiae emendationem. Quotiescumque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, & auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta. Huius verò constitutionis auctores fuerunt Valens, & Valentinianus Imperatores. eam corrumpere tentant Budaeus, & Holoander, & duo de quinquaginta scribere, vt numerus hic aureis, qui frequentiùs duarum drachmarum pondere reperiuntur, respondeat. Verùm eos meritò coarguit, & conuincit Antonius Augustinus, Constantinum Graecum, Demetrium, Alabaldum, & Isidorum illis obijciens. Et quidem Sanctus Isidorus constitutioni constanter adhaeret, haec scribens: Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quod ijs sex vncia complectur. Hunc, vt diximus, vulgus aureum solidum vocat, cuius tertiam partem ideo dixerunt tremissem, quod solidum faciat ter missus. Hactenus Isidorus. Quod si duos & septuaginta solidos, qui fieri tunc solebant ex auri libra, in duodenas eiusdem auri libras diuiseris, comperies, senos solidos ex vncijs singulis fieri, atque adeo sextulam, quae nomine indicat quota sit vnciae pars, pondere solido aequalem fuisse. Cumque in schemate nostro superiùs allato omnium vnciae partitionum nomina, proportionesque proponantur, facilè quiuis poterit solidi ad alias ponderis partes proportionem inuenire. Nam si scire quis cuperet, quotnam drachmae continerentur in solido, cùm drachmam comperit octauam esse vnciae partem, solidum sextam, octo per sex diuidet, comperietque solidum drachmam vnam pendere cum tertia drachmae parte. At scripulum tertia est drachmae: pendet igitur solidus scripula quattuor. Qua etiam ratione, & de omnibus alijs vnciae partibus facilè licebit philosophari. Non me latet, Antonium Augustinum sollertis ingenij, atque eruditionis virum hac in parte nobis esse contrarium, vtpote, qui pluribus vtriusque iuris testimonijs, atque sanctionibus confirmare statuit, solidum, aureumque numnum eiusdem semper fuisse ponderis, atque aestimationis: verùm, cùm illis omnibus, tempora distinguens Couarruuias, plenè satisfaciat, huius potiùs, quàm illius placuit adhaerere sententiae: non tamen libuit eorum longiorem disputationem, rationes, argumenta, responsa referre; cùm quòd apud eosdem facilè haberi possint; tum vel maximè, quòd nostro instituto minùs necessaria videantur.

SOLIDVS sexta fuit pars vnciae, ideoque & sextula dicebatur. *Did. Couar. lib. vet. coll. numis. cap. 3. l. Quotiescumque. C. de iuscept. praepos. & Arcar. lib. x.*

NON IDEM fuit solidus, qui didrachmus. *Ant. Aug. lib. 2. emend. cap. 9.*

S. Isidor. lib. 16. orig. cap. 24.

SOLIDI AD vnciae partes proportio.

Anton. Aug. loco citato.

Couar. citatus.

QVA RATIONE SESTERTIVM ROMANI *Vsurpent, vbi de centesima vsura. Cap. XIIII.*

EXIGIT huius disputationis integritas, vt Romanas aliquas verborum formas, & vsus, quod ad rem nummariam spectat, non praetermittamus: his namque perspectis, scriptorum sententiae perfacilè percipi poterunt; sic ut earum ignoratione has omnino ignorari necesse est. Ab eis tamen multo abstinuissem libentiùs, si, quos ea de re attentiùs scriptores legeram, inuenissem, rem distinctè, ac per partes tractandam suscepisse, & suae quemque parti plenè satisfeciisse. At cùm mihi minus ego ipse satisfacere queam, quod rerum compendia, siue adumbrationes potiùs, quam tractationes edere cogar, ea tantummodo sçligam, quae per has asperas, atque difficiles vias deducere nos possint; &, si quae offenderimus impedimenta, submoueant. Igitur à sestertio exordiar, qui, vtpote numismatum argenteorum minimus, prae caeteris omnibus in ratione contrahendarum rerum vsurpabatur, & omnium frequentissime, tum sermonibus, tum scriptis commemorabatur. Id quod Hispani in nostris computationibus obseruamus; omnem enim cuiuslibet pretij aestimationem ad summam nostrorum numismatum minimi reuocamus, quem marauedinum dicimus. Igitur, cum, vt dixi, sestertius dictus sit, quasi semistertius as, cùm as sit generis masculini, eodem quoque genere sestertium distingui necessarium fuit. At postquam Graecorum consuetudine, legibus, atque ediscendo idiomate delectari coeperunt Romani, quod illi ἀστάριον asarion neutro genere proferrent, sestertium quoque eodem genere, eademque terminatione censuerunt. Hanc verò nostram coniecturam ideo amplexamur, quod ab aliquibus maximae auctoritatis scriptoribus obseruauerimus, tum hoc, tum illo modo vocem hanc sine vlla notionis differentia vsurpari. Qua in re haud ignoro omnem Grammaticorum scholam mihi ex aduerso stare, dum docet, hunc sestertium quartam denarij partem indicare; hoc sestertium mille sestertios. At nihil mihi credi postulo, nisi id tantùm, quod manifestis argumentis probauero, quorum pars maxima ex Agricola, quem antesignanum sequor, desumpta erit. Ac primùm Martialem afferamus testem: is enim ad Caium sic scribit.

MINIMI nummi praealijs in omnium manibus, atque ore versantur.

SESTERTIVS quasi semis tertius as.

SESTERTIVS, & sestertium pro eodem accipiebatur.

Georg. Agr. lib. 2. de pon. & temp. monet.

Mart. lib. 2.

Mutua viginti sestertia fortè rogabam,
Quae vel donanti, non graue munus erat.

Fuisset autem grauissimum, si sestertia singula millenos sestertios, argenteos nimirum denarios ducentos quinquaginta, siue argenti libras duas cum dimidia importarent. Non ergo alia sestertia intellexit Martialis, quàm, quae denarium in quattuor secant partes. Atque hoc ipsum ex Iuuenalis carmine, quod doctissimorum hominum torsit ingenia, confirmari poterit.

-mullum, inquit, *sex millibus emit* *Iuuen. sat. 4.*
Aequantem sanè paribus sestertia libris.

In cuius loci interpretatione non possum non ab Agricola dissentire, qui libras octodecim pependisse mullum confirmat, cùm Plinius mullum piscem binas libras ponderis rarò admodum exsuperare tradat. Et Horatius. *Plin. lib. 9. c. 17.*

-laudas insane trilibrem *Horat. lib. 2. serm. sat. 2.*
Mullum.

Et Martialis. *Mart. lib. 5. in Ligurium.*

Nolo mihi ponas rhombum, mullumque bilibrem:

Insistendum potiùs est Budaei vestigijs, qui senas libras mullum pependisse tradit, totidem sestertiorum millibus emptas. In eo vero probare huius sententiam non possum, quod sestertia singula millenos sestertios valere putat, ex quo fieret, piscem illum quindecim millibus argenti libris coëmptum fuisse, cùm inter inauditas, portentosasque profusiones luxuriam Asinij computet Plinius, qui sub Claudio Principe vnum mercatus est mullum octo millibus nummum. Accedere his possent plures Martialis versus: ego verò vnico tantùm contentus eius epigrammate allato, finem huic probationi imponam. *Plin. lib. 9. cap. 7.* ASINII PRODIGALITAS.

Mutua te centum sestertia Phoebe rogaui;
Cum mihi dixisses: exigis ergo nihil:
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias; iam rogo Phoebe neges. *Mart. lib. 6. in Phoeb.*

Quibus versibus quis non videat, Phoebum à Poëta reprehendi, qui verbis, ac pollicitationibus liberalem se, ac benignum exhibuerit, vtpote, qui nihil putaret à se peti, dum centum sestertia peterentur, re verò ipsa, ac facto ita tenacem, atque auarum, vt cita promissi negatio exoptanda fuerit potiùs, quàm longa, molestaque dilatio. A Poëtis verò potiùs, quàm historicis neutro genere proferri sestertia putat Agricola, quòd huius terminationis casus potiùs, quàm illius carmina recipiant. At nondum his, quae attulimus, nostro instituto satisfeciisse videmur, cùm alia, atque alia ratione vsurpari à scriptoribus sestertia videamus. Longè enim diuersa significare volunt, cùm decem sestertios dicunt, vel decem sestertium, aut decies sestertium. Quotiescumque enim decem sestertios, vel decem sestertia dicunt, numerali videlicet nomine, genere, & casu eum sestertio congruente; nullum alium numerum intelligunt, quàm denarium sestertiorum numerum, idemque in alio quouis numero intelligendum est. Cicero: Doceas, inquit, oportet, aliquo in loco Siciliae, Praetore Verre, ternis denarijs tritici modium fuisse. ac post pauca subdit: Verùm enimuero cum esset sestertijs binis, aut etiam ternis, quibusuis in locis prouinciae duodenos sestertios exegisti. Haec ille. Qui, quòd priùs dixerat denarios ternos, mox quasi quadam amplificatione refert, duodenis sestertijs, quot nimirum ternis continentur denarijs, quoniam quaterni sestertij complent singulos denarios. His adstipulatur Suetonius Tranquillus, C. Caesarem affirmans sestertios trecentos populo Romano legasse viritim. Plutarchus verò eiusdem legationis meminit, & septuaginta quinque drachmas vnicuique ciui Romano legasse dicit. Quibus collatis testimonijs planè colligitur quartam partem drachmae, vel denarij vocari sestertium; nam quater septuaginta quinque efficiunt trecentos sestertios. id quod ipse Plutarchus testatur his verbis: Quidam Liberti-

CVR NEGATIO exoptanda potiùs, quàm longa promissi dilatio.

DECEM SESTERTII, vel sestertia totidem nummos significant. *Cic. lib. 5. in Verrem.*

Suet. Tranq. in vita C. Caes. *Plut. in vitis Antonij, & Bruti.*

Plutarch. in Sylla.

bertinus, qui dicebatur vnum proscriptorum occultare, atque ideo erat de saxo praecipitandus, improperauit Syllae, quod diu vna in domo cenacularia habitassent, ac pependissetipse mercedem superioris aedificij duo millia nummum sestertiorum, inferioris ille tria millia, vt interesset inter vtriusque fortunam mille nummum, qui drachmis Atticis valent ducentis quinquaginta. Haec ille. mille sestertijs nummis aequales aestimatione ducentas quinquaginta drachmas affirmat, vt logistica supputatione constare possit, drachmam vnam quattuor sestertijs valere. Aliquando verò non completa oratione vtuntur, tum historici, tum poëtae; sed aliquid subintelligendum esse, ipsa vocum secum inuicem non cohaerentium vsurpatio indicat; vt, cùm dena sestertium, vel sestertium quinque aiunt; qua phrasi intelligenda sunt, millia, vt compleatur oratio. id quod vsu primùm venit, cùm eadem oratio esset repetenda: elegantiae namque ergo vox illa, millia, subticebatur: postea verò frequens vsus obtinuit, vt etiamsi completa oratio non praecessisset, facilè, addendam esse vocem illam, audientes, vel legentes intelligerent. Vtriusque phrasis vnum tantummodo, aut alterum exemplum subiungam: plura enim apud praedictos scriptores quilibet inuenire facilè poterit. Cicero: Repente, inquit, recitatur vno nomine, sestertium ducenta quinquaginta Syracusanis. Contrà verò Sallustius priori loco subticuit millia, posteriori adiecit. Ad hoc si quis, inquit, indicauisset de coniuratione; quae contra Rempublicam facta erat, praemium seruo libertatem, & sestertium centum, libero impunitatem eius rei, & ducenta millia. Verùm ipse Cicero, quamuis nihil praecesserit; aut sequatur, ex quo subintelligendam vocem illam, millia, intelligatur; tamen ex ipsa loquendi consuetudine satis perspectam fore arbitratus est certam pecuniae summam: scribit enim, sestertium sexaginta socios perdidisse ex vicesima portorij Syracusis. Et iterum: Itte nihilominus iudicium sestertiùm octoginta dabat. Ciceronem imitatus est Plinius: Pyramidas enim, inquit, Regum miramur opera, cùm solum tantum foro exstruendo sestertium mille ducentis Caesar Dictator emerit. Hoc eodem loquendi modo vsus est Tranquillus: Ludis, inquit, Decius Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusque est quingentis sestertium, & anulo aureo. Nam quadringenta millia sestertium erant census equester, sed is fuit Caesaris beneficio auctus. Quibus omnibus testimonijs perspicua satis esset, ac manifesta haec Romana phrasis, nisi librariorum ignoratione factum fuisset, vt cùm sestertios notis, numeros litteris adscriptos viderent, alios, atque alios pro vniuscuiusque captu substituerent numeros. id quod agnouit Portius, qui, cùm duplicem putaret esse sestertij notionem, nihil certi ausus est statuere, quo alterum ab altero discerneretur. cuius rei causam adiecit, quia codices, inquiens, synonymo corrupti, non bene possunt obseruari, cum eodem nomine, & vocabulo res diuersissima existimatione reperiatur, quo nunc legentes, & forte olim scribentes alucinati sunt. Verùm non synonymis vocibus, sed codicum tantummodo vitio adscribendum errorem censet Agricola, quo non legentes modo alucinarentur, sed scriptores etiam sollertiores, inter quos Budaeum putat, plures Ciceronis, & aliorum scriptorum locos corrupisse, dum corrigere curauit. Atque ipse quasdam tradit obseruationes, ac regulas, quibus loci eiusmodi pristinae possint integritati restitui: eas lector apud eundem examinare poterit, quae nobis prae alijs probantur.

DENA SESTERTIUM dicebant Romani, millia subintelligentes.

Cic. lib. 4. in Verr.

Sallust. de coniur. Catil.

Cic. lib. 4. in Verrem.

Plin. lib. 36. cap. 15.

Suet. Tranq. in Caesare.

QVADRINGENTA millia sestertium erant census equestris.

Leonar. Port. lib. 1. de sestert.

Tandem decies sestertium, decies centena sestertium millia significat, Plutarcho teste: ait enim: τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ρωμαῖοι δέκιες καλοῦσι. ton philon tini myriadas eceleuse pente cae icosi dothinae. tuto Romaei decies caluſi. Romani quinque & viginti myriadas drachmarum decies vocant. Pro eodem vsurpat Plutarchus drachmam, atque denarium atque adeo cùm viginti quinque myriadas Graecorum more ducenta quinquaginta denariorum millia significent, si ea quater multiplicentur, efficient decies centena sestertium millia, eum nimirum, quem passim millionem vocamus. Hunc autem dicendi morem tenuit saepe Cicero: Possum, inquit, deinceps totam rem explanare, deinde ad extremum id, quod accidit, dicere. Dionem sestertium decies centena millia numerasse. Iterum verò hanc eandem rem enarrans, sic scribit: Hic est Dio, Iudices, nunc beneficio Q. Metelli ciuis Romanus factus, de quo, multis viris primarijs testibus, multorumque tabulis nobis priore actione satisfactum est, sestertium decies numeratum esse, vt eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret: propterea greges nobilissimarum equarum abactos, argenti, vestisque stragulae domi quod fuerit, esse direptum: ita sestertium vndecies Q. Dionem, quod hereditas ei obuenisset, nullam aliam ob causam perdidisse.

Plutarch. in Antonio.

DECIES sestertium, quid significet.

250000
4
1000000

Cic. lib. 3. in Verr.

Cic. lib. 4. in Verr.

MVNERA accipere iudicem dedecet.

His igitur allatis testibus ita confirmata videtur nostra sententia, vt non ampliùs egeat testimonijs; verùm libuit has omnes sestertij nummi acceptiones peracuto quodam Martialis epigrammate concludere, quo non solum hanc Latinam sestertij phrasim percensuit; verùm multò magis damna, quae pariat eius effrenata cupiditas, ad omnes humanae vitae vsus prorsus inutilis.

PECVNIAE cupiditas omnibus humanis vsibus inutilis.

Martial. lib. 1. epigr. ad Scaeuolam.

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas, nondum Scaeuola factus eques:
Qualiter ò Viuam? quàm largè? quamque beatè?
Riserunt, faciles & tribuere diy.
Sordidior multò post hoc toga, penula peior:
Calceus est sarta tergue, quaterque cute.
Deque decem plures semper seruantur oliuae,
Explicat & cenas vnica mensa duas.
Et Veientani bibitur faex crassa Rubelli:
Asse cicer tepidum constat, & asse focus.
In ius ò fallax, atque inficiatur eamus.
Aut viue, aut decies Scaeuola redde deis.

Verum hoc ipsum melius multò, ac sine sugillationis felle, sine figmentorum fallacijs, grauissimis, ac significantissimis verbis expressit Ecclesiastes. *Est & aliud*, inquit, *malum quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo.* Sed de his aliàs; nunc enim superest, vt ad aliqua, quae in oppositum afferuntur, breui respondeamus. Ac primùm ad illud, quod non modicam vide-

Ecclesiast. 6. ℣. 1. & 2.

Muret. in Catulli epigr. ad Furium.

videtur habere auctoritatem apud Muretum, quòd cùm Catullus Furium quendam ex diuite egenum factum, nimium fugillasset, summae inopiae incommoda, quasi ei vtilia forent, commemorans, tandem subdit.

Haec tu commoda tam beata Furi
Noli spernere, nec putare parui,
Et sestertia, quae soles precari centum,
Desine: nam sat es beatus.

Quo loco haud credibile videtur Mureto, sestertijs centum, qui vix tribus nostris aureis pares essent, se felicem putasse Furium. Et quidem merito: non est enim verisimile, nec credendum tantillum optasse, aut expetijsse Furium, neque, ea vt crederentur dixit Poëta, amplius quam quae superiùs de eo finxerat; sed vt animi abiectionem etiam in ipsis exilibus rebus cupitis exaggeraret: aliàs enim, etiam si centum millia exoptasset sestertium, haud beatus fuisset ille, qui vix ea summa soluere potuisset vel debiti medietatem, cui oppignoratam dicit habuisse vineam sequenti illo, atque acuto epigrammate.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
Nec saeui Boreae, aut Apeliotae,
Verum ad millia quindecim & ducenta.
O ventum horribilem, atque pestilentem.

Ibi verò ad millia quindecim & ducenta sestertium subaudiendum putat, & rectè, Muretus. Fateor tamen nonnumquam à Poëtis sestertia scribi pro sestertium, quod vocem hanc versus, vt dixi, non admitteret, vt apud Horatium videre est.

Horat. lib. 2. epist. 2. ad Florum.

Accipit & bis dena super sestertia nummum.

Pro sestertium nummum, vt subintelligatur, millia, quod bene notauit Lambinus. Neque aliaratione putarem intelligendum alibi eundem Horatium sic scribentem.

Horat. lib. 1. epist. 7. ad Mecoen.

Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet vti mercetur agellum.
Mercatur &c.

Sed omissis quae in contrarium afferri possent in nostrae huius sententiae confirmationem, vnico tandem libet vti argumento, quod non dubito magnae apud eruditos viros auctoritatis futurum: erit namque desumptum ex antiquis lapideis inscriptionibus, quae eo potissimum scriptoribus praestant, quod lapides, quae à primo scriptore receperunt signa, eadem praeferant; cùm contrà scriptorum libri ab alijs, atque alijs exscribentibus mutati, & immutati ita plerumque sunt, vt ab ipsis suis primis auctoribus, si reuiuiscerent, minimè recognoscerentur, aut haberentur proprij. Harum igitur inscriptionum plures perlegi, tum in libello Venetijs impresso apud Ioannem Tacuinum, anno salutis nostrae M. D XXV. tum in codice Bibliothecae Mureti, qui ante annos centum triginta quattuor membranis perpulchris, Romanis litteris, quas maiusculas dicunt, manuscriptus fuit. Atque in nulla inscriptione sestertia, aut sestertios litteris scripta vidi, sed notis in omnibus, quamuis eae diuersae sint. In aliquibus enim duplex L. cum littera S. in alijs duplex II. cum eadem S. littera, quae omnes literae lineola transuersae conspiciuntur.

Neque verò moueat lectorem, quod in aliquibus impressi codicis inscriptionibus, vox, SESTERTIA, legatur; eaedem namque omnes inscriptiones in manuscripto, quem dixi, codice reperiuntur; ego verò diligenter has cum illis contuli, & vera esse, quae dixi, reperi, ac facilè conieci, Impressorem duplicem tantummodo notae sestertij typum habuisse, atque adeo, cum tertia opus fuit, ipse librarius pro arbitrio suo vocem adiecit integram, omniaque mendis conspersit. Maneat igitur firmum, inscriptiones notis sestertios significare solitas, non litteris: at ipsas inscriptiones certum est nonnumquam de sestertijs minoribus loqui, plerumque de maioribus. Quis igitur non amphibologiae notaret priscos illos homines, si rem totam lectoris arbitrio reliquissent, vt posset vel sestertios, vel sestertia millenaria proportione maiora sufficere? Ne ergo quid simile admittere cogamur, teneamus, eadem nota, eadem omnino sestertia, vel eosdem sestertios nummos significari, quorum quaterni denarium complent: nonumquam verò, millena sestertia computanda esse, indicat adiecta M. littera, vel alia nota; plerumque verò supplenda ostendit ipse contextus, ac vsitata tunc phrasis. Integra phrasis habetur in lapide quodam, qui visitur in pauimento Ecclesiae Sarsinae, antiquae Italiae vrbis, in prouincia, quam Aemiliam vocant, quae sic habet.

EADEM nota ijdem semper sestertij nummi significantur.

CAPVT. EX TESTAMENTO. CETRANIAE. SEVERINAE. COLLEGIS. DENDROPHORORVM. FABRVM. CENTONARIORVM. VTI MVNIC. SASSI. H-S. SENA MILIA. N. DARI. VOLO. FIDEIQ. VESTRAE. COH. LEG ITALI. COMMITO. VII. EX. REDITV. H-S. VTI QVATERN. M.N. OMNIBVS. ANIS. PRID. IDVS. IVN. DIE. NATALIS. MEI. OLEVM. SINGVLIS. VOBIS. DIVIDATVR. ET. EX. REDITV. H-S. BINVM. MILIVM. N. MANES. MEOS. COLAVS. HOC. VILIA. FACIATIS. FIDEI VESTRAE COMMITO.

Quorum verborum huiusmodi est lectio, atque interpretatio. Caput. ex. testamento. Cetraniae. Seuerinae. Collegis. Dendrophororum. fabrum. Centonariorum. municipibus. Saffi. (hoc est antiquum vrbis nomen, quae Saffium dicebatur, nunc Sarsia) sestertium. sena. millia. nummum. dari. volo. fideique. vestrae. cohors. legionis. Italicae. committo. vti. ex. reditu. sestertium. quaternum. millium. nummum. omnibus. annis. pridie. Idus. Iunij. die. natalis. mei. oleum. singulis. vobis. diuidatur. &. ex. reditu. sestertium. binum. millium. nummum. manes. meos. colatis. hoc. vt. ita. fiat, fidei. vestrae. committo. Quo loco abstulit omnem dubitandi rationem duplex obseruatio. altera, quod millia ipsa sestertiorum expressa habentur, neque subintelligenda sunt; altera, quod littera N. nummos indicans, illa sestertia, quae excogitarunt Grammatici, non posse hic intelligi ostendit, cum numquam eiusmodi sestertia nummi dici potuissent, sed nummorum maxima summa. Est autem alius lapis ad Concordiam antiquam Italiae ciuitatem, quem si eodem modo interpretemur, facilè cum scriptoris mente comprehendemus.

ARICIVS. A. L. TERTIVS. AVGVSTALIS. TESTAMENTO. VIAM. STERNI. IVSSIT. IN. QVOD. OPVS. EROGATA. SVNT. H-S. XXX. Aricius Aricij filius (sic lego; plerumque enim accidit, vt litteris in ipsis lapidibus vetustate, aut alio casu exesis, scriptor alias substituat, quas minimè debuisset) tertius Augustalis testamento viam sterni iussit, in quod opus erogata

sunt

sunt sestertium triginta, vbi subaudienda sunt millia. Haec autem omnia facilè confirmari possunt insigni lapide, qui fuit olim in Adriani mole, nunc dicitur castrum S. Angeli, qui non modo phrasim, quam diximus de sestertijs; verùm etiam, qui sint semisses vsurarum, & centesimae vsurae facili quadam computatione explicat, hoc est, quos redditus praeberent singulis annis centeni nummi. Lapis autem sic habet.

L. AELIO CAES. DIVI. HADRIANI. AVG. F. COS. II. A. QVINTILIO. A. F. PAL. PRISCO. IIII. VIR. AED. POTEST. VI. VIR. IVRE. DI. IIII. VIR. QVINQVE. ADLECTO. EX. S. C. PONTIF. PRAEF. F. A. B. R. CVIVS. OB. EXIMIAM. MAGNIFICENT. QVAM. IN. INIMIC. SVOS. CONTVLIT. SENAT. STATVAM. PVBLICAE. PONEND. IN. FORO. VBI. IPSE. VELLET. CENSVERE. H. A. T. R. HIC. EX. S. C. FVNDOS. TEPONIAM. ET. ROIANVM. ET. MAMIAM. ET. PRATVM. EX. OSCO. AB. REP. REDE. H-S. LXX. M. EXTIMAVIT. R. P. REDDIDIT. EX. QVORVM. REDITV. DE H-S. IV. M. CC. QVOTANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATAL. SVO. PERPET. PARETVR. PRAEBENT. MVNICIPIBVS. ET. COLONIS. ET. MVLIERIBVS. NVPTIS. CRVSTVL. ET. CIRCA. TRICLIN. DECVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET. SPORTVL. H-S. X. TN. L. EM. PVER. CVRIAE. IN. CREMENTVM. ET. VI. KA. AVG. QVIBVS. Q. V. VL. CRVST. MVLSVM. ET. VIII. N. INS. VIRID. ET. IN. TRICLIN. MEO. AMPL. IN. SIG. N. TES. IN. ET. IN. ORTI. STATVAE. ET. IMAG. MEAR. RESP. PERPET. H-S. XXX. N. IMPEND. ARBIT. IIII. VIR. AEDILIVM. CVRA. FAVOR. ARIL. EST. SI. PVER. PLAEBAEIS. SINE. DISTINTIONE. LIBERTATIS. INICIVM. SPARSIONE. MOD. XXX. ELEX. VINI. VRNIS. SEX. POMORVM. EMIAM. ISTATION. DICVNT. INCREMENTIS. PRAESTITERINT.

Reperitur autem lapis alter in agro Ferentino eum simili inscriptione, paucis tantummodo mutatis, quae propterea margini adieci, quod ad notarum intelligentiam non parum conducere videbantur. Horum autem verborum interpretatio sic se habet.

Lucio Aelio Caesare. D. Hadriani Augusti filio Consule secundum (haec autem verba in lapide Ferentino desiderantur) Aulo Quintilio, Auli filio Palatino Prisco, Aediliciae potestatis iure dicundo quartumuiro quinquennali, adlecto ex Senatusconsulto Pontifici Praefecto fabrorum. Cuius ob nimiam magnificentiam, quam in inimicos (vel munificentiam, quam in municipes suos) contulit, Senatus statuam publicè ponendam in foro, vbi ipse vellet, censuere, hic autem titulum reponi (vel hic decretum iusserunt reponi) Hic ex senatusconsulto fundos Teponiam, & Roianum, & Mamiam, & Pratum ex Osco ab Republica redemptos, sestertium septuaginta millibus nummum extimauit, Reipublicae reddidit, ex quorum reditu de sestertium quattuor millibus ducentenis quotannis sexto Idus Maij, die natali suo perpetuò daretur, praesentibus municipibus, & incolis, & mulieribus nuptis crustulum plus mulsi heminam, & circa triclinium Decurionibus mulsum, & crustulum, & sportula sestertium denis millibus triclinij loco empto pueris curiae incrementum, & sexto Kalendas Augusti, quibuscumque venire velint, crustulum, mulsum, & sestertij nummi octo in singulos sextumuiros, & in triclinio meo amplissimo in singulos duo sestertij. Et in ornamentum statuae, & imaginum mearum Respublica perpetuò sestertios nummos triginta impendat, arbitrio Quartumuirum aedilium cura fauorabili. & si pueris plebaeis sine destinatione libertatis micum sparsion modium triginta, & ex vini vrnis sex potionum iminiſtration dignis incrementis praestiterint.

Ex his igitur vtriusque lapidis collationibus multa in Romano lapide habentur, quae vera omnino censenda sunt, in alio non item. quae in eam nos facilè inducunt sententiam, vt arbitremur, vel scribentis, vel exscribentis vitio erratum fuisse. Atque illud in primis, quod pro H-S. IV. M. CC. habet XV. M. CC. id quod stare nulla ratione potest: nam haec posterior summa reditibus iure statutis non respondet. Quod vt ostenderem longa illa quaestio, ac difficultatibus plena, quam doctissimi viri agitare non desistunt, de centesima vsura, ac semissibus vsurarum mihi etiam agiranda foret. Verùm quoniam eam, relatis quamplurimis opinionibus, earumque argumentis, pertractare non vacat, nec decet, quàm breuissime, quid de ea sentiam, explicabo, idque huius lapidis testimonio confirmabitur; nam & de reliquis iam me expediam. Huius autem quaestionis primam videtur dedisse occasionem Columella, qui vinearum fructus, & lucra centesimis vsuris praeferenda esse subducto calculo confirmat. Reliquis verò praetermissis, illa tantummodo eius verba referam, quibus, quid ipse centesimas vocet vsuras, aut vsurarum semisses, palam exponit. sunt autem huiusmodi: *Eam summam efficient in singula millia, centenis vicenis nummis enumeratis.* Has autem vsuras quotannis redditas paulò superiùs indicauerat. Iam verò si millia nummorum singula singulis annis centenos vicenos reddunt nummos, singula vtique centena duodenos dabunt in annum nummos, singulis nimirum mensibus singulos. Quam vsuram non alia ratione centesimam dictam crediderim, quàm quod à centenario sit parta. id quod propterea factum à Romanis crediderim, quòd ipsos annuos reditus ad duodenarium frequentissimum, vt dixi, in omnibus commercijs numerum reuocare cupiebant. quo mediante eius omnes partes haud secus quam assis partes, facillimè & partirentur, & computarent. Hinc fit, vt vsurarum semisses, tremisses, quadrantes, trientes, besses, quincunces, vnciales, & aliae eiusmodi haud secus quàm assis partes dicantur: quae non alia ratione computanda sunt, quàm si annui redditus, centum, verbi gratia, nummorum, nimirum duodecim nummi in similes partes intelligantur diuisi. atque adeo semisses vsurarum, vel dimidiae centesimae, quas vocat Iustinianus, non aliae censendae sunt, quàm quae senos in annum reddunt centenis nummis, in mensem seminummum. Huius autem semissis vsurae meminit Plinius eleganti illo de Opimiano vino testimonio, sed ita difficili, vt à nullo, quem viderim, plenè intelligatur: refert enim vina condita sub L. Opimio Consule, ducentis ferme ante Plinium annis vsque ad sua tempora perduraſſe. Eiusmodi autem

Colum. lib. 3. de re rust. c. 3.

CENTESIMAE vsurae dicuntur, cùm centeni nummi duodenos in annos singulos reddunt.

L. cos. de vsur. const. 27.

SEMISSIS vsurae dicitur, cùm centeni nummi senos in annum reddunt.

VINI pretium.

tem vini pretium ita excreuisse commemorat, vt centenis nummis singulae vini vnciae aestimarentur, quantum olim integra amphora. Eius haec sunt verba. Quo fit vt eius temporis aestimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur. Ex his tamen vsura multiplicata semissibus, quae ciuilis, ac modica est, in C. Caesaris Germanici filij principatu annis centum sexaginta, singulas vncias vini constitisse, nobili exemplo docuimus. Hactenus ille. Quorum verborum hic est genuinus sensus: Si Opimij tempore amphora vini centum sestertijs nummis aestimata asseruaretur, eodemque tempore centeni nummi ad vsuram darentur, iuxta vsurarum semisses, post annos centum sexaginta tot nummos reddidissent centum illi nummi ad vsuram dati, quot vnciae sunt in vini amphora. Nam cum sequenti libro probaturi simus, amphoram vini libras pendere octoginta, quae in duodenas librae vncias multiplicatae vncias efficiunt nongentas sexaginta: si senos nummos semissis vsurae, quos reddunt singulis annis centeni nummi, in annos centenos sexagenos multiplices, habebis vtique totidem nongenos sexagenos nummos. Neque verò hos tantum fuisse dicit Opimiani vini in amphoram pretium; sed eosdem centies multiplicatos, vt sentit Portius. Iam verò, si ad nostri lapidis intepretationem accedamus, cùm redditus septuaginta millium sestertium nummum computentur in annum efficient sestertium nummum quaterna millia & ducentos. Nam si fiat regula trium; si centum dant sex, quid dabunt septuaginta millia? multiplicanda erunt septuaginta millia in sex, efficientque quadringenta viginti millia, quae, si diuidantur per priorem numerum centum, efficient quater mille ducentos, ac totidem reseruntur in lapide sestertij pro annuo redditu septuaginta sestertium millium. Illud porro quod ad collatam Quinctilij munificentiam in inimicos legat Romanus lapis, quamuis in municipes conuerterit Ferentinus, facilè nos conijcere permittit, ipsos Ferentinos, & municipes fuisse, & Quinctilij inimicos, in quos obeximiam animi magnificentiam beneficia contulit, quae admirans Romanus Senatus, statua, atque aeterna memoria digna censuit. At Ferentini eadem in suis praedijs repetentes, inimicorum à scipsis odiosum nomen longè repulerunt, municipum scribentes, vtpote, qui municipes collatis muneribus denuo facti fuerant. Quod verò ad lapidem hunc spectat, cùm eius rationem tamquam oculatus testis reddere diu, multumque cupiuissem, eum attentiùs conquisitum reperire non potui, quamuis à fide dignis testibus tandem acceperim, eum in porticu, & anteriori facie molis Adriani ad haec vsque nostra tempora constitutum perdurasse, indeque cum alijs multis sublatum fuisse; quamuis à quo id factum sit, scribere me non deceat, neque diutius in sestertio inuestigando immorari.

Plin. lib. 24. cap. 4.

160
6
960

Port. lib. de sester.

100. 6. 70000. 4200.

DE NVMMI
NOTIONE, ET VSV
Cap. XV.

NVMMVS à Numa Romanorum Rege vocatus est, qui eum primus Romae imaginibus notauit, & titulo nominis sui praescripsit, vt auctor est Isidorus. qui & numisma dicitur eidem, quasi nomisma, quòd nominibus principum, effigiebusque signabatur. Verùm Graecum nomen esse νόμισμα nomisma quidam philosophantur, sic dictum à Graecis, qui primi legem tulerunt, vt particulae metallorum signarentur, quae rerum pretijs aestimandis aptissimae forent, easque sic compellarunt tamquam legitimas: νόμος nomos enim institutum significat, ius, hominum moribus receptam consuetudinem, sanctionem. Cuius rei auctorem afferunt Aristotelem, qui sic scribit: τοῦ νόμα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ. tu noma echi nomisma, hoti v physi alla nomo esti. Nummum inde nomen traxisse putat, quod non natura, sed lege factus sit. Adducunt etiam in hanc sententiam Iulium Pollucem, asserentem, nummum etiamsi Romanum nomen videatur, à Graecis tamen originem ducere, eoque potissimùm vti solitos Graecos in montosis Italiae, Siciliaeque partibus. Verùm quidquid sit de vocis origine, illud certè negari non potest, eius vsum Romanis ita frequentem fuisse, vt in re pecuniaria nulla vox magis vsurpetur: quapropter siue ab ipsis Romanis excogitata sit, siue à Graecis accepta, vtique vt propria à Latinorum doctissimis accepta est: tribuiturque plerumque tam argenteis, quàm aureis monetis, atque etiam aereis. Aureis tribuitur à Cicerone in Philippicis: eosdemque intellexisse videtur Plautus, dum sic inducit loquentem.

NVMMVS à Numa Rege.

Isid. lib. 16. orig. c. 17.

NVMISMA quasi nomisma propter principum nomina, quae circumferebat.

Arist. lib. 5. Ethic.

NVMMVS quasi legitimus, aut legalis dictus.

Iulius Pollux.

Cic. Philip. 12.

De mina vna deminui modo quinque nummos.
Mihi detraxi partem Herculanam.

Plaut. in truculento.

Mina verò Graecorum frequens, vt paulò inferius ostendam, drachmarum fuit centum. Partem verò Herculanam constat decimam dici; cuius verò numeri quinarius decima sit pars, ipsa multiplicatione quinarij constat. Est igitur nummus Plauto quinquagesima pars minae, hoc est, duarum drachmarum, quot nimirum suprà ostendimus aureum pependisse numisma. Neque propterea non etiam pro sestertio vsurpabitur nummus, vt ex hoc loco probare contendit Turnebus: immo verò, vt mox ostendemus, non vulgo tantum, sed à probatissimis scriptoribus frequentiùs pro sestertio accipitur. De eisdem tamen aureis nummis intelligendus videtur Horatius.

AVREVS didrachmus Plauto.

Adrian. Turneb. lib. 24. aduers. c. 17.

Recondere nummos & aurum:

Horat. 2. serm. sat. 3.

Argenteum nummum refert Plautus.

Nimis sum miser, nummum nusquam reperire argenti queo.

Plaut. Pseud. 5.

Et iterum.

Nam noster nostrae qui est magister curiae
Diuidere argenti dixit nummos in viros.

Et in Aulul. 5.

Pro qualibet moneta vsurpatur à Cicerone. vnde, si sequutus esset eorum sententiam, qui honesta, &

Cic. 2. de fin.

NVMISMA, & denarius pro eodem vsurpatur in Euangelio. *Matth. 22. V. 19. Marc. 12. V. 13. Luc. 20. V. 20.*

sta, & recta emolumentis omnibus, & commodis anteponerent, nummum nullum attigissent. Pro eodem autem vsurpari numisma, & denarium, patet ex Euangelio, dicente Domino. *Ostendite mihi numisma*, quo loco duo alij Euangelistae *denarium* scribunt: *at illi obtulerunt ei denarium*, vbi de Romanorum denario sermonem fieri perspicuum est, vel ex eo potissimùm, quod sequitur, numisma illud Caesaris imagine, & superscriptione percussum fuisse.

Cic. 5. in Verr.

Verùm quamuis haec ita sint, nummus frequenter pro sestertio accipitur. Cicero vel ipse solus rem hanc confirmare potuisset, qui ait: Cogit enim Scandilium quinque illa millia nummum dare, ac numerare Apronio. Et post pauca. Cogit Scandilium, inquit, Apronio ob singularem improbitatem, atque audaciam, praedicationemque refariae societatis, sestertium quinque millia mercedis nomine, ac praemij dare.

NVMMVS pro sestertio.

Quibus locis pro eodem nummos, ac sestertios vlurpat Cicero. Et Vitruuius. Ab senatu, inquit, Populoque Romano petijt, vt liceret transferre opidum, constituitque moenia, & areas diuisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit. hoc est, singulas areas singulis sestertijs ciuibus vendidit, vt interpretatur locum Philander. Est & alius de nummo sestertio Ciceronis locus, quem perspectum habuit Turnebus. Ciceronis haec sunt verba: Tua Posthume nummo sestertio a me addicuntur. Si quis magnum aes alienum conflauisset, plerumque eius bona alicui nummo sestertio addicebantur hac lege, vt creditoribus satisfaceret: in quorum fraudem vendere non licebat. ita que subijcit Cicero: Ita bona veneant, vt solidum suum cuique soluatur: nihil iam aliud nisi fidem curat. Flagitiosissimum, & sceleratissimum habebatur

Vitru. lib. 1. cap. 4.

Philan. sup. Vitru.

Turneb. aduersa. lib. 29.

Cic. pro Rabir. Posth.

A olim, fidem in credita pecunia fallere: ad famam igitur debitorum tuendam, vt dictum est, bona vendebantur, & emptori onus soluendi imponebatur. At de nummo sestertio iam satis. Illud tantummodo explicandum superest, quod de omni nummorum genere dicebatur, quid sit nummus asper. Id quod eruditè satis Turnebus, quem ad calcem huius disputationis referre non pigebit. Olim, qui thesaurum parare studebant, in eo nummum asperum libenter recondebant, quem interpretor bene percussum, & recentem, non veterem, neque tritum, atque ipso vsu lacuem, fugientibus notis, nec forma expressa. quo sensu illud Persianum accipi censeo.

NVMMVS asper. *Turneb. lib. 18. aduersar. cap. 28.*

- Quid asper vtile nummus habet. *Persius. 3.*

B Qui enim pecuniae amantes erant, in nummis recipiendis fastidiosi erant, & nummos perfectissimae, & expressissimae formae obseruabant, ac ne alios quidem recipere volebant, in exactione potissimùm tributorum. Tranquillus in Nerone: Exegitque ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum obrizum solutum iri. Quod è Seneca conijcimus, cuius verba subscribam. Sed mouebis mihi controuersiam, si te noui, nec voles quod debeo, nisi in aspero, & probo accipere. Eodem sensu scribit Maro: *Vasa.*

Suet. in Nerone. c. 44.

Senec. lib. 2. epist. 19.

Virg. 5. Aen.

- perfecta, atque aspera signis.

quae nimirum extantibus signis in asperitatem caelata erant. Sed ne diutius, quàm par est, in his immorer, quae ad alias disciplinas potiùs, quàm ad has nostras disputationes pertinere videantur, illis supersedemus, finem pariter huic disputationi de Romanis ponderibus, atque numismatis imponentes.

C

GRAECORVM PONDERA ATQVE NVMISMATA. DISPVTATIO TERTIA.

DE ATTICAE DRACHMAE ORIGINE, PONDERE, NOMINIBVS CAP. XVI.

AEC de Graecorum ponderibus, atque numismatis disputatio non modò integrum exigeret commentarium; verùm vix pluribus, maximisque voluminibus posset comprehendi, si omnia Graecorum pondera, aut numismata, percensenda tantùm essent, nedum pertractanda. Nam praeterquam, quòd natura quodammodo comparatum habere videretur gens illa, vt varietate rerum pariter, ac multitudine delectaretur, fuit insuper in varias, longeque diuersas Respublicas, Regna, atque ditiones, moribus, terrarum situ, ac ipso locutionis idiomate à se inuicem longè sepositas distributa. ex quo factum est, vt, cùm quaelibet illarum suis vteretur ponderibus, proprijsque numismatis, in rerum historijs percensendis historici alijs, atque alijs nominibus vtantur, pro cuiusque gentis moribus, atque institutis. Quapropter mirandum non est, si in peruestigandis Graecorum ponderibus maxima intercedere videatur rerum perturbatio, ingeniorumque, vel acutissimorum confusio. Nos verò qui huic instituto plenè satisfacere plane diffidimus, omnia verò pertractare nec vacat, neque animus est, ea tantummodo praelibare curabimus, quae à pluribus recepta erunt, magisque à controuersijs, & opinionum varietate aliena, quae-

D

quaeque ad Romanorum, Hebraeorumque pondera intelligenda maximè necessaria iudicabuntur. Et à drachma exordiemur, quae receptissima fuit non Graecis modo, verùm Romanis etiam, vt vidimus, nec non Hebraeis ipsis, vt mox videbimus. Dicta verò fuit, vt suprà vidimus, quasi δράγμα drágma, hoc est manipulus obolorum. Scholiastes Theocriti, aliíque Grammatici δραχμὴ drachmi à δράττομαι drattomae, apprehendo, rapio, carpo, pugnum impleo dicta est, inquiunt, id est, quae tantum κεραμάτων cerimaton minutorum aereorum contineat, quantum aliquis manu in pugnum contracta capere possit. Id quod ex Plutarcho desumptum videtur, sic de Lacaedemonijs scribente: Obelisci vtebantur ferreis nummis, quidam aereis. Vnde durat ad haec vsque tempora, vt multum pecuniolae oboli vocetur, & drachma sex oboli: tantum enim circumplectebatur manus, quod περιδράττεσθαι peridraptestae dicitur.

Sup. cap. 7. huius.

DRACHMA vnde dicta,

Plut. in Lysandro.

DRACHMA dicitur holce.

Eadem drachma alio nomine dicitur ὁλκὴ holci ab ἕλκω helco dicta, quod verbum trahere significat, aut ponderare, quod pondus lancem, cui imponitur, trahat. vt apud Lucianum: τὴν ὁλκὴν διτάλαντα, tin holcin ditalanta, ponderis duorum talentorum. Idem ὁλκὴ ὀβολῶν ε. holci obolon e, quinque obolorum pondus. Citatur Dioscorides, quod senserit holcem trium fuisse obolorum, dum scribit ὁλκὴ τριωβόλου holci triobolu. Cùm tamen frequenter apud Dioscoridem holce pro drachma vsurpetur, quae sex habet obolos, scripula verò tria. id quod Simon Genuensis scribit, holcem pondus esse trium scripulorum. Eadem vox, holce, denarius exponitur ab Hermolao. Quae omnia tribus hisce carminibus distertè complectitur Fannius.

Lucian. in Demonacte.

Dioscor. c. 63.

Sim. Gen.

Hermola lib.

Q. Fann. lib. de pond.

In scripulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis:
Holceque à drachma non re, sed nomine differt.

Suidas.

Suidas quoque ponderis, ac nummi rationem pariter commemorat, scribens: δραχμὴ δὲ ὁλκὴ νομίσματος ἀργυρίου drachmi de holci nomismatos argyriu, hoc est, drachma autem pondus argentei nummi.

Athenaeus

Alexarchus apud Athenaeum mutato more loquendi τὴν δραχμὴν ἀργυρίδα tin drachmin argyrida vocat, id est, drachmam argenteam. Fuit & aurea drachma, quàm δραχμὴν χρυσίου drachmin chrysiu Hesychius, & Suidas nominant. de qua paulo inferiùs. A drachma plures componuntur voces: δίδραχμος didrachmos enim dicitur, qui duarum drachmarum pretij est, vt Thucydides, & Aristoteles sentiunt: in neutro verò genere δίδραχμον didrachmon nummus est duas drachmas continens. Eius mentio habetur apud Matthaeum. Pollux esse dicit, quod olim vocabatur βοῦς bus Thesei numisma. τρίδραχμος tridrachmos, qui trium drachmarum pretij, ponderis, aut mensurae est. Et τρίδραχμον tridrachmon tres drachmae, seu nummus tribus drachmis valens Polluci. τετράδραχμος tetradrachmos dicitur res illa, quae quattuor drachmarum pretij est, vt τετράδραχμος μέδιμνος tetradrachmos medimnos medimnus, qui quattuor drachmis venditur: & neutro genere τετράδραχμον tetradrachmon nummus valens quattuor drachmis, vt in Axiocho. τέτραχμον tetrachmon per syncopen pro eodem sumitur, vt tradit Eustatius. τετράδραχμον tetradrachmon staterem vocabant Graeci, sicut testatur Cleopatra, quod non modo ex scriptorum communi constat consensu, sed multo magis ex Euangelio Sancti Matthaei. ibi enim sic habetur: *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* Ex quibus verbis perspicuum est, in singula capita didrachma soluendum, hoc est, duas drachmas. IESVS autem eum praeueniens dixit post alia Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius inuenies staterem; illum sumens da eis pro me, & te.* Fit igitur planum, staterem duobus didrachmis, hoc est, tetradrachmo aequalem fuisse. De statere verò, quod sit Hebraeorum siclo notione, ac pondere omnino similis, infrà suo loco.

Matth. 17. ℣. 24. 25. 26. 27.

TETRADRACHMON, & stater idem significant.

Cleopatra lib. de mundi. s.

DRACHMAE vsus Hebraeis.

Hic verò illud vnum addendum censui, quod paulo ante proposuimus, quanam ratione, & drachmae, & vsus, & nomen ad Habraeos quoque translatum sit. Nam apud Esdram sic legimus: *Secundum vires suas dederunt impensas operis auri solidos* דַּרְכְּמוֹנִים darcemonim. Septuaginta in Complutensi, atque alio codice χρυσίου δραχμῶν chrysiu drachmon auri drachmarum: in alijs verò χρυσίου δραχμὰς chrysiu drachmas auri drachmas habent *sexaginta millia &c.* Eandem verò vocem, quam praeallato Esdrae loco Latinus interpres conuertit, solidum, apud Nehemiam manere permisisse videtur: sic enim habet. *Athersata dedit in thesaurum auri drachmas mille, & phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia ducentas.* Septuaginta interpretes in Complutensi codice χρυσίου δραχμὰς chrysiu drachmas, habent, hoc est, vt in vulgata nostra, auri drachmas. Et quamuis verbis diuersa videatur ab hac Sixtiani codicis lectio; tamen re ipsa, ac verborum significatione in idem prorsus recidit; sic enim habet. καὶ ἀπὸ μέρους ἀρχηγῶν τῶν πατριῶν ἔδωκαν εἰς τὸ ἔργον τῷ Νεεμία εἰς θησαυρὸν χρυσοῦς χιλίους φιάλας πεντήκοντα, καὶ χωθωνὰθ τῶν ἱερέων τριάκοντα, καὶ ἀπὸ ἀρχηγῶν τῶν πατριῶν ἔδωκαν εἰς θησαυροὺς τοῦ ἔργου χρυσοῦ νομίσματος δύο μυριάδας, καὶ ἀργυρίου μνᾶς δυχιλίας τριακοσίας. καὶ ἔδοκαν οἱ κατάλοιποι τοῦ λαοῦ, χρυσίου δύο μυριάδας, καὶ ἀργυρίου μνᾶς δυχιλίας διακοσίας. Quae sic vertit in Sixtiano item eodice Latinus interpres: Et de parte principum patriarum dederunt ad opus Nehemiae in thesaurum aureos mille, phialas quinquaginta, & cothonoth facerdotum triginta. Et de principibus patriarum dederunt in thesauros operis auri numismatis viginti millia, & argenti minas bis mille trecentas, & dederunt reliqui de populo auri viginti millia, & argenti minas bis mille ducentas. (interpres enim hic pro trecentas vertit nescio, quam ob causam, quadringentas: quum tamen in Complutensi codice, & in vulgata editione Latina legamus ducentas. Quibus locis, quae in Complutensi codice aureae drachmae dicuntur, in Sixtiano primùm aurei vocantur, deinde aureus numismata; ac tandem cùm numerum expressit, numisma subsstituit, illud in primis significare volens, auream drachmam ita in vsu Graecis fuisse, vt subintelligenda foret, quoties absolutè aureus diceretur, aut scriberetur. Deinde cùm numisma subiecit, illud certè indicare videtur, auream quoque drachmam signatam fuisse, vtpote inter numismata relatam. Verùm vnde ea vox ad Hebraeos translata, quae Hebraeorum non est, ne-

Esd. 2. c. 7. ℣. 70. & 71.

que

que ante Esdram legitur in sacris litteris, facilè possumus conijcere, nimirum ex Chaldaeorum Babylone consortio, vt propterea Marinus putauerit vocem דרכמונים darcemonim Chaldaicam esse, ab eaque Graecorum drachmam desumptam. Et vox quidem ipsa Chaldaicam redolet scripturam, & formam; veruntamen Graeci minime faterentur vmquam, se quidquam ab alijs recepisse gentibus vel nationibus, sed ipsi potiùs, quamuis non satis aptas confingant peregrinarum vocum origines, atque interpretationes, earum volunt haberi inuentores.

DE DRACHMA ATTICO NVMISMATE, OBOLIS, AEREIS MINUTIS. Cap. XVII.

DE drachmae origine, pondere, ac nominibus iam satis egimus; superest, vt quoniam non pondus tantum fuisse drachmam diximus, sed & numisma, breui explicemus, qua forma percuteretur Athenis. Vidimus autem argenteum numisma, Graecis litteris Athenarum nomine inscriptum, ex altera parte Minerua galeatum caput gestans; ex altera verò noctuam, ipsius Mineruae auem. id quod disertis verbis significauit Plutarchus, qui, cùm Gylippi cuiusdam ducis furtum indicaret discrepans à libellorum computo argenti summa; contrà verò concluso, & signati sacci doli suspicionem tollerent, eaque res Ephoros haberet suspensos: Serius, inquit, Gylippi significauit ijs per aenigma sub Ceramico multas cubare noctuas (nam κέραμος ceramos tectum, sub quo direptas pecunias condiderat Gylippus, & κεραμικὸς ceramicos, locus certus Athenis dicitur) nummi autem id temporis, subdit, Athenienſium gratia erant noctua fere signati. Est autem apud Antonium Augustinum Byzantinum numisma, vt indicat eius ex altera parte inscriptio huiusmodi, BYZA. cum laureati iuuenis facie; altera verò parte pyramis, seu obelus est, cùm hac inscriptione, ΔΡΑΧΜΑ drachma. sed non drachmis tantummodo noctuas efformabant Athenienses, sed & obolis; erat enim τετρώβολον tetrobolon nummi genus quattuor obolos valens, quod Iulio Polluce attestante, effigiem Iouis impressam habebat. à postica autem parte duas noctuas. Sed & Eustathius, & Pausanias τετρωβόλου βίος tetrobolu bios pro militis stipendio vsurpant. Thucydides item, atque Dioscorides τριώβολον triobolon pro tribus vsurpant obolis. Διώβολον Diobolon verò, duos obolos, accipere solebant ad concionem venientes: ori item defunctorum imponebatur, vt Acheronti naulum soluere possent, quo citius stygias traijcerent aquas: talibus enim figmentis, ac inanibus fabulis generis humani immanissimus hostis dementabat miseros illos homines.

NOCTVIS signabantur Athenis numi. — *Plut. in Lysand.* — *Anton. Aug. dial. primo delle medaglie.* — *Dionys. Otto. Seda. interpr.* — *Iul. Pollux lib. 9.* — *Dioscor. lib. 5. c. 107.*

Sed ad institutum redeuntes, tot fuerunt Graecorum numismatum signa, quot & Romanorum, quae ad nulla certa capita reuocari possent; atque ideo praetermittenda à nobis esse iudicauimus, quoniam eiusmodi numismatum magna Romae reperitur copia, &, quibus ea non suppetunt, quae in dialogis Antonij Augustini impressa circumferuntur, sufficere poterunt. Vnicum tantummodo numisma silentio praetermittendum non fuit, quod singulare, quodque nostrae huic disputationi lucis non parum afferre possit. Illud habuimus ex promptuario Laelij Pasqualini, estque aereum, ex altera facie sphyngen referens cum hac inscriptione. ACCAPIA TPIA assaria tria. quae inscriptio illud perspicuè demonstrat, quod alicui minus videretur probandum, Graecos Romanorum non ponderibus modo, sed & vocibus vsos, quibus fortè consonat, quod Cleopatra inquit: As, seu assarion drachmas duas, scilicet habet. sed de re ipsa, Attica nimirum drachma, eiusque partibus differendum est. — *Cleop. lib. de mundit.*

Plinius: drachma, inquit, Attica (sic enim Attica obseruatione medici vtuntur) denarij argentei habet pondus. eadem sex obolos pondere efficit, obolus decem chalcos. Et quod ad obolos spectat, res est citra controuersiam; idem enim ipsum testatum est à Cleopatra sic scribente: ἡ δραχμὴ ἔχει γραμμάτα γ'. ὀβόλους ς'. hoc est, drachma habet scripula tria, obolos sex. Et Suidas. δραχμὴ ἐξ ὀβολῶν drachma hex obolon, drachma sex obolorum. qui quidem oboli minores planè sunt Hebraici sicli obolis: nam cùm infrà ex sacris litteris ostendendum sit, siclum drachmis quattuor aequalem in obolos fuisse diuisum viginti, fit vt drachma vna quinque obolis exaequetur. Quapropter Hebraicus obolus Atticum vnum continebit, atque eiusdem insuper quinctam partem. De obolorum verò diuisione non ita planè constat inter Scriptores: nam obolum in duos secant semiobolos, quorum vnumquemque ἡμιόβολον himiobolon appellant. eundem rursus obolum in sex aereola diuidunt, quae χαλκοὶ chalci dicuntur. Huius sententiae auctores referuntur ab Agricola Diodorus, & Suidas, cuius haec sunt verba: ὀβολὸς παρὰ Ἀθηναίοις ἓξ ἐστὶ χαλκῶν, obolus para Athinaeis hex esti chalcon: obolus apud Athenienses sex est aereolorum. Verùm longè diuersa est Cleopatrae de obolorum aereolis sententia huiusmodi: Obolus, inquit, habet thermum vnum semis, siliquas tres, chalcos octo. id quod alijs quam plurimis computationibus eiusdem confirmatur, quamuis alterius cuiusdam semioboli meminerit Cleopatra, cuius ad praedictum analogia vix alicui ex aliorum Scriptorum sententijs congruere videatur. Nam quòd inde probet Agricola denarium, qui septima est vnciae pars, drachmae fuisse aequalem, non video quomodo stare possit. quapropter eius sententiam lectori attentiùs examinandam consultò praetermittimus. — GRAECORUM obolo maior est Hebraeus quincta illius parte. — *Agric. lib. 5. de pond. Graec.*

Chalcus χαλκοῦς chalcus praeterea in septem minuta secatur, λεπτὰ lepta Graecis dicta: Suidas enim sic scribit: ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ἑπτά ho de chalcus lepton hepta; aereolum autem septem est minutorum: λεπτὸν lepton autem, id est, minutum, siue, vt est apud Senecam, minutia, ampliùs non diuiditur, vt meritò propterea minuti nomen retineat, quod nullum est numisma minus. Huius minuti aeris fit mentio in Euangelio, tum Marci, tum etiam Lucae: ille enim sic habet: *Et sedens* IESVS *contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactarct aes in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum veniſſet autem vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.* Graecè ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, ebale lepta dyo, ho esti codrantis, *misit minuta duo, quod est quadrans.* Sanctus verò Lucas sic habet: *Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem, & quandam viduam pauperculam, mittentem aera minuta duo,* Graecè δύο λεπτὰ dyo lepta, duo minuta. Cyrillus duos — CHALCVS septem habuit minuta. *Suidas.* — *Seneca.* — *Marc. 12. ℣. 41. & 42.* — *Luc. c. 21. ℣. 1. & 2.* — *Cyrillus.*

Beda.

duos obolos intelligit missos à vidua; Beda verò quartam sicli partem oblatam ab ea fuisse existimat. Verùm Graecus pariter, ac Latinus Euangelistarum textus minimum illud aereum numisma, de quo paulò ante loquebamur, expressit. In eo verò, quod Sanctus addit Lucas, duo illa minuta aerea quadrantem fuisse, vtique oboli quartam partem indicasse videtur, atque adeo obolum in octo aera diuisum. quod vel propterea factum licebit conijcere, quod illam oboli partitionem, quam à Graecis mutuati fuerant Hebraei, politica suaderet ratio ex septena ad octauam inducere, quò facilior, & commodior toti populo esset oboli in plures aequas octauas partes diuisio, omissis septenis, quas in nullas alias, quàm septenas aequas partes poteris secare. Fit igitur ex his facilis coniectura, computando pauperculae illius viduae dono, perapta. Nam si octo minuta aereum, siue chalcum constituunt; aerea verò sex obolum, oboli verò sex drachmam, sexies octo efficient in obolo minuta quadraginta octo; quae si iterum sexies multiplicentur, erunt in drachma minuta ducenta octoginta octo, duoque illa viduae minuta constituent centesimam quadragesimam quartam drachmae vnius partem. Quod si sententiam Cleopattae sequeremur, quae obolum in chalcos diuidit octo, fient in drachma minuta trecenta octoginta quatuor; donum verò viduae centesima nonagesima secunda esset drachmae pars, vt in supputationibus margini adiectis videri facile poterit.

OBOLVS IN octo aereola diuisus fuisse videtur.

IVXTA SVIdam.
Minuta in chalco 8
Chalci in obolo 6
Minuta in obolo 48
Oboli in drachma 6
Minuta in drachma 288
144

IVXTA Cleopatram.
Minuta in chalco 8
Chalci in obolo 8
Minuta in obolo 64
Oboli in drachma 6
Minuta in drachma 384
Viduae donum 192

Neque verò aegrè tulerit lector, si hic tantisper immoremur, expendentes, quàm maximè auaritiae studium inductis argenteis, aureisque maximis numismatis excreuerit; siquidem nullis alijs vsibus deseruire videntur minuta, atque aerea, quàm vt in pauperes, aut in templum quàm minimum erogetur. id quòd significare voluisse videtur Euangelicus textus, dum Christum Dominum assetit prospexisse turbam, ac diuites aera mittentes in gazophylacium; qui, quamuis multa mitterent, minus multo mittebant, quàm si vel vnum mitterent argenti siclum, qui mille centum quinquaginta duobus aereis minutis constabat, vt suis locis ostendemus. Meritò sanè Lacedaemonij missum à Lysandro pecuniam repudiabant, non recipiendam in vrbem monetam auream, vel argenteam censentes; sed retinendam patriam. At quando Lysandri necessarij intercesserunt, & institerunt, vt pecunia illa retineretur in vrbe, visum fuit in vsum publicum, vt admitterent id genus nummos; si quis eos possidere compertus esset priuatim, in eum poenam capitalem sanxere. Quasi vero, inquit Plutarchus, nummos Lycurgus formidasset, non autem nummorum comitem auaritiam, & cupiditatem, quae non ita detrahebatur, quod non teneret eos priuatus, vt, quia haberet, Respublica incendebatur, accedente ad vsum eius dignitate, & admiratione. Neque enim fieri poterat, cui esse dignationem cernebant publice, id vt respuerent pro inutili, atque vt ad rem priuatam sibi quisque flocci faceret, id quod publicae tanti esset, & adeo charum. Immo vero mores ex publicis studijs longe citius influunt in vitam priuatam, quam priuatae offensae, & motus Rempublicam refarciunt vitijs, quippe rapit secum vniuersitas haud dubie partes potius, vbi vergit in deterius; partis verò in vniuersitatem noxae multas correctiones, & remedia accipiunt à sanis: at hi ciuium aedibus, ne in eas penetrarent nummi, metum apposuerunt custodem & legem; animos verò eorum infractos à pecunia, & immotos non seruarunt, qui in diuitiarum, quasi amplae rei, & eximiae coniecerunt omnes admirationem. Hactenus Plutarchi

LACEDAEmoniorum in pecunijs accipiendis frugalitas.
Plutarch. in Lysandro.

REIPVBLIcae vitia facilè in ciues efluunt, non ita horum in illam.

A

B

C

D

E

sunt verba. quae ideo libenter retuli, quòd cuiquam forsan videri potuissent, nos, qui plus fortè nimio toto hoc opere diuitias, atque opum iactantiam commendare videmur, aliter, quàm par esset, de eisdem iudicare censeamur. Atque vt his Plutarchi dictis omnes rerum publicarum censores admoneantur, cauendum magnopere, ne dum aurea, atque argentea numismata adaugent, minimis aereis vel retentis, vel etiam imminutis, pecuniae desiderium, atque iniquae cupiditatis sitim exaestuare permittant, siue etiam faciant, vt pauperum tantummodo, ac miserorum stipendia, ac dona comminuantur, siue ad nihilum redigantur. Sed his praetermissis aliò, quod ad drachmam attinet, absoluamus. Et quidem illud notandum supereſt, alia, atque alia drachmarum genera apud Scriptores reperiri, quae quoniam ad Attica reuocari facilè possunt, ne diutiùs immoraremur ab illis supersedendum duximus, & ad minam explicandam veniendum.

MONETIS in Republica auctis, parui retentis, auaritia augetur, pauperumsubsidia minuuntur.

DE GRAECORVM MINA. *Cap. XVIII.*

QVAE Latinis mina, Graecis μνᾶ mna dicitur. vnde verò ea vox ducatur, non satis constat. Herodotus μνέας mneas Ionicè dicit pro μνᾶς mnas. quae vox deduci posse videtur à verbo μένω, meno, quod manere significat, à quo μνία mnia, factaque litterarum aliqua mutatione μνέα mnea, indeque μνᾶ mna. tunc enim apta esset vocis interpretatio, vt manentem vocarent eam argenti summam, vel quod, qui eam comparare potuisset, libenter conseruaret, nec distrahi fineret; vel quod, alijs ferè omnibus mercibus vsu consumptis, ipsa per manus delata maneat, ac diutiùs conseruetur. id quod omnibus pariter numismatis commune est.

MINA QVA si manens duplici ex causa dicitur.

Et quod ad minae aestimationem, ac pondus spectat, vt ab illis exordiamur, quae citra controuersiam recepta ab omnibus ferè sunt, Attica mina centum Atticas drachmas pendit, ac valet. Huius rei testis est apud Suidam Diodorus, sic scribens: *ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ϱ'.* hi de mina drachmon ϱ. mina verò drachmarum centum. Cleopatra verò non tantùm minam drachmis comparat, sed & Romanis vncijs, dum ait: Attica mina vncias habet duodecim & dimidiam, drachmas centum, scripula ttecenta, obolos sexcentos, lupinos nongentos, siliquas mille octingentas, aereola tria millia sexcenta. Suidas quoque scribit: *ἑκατὸν δραχμαὶ ποιοῦσι μνᾶν μίαν*, hecaton drachmae piusmnan mian: centum drachmae faciunt minam vnam. Plinius Attica pondera explicare professus sic scribit: Mna, quam nostri minam vocant, pendit drachmas Atticas centum. Et quidem his tam luculentis testimonijs planum omnino fiet, ac firmum, Atticam minam centum Atticis drachmis aequalem fuisse. Illud vnum negotium facessere videtur, quod Fannius scribit, duplicem significans fuisse minam, Graecorum alteram, Atheniensium alteram. Eius hi sunt versus.

Diodor.

Cleop. lib. de mundit.

Suidas.

Plin. lib. 21 cap. vlt.

Vnciaque in libra pars est, quae mensis in anno,
Haec maior Latio libra est, gentique togatae.

Attica

Attica nam minor est; ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.
Accipe propterea paruo quam nomine Graij
Mnam vocitant, nostrique minam dixere priores.
Centum hae sunt drachmae, quod si decerpseris illis
Quattuor, efficies hanc nostram denique libram,
Attica quae fiet, si quartam dempseris hinc, mna.

In horum versuum intelligentia mirificè digladiantur, ac inuicem pugnant Alciatus, & Agricola, cùm in eo conueniant, quod Fannius duas commemoret Atticas minas, alteram drachmarum septuaginta quinque, alteram centum. In eo etiam conueniunt, quod male Rhemnius minam vocauerit Atticam libram. Verùm cùm adhuc sub iudice lis sit, num à Graeca voce λίτρα litra Latina ducatur libra, num contrà à Latina Graeca, nulla ratione debuit peritissimus Grammaticus, suaque antiquitate celeberrimus, suae gentis voces referens facile reprehendi. Nam quod ad vocem spectat, Pollux auctor est, λίτρα litra vocem esse à vetustis temporibus Graecis vsurpatam, quam Romani per β. libram vocant. Alij verò contrà Latinam esse vocem contendunt, inter quos est Galenus, sic de Romanis ponderibus, atque mensuris scribens; Sunt, inquit, ἐπιχώρια ταῦτα ὀνόματα τότε τῆς λίτρας, καὶ τὸ τοῦ ξέστου, καὶ τὸ τῆς οὐγκίας, epichoria tauta onomata tote tis litras, cae to tu xestu, cae to tis vncias, patria haec nomina, libra, sextarius, vncia. Verùm quamuis omnino Latina foret vox, libra, non reprehendendus esset Fannius, qui, quam Athenienses *mnam* vocant, Atticam vocat libram, cùm nulla Latina vox reperiatur, pondus significans minae ponderi magis simile, id quod & à Plinio, & ab alijs probatissimis tum Graecis, tum Latinis scriptoribus obseruari quotidie cernimus. Immo verò illud insuper addiderim, minimè à Fannio minam compellari libram, sed subintelligendam dimitti, vt à scrupulosioribus seriam hisce lectoribus subaudiri posset, Attica mina.

Pollux. lib. 24.

Galen. lib. 1. de comp. med.

MINA SEPTUAGINTA QUINQUE DRACHMARUM.

Hanc igitur fuisse tradit ter quinis, rerque vicenis drachmis, hoc est, septuaginta quinque. Aliam deinde refert minam, quam Graeci contrahentes, *mnam* vocant, centum drachmarum, cum qua tum Romanam libram, tum etiam Atticam minam confert, affirmans libram à mna superari drachmis quattuor, ab eadem verò alteram minam Atticam quarta sui parte superari. Qua in re nonnihil alucinari videtur Alciatus, dum innuit mnam illam Atticam à Romana libra superari quarta ipsius librae parte. qua ratione duae & septuaginta drachmae mnam illam complerent, quam ipse Alciatus quinque & septuaginta habuisse testatur. ideoque non immeritò reprehenditur ab Agricola, qui vtinam omni reprehensione, aut potiùs omni eo, quod reprehendendum esset, omnino vacaret: non enim tantopere in castigando Fannio detineretur, quod Graiam, vt ipse ait, vocauerit centenariam minam, cùm ita ad amussim omnia sint à Fannio percensita, vt attentiùs perscrutandus sit potiùs, quàm corrigendus audacius. neque enim Graiam eam minam vocat, sed vocem à Graecis contractam mnam dici, quod omni rationi non modò contrarium non est, verùm etiam valde consentaneum: Athenienses enim Graeci absque dubio sunt, quique verborum contractione maximè delectantur. Sed omissis vocibus, ad rem ipsam exeminandam propiùs accedamus.

FVIT DVPLEX ATHENIENSIVM MINA

Fuit vtique duplex Athenis mina, centenaria

A altera, altera eiusdem supertripartiens quartas. illam Scriptores grauissimi illi, quos suprà retulimus, confirmant, ac nemo non credit: hanc Fannius inducit, arque Priscianus sic scribens: Mina Attica drachmae septuaginta quinque. Has duas minas ita discernit Agricola, vt temporum diuersitate altera alteri successerit, maior vtique minori, Plutarchi testimonio fretus, asserentis Solonem mensuras, & monetae pretium auxisse. Plutarchus sanè beneficia enumerans, quae populo contulerat Solon, hoc vnum subdit: Simulque huic, quae adiuncta fuerunt, mensurarum augmentum, & monetae pretium: quippe minam, quae fuerat ante septuaginta & trium, centum fecit drachmarum. Itaque quam numero parem summam valore minorem praestarent, multum accesit commodi, magnum aes dissoluentibus, nihil creditoribus tamen detrimenti. Haec ille. Quae an plane perspecta Agricolae sint, non satis video. Nam cùm mina moneta non fuerit, sed certa quaedam drachmalium monetarum summa, ea augeri nulla ratione potuit, nisi ipsius monetae aut numerus augeretur, aut pretium. sed ipse Plutarchus omnem abstulit dubitandi occasionem; siquidem monetae tantummodo pretium imminutum fuisse testatur; ita vt eodem drachmae, ac minae pondere manente, eodemque pristinarum drachmarum numero, aestimatio tantummodo cresceret, ita vt mina, quae priùs tres & septuaginta aestimabatur drachmas, deinceps centum aestimaretur, ac valeret. atque adeo drachma tantummodo à Solone immutata fuisse credenda est, non mina. Sed cùm Scriptores omnes Atticam drachmam intelligant centesimam fuisse Atticae minae partem, fit vt omnes Solonis drachmam, & minam intelligant, non aliam. Quapropter, cùm minorem quandam minam Scriptores Athenienses referant drachmarum septuaginta quinque, eam simul Athenis cum alia maiori in vsu fuisse credendum est; cùm minimè inconueniens videatur, duplicem minam eodem tempore exstitisse; id enim ipsum de duplici talento negare neque ipse Agricola potuit. Confirmat autem ea, quae diximus, Demetrius Alabaldus, vtramque Atticam minam, & Romanam libram paribus conferens drachmis: Libra, inquit, Italica continet drachmas nonaginta sex, id est, duodecim vncias: libra Graeca minor est, vt quae drachmis conficiatur septem (fortè mendum est, &, quinque, substituendum) & septuaginta. Mnam, seu minam constituunt centum drachmae maiorem drachmis quattuor Romana libra. Sunt plura alia minarum genera, quarum non proportionem mutuam, aut institutionis originem curiosiùs inuestigandam censui, sed quid de eis Scriptores sentiant.

Plutarch. in Solone.

Demetrius Alabaldus.

Fuit igitur in primis alia mina vnciarum sexdecim, quam Galenus Atticam quoque vocat, & Aegyptiam, sic scribens: Mna Attica, & Aegyptia habet vncias sexdecim. Cleopatra quoque eiusdem meminit: Mina, inquit, nomen ponderis habet vncias sexdecim, drachmas centum viginti octo, scripulos tercentum octoginta quattuor, obolos septingentos sexaginta octo, thermos, seu, quod idem est, lupinos mille centum quinquaginta duos, siliquas bis mille trecentas quaternas, chalcos sex mille centum quadraginta quattuor. Alius quidam Graecus de ponderibus sic scribit. Mina Attica habet vncias duodecim (deesse puto, aut scriptoris, aut interpretis vitio illud, semis: Atrica namque mina, vt vidimus, vncias continet duodecim & semis, drachmas videlicet centum) alia mina vncias sexdecim, Ptolemaica octo-

Galen. lib. de pond. apud Alciat.

Cleopatra lib. de mundit.

Graecus apud Alciatum.

octodecim. Dioscorides praeterea: Mina, inquit, secundum medicorum vsum habet vncias sexdecim, quod est drachmas centum viginti octo: Italica autem vncias octodecim, hoc est, libram vnam semis, drachmas centum quadraginta quattuor. Alexandrina mina habet vncias viginti, hoc est, drachmas centum sexaginta. Hoc Dioscoridis testimonio, atque alio quodam ex Galeno desumpto confirmare conatur Agricola, minam vnciarum sexdecim in vsu medicis fuisse. Et quoniam Plinij auctoritas ex oppositio stare videtur, dum ait, Attica potissimùm mina drachmarum centum vti solitos medicos, tandem concedit hac, & illa vsos fuisse, quod nos libenter admittimus, eiusdemque concessione freti arbitramur, medicos numquam fuisse, aut Tribunos plebis, aut rerum publicarum administratores, qui suo arbitrio sibi propria effingerent pondera, sed publicis, ac communibus vsos, eorumque vnumquemque, vel propriae patriae mores sequutum, vel eius, ad quam, vel in qua scribebat, tenuisse iura, atque instituta: id quod omnibus ferè alijs scriptoribus, mercatoribus, reliquisque negotiatoribus vsu venire consueuit. Quapropter vtiliùs multo peruestigasset Agricola singularum minarum auctores, & originem, quàm vt medicis imponeret, contra iura fuisse ponderum institutores, qui non credit eos sine causa praedictam instituisse minam. Sed cùm nos quoque, quid hac in re statuendum sit, ignoremus, satis esse arbitrati sumus, si in re tam dubia antesignanum aliquem sequamur ex illis scriptoribus, qui antiquitate sibi auctoritatem, ac fidem promeriti sunt. Galeni igitur dictis stemus, minam asserentis vnciarum sexdecim Athenienſibus pariter, atque Aegyptijs communem fuisse. Quod verò ad alias minas spectat, ipse quoque Galenus alibi sic scribit: Dissensere autem inter se, qui de ponderibus, & mensuris scripserunt, quantum minae pondus sit. Alij quidam ipsam sexdecim vnciarum esse dicunt; alij verò viginti: nonnulli autem distinguunt, atque Alexandrinam viginti esse vnciarum aiunt; alteram verò sexdecim. Quae omnia in vnam summam redigentes triplicem adinuenimus, Atticam minam, minimam drachmarum quinque & septuaginta, hoc est, vnciarum nouem cum drachmis tribus; mediam drachmarum centum, vnciarum duodecim semis: maximam drachmarum centum viginti octo, vnciarum sexdecim, quae Aegyptiorum etiam dicitur fuisse, eiusque vsus nostra tempestate extra Italiam pluribus orbis partibus frequens est. Fuit & alia Ptolemaica mina drachmarum centum quadraginta quatuor, vnciarum octodecim, quam sesquilibram Romanam compellare licebit; atque propterea fortassis Dioscorides Italicam minam eam dixit. Alia verò mina Graecorum omnium maxima fuit Alexandrina, quam paulò ante explicauimus. Huius meminit Epiphanius sic scribens: Italica mina quadraginta staterum est, hoc est vnciarum viginti, id est, librae vnius, & duarum tertiarum partium librae. Sed quare eam minam Epiphanius Italicam vocet, non satis teneo: sed ne que in ea re inuestiganda diutiùs immorabor. his enim ita explicatis, satis me feciſſe arbitror cupientibus varia Graecorum pondera ad certa capita reuocare, quae memoria facilè retineri possint. Nam quae ad Hebraeorum minas spectant, altiorem indaginem sequenti disputatione exposcunt.

Dioscor. lib. de pond. apud eundem.

Galen. lib. 2. de compos. medic. sec. gen.

Plin. sup. cit.

QVAE DICATVR mina medica.

TRIPLEX Athenis mina.

Epiphan. lib. 6. de mens.

GRAECORVM MVLTIPLEX TALENTVM.

Cap. XIX.

TA'ΛΑΝΤΟΝ talanton apud Graecos reipsa multiplex, multo tamen amplius vocis notione. Ex quo factum est, vt non modo regiones, populi, ac Respublicae varia sibi censerent talenta; verùm etiam antiqui illi Scriptores vocis acceptiones sequuti, varijs, diuersissimisque rebus eam vocem tribuere consueuerint. At hac nostra tempestate, qua nihil sibi pulchrum, aut speciosum dici posse putant, decepti quamplurimi, nisi quod nouum, quod inauditum, quod nulli vmquam in mentem venerit, aut cogitationem, arrepta quauis occasione tot fingunt talenta, quot neque ab aliquo percipi, neque dijudicari facilè possint, nedum memoria retineri: atque adeo disputatio haec, quae antiquis historijs, alijsque rebus quamplurimis vtilis, & commoda esset, sua difficultate, & incertitudine ipsa perspicacissima ingenia ita obruit, vt tractationem hanc vereantur vel ab ipso limine salutare. Quapropter operaepretium me facturum existimaui, si prima huius exstruendae fabricae ad solidum vsque effodiam fundamenta, causasque exponam, propter quas in tam varias abierint Scriptores de hac re sententias. *τάλαντον* talanton igitur primitiua sua institutione significat stateram, libram, lances, iuxta etymologicum: namque deducitur à verbo *ταίνω* taeno, quod per reduplicationem fit *τιταίνω* titaeno extendo, vel traho, vel ab adiectiuo *ταλαὸν* talaon, hoc est, aptum ad pondus sustinendum, vnde verbum *ταλαντέυω*, vel *ταλαντῶ* ponderare seu librare significat, vt apud Platonem *τὴν δὲ γῆν ταλαντουμένην ἀνωμάλως* tin de gin talantumenin anomalos, hoc est terram, quae inaequaliter libratur &c. Plura etiam apud eundem significat, vel maximam quandam auri, vel argenti portionem, iuxta quam significationem Demosthenes dixit *πεντήκοντα τάλαντα* penticonta talanta quinquaginta talenta: vel stateram apud Aristophanem: *ἀλλ' ἢ ταλάντῳ μουσικὴ κριθήσεται*, all hi talanto musici crithisetae, verumtamen lance musica iudicabitur. Suidas, & Pollux legunt *στατμιθήσεται* statmithisetae, hoc est, ponderabitur.

PLVRES de talento sententiae vnde exortae.

TALENTI notiones variae.

Plato in Timaeo.

Tertiò *ἡ ῥοπὴ* hi rhopi stateraе momentum, siue examen significat. Tandem numeri cuiusdam nomen est, vnde *πολυτάλαντος* polytalantos dicitur dines, quod multa talenta possideat. Homerus.

κεῖται δ' ἀβ ἐν μέσῳ δύο χρυσοῦ τάλαντα,

hoc est, sita sunt in medio duo auri talenta. Quo loco probant quamplurimi, minimum quid fuisse talentum. quorum coniecturam accuratè satis percensuit his verbis Eustatius. Sciendum indefinitum esse, vt in alijs quoque dictum est, talentum apud veteres, sicut & Porphyrius, & alij ostenderunt. Nam & apud Atticos postea in sex millia staterum conclusum est. Macedonicum verò talentum erant tres *χρύσεοι* chrysioi aurei. Diphilus verò alicubi ait, *ἀργυρίου βραχύ τι τάλαντον* argyriu brachy ti talanton argenti exiguum quiddam talentum. Apud alios talentum erant centum viginti quattuor drachmae; ita inaequaliter se habebat. Ergo vel hic, quae Achilli danda erant talenta, non videntur magnum aliquid esse, vt etiam duo, quae in exequijs Patrocli quarto

TALENTVM magnum pondus, stateram, & certum numerum monetae significat.

TALENTVM pro stateraе examine.

Eustat.

athletae

athletae proposita, exiguum quoddam videbitur pondus. In libris autem Athenaei constat, talentum aliquando fuisse sex millia ceratia. Iterum verò idem Eustatius super illum Homeri versum.

Καὶ τότε δὴ πρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

Cae tote di chrysia patir etitaene talanta.

Tum verò aureas pater extendit lances. talanton, inquit, propriè dicitur de statera propter τάλαν talan, hoc est vim instrumenti ad continendum; & aequiuocè dici ait de instrumento, & de ea re, quae penditur. Ac tertio eandem rem exemplis probat allatis, sic scribens: Sciendum porro est, vt medimnus dicitur, tum vas metiens, tum quod ab eo mensuratur, & choenix similiter, dicimus enim mensuram quandam choenicem; & cubirus item, tum qui metitur, tum quod ab eo mensuratur: ita etiam talentum non modò statera, qua pondera dijudicantur corporum, quae lancibus imponuntur, sed etiam ipsum pondus, quod ponderatur. Hactenus Eustatius. Nos verò, perpensis huiusmodi testimonijs, illud in primis statuendum duximus, talentum non semper pro certo aliquo vel pondere, vel numero, vel nummo accipi, sed plerumque pro indefinito, atque incerto. id quod etiam Aristoteles scripsit, talenti nimirum pondus indefinitum antiquitùs fuisse, dum ait. Quod quamuis retulit Grepsius, non tamen tanti viri propterea auctoritas, & fides eidem Grepsio obstitit, quominus toties talenta definita, ac certa multiplicaret, quoties diuersis in locis, ac diuersissimis, contrarijsque notionibus scriptam reperit talenti vocem. In quo non omnino reprehendendus est, cùm alios sit secutus; verumtamen ipse omnium, quotquot in hac re decepti sunt, anteesignanus, ac princeps habendus, qui plura effinxerit talenta, plura excogitauerit pondera, mensuras plures, quàm quae sunt, aut fuerunt vnquam; immò verò quàm quae hominum potuerunt subire cogitationem, nedum aestimationem, aut opinionem. Quapropter dum scriptorem hunc omnibus huius partis disputationibus refellimus, omnium aliorum, si quae sunt similia figmenta, meritò confutasse videbimur. In quo non Graecorum, aut talentorum diuersitatem, aut morum facilitatem, inconstantiamque negabimus, aut eorum partes tueri conabimur; sed sacri tantummodo textus veritatem, à simili scribendi ratione vindicare, quin potius per petuam earundem rerum obseruationem ab omni confusione, & tenebris alienam tenuisse omni ope atque opera enitemur ostendere. Graecis enim pariter, ac Latinis codicibus vox, talentum, Hebraicae chicar succedit. Vnde factum est, vt praedicti Scriptores hanc, quam ipsi profani, nulla ratione admittunt vocis talenti confusionem, etiam in sacram scripturam, eodem diuino spiritu Hebraicè primùm scriptam, inducere non vereantur. Qua de re opportunè magis, cum de Hebraeorum talento, agemus.

Iam verò, vt peculiarem Graeci talenti notionem expendamus, in primis Sextus Pompeius Festus: talentorum, inquit, non vnum genus, Atticum est sex millium denarium. Reliqua, quae de alijs talentis adducit, ita sunt corrupta, vt vix vlla sit completa oratio, quae mentem indicet auctoris. in hoc verò, quod retulimus, & magnam habet auctoritatem, & ab omnibus paene scriptoribus sine controuersia admittitur, cùm denarium drachmae aequalem intellexisse credatur. Iulius Pollux: Atticum, inquit, talentum sex millia drachmarum valebat Atticarum: Babylonium verò septem millia; Aeginaeum decem millia; Syrium mille, & quingentas secundum Atticae drachmae rationem. quemadmodum sanè & Atticas minas Atticum talentum habuit sexaginta; Babylonium septuaginta; Aeginaeum centum. Quibus verbis numero pares minas talentis singulis adscribit sexaginta, minis drachmas centum, eandem diuersis talentis minarum, ac drachmarum proportionem confirmans, drachmae tantummodo pondere, atque existimatione diuersam. Quod dictum tam multiplices drachmas inducit, quot à nullo alio, quod sciam, scriptorum recensitae sunt. Fateor tamen ab eodem Polluce sic de Aeginetica drachma scribi: Atqui Aeginetica drachmam maiorem Attica fuisse notandum est, vt quae denos obolos Atticos capiat, quos Attica tantùm senos. quare Athenienses crassam eam drachmam vocabant, odio Aeginetarum Aegineam vocare grauati. In quo constans est Pollux, vtpote, qui eandem proportionem assignet Aeginaeo talento drachmarum Atticarum decem millium ad talentum Atticum sex millium ex eisdem drachmis, quam Aeginaeae drachmae obolorum Atticorum decem ad Atticam senum eorumdem obolorum. Sed an hoc idem in omnibus alijs talentis, minis, ac drachmis obseruatum fuerit, alij viderint; mihi enim non fit verisimile, diuersas nationes, ac gentes eandem perpetuò seruasse talenti ad minam, & minae ad drachmam analogiam; cùm diuersa talenta, ac minas à diuersis gentibus odio plerumque alterius gentis ductis praescripta fuisse compertum sit. Accedit his Herodoti auctoritas, quae, dum eum eodem Polluce, atque alijs confertur, nostram hanc sententiam omnino confirmat. Is igitur sic scribit: Distributo prouincijs hunc in modum tributo, quod exigebatur cum hoc edicto, vt, qui argentum, hi Babylonici talenti pondere, qui aurum, hi Euboico pondere afferrent. Valet autem Babylonicum talentum septuaginta minas Euboicas. Haec ille. Sed idem Iulius Pollux relatus affirmat, Babylonicum talentum septuaginta minas Atticas valere: minae igitur Euboicae, & Atticae eiusdem ponderis sunt; idemque de drachmis, ac talentis dicendum est. Iuxta quorum Scriptorum sententiam corrigendum censeo Aeliani locum, qui, dum munera recenset, quae Rex dono dabat venientibus ad se legatis: Conficiebat autem, inquit, Babylonicum talentum septuaginta duas minas Atticas, septuaginta tantummodo legerem, expunctis, duabus. Quod si Pollucis adhuc testimonium, de pari minarum in talento apud omnes gentes numero, sano modo interpretari velimus, illud planè rationabili coniectura opinari licebit, vt Scriptores, verbi gratia, Athenienses, quo faciliùs alterius gentis talenta perciperent, ea in parem minarum, atque drachmarum suis talentis numerum partiti putentur, quo fieret, vt obseruata tantummodo drachmae proportione, reliqua omnia faciliùs, atque expeditè magis computarentur.

Sed ad Atticum reuertamur talentum, quod sex millia drachmarum habuisse affirmat Graecus Aristophanis interpres. Nam cùm Bdelycleon Philocleonis filius: Si de iudicibus, inquit, merces amplius non soluatur, supersunt singulis annis talenta centum quinquaginta. Praedictus interpres, annum illic accipi affirmat pro decem mensibus, quibus iura fari licebat, duobus reliquis in festorum sollemnitatibus actis, ne fari quidem indi-

OMNIA TALENTA *in* sexaginta minas diuidit Pollux, minas singulas *in* centum drachmas.

IAM MVLTIPLICES drachmae, ac minae minus fiunt verisimiles.

Herodot. in Thalia.

MINA EVBOICA, & Attica eadem. *Aelian. variar. hist. lib. 1. cap. 22.*

Aristoph.

Aristi.

GREPSIVS mmeritò tot inxit talenta.

ALIENA est à sacrae scripture con- extu Graeci alenti confu- io.

Pomp. Fest.

Iul. Pollux lib. 9. ono- mast.

iudicibus licebat: silebant enim tunc iudicia, atque conciones. Ex quo fit, ipso attestante, vt singulis ex illis decem mensibus, quindena penderentur iudicibus talenta. Erant porro Athenis iudicum sex millia, quorum singulis dabantur in dies oboli trés, hoc est semidrachma, vt mox ex eadem fabula ostendemus. quare si ea omnia, quae interpres tradit, ad vnam summam redigantur, comperiemus sex Iudicum millibus drachmarum tria millia in dies exhibita, quae terdenis vnius mensis diebus multiplicata efficiunt in mensem drachmarum nonaginta millia, quae, cùm in quindena vnius mensis talenta diuiduntur, ostendunt talenta singula drachmarum habuisse sex millia: drachmarum, inquam, Atticarum, ex quibus octo complebant Romanam vnciam, sex & nonaginta libram.

SEX MILLIA Iudicum Athenis erant.

SINGVLIS sex millium Iudicum diurnum stipendium semidrachma dabatur.

3000
30
90000

90000. 6000
15

Neque verò aduersus haec mouere debent lectorem, quae ingeniosè adstruit eruditus planè nostrae aetatis vir Marsilius Cagnatus, qui, dum locum Aristophanis pertractat, obolum confirmare contendit Atticum, atque subinde drachmam minorem omnino fuisse, quam quae octauam possit aequare vnciae partem. Eius haec sunt argumenta. Philocleon senex Vespis iudicandi desiderio insanus, narrabat se à Lysistrato (qui etiam ipse vnus ex Iudicibus fuit) semel hunc in modum fuisse deceptum. Iudicis merces quotidiana triobolus erat: Lysistratus die quadam integram acceperat drachmam, cuius dimidium Philocleoni praebere debuisset: veniunt illi in macellum. ibi inter pisces Lysistratus squamas tres cephalorum pro obolis tribus collegae tradit: ille, cum propter matutinas tenebras non satis dispiceret, putauit se obolos accepisse, & subdit: Illud fortè non adeo vulgatum hinc intelligitur, obolum quoque fuisse nummum argenteum, sed tam exiguum, vt potuerit aliquis in tenebris pro obolo squamam piscis recipere, splendore captus, & figura, cum inter vtriusque magnitudinem parum, aut nihil interesset. Ille quidem statim odore dolum intellexit; sed deceptor in deceptum culpam reiecit, quasi ipse dolum machinaretur, qui argentum deuorasset, & squamas pro argento accepisse mentiretur. quamobrem illum notauit, tamquam galli ventrem haberet, qui posset argentum concoquere. Haec ille. Quae omnia cum in fabula à poëta relata, sint potius, vt risum moueant, quàm vt fidem adstruant, satis superque Aristophani satisfecerit, qui intelliget cephalorum squamam aliquam similitudinem argentei oboli retulisse, non verò formae, aut ponderis paritatem. Quapropter vnius fabulae figmentum non debuit tot probatis scriptoribus fidem abrogare, qui constanter affirmant, Atticas drachmas octo Romanae vnciae aequales fuisse. Et quidem praedictae sententiae argumentum, quod proponitur, eiusmodi est, vt si quid, quod ad oboli, drachmae, aut talenti pondus spectet, probat, tam multa probet, vt eius fides nulli non suspecta sit. Quis namque credat, squamas sex, aut decem drachmae pondus aequare posse: Cum ego ipse, pluribus astantibus testibus, eius pisces squamas recentes, & humidas appenderim, & inuenerim sexaginta ex eis pondus Romani Iulij, qui drachma minor est, aequare non potuisse, nedum drachmae pondus aequarent squamae sex? Quapropter nihil eiusmodi fabulam ad pondera examinanda conduce-

Marsil. Cagn. vari. ar. obser. lib. 4. cap. 6.

POETARVM fabulae grauissimorum Scriptorum fidem abrogare non debent.

re posse existimamus. Ea verò, quae de obolo proponuntur, examinanda iam sunt. Duplex obolus proponitur, Atticus alter, & paruus, cuius meminit Hippocrates, ferri cuiusdam praecipiens supremam partem constitui latitudine parui oboli: alter verò magnus, seu Aeginaeus, cuius meminit alibi idem Hippocrates his verbis: Pondere, inquit, Aeginaei oboli. Horum porro obolorum eadem putatur esse ratio, quae drachmae Aeginaeae ad Atticam, vel quae talenti ad talentum, nimirum, eadem cum ea, quam habet denarius ad senarium numerum. Verùm quamuis Hippocrates sollers medicus oboli pondus commemorans aliquid significasse videatur, Aeginaeum dicens; tamen nullam puto ponderis differentiam respexisse, dum parui dixit, sed maiorem, vel minorem nummi latitudinem indicare voluisse, qua eodem metallo, pondere, iussu, ac die percussi numini esse frequenter solent, vt in omnibus omnium aetatum, ac gentium numismatis obseruari poterit.

Hipp. de haemorrh.

Hipp. lib. de superfoet.

OBOLI MAgni, & parui non vsquequaque probati sunt.

Haud dissimili coniectura docti quidam nostrae aetatis viri alucinati sunt, arbitrantes bina fuisse Athenis talenta, paruum, quod hactenus exposuimus, minarum sexaginta, & magnum, quod ipsi putant octoginta fuisse minarum. Nam quamuis negari non possit, talentum aliquod octoginta fuisse minarum, illud verò non vsquequaque verum est, eiusmodi Atticum dicendum talentum. Qua in re libuit eruditissimo viro Petro Ciacconio assentiri potiùs, quàm alijs, quorum rationes non firmis videntur niti fundamentis. Illius haec sunt verba: Et sanè cùm apud nullum, (quod sciam) Graecum scriptorem magni talenti fiat mentio, id additum à Latinis videri potest, ne paruum quiddam pro illorum consuetudine talentum esse existimaretur. Vidit hoc Seruius, qui super illo Virgilij versu.

Pet. Ciacconi de mens. & pond.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta. *Virg. 9. Aen.*

Bene, inquit, addidit, magna, nam talentum potest, & breue aliquid, & magnum significare. Hactenus ille.

Quod verò ad Plauti locum spectat, ex quo probari putat Seruius, magnum octoginta minarum talentum, planè Agricola demonstrat, non aliud ibi intelligendum talentum, quàm Atticum, sexaginta minarum: siquidem centum viginti minae bina magna talenta vocantur. Ex quo Ciacconij sententia mirificè stabilitur. Priscianum mox reijcit idem Agricola, vtpote minus secum inuicem congruentia locutum, quem etiam nos dimittemus, ac mox eundem Agricolam arbitrantem Atticum octoginta minarum talentum apud Liuium reperiri: sed de Euboico talento, non de Attico sermonem ibi à Liuio fieri, attentiùs examinatus Liuij locus indicabit. Is sic habet, dum pacem ab Antiocho expetitam, & à Scipione Romano Consule exhibitam enarrat, inter eius pacis leges haec enumerat. Pro impensis deinde in bellum factis quindecim millia talentum Euboicorum dabitis, quingenta praesentia, duo millia & quingenta, cum Senatus, Populusque Romanus pacem comprobauerit: millena deinde talenta (sic corrigo cum Budaeo, & Glareano, leges enim Latinae linguae corruptam esse ostendunt lectionem illam, mille talentum) per duodecim annos. Pace verò iam à Senatu comprobata. Consul, inquit, Pamphyliam, quo pecuniam, frumentumque Regios conuehere iusserat, peruenit, mille & quingenta talenta argenti accepta Apamaeam deportantur.

Seruius.

G. Agric. lib. 5. de pond.

Tit. Liu. lib. 37.

vbi

vbi duo millia quingenta legenda suadet tum ipse historiae contextus, qui praesentia quingenta accepta iam fuisse significat, duo millia verò quingenta, quae, pace à Senatu comprobata, recipienda erant, nunc accepta fuisse significat: tum vel maximè, quòd ab Appiano haec eadem referente sic scribitur, vt nos legimus; concordatque his quoque, quod in legibus foederis ex Legatorum Antiochi sententia scriptis haec habentur verba: Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos pensionibus aequis. Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat.

Appianus Alex. in Syriaco.

LIVIVS mendatus.

Suimet oblitus Liuius, Attica talenta dixit, cùm suprà Euboica scripsisset, hisque potiùs, quàm illis minarum numerus, quem suprà ex Polluce retulimus, concordet, quamuis libras, aut pondo pro minis scripserit Latinus historicus. Quae res ne alicui in controuersiam reuocanda videatur, Appianus legendus est, qui, dum haec eadem refert, aliqua subiungit historiae integritati congruentia, quae referre non grauabimur. Δοῦναι δὲ καὶ εἴκοσι ὁμήρους, ἂν ὁ στρατηγὸς ἐπιψηφίσῃ, καὶ χρήματα ἐς τὴν τοῦδε τοῦ πολέμου δαπάνην δι' αὐτὸν γενομένου, τάλαντα Εὐβοϊκὰ αὐτίκα μὲν ἥδη, πεντακόσια, καὶ ὅταν τάσδε τὰς σπονδὰς ὁ σύγκλητος ἐπιψηφίσῃ, δισχίλια καὶ πεντακόσια. δώδεκα δ' ἔτεσιν ἄλλοις ἕτερα μύρια καὶ δισχίλια τὸ μέρος ἑκάστου ἔτους ἀναφέροντ' ἐς Ῥώμην. Quae Appiani verba, quoniam non ad verbum, sed mutila retulit eius interpres Gelenius, sic conuertere Latinè licet. Vt viginti quoque det obsides, quos Imperator praescripserit, & pecunias pro huius belli sumptibus, eius causa suscepti, talenta Euboica soluat quingenta quidem iam numerata pecunia; vbi verò Senatus haec foedera comprobauerit, duo millia quingenta, & per alios annos duodecim alia duodecim millia, ita vt singulis annis mille talenta Romam deportet. Addidit autem Appianus, hoc foedus tabulis aeneis incisum in Capitolium relatum fuisse, vbi eiusmodi foedera dedicabantur. Igitur, aut à Liuio Attica pro Euboica per incuriam scripta sunt, vel, quod magis fit verisimile, ab aliquo rerum ignaro glossematis loco adiecta sunt, quae postmodum in contextum irrepserunt. Quapropter Euboicum talentum octoginta pondo fuisse, iuxta Liuij sententiam, existimandum est. Quod verò libras octoginta Romani ponderis addiderit, ad explicandum Senatus indulgentiae, ac liberalitatis argumentum haberi poterit: siquidem quae talenta Atticarum minarum octoginta petierat Consul, ipsa indulgens Respublica totidem Romanarum librarum pondus habere concesserit, non partuam pecuniae soluendae partem ea ratione remittens, in singulis minarum minis semuncias singulas, hoc est, quaternas drachmas, in singulis talentis Romanas libras tres cum triente. Atque de Graecis Ponderibus, atque numismatis dictum sit hactenus.

APPIANI locus restitutus.

EVBOICVM talentum octoginta minarum Atticarum fuit.

HEBRAEORVM PONDERA ATQVE NVMISMATA. DISPVTATIO QVARTA.

DE CHARACTERIBVS QVIBVS OLIM HEBRAEI NVMISMATA SIGNABANT VBI DE HEBRAICAE LINGVAE *antiquitate, & dignitate.* *Cap. XX.*

EA, quae hactenus de ponderibus, ac numismatis disputauimus, praesentis disputationis quasi quaedam sunt praeiacta fundamenta. Non enim vmquam in animum induxi meum, vt, quoniam de ponderibus mihi agendum esset, de omnibus omnium gentium ponderibus agerem. Quae rerum (vt ita dicam) dissoluta connexio eò mihi magis vitanda fuit, quod in alijs, si quid simile inueniatur, non modicè reprehendendum censuerim. At cùm ipse Propheta, quem interpretandum suscepimus, in hanc nos induxerit Hebraeorum ponderum disputationem, quae, vt suprà ostendi, percipi nulla ratione potuisset, nisi facta cum Romanis, ac Graecis collatione, postquam de his ea tantummodo praelibauimus, quae maximè necessaria videbantur, ad institutum nostrum propius accedentes, de ipsis Hebraeorum ponderibus, atque numismatis quanta maxima poterimus breuitate, ac perspicuitate nunc agemus.

Atque illud in primis statuendum videtur, quod initio huius capitis proposuimus; nimirum quibus characteribus olim Hebraica numismata signarentur: non enim vlla numismata adhuc inuenire potuimus, antiquitatem redolentia, quae eisdem, quibus nunc vtuntur Hebraei, characteribus signentur; cùm tamen plura adinuenerimus, atque à probatis scriptoribus commemorata acceperimus longè diuersis litteris obsi-

NVLLA NVmismata antiqua litteris, quibus nunc vtuntur Hebraei, obsignabantur.

obsignata. Quapropter omni ope curandum duxi, vt omnes eiusmodi litteras ordine dispositas examinaremus; vt, his plane perspectis, & cognitis, quaecumque Hebraeorum numismata conspicere dabitur, facilè agnoscere, eorumque inscriptiones & legere, & interpretari sit integrum. Qua in re illi nullatenus audiendi sunt, qui tantum sibi tribuere consueuerunt, vt, quidquid non norunt, id omne falsum, aut fictum esse facilè credant; neque hoc tantùm, sed & obsequium se praestare Deo putent, si aliorum hominum oculos, ac mentem auertant, ne rationes perpendant, quibus confirmantur, atque stabiliuntur ea, quae proponuntur: idque non alia ratione praestant, quàm dum interrogant: & quo modo tu nosti huiusmodi litteras antiquas fuisse? quis te reddit certiorem, eiusmodi numismata omnia non de nouo ab aliquo fuisse conficta? Atque huiusmodi non pauca proferunt, quibus dum cuncta in dubium reuocant, eorumque, qui ea confirmant, rationes audire detrectant, omnia improbant, cunctaque antiquitatis monumenta, perscrutantium studia reprehendunt, despiciunt, irrident. Quibus non alia ratione respondendum censeo, quàm si eadem ipsos reprehensores reprehensione dignos ostendero, quòd credant Scythas, aut Garamantas vmquam exstitisse, si fidem habent referentibus, quas ipsi non viderunt, Constantinopolim, Calecut, Iaponiam, & reliquas: nec minùs esse deceptos existimemus, si vera esse existiment, quae ab Hebraeorum Grammaticis traduntur, ni mirum litteram א aleph, sic scribendam, sic autem ב beth, & sic de reliquis. At sicut stultum omnino esset, atque ab omni rationis iudicio alienum, huiusmodi rebus fidem non adhibere, quae ab omnibus sine controuersia recepta sunt, vsuque, ac communi hominum consensu inualuerunt, sic etiam rationes, atque momenta perpendat rei propositae vnusquisque, priusquam leuitatis, aut deceptionis arguat eos, qui attentiùs omnia vtriusque partis argumenta expenderunt, & omnes, quotquot inuenerunt, dubitandi rationes alijs firmioribus adhibitis dissoluerunt. Haec autem ideo dixerim, vt nemo arbitretur, me aliqua Mathematica posse demonstratione ostendere, eos, quos proponam characteres, aut ea numismata indubitata, atque certissima esse; sed satis prudenti, atque in omni disciplina exercitato viro me feciße existimabo, si, quae à pluribus probatis Scriptoribus confirmata sunt, proponam, aut animi mei coniecturas proferam, quibus ductus singulas hujus disputationis partes probauerim. Nam, quae solidis, ac firmis sacrae Scripturae testimonijs inniituntur, ea sequentibus capitibus proprijs locis, sine dubitatione exponam.

CHARACteres Hebraeorum alij vetustiores, alij recentiores sunt.

Vt igitur ad propositam quaestionem propius accedamus, id item assumere deberemus, non eisdem, quibus nunc vtuntur Hebraei, olim vsos fuisse characteribus: atque illos, quibus nunc vtuntur, nouos esse, posterioribusque eius Reipublicae temporibus adinuentos. Huius rei testis est Sanctus Hieronymus, ita sibi constans, vt hoc vno testimonio satis superque probata videatur nostra sententia. Eius haec sunt verba. Certumque est Esdram scribam, legisque doctorem post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel alias litteras reperisse, quibus nunc vtimur, cum ad hud vsque tempus ijdem Samaritanorum & Hebraeorum characteres fuerint. Et post pauca subdit. Et nomen Dei tetragrammaton in quibusdam Graecis voluminibus vsque hodie antiquis expressum litteris inuenimus. Illud verò sanctissimum, & ineffabile Dei nomen, quod Sanctus Hieronymus in codicibus legerat Graecis, vtinam, & ipse in Latinis suis scripsisset, non vtique amplius esset de characteribus illis antiquis dubitandum, neque nobis essent alij, atque alij characteres inuestigandi. Verum tamen est, sanctissimum virum superuacaneam iudicasse eiusmodi nominis scripturam, cùm satis superque ingeniosis fecisse existimauerit, affirmans eosdem illos cum Samaritanis characteribus fuisse, quorum erat scriptura, & vsus tunc frequens. Sed de ipsis characteribus mox agendum; priùs tamen huius nobis mutationis causa inuestiganda est. Nam quamuis deperditos Babylonica captiuitate sacros libros instaurare coactus fuerit Esdras scriba, tamen non vsquequaque compertum est, qua ratione nouos etiam characteres adinuenerit: quare non eosdem potiùs antiquos retinuerit? Huic autem dubitationi satisfeciße videtur Benedictus Arias ex sententia, ni fallor, Gerundensis antiqui Hebraei sic scribens: Namque Iudaei, vt omnes ferè Scriptores asserunt, ne cum schismaticis Israelitis vllo sacrorum vsu communicarent, eam litterarum formam, quae nunc etiam in vsu est, hoc est, quadratam, mutatis valde alterius prioris figuris, adinuenere. Hinc fit, vt Frater Ludouicus in libro, quem Globum Canonum inscripsit, eos characteres Chaldaeos, & Babylonicos fuisse arbitretur, eadem lingua Hebraica sub diuersis manente characteribus. Quo sensu accipienda sunt ea, quae Hebraeus Philo tradit, legem affirmans antiquitùs lingua Chaldaica scriptam fuisse, mansisseque in ea longo tempore. antiquitatem commorasse videtur Philo à reditu captiuitatis, quum Esdras legem Chaldaicis scripserat characteribus. Sed quamuis, quod ad characteres spectat, vtrum eos aliunde desumpserit Esdras, vel eos ipse tunc primùm excogitauerit, non constet; illud tamen minùs fit verisimile, linguam dictam propterea tantummodo Chaldaicam, quod litteris fuerit scripta Chaldaicis; praesertim cùm ipse Philo non litteras modo, sed ipsam linguam, nomen, ac voces Chaldaicas fuisse testetur: ibidem enim de septuaginta legis interpretibus loquens, & de Ptolemaeo Philadelpho, sic scribit: Talis Princeps captus nostrae legis amore, ac desiderio, in Graecam linguam e Chaldaica transferendam curauit &c. Ac mox de Pontifice, Legatis, ac Graeco Imperatori satisfacere cupiente sic scribit. E suis Hebraeis, doctissimum quemque praeter patrias litteras Graecis etiam eruditum libenter misit. Ac tandem de ipsa interpretatione legis haec profert: Id negant factum in prodendis his legibus, sed reddita propria proprijs nominibus Graecis ad Chaldaica exacte respondentibus. Quibus locis constans planè videtur se ostendere Philo in ea sententia, quam sequutus est Oleaster, eandem nimirum linguam, & Chaldaicam dici, & Hebraicam. Hanc sententiam tenuit Beatus Hieronymus sic scribens: Philo arbitratur linguam Hebraeorum ipsam fuisse Chaldaicam, quia Abraham de Chaldaeis fuerit. Quod si recipimus, quaerendum est, quomodo nunc Hebraici pueri linguam, quam nouerant, doceri iubeantur: nisi fortè iuxta quorundam opinionem duas Abraham linguas, & Hebraeorum, & Chaldaeorum scisse dicamus.

S. Hieron. in prologo Galeato.

QVAM OB causam litteras mutauerit Esdras.

Benedictus Arias mont. tom. 3. apparat. bibl. cap. de sicle.

Glob. can. lib. 1. cap. 1.

Philo lib. 2. de vita Moysis.

HEBRAICA lingua Chaldaica etiam dicitur.

Oleast. sup. Genes. 10.

S. Hier. lib. 1. in Daniel.

Haec

Haec Hieronymus. Huic verò difficultati, quam Beatus Hieronymus proponit, facilè respondèri posset, etiam si sententiam teneremus Philonis, *litteras* enim, *& linguam Chaldaeorum* doceri iubentur Hebraei pueri, vt nimirum linguam quam nouerant, etudite, eleganter, atque ornate loqui addiscerent. Quamuis tempore Babylonicae captiuitatis diuersam fuisse Chaldaicam ab antiqua Hebraeorum lingua facilè ostendere possit ipse Hebraicus Danielis sermo Chaldaicis verbis permistus, & purus Isaiae, qui longè abinuicem diuersi sunt. Verùm aliam quoque rationem licet excogitare, propter quam Hebraicus sermo Chaldaici nomine censeatur. Nam cùm omnium linguarum parens, atque origo fuerit Hebraica, Chaldaica quoque dicitur propter idiomatum propinquitatem, vel propterea quod Hebraeorum parens Abraham è Chaldaea primùm vocatus est à Deo. Atque huic sententiae adstipulari videtur Euangelistarum phrasis, ac sanctissimi Ioannis potissimum, qui voces illas, Golgotha, gabbatha, Bethsaida, Hebraicas vocat, cùm terminatione, & litteratum multitudine Chaldaicam potiùs, quàm Hebraicam linguam imitari videantur. vnde non leue desumi posse videtur argumentum, ad probandum Hebraicam linguam eam fuisse, cuius meminit sacra Genesis sic scribens: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem.* Nam cùm tota Hebtaeotum lingua à Deo ttadita, ineffabile Trinitatis mysterium innuat, Deique arcana declaret, dum omnes eius voces simplicissimae sunt, ternis tantummodo litteris constantes, ex quibus quasi primis vocum originibus, additis alijs, atque alijs litteris, voces omnes deducuntur, ea vtique primitiua etit lingua, quae hunc teneat vocum proferendarum, siue etiam scribendarum morem: illa verò ab hac erit sine dubio deriuata, quae plures addit litteras in prolatione, atque scriptura, ptaeter primaeuam vocis originem. Atque adeo perperam crediderim citati eos, qui linguam Chaldaicam, Aramaeam, siue Syriacam (his enim omnibus, atque alijs nominibus eadem appellatut lingua) affirmant omnium fuisse primitiuam. Nam magnus Ephrem Syrus, Theodotetus, & Sanctus Augustinus relati à Georgio Auira Syro, olim Maronitarum collegij alumno, nunc Episcopi dignitate in sua gente ptaefulgente, de lingua vtique Syra loquuti fuisse intelligendi sunt, non vt distinguitur ab Hebraea, sed vt communi quodam nomine vtraque lingua Syriaca dicitur. Huius plane sententiae auctorem habeo Eusebium sic scribentem. Multi Syros litteras primo comperisse asserunt; Syri autem etiam Hebraei sunt: nam Iudaea in Syria semper a Scriptoribus habita est, & Phoeniciam etiam apud priscos appellari constat. Haec Eusebius. Neque verò lingua tantummodo Hebraeorum Chaldaea dicitur, sed & ipsi Hebraei Chaldaei nominantur ab Apollone Milesio: is enim, (vt auctor est Lactantius) rogatus à suis de IESV Christo Domino Nostro, num Deus, aut homo fuerit, hoc modo respondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τεραταῖσι ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κρίτων ὄπλοις συναλωφεὶς
Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἔτλησε τελετήν.

Quae verba sic versibus Latinis teddidit Iacobus Gretserius è nostra societate.

Corpore mortalis, sapiens ad facta stupenda;
Verùm à Iudicibus Chaldaeis captus & armis,
Clauis, & palis mortem tolerauit acerbam.

Ex quibus testimonijs planè confitmatur, Hebraeorum linguam plerumque Chaldaicam dici. Quod si inter se distinguantur hae linguae, Syriaca quodammodo prima dicitur, vtpote quae vocum notionibus, & radicibus ipsi primae Hebraicae sit quàm simillima. Dictus verò Auira rationem quandam excogitauit, vt Chaldaicam linguam probet priorem fuisse; nimirum, quia Chaldaei regionem illam colere non destiterunt, in qua ante linguarum confusionem primitiuae linguae fuerat vsus. Quare rationi consentaneum illi videtur, vt putemus eos, qui in Chaldaea permanserunt, antiquam linguam, quam ipsi habuerant, conseruasse. Ea verò ratio nonnihil habetet momenti, ac ponderis, si linguarum confusio ex alia quauis causa, quàm ex sceleris vindicta procesisset. Haec enim nihil aliud suadere videtur, quàm quod regionis incolae, cuius ob immane facinus Deus iustus omnium hominum linguas confudit, confusionis perpetua monimenta asseruare debuerint, lingua confusa, atque ipsorum ciuitati, & regioni Babylonis, hoc est, confusionis nomine impositio.

CHALDAICA lingua non est omnium prima.

BABYLONII maximè linguarum confusionem perpessi, confusionis nomine censentur.

Verùm enimuero, etiamsi ex alia quauis causa natiuae linguae permutatio accidisset; non tamen propterea verum esset, quod adstruit Auira, cùm longè aliter accidisse Romae, vbi nunc degimus, experiamur. Nam cùm tres linguas, Hispanicam, Gallicam, & Italicam ex eadem Latina processisse compertum sit, quae Romae potissimùm, & in Italia fuerat primitùs vsitata; non tamen propterea Italica lingua plus habet ex Latina, quàm reliquae; cùm plura videamus Hispanicis verbis, ac lingua scripta, quae non minùs Latinis notae sint, ac propria, quàm ipsis Hispanis. id quod ipsa Italica lingua praestari neutiquam posset; ideoque illa omnia argumenta, quibus prior haec sententia confirmatur, non aliud vtique probant, quàm probarent, qui Italicam linguam contenderent illa ipsa Latina lingua vetustiorem fuisse. Sed eiusmodi argumentis praetermissis, superest, vt, qua nos freti auctoritate nostram tueamur sententiam, breui aperiamus.

In primis Sanctus Augustinus: Ergo, inquit, in familia Heber communis antea omnium lingua remansit, diuisis per alias linguas ceteris gentibus, ideo deinceps Hebraica est nuncupata. Ex quo idem Sanctus Augustinus argumentatur, in solo Heber, & familia eius rectam veri Dei fidem, religionem, ac pietatem remansisse. Quam quidem rationem, eiusque vim dum effugit praedictus Georgius, incidit in foueam procul dubio periculosiorem, negans Heberum iustum fuisse: probare namque contendit, non Heberum tantùm, sed & omnes homines sceleris aedificandae, ex superbia, turris conscios fuisse, atque participes; propterea quod historia Genesis, dum conuenisse homines narrat ad eiusmodi turrim aedificandam: *dixit*, inquit, *alter ad proximum suum, venite faciamus &c.* Quo loco paraphrasis Chaldaica, vnusquisque, legit, ad proximum suum; ideoque putat, omnes, nemine excepto, eius criminis fuisse reos. Verùm praetetquam quod phrasis illa nihil tale significat, oppositum tenere nos admonet Ecclesia Catholica, cuius sanctitatem ideo profitemur, quòd iusti ab Abele iusto, vsque ad saeculi consummationem defuisse, deesse,

S. Augus. lib. 16. de ciuit. cap. 11.

Gen. 11. ℣.

HEBRAICA lingua omnium prima, ac parens habenda.

Ioan. 19. ℣. 17. & 13. 7 cap. 5. ℣.

Gen. 11. ℣. 1.

Georg. Michael. Auira Maronitis in Gram. Syriac.

Theodor. q. 19. in Genes. S. Aug. in prolog. sup. psal. 118. Euseb. lib. 10. praepar. c. 2.

Lactan. Firm. lib. 4. de vera sapien. c. 13.

Gretser. lib. 1. de Cruce cap. 7.

deesse, aut defuturos numquam credamus. Cui quidem fundamento Sancti Augustini innitens ratio nullo vmquam tempore labefactari poterit.

S. Hieron. Sophon. 3. & Isai. 7. Hanc sententiam tenet Sanctus Hieronymus, qui *nugas* Hebraicam vocem, apud Sophoniam in Latina versione se reliquisse testatur, vt cùm eadem quoque Latina vox esse probetur, omnibus compertum sit, linguam Hebraicam omnium linguarum fuisse matricem. Atque iterum: Omnium enim, inquit, paene linguarum verbis vtuntur Hebraei, id quod adductis probat exemplis. Horum autem Patrum sententiam optimis fundatam, atque firmatam coniecturis tuentur, ac tenent non veteres tantummodo fere omnes Hebraei, Graeci, & Latini, verùm etiam ex recentioribus quamplurimi, ac doctissimi Scriptores, quos longum foret recensere. eorum tamen nonnullos videre lector poterit apud Pererium, eruditè satis, atque sapienter, vt cetera, hanc eandem sententiam confirmantem.

Perer. disput. 8. lib. 16. in Gen. tom. 2.

Verùm, quod instituto huic nostro conducere non parum videtur, illud est, quod idem Sanctus Augustinus alibi testatur his verbis. Non itaque credendum est, quod nonnulli arbitrantur, Hebraeam tantum linguam per illum, qui vocabatur Heber, vnde Hebraeorum vocabulum est, fuisse seruatam, atque inde peruenisse ad Abraham; Hebraeas autem litteras à lege coepisse, quae data est per Moysem: sed potiùs per illam successionem Patrum memoratam linguam cum suis litteris custoditam. Hactenus Augustinus, qui mox respondere videtur obiectioni illi, quae posset opponi; nimirum, receptum omnino fuisse tum apud Latinos, tum etiam apud Hebraeos Scriptores, & apud Eupolemum, Artapanum, aliosque profanos quos refert Ludouicus Viues, Moysem primum fuisse Hebraicarum litterarum auctorem, atque doctorem. quae etiam causa fuit, vt Theodoretus putauerit, linguam Hebraicam non natiuam alicui Hebraeorum genti fuisse, sed addiscendam singulis. Verùm non aliter respondendum censerem Theodoreto, quàm si de Latina lingua loqueretur: nam sicut haec, quae olim naturalis, & communis Italiae fuit, post longa temporum aliarum gentium consortio, atque colloquijs ita corrupta est, vt in libris tantummodo permanens addiscenda sit, sic etiam de Hebraica contigit, quae primum à Deo tradita, & quasi naturalis fuit, postmodum verò Theodoreti maximè temporibus addiscenda fuit. id quod significare voluisse videtur Augustinus superioribus verbis haec subiungens: Denique Moyses in populo Dei constituit, qui docendis litteris praeessent, priusquam diuinae legis vllas litteras nossent. hos appellat Scriptura grammaton Isagogos, qui Latinè dici possunt litterarum inductores, vel introductores, eò quod eas inducant, id est, introducant quodammodo in corda discentium, vel in eos potiùs ipsos, quos docent. Haec Sanctus Augustinus. Et quamuis, quod ad inuestiganda numismata spectat, satis, superque fuerit explorasse Hebraeorum characteres, non recentiores Moyse fuisse, cùm nulla numismata videre hactenus potuerimus Moyse, ac lege antiquiora; tamen haec nostra sententia firmior multo, atque stabilior manebit, si alijs, atque alijs testimonijs, atque rationibus ipsa Sancti Augustini verba magis, & magis confirmentur.

S. Augus. lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 39.

LINGVA Hebraea cum suis litteris per Patrum successionem fuit asseruata.

Deut. 31. ℣. 28.

γραμμάτων εἰσαγωγεῖς.

Ioseph. lib. 1. antiq. cap. 3.

Iosephus antiquus ipse Scriptor, rerumque gentis suae non ignarus, de Sethi posteris, propter bonam indolem patriam absque seditione in perpetua felicitate incolentibus agens, eos affirmat, sideralem scientiam, ac caelestium rerum cognitionem excogitasse, & subdit: Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum praeciniisse, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vna lateritia, altera lapidea, vtrique sua inuenta scripserunt, vt, si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quae inscripta continebat, spectanda exhiberet; vel, lapidea igne abolita, maneret lateritia. Manet autem lapidea ad hunc diem in Syria. Hactenus Iosephus, ab omnibus, quod sciam receptus. qui cùm scriptam Astrologiam ante diluuium testetur in Syria, vtique litteris scriptam fuisse planè testatur, quae antiquiores multò sunt Moyse, ac lege. Hebraeos item latè confirmat Eusebius, primos fuisse litterarum inuentores, à quibus aliae, atque aliae nationes, & gentes litteras accepere, ac tandem Graeci. Sed & Suidas Adamum tradit, & Seth eius filium litteras Hebraicas inuenisse, quas antiquiores, & firmiores vocat Irenaeus. Haec sententia ab omnibus ita olim recepta fuit, & euulgata, vt ad Plinij quoque aures peruenerit, qui litteras semper Assyrias fuisse arbitratur, etiam si ab alijs apud Aegyptios repertas fuisse putetur. Sed si rem ita perspicuam, atque receptam libeat etiam rationibus, aut coniecturis confirmare, ea se se mihi offert, quae vel vna non modò Hebraicae linguae antiquitatem, atque praestantiam, verùm etiam literas ipsas illi antiquitate pares fuisse probare facilè possit. desumi autem potest ex Dei optimi immutabilitate, atque constantia, quae, quam semel elegit loquendi, siue etiam scribendi rationem, eam semper tenuisse suadet: cumque Adamo primum loquutum fuisse Deum legamus, atque Patribus in Prophetis, ipsumque Deum Optimum Maximum Moysi sciamus duas tabulas testimonij digito suo scriptas dedisse, ac legem totam, & Prophetarum oracula scribi deinde mandasse, haud dubiè colligimus, eadem lingua priùs ac postmodum Deum loquutum fuisse, quam eidem Adamo praestitit, eisdemque characteribus, quibus eam scribendam docuit, & ipse Deus scripsit, & Prophetae omnes, atque diuino afflati spiritu antiqui illi homines scripserunt.

SETHI POsteri sideralem scientiam posteris suis tradiderunt.

Euseb. lib. 10. praep. cap. 2.

Suid. lib. 2. antiq. c. 2.

Iren. lib. 2 aduer. haeres. cap. 41. & ibi plures citat.

Plin. lib. 7. cap. 56.

DEVS OPTImus Hebraica lingua semel locutus, aut scribens, semper eadem locutus fuisse, aut scripsisse credendus est.

His tam firmis innixam rationibus sententiam labefactare conatur Goropius quidam Becanus in sua Hermathena, qui dum Cimmeriam suam, vel potius Chymeram, alijs omnibus linguis antefert, iniurijs quodammodo, atque conuitijs potius lacessere videtur linguam sanctam, quam rationibus aduersus illam contendere; sic enim scribit: Non video igitur, quinam defendi queat eorum assertio, qui Hebraicam linguam omnium primam esse contendunt, cùm nulla sit pluribus difficultatibus implicata, nulla plus habeat ambiguitatis, nulla caliginem profundiorem; adeo vt in eius abyssis perscrutandis non Delio natatore, sed Delio Vate frequenter opus esse videatur. Hinc tanta interpretum eius discordia, tot obscurae, incertaeque de verborum, orationumque intelligentia coniecturae, quas qui compendio nouisse volet, lexica ipsorum consulat, in quibus paucas voces videbit vnius dumtaxat

Gorop. Becan. in sua Hermath. lib. 2.

nota-

notationis. Haec ille. qui toto hoc opere id planè consequutus fuisse videatur, vt ad sui commiserationem potiùs, quàm ad sententiae probationem lectores inducat, eo quod ingenij sui acumen, & vires in eam rem probandam impenderit, quam neque ipse, qui scripsit, credidisse credatur; vtpote qui ad ostentationem ingenij potiùs scripserit, quàm quod crederet eruditos aliquos viros in suam fore sententiam adducendos. Is verò, quae adducit aduersus linguam Sanctam, perperam assumptis argumentis, id vnum praestitisse videtur, vt eisdem explicatis, linguae huius dignitas innotescat, & causae, propter quas Deus Optimus illam prae caeteris omnibus primùm elegerit. Vt igitur ab eius exordiar rationibus, Aristotelem refert, asserentem, res infinitas esse, vocabula finita, & idcirco necessarium esse, vt vnum idemque nomen plures res designet. Quoniam verò vocum signa sunt litterae, haud secus, quàm rerum voces, vocibus ad rerum multitudinem numero magis accedentibus, litterae faciliùs potuerunt ad minimum numerum reuocari: quapropter viginti duabus litteris totus potuit scribi Hebraicus sermo. Eius verò numeri dignitatem latè persequitur Epiphanius, probans aptissimè assumptum eum litterarum numerum, ad significandum viginti duo opera, quae fecit Deus in sex diebus creationis. Ex his igitur litteris, tamquam primis rerum principijs voces componunt, mirabili quodam artificio, illi idiomati proprio, ac mysterij pleno. Nam vt sacratissimum Trinitatis mysterium singulis paene verbis exprimerent, ac profiterentur, ex litteris ternis, quasdam simplicissimas voces composuerunt, quas שרש sres, hoc est, radices nominarunt, arborum, & plantarum instar: sicut enim ex vna radice plures procreantur rami, ita ex vnaquaque harum simplicissimarum vocum, additis litteris, permutatis, siue etiam sublatis, plures deducuntur voces. Neque verò propterea, quod plures pariat radix voces, aut pluribus ditetur notionibus vox aliqua, ideo confusioni, aut aequiuocationibus locus datur in lingua sancta, vt perperam colligit Becanus; omnia enim tam mirabili distinguuntur ordine, vt, nisi perfectissimi idiomatis ignoretur artificium, facilè quiuis iudicare possit, hanc vnam linguam dignam fuisse, qua Deus optimus, humano more loquutus, loqueretur; vtpote quae breuissima, sententiarumque plena ipsos posset animi affectus significare, & vnica plerumque voce non pauca audientibus sine aequiuocatione exponere; plurima verò potiori ingenio, atque intelligentia praeditis. Ex quo factum est, vt numero, & magnitudine exiguis scripturarum libris, Hebraicè primùm scriptis, fecundissimis omnis sapientiae fructibus ditetur Sancta Mater Ecclesia, atque in dies magis, ac magis ditari possit. Nam quod Hebraicae voces res ipsas, earumque proprias naturas significent, ita perspicuum est, vt probatione non indigeat. Commune namque, & ab omnibus receptum est illud sacrae Genesis testimonium: *Omne enim, quod vocauit Adam animae viuentis, ipsum est nomen eius.* Vnum tantummodo proferam Philonis testimonium, quo Hebraicae linguae (quam, vt dixi, Chaldaicam vocat) proprietas ostendatur, eaque ab omnibus Goropij iniurijs vindicetur. Hic cùm septuaginta duos sacrae Scripturae interpretes retulisset, ab homi-

HEBRAEAE linguae artificium, & dignitas.

Epiphan. lib. de mens. & pond.

RADICES Hebraicae linguae, quae, & quare dicantur.

ORDO IN multiplici vocis notione asseruatus, dignitati sermonis conducit, non confusioni.

VBERES sapientiae fructus ex sacris Scripturis percipit Ecclesia.

Gen. 2. ℣. 19.

Philo lib. 2. de vita Moyſ.

A num consortio secessisse, vt huic interpretationi vacarent: In eo secessu, inquit, cum considissent solitarij, nemine interueniente arbitro praeter naturae partes, terram, aquam, aerem, caelum, de quibus primum prodituri erant mysteria (nam mundi opificium est legum exordium) tamquam numine correpti prophetabant, non alia alijs, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis inuisibiliter. Et quis nescit cuiusque linguae, praesertim Graecae copiam, vt eadem sententia possit enunciari modis varijs, nunc has, nunc illas dictiones accommodando? Id negant factum in prodendis his legibus, sed reddita propria proprijs nominibus Graecis, ad Chaldaica exacte respondentibus, quo melius perciperetur rerum notitia. Quemadmodum enim Geometriae, Dialecticaeque doctrina non admittit sermonis varietatem, sed semper eisdem vtitur vocibus; eodem modo & hi conuenientia rebus inuenerunt nomina, quae sola declaratura erant sensum apertissime. Id experimentis quotidianis creditur, siue Chaldaeus Graecam linguam, siue Graecus Chaldaeam dicerit, in vtraque scriptura, tum Chaldaica, tum eius interpretatione miratur germanitatem, immo rerum, verborumque consonantiam adorat, non interpretes illos, sed initiatores, & prophetas appellans, quibus datum est sinceriſsimas Mosis cogitationes aſsequi spiritu puriſsimo.

CELEBRE de septuaginta duobus interpretibus testimonium.

B Illud verò deinde huic linguae obijcitur, quòd minùs fuerit omnium prima, vocum nimirum paucitas, & indigentia; siquidem in copiosissimis lexicis omnes huius linguae voces ad mille septingentas quinquaginta octo radices reuocantur. Quod quamuis negare non possimus, id tamen linguae tantummodo antiquitati tribuendum existimamus potiùs, quàm penuriae: siquidem nihil ferè aliud Hebraico idiomate scriptum reperitur, quàm sacrorum Bibliorum volumina, & nulla gens hodie agnoscitur, quae eam linguam ab infantia loquatur, nisi eam labore comparet, & addiscat. Verùm cùm certa computatione noscamus, ex litteris duabus & viginti, ternis, alia, atque alia ratione assumptis, plures decem millibus diuersas combinationes fieri, quotus nimirum est numerus cubus radicis viginti duo. certò etiam cognoscimus plures voces Hebraicas memoria excidisse, plures etiam in alias translatas linguas nulla ratione posse ab ipsis Hebraeis, si reuiuiscerent, recognosci. id quod perspicuum est, ita vt probatione non indigeat; praesertim cùm caput hoc, quod sequentium quasi quoddam est praeludium, ita prae alijs creuerit, vt rescindendum potiùs, quàm augendum videatur.

QVANTA olim fuerit Hebraicae linguae copia, quae ex hominum memoria excidisse videtur.

22
22
44
44
484
22
968
968
10648

DE

DE ANTIQVIS FIGVRIS, SEV CHARACTERIBVS LITTERARVM.

Cap. XXI.

EVISSE olim Hebraeis alias litterarum formas ab ijs, quibus nunc vtuntur, satis superque superiore capite ostensum est. Nunc verò dum eorum formam inuestigamus, non aliunde exordiemur, quàm ab auctoritate. Et quoniam vetustissima non suppetunt huius rei testimonia, recentiorum antiquissima referam, quae postea alijs, atque alijs confirmata maximè credibilia ostendentur. Atque in primis Benedictus Arias Montanus, vir ob singularem eruditionem planè notus, & ob insignem Regijs Biblijs nauatam operam celeberrimus, viam sibi ad huiusmodi characteres inuestigandos apertam fuisse testatur à doctissimo Hebraeo Mose Gerundensi, qui annis quadringentis ante Concilij Tridentini tempora in Catalonia floruit. Hic namque Accone Palaestinae vrbe, quae nunc Iacha dicitur, duplici perantiquo numismate adinuento, sententiam suam, (quam in commentarijs Pentateuchi confirmauerat aduersus Salomonem Iarhhaeum, qui in Gallia ante eum scripserat) addito integro de ea re capite retractauit. Affirmat praedictus Gerundensis ea numismata scripta Samaritanis characteribus fuisse: qui olim communes totius Israëlis fuerant, ante discessionem decem tribuum à duabus. Idem verò Benedictus Arias Tridenti siclum quendam se accepisse testatur, ijsdem omnino figuris, & characteribus cusum, qui à Moyse illo Gerundensi referebantur. Cuius quidem sicli formam, & characterum genuinam interpretationem ad finem eius capitis idem sollertissimus Arias Montanus aere subtiliter incisam apposuit. Eandem nos paulò inferius cum alijs exponemus, pariterque indicabimus, qua in re, & quibus rationibus in quadam symbolica littera explicanda ab eodem interprete discedamus. Neque verò in hac re tota horum Scriptorum auctoritati tantummodo fidimus, quamuis ea, vel vna posset erudito cuique hanc nostram sententiam suadere; sed & aliorum ferè omnium, quotquot eiusmodi numismata videre, vel aliquod simile consequi datum fuit probante iudicio. Idem namque Montanus sic scribit: Id autem numisma plurimis, & doctissimis, & antiquarum rerum studiosissimis viris ostendimus; idque adhuc, pretiosissimum, & amici munus, & certissimum veritatis antiquae testem magni thesauri loco seruamus cuius vnius cognitio omnem nobis, in ponderum, & monetarum ratione consolidanda, veri disquirendi laborem ademit. Haec ille. Quibus accedit alterius Hispani testimonium, Aria Montano in scribendo posterioris, eruditione non ita. is fuit Reuerendissimus Dominus Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis, qui se alium habuisse siclum testatur, simili inscriptione, quam Samaritanam fuisse testatur. Est insuper huius sententiae Masius, qui siclum vnum habuisse se ostendit, & subdit: eorum lemma vtrimque litteris priscis Hebraicis, siue, vt Talmudici appellant, Lybanicis, vel, vt alij, Samaritanis scriptum &c. His accedat Stanislaus Resçius Polonus, vir eruditione celebris, sed illustrissimorum virorum commendatione celeberrimus, vt editae nuper ab eodem epistolae testantur. is mihi Neapoli praesens retulit, antiquum sarcophagum gigantis Poloniae effossum, ibique ossa reperta, & anulum, ac numismata, quae mihi ipse ostendit, affirmans se ea è Regis Poloniae manu accepisse. Anulus verò aereus tantae magnitudinis erat, vt facilè posset brachium meum circumdare; numismata verò eisdem prorsus characteribus, ac signis cusa erant, quibus sicli à praedictis Scriptoribus relati, & à nobis paulò inferiùs afferendi. Haec eadem confirmant sicli argentei, atque alij, quos Lelius Pasqualinus in suo ditissimo antiquitatis promptuario asseruat, quod promptuarium vel multiplici Illustrissimi Cardinalis Baronij commemoratione celeberrimum habendum est. Eadem planè sententia alijs Fuluij Vrsini, & Illefonsi Ciacconij siclis stabilitur, de quibus infrà. quae omnes monetae inter antiquas Hebraeorum antiquissimae habitae, eisdemque characteribus obsignatae, planè indicant, eiusmodi litterarum formam in vsu olim Hebraeis fuisse. Verùm de antiquis Hebraeorum litteris libet Hebraei cuiusdam ex neotericis testimonium ad verbum referre; quamuis enim non tantae videatur esse auctoritatis, vt hic referatur; tamen quoniam de suis rebus agens, veritate coactus argumenta nobis suppeditat, ad exaltanda Crucis Christi mysteria aduersus proteruos Iudaeos validissima, eius singula verba referam, quae è Rabbinica lingua fideliter Latinè reddidit Benedictus Blancucius Romanus presbyter: vocatur autem Rabbinus Azarias; librum verò vocat מאורעינים lumen oculorum, quo ipse maximè indigebat. is verò sic scribit. *Dicemus nonnulla de figura, ac forma litterarum Hebraicarum, non de illis, quibus hodie vtimur, sed quibus legerunt maiores nostri. In libro Meghila, & libro Sanhedrin scriptum erat litteris Hebraicis, eorum scilicet, qui ab Heber descenderunt, cum quibus etiam insculptae erant litterae eorum, qui sunt in Libano, & dixit R. Salomon, esse litteras magnas, veluti eae, quas scribunt in membranis, & postibus Chuthaei (sic vocat Samaritanos.) Etiam R. Moyses filius Maimon ait illis vti eos, qui vocantur Samaritani. Et ecce secundum, quod vidi in manuscripto viri fide digni de terra Gaui; quod exemplar ipse manu sua propria scripsit ad R. Patachiam Iadam Spoletanum, dum eum doceret linguam Arabam, & R. Moyses medicus filius eius ostendit mihi haec Ferrariae. Et etiam secundum quod haec Mantuae sapiens R. Samuel ostendit mihi in manuscripto tractatum R. Moysi Bassolae ad terram sanctam, & quaedam noua, quae vidit in illo tractatu scripta manu recta, & propriè, vt suprà dixi. Et etiam secundum quod ostendit mihi Mantuae sapiens R. Ruben Perusinus in tractatu, quem consignauit ei quidam Christianus Doctor Bononiensis, & idem repererat in libro antiquo fide digno apud illos. Et alphabeti Samaritani haec est figura, & hic est sermo dicti R. Moysis Bassolae.* Alphabetum, quod huic loco appositum Rabbinus, nos infrà cum

Benedictus Arias Mon. App. Bibl. cap. de siclo.

GERVNdensis siclum, & antiquos characteres probat.

ANTIQVAS sicli litteras probant multi Scriptores.

Ant. Augustin. dial. 2. delle medaglie num. 2. And. Masius in Iosue c. 7.

Stanisla. Resçius.

Rabbi. Azar. in lum. oculor. tract. 3. c. 56.

In lib. Megh. cap. 100. & Sanhed. c. 2.

cum alijs exponemus, vt vnico intuitu dijudicari à legentibus facilè possit, in quibus singuli aut cum alijs concordent, vel ab alijs differant, & quantum. Priùs tamen referenda duxi ea omnia, quae praedictus Rabbinus retulit; tum ad easdem antiquas litteras confirmandas; tum vel maximè ad Hebraeorum numismata percensenda, ne iterum cogamur ad eundem redire Rabbinum. *Et ecce reperi*, inquit, *apud R. Moysen Maimon expositionem legis, quam scripsit, & haec ille ait: Benedixit mihi Dominus vsque adhuc, quod peruenì ad Haco, & inueni ibi in manu cuiusdam senis illius vrbis monetam argenteam, sculptam ex vno latere veluti baculo amygdali, & ex alio latere, vasè, & in duobus circulis scriptum erat, & insculptum bene. Et ostendit dictus senex scripturam Chuthaeis, qui illam legerunt (scriptum enim erat litteris Heber, quae remanserunt dictis Chuthaeis, vt habetur in Sanhedrin) ex vno latere* שקל השקלים sechel hasschelim *siclus siclorum, & ex alio legerunt,* ירושלים הקדושה ierusalaim hacadosa *Ierusalem sancta, & dixerunt illam figuram esse virgae Aaron cum ramis, & fructibus; alteram verò figuram vasis manna, & librauimus illam in statera, & pondus habebat decem argenteorum, qui sunt dimidia vncia, vt expositit R. Salomon.* Haec ille inquit, & subdit: *sed certè ego, sit benedictus Deus, vidi vnum siclum ex supradictis*; & describit fusiùs eandem sicli, quam suprà retulerat, formam, ciusque vtramque descriptionem, lectionemque corrigit Naaman, quod deceptus fuerit, legens, siclus siclorum, cùm legendum fuisse putet, siclus Israël. Ex altera verò parte lectionem praedicti Rabbini non reijcit, sed aliam quoque insinuat huiusmodi ירושלים קדושה ieroslimah, cadosah, quam aliquibus allatis exemplis confirmat. Ac tandem post multa idem Rabbinus subiungit haec verba. *Ostendam tibi id, quod R. Moyses Elsecher in suis responsionibus scripsit; ait enim: Scito quod peruenerunt ad manus meas quaedam monetae ex multis generibus diuersae, in pondere sicli, & semisicli. Et in nonnullis earum scriptum est; Anno tali consolationis Israel, & in alijs, Anno tali Regis talis: & in quibusdam vidi formam palmae, fasciculi, & cedri. Et dixit mihi quidam Hebraeus in illa scriptura peritus, quod in vno latere erat scritum literis Hebraeis antiquis: & opinor quod sint insculptae tempore seruitutis Hebraeorum sub Imperatoribus Graecis.* Hactenus ille. Iam verò rem ipsam pressiùs expendamus. Et quamuis ex allatis testimonijs singula non plenam, aut certam fidem exposcerent, omnia tamen simul collata eam non exposcere modò, sed efflagitare videntur: cum praesertim alio non infirmiori argumento confirmentur. Illud verò desumi facile poterit ex emblematis, atque picturis bibliothecae Vaticanae. Nam cum Sixtus V. Pont. Max. Fel. Rec. antiquissimam, & nobilissimam Vaticanam Bibliothecam in locum ampliſſimum à se extructum, ciusmodi thesauro dignum transtulisset, vniuersos ipsius Bibliothecae parietes, parastades, ac fornices exornare decreuit non alio emblemate, aut ornamento, quàm quod sapientiam, eruditionem, bonasque artes, aut disciplinas redolere, siue etiam aspicientes non minùs, quam libri edocere posset. Quae res doctis viris, atque omni disciplinarum scientia eruditis, vt assolet, demandata cum fuisset, tandem statutum fuit, & opere completum, vt effformatis Adami, Sethi, & Moysis imaginibus, characteres illi antiqui auratis figuris superscriberentur. Adami deinde primi parentis imagini Latinis literis haec verba subscriberentur.

ADAM DIVINITVS EDOCTVS, PRIMVS SCIENTIARVM, ET LITTERARVM INVENTOR.

Cumque paulo inferiùs Abrahamum affirmet Syras, & Chaldaicas litteras inuenisse, tandem Esdrae nouas Hebraeorum litteras adinuentas tradit. Vocat autem nouas eas, quibus nunc Hebraei vtuntur, quas alij quadratas vocant, quod prae antiquis illis quadratae formae propiùs accederent. Verum quamuis omnes, quos retulimus, characteres ab eisdem, ni fallor, numismatis deprompti fuisse putentur, tamen cum alia, atque alia figurantur manu, ita à se inuicem distant, vt diuersas litteras non minùs, quam si diuersarum gentium, aut linguarum fuissent, repraesentare videantur. id quod non est planè mirandum, cum & in ipsis numismatis, quae alijs, atque alijs temporibus percussa sunt, eaedem litterae dignoscantur dissimili propemodum forma. Ideoque operaepretium me facturum existimaui, si quattuor sequentia alphabeta proponerem. Primùm ex Bibliotheca Vaticana. Secundum ex Rabbino, quem suprà retuli. Tertium ex numismatis à me collectis, & ibidem expressis; ac tandem quartum alphabetum, quo nunc Hebraei vtuntur, cum Latinis numeris, quos denotant litterae. In quibus duo potissimùm obseruanda duxi: Primùm, quod cum paulò inferiùs septena antiqua numismata proponantur antiquis illis characteribus inscripta, ea, distinctionis gratia, proprijs ordine numeris distinximus; eisdemque numeris litteras singulas alphabeti tertij notauimus; vt, quo quaeque numismate ea forma reperiatur, obseruari facile possit. Alterum verò, quod notandum maximè est, cuiusque causa hic omnis noster in examinandis characteribus labor meritò suscipi potuisset, illud est litteram ת tau, quae saluandorum frontibus imprimi praecipitur à Domino apud Ezechielem, formam habuisse olim Crucis, vt Sanctus Hieronymus confirmat, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, & Isidorus cùm alijs, quos retulit Pradus. Sed cum in Vaticano alphabeto nihil ciusmodi conspiciatur, dubium tenere potuisset lectorem, num ea fuerit vera antiquarum litterarum forma. Sed cum non semel, sed saepius in ipsis numismatis Crucis habeatur signum expressum, Rabbinus ille Azarias, quem paulo superiùs retuli, nihil minùs agens, aut cogitans, hanc sustulit dubitationem; nam duplicem formam eidem litterae ת tau assignauit, alteram Vaticanae similem, alteram verò salutiferae Crucis simillimam.

QVATTVOR alphabeta Hebraica vnde desumpta sint.

NVMERI Latini tertij alphabeti quid denotent.

LITTERA tau crucis formam expresit. *Ezechiel. 9. V. 4. Prad. ibid.*

Moys. Elsecher in resp. num. 74.

VATICANAE Bibliothecae descriptio.

Prædicta verò omnia cum multis alijs infra explicandis, sequenti figura à sollerti lectore obseruari facilè poterunt. In ea enim litterarum variae formae primum visuntur ex illis, quibus olim scribebant Hebraei. Deinde quattuor illae litterae ineffabilis nominis Dei, quas summus Sacerdos sacris operaturus auro expressas gestabat in fronte. Ac tandem, ne plures imagines passim occurrentes, lectoris cursum impedire posse viderentur, eidem quoque figurae adiecimus omnium, quae vidimus, Hebraeorum numismatum formas, de quibus agendum nobis est paulò inferiùs. Eisdem additae sunt desuper inscriptiones, & singulae Esdrae litterae, singulis antiquis respondentes cum Hebraicarum vocum Latina interpretatione. quae omnia, qui attentiùs nunc perpenderit, facilè percipiet, quae de numismatis Hebraeorum dicturi iam sumus.

QVIBVS NOMINI BVS HEBRAEORVM *siclus appellari consueuerit.* *Cap. XXII.*

NATVRAE ordo admonere videbatur, vt à ponderum maximo exordiremur, vel propterea maximè, quod chicar, Hebraeorum pondus maximum, ponderum omnium primum statutum fuerit, vt dixi, ex bati pondere; quod quidem pondus in siclos ter mille; singulos siclos rursus in vicenos obolos secuerunt. Horum exemplo Athenienses talentum maximum constituere pondus, minimum obolum. Id quod eleganti carmine memoriae prodidit Fannius.

Nam nihil his, inquit, oboloue minus, maiusue talento.

At contra disciplinae ratio postulare videbatur, vt ordiremur à minimis, quae quasi maiorum principia sunt, & semina. In quo peritissimum huius artis virum, ac de illius studiosis optimè meritum sequeremur Fannium, qui hanc eandem tenuit methodum, ciusque rationem reddidit, sic scribens.

Ordiar à minimis, post haec maiora sequentur.

Nam maius nihil est aliud, quam multa minuta.

Verùm aliam tenere viam nos cogit ipsa prudentiae ratio, nempe vt à notioribus exordiamur, quamuis neque maiora reliquis sint, neque minora. Huiusmodi autem est siclus, quo cognito, facilè speramus reliqua omnia Hebraeorum pondera, atque numismata definire posse; quoniam ad siclum alia reducuntur. Id quod ferè omnes linguae Hebraicae expositores tradunt, dum vocis huius notionem rimantur.

DE SICIO quare primùm agatur.

Dicitur autem Hebraeis שקל sechel à radice שקל sachal, quae librare, ponderare significat. Sic Iob loquitur: *Vtinam appenderentur* שקול ישקל sachol iyssachal ponderando ponderarentur; vel appendendo *appenderentur peccata mea*. Et quoniam pondere potiùs, quam numero olim numismata examinabantur, inde fit, vt frequenter hoc verbum monetis accipiendis, vel soluendis tribuatur. Qua ratione Ioabo respondit ille: *si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis*. Quem locum alij conuertunt: etiam si ponderassem super manibus meis mille argenteos, quasi diceret: quamuis mihi annumerarentur, & ego ipse iam mihi appenderem mille argenteos. Vel vt alij: etiamsi appenderem, hoc est appensos numerarem in manu mea, &c. Quae omnia, quàm sint efficacia praesentia lucra ad mouendos animos indicant: & quam facilè omnia contemnat certus animus & constans. Sic etiam apud Esdram: *Appendique eis*, inquit, *argentum, & aurum, & vasa*. Et iterum. *Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta*, & quae sequuntur. quibus omnibus locis vox sachal appendere significat, seu numerare, pondere, inquam, atque mensura certam rerum rationem subducere. Inde nomen שקל sechel deducitur, quod librato-

Iob. 6. ℣. 2.

APPENDERE pro soluendi verbo frequenter vsurpatur. 2. Reg. 18. ℣. 12.

PRAESENS lucrum efficax ad mouendum CERTVS animus & constans omnia contemnit. 1. Esdrae 8. ℣. 25. & 26.

rem, librationem, aut pondus conuertere posses; erat enim, quasi omnium ponderum norma, ac iustum pondus. Chaldaeis dicitur סלעא silghaa, quam vocem sic interpretatur Aruch: Est moneta quaedam quattuor valens זוזים zuzim, id est denarios, idem scilicet quod שקל sechel siclus. Graeci, vocem ab Hebraeis mutuati, σίκλος siclos vocant. Quamquam Xenophon affinitatem κ cappa, & γ gamma Graecarum literarum indicans, sic scribat. Τὴν καπίθην ἀλεύρων ἢ ἀλφίτων τεττάρων σίγλων, ὁ δὲ σίγλος δύναται ἕξτα ὀβολούς καὶ ἥμιοβόλιον ἀττικούς. hoc est: singulae farinae capides quaternis siclis venibant: & siclus obolis septem, & semis mutatur. Hesichius vero, Σίγλον, inquit, νόμισμα περσικὸν δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολοὺς ἀττικούς. Siclus nummus Persicus valens obolos Atticos octo: moxque Xenophontem citat asserentem, siclum duabus drachmis Atticis aestimari.

Xenophon. lib. 1. Cyropaed.

SICLI NOMEN Graecis etiam fuit in vsu.

Hesich. in dictionar.

Est & aliud nomen, quod saepe historiae non raro tribuunt siclo στατῆρι statir, quae quidem Graeca vox à verbo deducitur ἱστάναι istanae, quod propriè ponderare significat; quapropter ea Graeca vox aptissimè Hebraicum siclum exprimit; nec tantum, sed propterea maximè, quod stater numisma fuit quattuor drachmas Atticas continens: eoque nomine, ac monetae genere vtebantur tum Persae, tum etiam Macedones; vnde Philippici stateres, Darici, & Alexandrini dicti στατῆρες δαρεικοὶ statires Darici, inquit Herodotus. necnon apud Aristophanem Pluto: Στατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἡμᾶς ἱστιάζομεν. statiris de i therapondes irtiazomen. hoc est, stateribus serui ludebamus par impar. Quapropter meritò Vulgatae editionis auctor staterem siclo Hebraico substituit, id quod Hebraicam, atque Latinam lectionem conferenti in promptu est. Nam in libro Regum ad Saulem seruus: *Ecce*, inquit, *inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti*. cum in Hebraeo שקל כסף sechel caseph, hoc est sicli argenti habeatur, & in Graeco σίγλου ἀργυρίου siglu argyriu, quod idem est. Idemque ipsum obseruare est iterum, dicente Eliseo: *Cras modius similae vno statere erit, & duo modij hordei statere vno*. cum vtrobique, tam in Hebraeo, quàm in Graeco siclus habeatur pro stratere. Illud verò vnum praetereundum silentio non est, quod à linguae Graecae Scriptoribus, atque alijs constanter asseritur, quodque nos suprà fusius ostendimus, staterem quattuor drachmis Atticis aequalem fuisse: ex quo etiam intelligere possumus eundem tetradrachmum dici, cum nihil aliud haec Graeca vox significet, quàm nummum, aut pondus quattuor drachmarum; sicut didrachmum duas drachmas continet. Neque verò apud profanos Scriptores huius rei ratio habetur; verùm expressa magis apud sanctissimum Euangelistam Matthaeum, vbi sic habetur: *Accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* Et post pauca subditur, praecepisse Petro Dominum, vt ad mare veniens hamum mitteret: *Et eum piscem, inquit, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te*. Quibus verbis duo manifestè testata habemus: alterum, didrachma à singulis solui consueuisse; alterum, staterem binis didrachmis aequalem fuisse, vtpote qui & pro Christo, & pro Petro soluendus esset. Huius rei auctorem habeo sanctum Hieronymum sic scribentem: Stater dicitur, qui duo habet

1. Reg. 9. ℣. 8.

4. Reg. 7. ℣. 1.

STATER idem, qui tetradrachmus.

Matth. 17. ℣. 24.

didrachma. Verùm de hoc tributo iterum agemus, cum sicli pondus manifestum priùs fecerimus. Interea tamen haec, quae de stratere, & siclo diximus, Sancti Hieronymi testimonio corroborare operae pretium duximus. Is enim Hieremiae verba referens: *Et appendi argenti decem & septem siclos:* quos, inquit, nos in stateres vertimus. Atque iterum: porrò, inquit, siclus, qui Graecè dicitur στατὴρ statir viginti habet obolos. Ae tandem: qui panis, inquit, habet vicenos siclos, id est stateres; siclus autem, id est stater habet drachmas quattuor. At de sicli pondere nonnulla sequenti capite dicenda sunt, plura vigesimo octauo, quo maximè explicandum est sicli pondus, eiusque aestimatio.

Hieron. super Hiere. 32.

Idem Hieron. super Ezech. 4. ℣. 10.

DE SICLO PONDERE. *Cap. XXIII.*

SICLVS, vt dixi, proprie pondus significat, quod non tantum vocis ipsius notione, atque doctissimorum virorum, Graecis, Latinisque testimonijs confirmari facilè potest, verum etiam multò magis sacrae Scripturae exemplis, isque frequentibus. Et primum in Exodo: *Aeris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli.* Quem locum quamuis aliter interpretentur Hebraei, sumpta occasione ab eleganti verborum transpositione, qua vtitur eorundem phrasis, tamen rem ipsam comprehendens vulgatae interpres aptissimè reddit, vt legimus: nam in Hebraeo habetur ונחשת התנופה שבעים ככר ואלפים ואחת מאות שקל וארבע vnechoseth hathenuphah sibghim chichar vealphaim vearbagh meoth sechel, quae ad verbum sic in Regio codice Pagninus conuertit: Et aes eleuationis septuaginta talenta, & duo millia, & quadringenti sicli. Quibus verbis referre videtur duo millia ad siclos, non ad talenta; cum contra faciendum manifeste testatum sit à vulgatae editionis interprete, nec sine fundamento, ac manifesta ratione; sed quia id ipsa Hebraica phrasis exigebat: nam, vt Bellarminus notat, hoc proprium eius idiomatis est, vt numeri minores maioribus praeponantur in compositione. Neque id tantum, quod cum Latina lingua commune habet, sed illud peculiare, quod sequentem numerum coniunctione copulat, quasi alius à priori numerus sit. Cuius rei exemplum in Genesi habetur huiusmodi: Vixitque Seth postquam genuit Enos שבע שנים ושמונה מאות שנה sebagh senim vsemoneh meot sanah. quae si ad verbum Latine reddas, septem annos & octingentos annos leges. & tamen melius Vulgatus *octingentis septem annis* legit. Pari quoque ratione in loco Exodi, quem interpretamur, phrasis Hebraea illud significare videtur: oblata quidem fuisse duo millia, septuaginta talenta, atque insuper quadringentos aeris siclos. Quibus quidem verbis, sicut nullus crederet aeris talenta dici, quasi quadam certa aestimatione, sed potiùs quasi quoddam certum pondus, sic nulla ratione credendum est, siclos ad aestimationem referendos, sed ad pondus. Nam quamuis incredibile non sit tantundem aeris oblatum, quantum quadringentis argenti siclis aestimaretur, tamen illud omnem humanam videtur excedere fidem, oblatum tantum aeris, quantum bis mille septuaginta talentis argenti pretio exaequaretur, cum ciusmodi pondus omne vna cum tabulis, atque earum argenteis basibus, & capitellis, omnique alio tabernaculi instrumento asportandum esset à Caathitarum familia.

Exod. 38. ℣. 29.

Pagninus.

Bellarm. instit. ling. Heb. cap. 3.

NVMERI minores maioribus praeponuntur, non secus apud Hebraeos, quàm apud Latinos.

SICLVS aeris certum pondus indicat.

Extat & aliud huius rei celebre testimonium in libro Iosue, vbi sceleris conuictus Achan peccatum suum his verbis fatetur: *Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi.* Quo quidem loco de pallio, & siclis argenti nihil nobis agendum est, quoniam ea ad huius argumenti elucidationem non faciunt: illud tantummodo inuestigandum, quid regulae aureae nomine intelligatur, quo cognito, facile etiam intelligemus eam quinquaginta siclorum pondere fuisse. Atque in primis, quid de hoc Achani furto à nobis probandum sit, proponere operaepretium duximus, ne suspensum teneamus lectorem, dum nonnulla in medium adducemus, quae à nostro videntur instituto aliena. Erat, ni mea me fallit opinio, ea regula aureum quoddam Martis simulacrum ad linguae, hoc est, ensis modum efformatum, quod Scytharum more colebant Iericuntini. Ex quo fit, vt eam regulam, vel eum ensem minorem intelligere nulla ratione possimus, quàm qui aureos quinquaginta siclos pendat, de quibus nobis per singula agendum est.

Iosue 7. ℣. 21

In Hebraeo habetur לשון lason, in Graeco γλῶσσαν glossan, quae vtraque vox linguam significat animalis: quapropter & in Sixtiano codice Latino Septuaginta interpretum, linguam auream legitur; & Origenes linguam auream interpretatur. Chimchius verò Rabbinus virgam auream instar linguae intelligendam putat. Consimilem sententiam secutus videtur Hieronymus, dum in *regulam auream* conuertit Hebraicam linguae vocem, quòd lingua instar sit regulae. Id verò, quod nos inquirimus, est, cuius ponderis auri ea esset regula.

Orig. homil. 7. in lib. Iosue

Rab. D. Chimchi.

LINGVA aurea quid significet.

Origenes namque non putat illo furto tam modici auri tantam vim fuisse peccati, vt tam vniuersam Domini Ecclesiam macularet. Qui quidem meritò arbitratur aliquid veneni huic subesse sceleri, quod in totam Achani familiam, immo & in vniuersum populum diffunderetur. nam quod Duci suo inobediens fuisset Achan, & insuper latro, ipse sceleris reus morte peccatum suum lueret, quid opus esset totam familiam, & substantiam eius, atque alia ad eum pertinentia omnia absumere? attestante Domino. *Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate: non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Quocirca meritò arbitrantur quamplures ad idola pertinuisse ea, quae furatus est Achan, quae ita sunt Deo exosa, atque abominanda, vt eorum solo contactu quasi contaminentur non tantum homines, verum & familiae, habitacula, & nationes.

Origen. ibid.

Iosue 7. ℣. 12

Tam-

IDOLORVM contactu non homines tantum, sed & eorum familiae, & domus contaminari videntur.

Tanquam Talmudicum somnium, ac fabulam deridet Masius asserentes ex statuae cuiuspiam ore vulsisse Achanem hanc auream linguam, ante cuius pedes offenderat etiam positum honoris causa babylonicum illud stragulum, & oblatos argenteos siclos, quos surripuit. At quamuis, quod ad linguam auream spectat, non sit verisimile, idoli, siue statuae alicuius linguam quinquaginta siclorum fuisse, tamen non tam videtur à ratione alienum, ea omnia, alicuius idoli spolia fuisse, quod & ipse Masius non negat; immo verò eotum sententiam probare videtur, qui linguae nomine sicam aliquam, vel gladiolum, quo Deum suum armauerant Iericuntini, intelligendam arbitrantur. *Masius in Iosue.*

Aul. Gell. lib. 10. cap. 25. noctt. Quod & Gellij testimonio comprobant, asserentis, veteres lingulam dixisse gladiolum oblongum in speciem linguae factum, vnde Neuianus ille alter. B

GLADIOLVS lingua dicebatur. *Neui. in tragoedia Hesiona.*

Sine mihi, inquit, *gerere morem videar linguae.*

Verum lingula.

Neque illud tantummodo verum est, caecas illas gentes idola ensibus exornare consueuisse, verum & ipsum ensem adorate solitas, quem Acinacem Persae, & Scythae vocabant. *Clem. Alex. adhortatione ad gentes.* Huius rei auctor est Clemens Alexandrinus; sic enim Gentes alloquitur: Quod si praeter haec ipsas vobis imagines subiecero considerandas, vere persequentes inuenietis nugas esse consuetudinem, vt qui manuum hominum C opera colatis insensilia. Et Scythae quidem antiquitus adorabant Acinacem; Atabes autem lapidem, &c. Et post multa iterum: Mars, inquit, ἀχὴς aris Graecè dictus est ἀπὸ τῆς ἀρσεως, καὶ ἀνέρσιτως apo tis arseos ce anaereseos, ideſt, ab insurrectione, & interfectione. Qua ratione mihi videntur quoque valde multi, cum solum ensem finxerint, tanquam Marti sacrificare. Est autem hoc Scytharum, sicut dixit Eudoxus in secundo de ambitu. Ex Scythis autem Sarmatae, vt dicit Iresius in opete de mysterijs, adorant Acinacem. Hactenus Clemens. Herodotus verò scribit, Scythas Martis simulacrum statuisse acinacem, hoc est, ensem: Amianus verò Marcellinus eius Barbarici Scytharum ritus D meminit his verbis: Nec templum apud eos visitur, aut delubrum: ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest; sed gladius barbarico titu humi figitur nudus, eumque vt Martem regionum, quas circumeunt, praesulem verecundius colunt. Haec ille. Quapropter Lucianum audiamus; is enim Anacharsim Scytham inducit in haec verba loquentem: Sed age, inquit, per Acinacem, & Zamolxim Deos nobis penates, tu me assumptum, o Toxari, vt sospitem circumducito, & quae sequuntur. Iterum verò lepido quodam dialogo hotum irridet insaniam:, Toxarim enim Scytham cum Graeco Mnesipo loquentem inducit. eius verba subiungam. Quin potius, Toxaris inquit, E ante tibi iurabo nostrum iusiurandum, quandoquidem istuc initio sum pollicitus; non enim per ventum, & Acinacem quicquam mentiturus sum apud te de Scythicis amicis. Mnesipus: Equidem tuum iusiurandum haud magnopere desiderabam; proinde rectè facis, qui nullum Deorum iures. Toxaris: Quid tu narras? An non tibi videntur esse Dij Ventus, & Acinacis?

Herodo. in 4.

Amian. lib. 31. histor.

Lucian. in hospite.

Lucian. de amicitia.

IDOLA COlentium irrisio.

A Adeone te fugit, quod nihil sit maius mortalibus vita, ac morte? per haec vtique iuramus, quoties per ventum, & Acinacem iuramus: videlicet per ventum, tanquam qui vitae sit causa; per Acinacem verò, vt qui mortis sit auctor. Mnesipus: Atqui si ista idonea causa est, profectò multos alios quoque Deos estis habituri tales, qualis est Acinacis, puta iaculum, lanceam, venenum, funem, atque his consimilia; quandoquidem varius est iste Deus interitus, atque innumerabiles aperit vias, quibus ad illum sit aditus. Haec ille.

Quae quidem omnia ideo retuli, vt attentiùs perpendat lector, num aptè congruat textui, quam afferam animi mei coniecturam. Iericuntinam ciuitatem inani spe forte delusam, atque credentem vanissimo ensis cultu ab Israelitarum oppugnatione, & ensibus se eripiendam fore, Dominus voluit non ferro oppugnari, sed vero Dei cultu, ac religione; circumducta vtique cum maxima veneratione Dei arca, subuersisque hac ratione vrbis moenibus, ac praesidijs, gladijs filiorum Israël ciues omnes, eorumque armenta, & pecora, aliaque viuentia omnia perimenda traderentur; ac tandem flammis absumenda reliqua omnia, auro, atque argento exceptis. Illum verò detestandum aureum ensem, quem pretioso paludamento, oblatisque argenteis siclis colebant Iericuntini, nemo vnquam auderet attingere. Quem videns infelix Achan, *concupiscens* abstulit, vt ipse testatur, ac propterea tantam Domini incurrit offensam, nec ipse tantùm, verùm etiam totus Israël, cui idololatriae seminarium esse potuisset aureus gladius, gentium idolum, ita vt placari Deus nollet Israëli, priusquam de medio tolleretur sceleris huius auctor. Cuius quidem rei haud leue argumentum esse poterit, quod cùm aurum omne, atque argentum vrbis Iericho Iosue Domino consecrasset, ac de anathemate, & igne illud abstulisset, aureum gladium, vel regulam, quam surripuerat Achan, argentum quoque, vestem, & cetera igni combussit, atque sub lapidum magno aceruo in perpetuum manere permisit. QVAM DEO exosa sint idola.

Iam verò vt ad nostrum accedamus institutum, quis non videat, aureum illum ensem minorem non fuisse, quàm vt quinquaginta penderet siclos? id quod manifestis verbis indicare videtur Hebraicus textus, qui sic habet. חמשים שקלים משקלו chamisim sechalim misechalo, quinquaginta siclorum pondus eius. Parique ratione Septuaginta interpretes legunt, qui, quod didrachmum siclo substituunt, quinquaginta didrachmorum pondus eius, scribunt. Et Chaldaeus paraphrastes, quinquaginta sicli pondus eius, vertit. PONDERE quinquaginta auri siclos aequauit illa regula, non tantùm aestimatione.

Neque verò his tam manifestis testimonijs quisquam aduersetur, affirmans ea omnia de pretio, atque aestimatione intelligenda; quoniam vsus iam apud Hebraeos obtinuit, vt pondus pro aestimatione vsurparetur, sicut appendere pro numerare, vel soluere: nam eiusmodi argumento roboratur, non infirmatur nostra sententia; firmissima manet, non ruit. Qua enim alia ratione pondus pro aestimatione vsurpatur, quàm quod res omnes pondere, hoc est siclo aestimare solebant antiqui? Neque dissimili ex causa appendere vsurpatur pro soluere, quàm quod, quae soluebantur, omnia siclo, hoc est, pondere soluebantur. Et quamuis quae attulimus, non ita firma essent, vt verè sunt, locus ille alter libri Numero-

merorum omnem posit auferre dubitationem: ibi enim duodecim principum oblationes recensentur, totidem diebus oblatae, in dedicatione altaris. Ac de Nahassone primo: *Fuerunt*, inquit, *in ea* oblatione *acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, iuxta pondus sanctuarij &c. mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso.* De secundo verò Nathanaele obtulisse scribitur: *Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos: phialam argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta pondus sanctuarij &c. mortariolum aureum, habens decem siclos, plenum incenso.* Cumque eadem fere de reliquis principibus verba retulisset, subdit: *Haec in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israel in die, qua consecratum est: acetabula argentea duodecim: mortariola aurea duodecim, ita vt centum triginta siclos argenti haberet vnum acetabulum, & septuaginta siclos haberet vna phiala; id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti pondere sanctuarij: mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere sanctuarij: id est, simul auri sicli centum viginti.* Quibus quidem verbis ita firma videtur mihi manere haec nostra sententia, vt nulla possit adeuersus eam excogitari vel ratio, vel cauillatio, cui vel nobis tacentibus ipsa sacri textus verba non sese obijciant, atque opponant. Nam cùm vnicus tantùm siclus iusti ponderis, quasi aliorum primum exemplar, & norma asseruaretur in sanctuario, eidemque exaequentur pariter acetabula, phialae, ac mortariola, de eorundem pondere loqui intelligendus est sacer textus, non de aestimatione, aut alia quauis vasorum commensuratione. id quod manifestum fit vel ex eo maximè, quod certum quendam siclorum numerum appendisse dicuntur singula vasa iuxta pondus sanctuarij. Ac ne quisquam somniatam aliquam induceret aureorum, atque argenteorum siclorum diuersitatem, manifestè tradit sacer historicus, siclos argenti simul collatos, fuisse bis mille quadringentos pondere sanctuarij: ac mox subdit, siclos auri fuisse centum viginti pondere sanctuarij. Quapropter tam manifestis sacrae Scripturae verbis, & testimonijs inhaerentes, constanter asserimus, siclum quoddam pondus fuisse, atque ita Hebraeis vsurpari, ac Latinis semuncia, vel libra, vel quodlibet aliud ponderis genus. idque verum esse, siue de auro, siue de argento, siue etiam de aere, vel ferro loquatur historicus. Id enim, quae de his omnibus metallis agunt allata testimonia, confirmant. Atque ideo in re tam manifesta diutiùs immorandum haud censeo: sed ad examinandum sicli pondus, quod & numisma fuit, progrediendum.

Num. 7. V. 13. & 14.

Ibid. V. 19. & 20.

Ibid. V. 84. & seq.

SICLVS sanctuarij quare dicatur.

EIVSDEM ponderis sunt argentei, & aurei sicli, atque aerei.

DE SICLO HEBRAEORVM NVMISMATE.

Cap. XXIV.

QVAMVIS siclus, vt dixi, & pondus fuerit, & primaeua sui institutione ponderum norma, & ratio; tamen quid prohibere potuit, quò minùs illud idem pondus aliquando cuderetur, atque in nummi formam redactus, sicut rerum omnium, quae pondere expendebantur, communis erat mensura, sic etiam tum earundem; tum etiam reliquarum & aestimator esset, & pretium? Huius rei auctor est Iosephus, qui cùm de Moyse testetur, absoluto tabernaculo, Aaroni fratri Dei iussu sacerdotis munus contulisse: Post haec, inquit, conuocato populo, imperauit, vt rursum contribuerent viritim dimidium siclum: siclus autem nummi genus est apud Hebraeos, quod valet quattuor drachmas Atticas. Haec sunt Iosephi verba. quorum tanta est auctoritas, & fides, omnium hominum animis insidens, vt à nemine, quod viderim, coarguatur; cùm quamplures viderim, qui occasiones quaerere videntur, quibus omnia quaestionibus, difficultatibusque perturbent, atque confundant, quod saepissimè etiam sine occasione faciunt. At ego certè non video, cur Hebraeo sacerdoti suarum rerum peritissimo de ijs rebus agenti, quae prae manibus quotidie habeantur, non sit habenda fides; atque in his maximè, quae sui facilitate, ac leuitate omnem affectus perturbationem remouent, neque alicui suspicioni viam aperiunt. Quid enim Iosephum mouere potuisset, vt nummum fuisse siclum fingeret? aut quae posset excogitari ratio, quae eum à veritatis recto tramite reuocaret, asserentem siclum maiorem, vel minorem iusto fuisse? Maneat igitur firmum Iosephi testimonium, vtpote omnium ferè Scriptorum consensione receptum. Quam quidem sententiam non modo probant, & tenent eruditissimi viri, quos superioribus capitibus retulimus; sed multò etiam magis probati ab eisdem sicli, quos & nos vidimus, & praecedenti figura expressimus. Nam quis neget siclum olim percussum fuisse, qui plures eius aetatis percussos siclos viderit? At qui non vidit, vel hoc neget, vel credat, pari prorsus dignus est fide, si quidquam statuat in ea disputatione, in qua, quae alijs, vt oportet, perspecta sunt, ipse non vidit. Sed his omissis ad rem ipsam accedamus. Et in primis duo sese nobis examinanda proponunt. Alterum, quando cudi coeptus fuerit hic nummus: alterum, qua forma, & quibus characteribus fuerit percussus.

Iosepb. 3. antiq. cap. 9.

SICLVS Hebraeorum numisma quattuor Atticis drachmis est aequalis.

Et quidem nullus eorum nummorum, quos hactenus videre datum est nobis, Moyse, ac lege vetustior est. Nam vt infrà ostendimus, vrnam mannae, & virgam Aaron gestant, quae, antequam manna datum fuisset, aut virga fronduisset, fingi, aut efformari nulla ratione potuerunt. At quamuis haec ita sint, antiquiorem Moyse fuisse argentei nummi vsum, probat Epiphanius his verbis: Argenteus excusus est ab initio; nomisma

Epiphan. lib. de mens

misma hoc autem Assarijs, (Assyrijs potiùs legerem) excusum est. aiunt Abraham in Chananaeam formam eius intulisse. Haec ille.

ABRAHAMI temporibus percusi iam erant nummi.

Quae quamuis non probet Epiphanius, neque cui innitatur fundamento, declaret, esse tamen valde probabilia indicat Geneseos historia, in qua refertur, Abrahamum ab Ephron petijsse agrum, in cuius extrema parte erat spelunca duplex, vt in ea sepeliret Saram suam: quem quidem agrum sponte, ac gratis oblatum recipere noluit, dixitque eis, iustum pretium se velle dare pro agro, & subiungitur: *Responditque Ephron: Domine mi audi me, terra, quam postulas, quadringentis sicli argenti valet, istud est pretium inter me, & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat: audientibus filijs Het, quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae.* Quae omnia, perspicua planè sunt. Haec vltima tantummodo verba perpendenda, quae indicare maximè possunt percusi sicli vetustatem. Hebraicè sic habentur. וישקל אברהם לעפרן את הכסף אשר דבר באזני בני חת ארבע מאות שקל כשף עבר לסחר vaijscal Abraham leghephron & hacuseph aser dibber beozne bene chet arbagh meot secel ceseph ghober lesocher. Quae sic ad verbum conuertit in Regio codice Pagninus: Et appendit Abraham ipsi Ephron argentum, quod locutus fuerat in auribus filiorum Chet, quadringentos siclos argenti transeuntis ad mercatorem, vel per mercatores. Et certè binae illae vltimae voces עבר לסחר ghober lesocher, quae quasi ad explicandam argenteorum siclorum bonitatem additae sunt, phrasim continent Hebraici sermonis propriam. עבר ghober enim transire significat in Genesi: *Et lampas ignis, quae,* עבר ghabar, *transijt inter diuisiones istas.* Et iterum: *Et ipse* עבר ghabar *transijt ante eos.* Hoc igitur verbum monetae accommodatum id propriè significare videtur, quod Italica phrasis: moneta corrente, vel Hispana, dela moneda que corre. Altera vero vox סחר socher à verbo סחר sachar deducitur, quod, circuire, vel circumcursare significat. Et quia merces de loco in locum circumquaque circumferuntur à negotiatoribus, ideo hoc verbum frequenter Hebraeis idem significat, quod Latinis negotiari, id est, circuire mercatum, nundinas, aut emporia, vel circumferre merces. Sic in Genesi: *Terra in potestate vestra est, exercete* וסחרוה vsecharuha, circuite. vim verbi expresit vulgatus interpres, *negotiamini, & possidete eam.* Hinc fit participiale nomen סחר sochar, quod pari analogia mercatorem vbique significat, & ipsam nonnumquam negotiationem. Rationem verò affert Oleaster haud incongruam, propter quam siclos argenteos dicat transeuntes ad mercatores, vel per mercatores; quoniam nimirum hi praeomnibus alijs diligenter solent examinare numismata. atque adeo argentum transiens per mercatores, vel ad mercatores meritò dicetur, quasi quod sine alio examine etiam inter mercatores ipsos posset expendi, De dar y tomar, diceret Hispana phrasis vnica voce mercantil. id quod septuaginta interpretes ita verterunt, ἀργυρίου δοκίμου ἐμπορίοις argyriu docimu emporis argenti probati mercatoribus. Chaldaeus verò paraphrastes, quadringentos, inquit, siclos argenti, quod recipiebatur pro mercimonijs in vnaquaque prouincia. Aptissime phrasim, & Scriptoris mentem assecutus est vulgatus, *siclos argenti* scribens, *probatae monetae publicae*. Ex quo facilè confirmatur Epiphanij sententia, nimirum à principio siclos percussos, qui omnibus serè gentibus in vsu iam tum Abrahami temporibus erant. Quod vel ex eo maximè confirmari potest, quod Sarae dixerat Abimelec Rex Gerarae: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamentum oculorum &c.* quo loco, vt bene probat Pererius, nosque infrà latiùs ostendemus, argenteorum nomine sicli intelligendi sunt; cùm tamen illud citra controuersiam receptum ab omnibus sit, argenteos illos percussos fuisse, non rudes. Quapropter altiùs etiam repetenda videntur nummorum principia, & ad prima vsque prioris fundandae ciuitatis studia referenda. cùm primùm, commercijs, cupiditatibus, & auaritiae aditus esset patefactus. id quod significare voluisse videtur Iosephus, dum Caini peruersos mores describens, eum alioqui pessimum fuisse, lucrumque tantummodo spectasse retulit, post fraternae caedis reatum, ac poenam nihilo meliorem effectum, omnibus voluptatibus vel cum aliorum iniuria indulsisse, & facultates domesticas per vim, ac rapinas accumulasse; ac tandem aedificata ciuitate, domesticisque suis habitanda tradita, eis mensuras, ac pondera praescripsisse. Porrò in septima Caini generatione artes illas, quae Reipublicae conseruandae, atque augendae vsui maximè esse solent, inuentas fuisse testatur Iosephus à tribus Lamechi filijs, quos inter septuaginta septem è duabus vxoribus susceperat; gregariam nimirum, & pastoralem à Iobelo, & à Iubale musicam excultam fuisse; de tertio verò sic. Thobel autem, inquit, viribus excellens, rem militarem egregiè tractauit, cuius artibus, quae ad corporis voluptates pertinerent, sibi comparauit. quin, & aerariam primus est commentus. Hanc verò historiam ex sacra Genesi desumpsisse videtur, vbi sic habes: *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera aeris, & ferri.* Ex Hebraeo vertunt nonnulli; Acuentem, seu polientem omne artificium aeris, & ferri. Septuaginta: & fuit malleator faber aeris, & ferri. Chaldaeus verò paraphrastes: Qui fuit, inquit, magister eorum omnium, scientium opus aeris, & ferri. Quo loco bene notat Caietanus, ferrariam artem iam olim inuentam fuisse, quod ad perficienda humani vsus instrumenta spectat, sine quibus neque Cain terram aratro proscindere, neque Abel oues mactare, aut excoriare potuisset. At Tubalcain excoluit, atque perfecit tum ferrariam, tum aerariam artem; ita vt ipse magister omnium eiusmodi artium diceretur; vtpote qui metalla fundere, malleo diducere, cudere, formare docuerit, & expolire. Quapropter his omnibus, quas attulimus, in vnum collatis coniecturis, haud temere quisquam crederet, numismata tunc primùm percussa fuisse, cùm aeraria; malleatoriaque artes simul adinuentae fuerunt. Cui consonat, quod Graeci, vt gloriam adinuentarum artium sibi studiosè arrogarent (vt pluribus allatis exemplis infrà latiùs confirmabimus) hanc vnam cudendi nummi artem vnà cum adinuentis ponderibus, atque mensuris, quasi in naturali quadam consensione complexas pariter coniunxerunt, vt indicarent, simul, atque eodem tempore adinuentas. Quae res lectori perspecta erit, & cognita, si eum non pigeat audi-

Gen. 23. V. 14. 15. & 16.

Gen. 20. V. 14.

Perer. in Genes.

AB EXORDIO fundatae vibis initium percussae monetae fuit.

Ioseph. 1. antiq. c. 3.

ARTES OMNES à Lamechi filijs inuentae.

Gen. 15. V. 17. & cap. 33. V. 3.

Gen. 4. V. 22.

NEGOTIATORES, circumcursores, vel mercium circumductores, quasi quod vulgo Italis dicitur mulatieri. *Oleast.*

Genes. 34. V. 10.

PONDERA, atque numismata cum arte aeraria simul adinuenta fuere.

Strabo lib. 8. geograph. audire Strabonem; is verò sic inquit: Phaedo Argiuus, decimus ab Hercule, & omnibus suae tempestatis principibus potentia praestans, qua vsus & totam Temeni successionem in plures diuisam partes ad se recepit, & mensuras inuenit, quae Phaedoneae dicuntur, atque pondera, & monetam, cùm aliam, tum argenteam procudit. Haec ille. Quo loco ipsam Genesis, ac Iosephi historiam referri intelliges, si pro Hercule Cainum substituas, pro Phaedone Tubalem. Neque nouum, aut inauditum euiquam videatur sub aeris nomine aurum quoque, & argentum subintelligendum, cum eiusdem Geneſis glossa id aperte testetur his verbis: Et per hanc subintelliguntur alia metalla, scilicet auri, & argenti, & huiusmodi; & significat multiplicitatem, & superabundantiam vasorum auri, & argenti, & huiusmodi. Et hactenus dictum sit de prima numismatum inuentione.

HEBRAEORVM NVMISMATA ANIMALIVM formis caruisse. Cap. XXV.

RELIQVVM est, vt numismatum formam explicemus: nam quod ad characteres spectat, satis probatum est suprà, antiquis illis omnia eius tempestatis numismata fuisse percussa. Qua in re illud in primis negotium nobis facessere videtur, quod Scriptores non pauci, legendis profanis scripturis assueti magis, quàm sacris, parum absunt, quin existiment, Hebraeorum patres, haud secus, quàm idololatrae, pecudum, immo & hominum formas nummis expressas habuisse, quod à veritate alienum esse palam est. Non tamen illis defuit sub veritatis specie falsa quaedam, & inanis coniectura, desumpta ex sacra Genesi, quae sic habet: *Transiuit Iacob in Salem vrbem Sichimorum, quae est in terra Chanaam, emitque partem agri, in quo fixerat tabernacula, à filijs Hemor patris Sichem centum agnis.* *Gen. 33. ℣. 18. & 19.* Quo in loco Eugubinus, meritò reprehensus à Pererio, plus nimio sibi tribuit, affirmans emendandam vulgatam lectionem, ita vt, pro agnis, legatur nummis, quod quae in Hebraeo legitur vox iuxta Hebraeorum doctores, non agnas significet, sed nummos. Sed & Septuaginta interpretes μνῶν mnon, hoc est, minas verterunt, eas pro quolibet nummo vsurpantes; librariorum verò incuria ἀμνῶν amnon scriptum est, hoc est, oues, quam corruptam lectionem sequutus Hieronymus, inquit, *agnas* scripsit pro nummis. haec est, quam tenuit ille pio viro indignam sententiam; vtpote quae non modò vulgatae editioni liberiùs aduersetur, sed & rationi ipsi: ac planè veritati contraria sit. Eam verò non solùm reprehendit Pererius; verùm etiam firmis rationibus reijcit, & falsitatis conuincit. Illud tamen silentio praetermittendum non est, quàm à longè petita sit illa Septuaginta interpretum lectionis corruptio, non emendatio: nam vbi illi maturè, & consultò scripserunt ἀμνῶν amnon, hic auctor sine vlla ratione, aut probabili coniectura conatur legere μνῶν mnon minam, quae, si legeretur, neque nummus esset, neque nummum aliquem significare posset, vt ipse contendit. Praedictae verò Eugubini sententiae fidem minime facit, vt ipse arbitratur, sed abrogat beati Stephani auctoritas. is enim sic inquit: *Et descendit Iacob in Aegyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij Sichem.* *Actor. 7. ℣. 15. & 16.* Quo in loco negotium facessit interpretibus non modicum, quòd cùm huius emptionis, de qua agimus, meminisse videatur Stephanus, agrum ab Abrahamo emptum dicat, qui emptus fuit a Iacob, & argenti pretio, cum agnis emptus fuisse dicatur in Geneſi. Cuius quidem difficultatis impedimenta, variarum sententiarum multitudinem, argumenta, coniecturas, fundamenta, responsiones, qui perspicere cupiet, legat nostrum Pererium, cuius styli suauitas, expedita methodus, & ingenij acumen ita lectoris animum permulcebit, vt sine molestia percipere possit, quae aliàs facilè mentis aciem obtunderent. Nos verò, quoniam vix possemus absque huius loci intelligentia proposito instituto satisfacere, rem totam quàm breuissimè ad sua capita reuocandam pertractabimus. *Perer. in Genes.* Quorum primum est examinare, quo in sepulcro Iacob; & quo Patriarchae eius filij conditi fuerint: non enim videntur in idem illati sepulcrum. Iacob enim morti proximus, adiurans filium suum Ioseph in Aegypto, dixit: *Facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulcro maiorum meorum.* *Gen. 47. ℣. 29.* Mortuò verò patre, supplicat Pharaonem his verbis Ioseph: *Eo quòd pater meus adiurauerit me, dicens: en morior; in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam, sepelies me: ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac reuertar.* *Gen. 50. ℣. 5.* Accepta igitur facultate: *Fecerunt ergo,* inquit, *filij Iacob, sicut praeceperat eis, & portantes eum in terram Chanaam, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hetaeo, contra faciem Mambre.* *ibid. ℣. 12. & 13.* *Gen. 23. ℣. 16.* Quae omnia illud nobis planè indicant, Iacob sepultum fuisse in spelunca duplici, quam emerat Abraham, non vtique in eodem loculo, in quo Abrahami, aut Sarae ossa condita fuerant; non enim licere putabant patres illi iura sepulcri violare, sed in quodam alio, quem sibi effoderat ipse Iacob. id quod faciliùs multò percipietur, si, quae suprà de sepulcris diximus, in memoriam reuocentur. *Sup. lib. 3. 1. par. App. cap. 16.*

Quod verò ad sepulcra Iosephi, & fratrum eius spectat, illud quoque testatum habetur in Iosue his verbis: *Ossa quoque Ioseph, quae tulerant filij Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Haemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.* *Iosue 24. ℣. 32.* Quibus verbis diuersum omnino sepulcrum commemoratur ab eo, in quo sepultus fuerat Iacob: alius namque loco fuit, alius primaeua inuentione, pretio longè diuersus, nec minùs emptore, ac venditore: illum

namque

EVGVBINI sententia refellitur.

DE SEPVLCRO Iacob, & duodecim Patriarcharum, an fuerit idem.

namque Abrahamus emit, hunc Iacob; illum argenti pretio, hunc ouium: illum ab Ephron; hunc ab Haemor: illum contra faciem Mambre, hunc in Sichem: illum in ius sepulturae, hunc in possessionem. Sed quid obstat, quò minùs in ipso possessionis agro sepulcrum Iosepho beneficentissimo fratri, ac sibi ipsis effoderent filij Iacob, cùm (vt vidimus) nihil magis in vsu Hebraeis fuerit; quam vt in suis praedijs sepulcra sibi in rupibus exciderent? His igitur duobus sepulcris, ac locis ob oculos positis, facilis erit verborum Stephani, ac perspicua intelligentia; nimirum translatos Iacob, & Patriarchas, & sepultos; illum quidem in spelunca duplici, quam pretio argenti emerat Abraham; hos verò in Sichem, ac praedio, quod emerat Iacob à filijs Haemor, qui & patrem, & filium habuit nomine Sichem. Neque cuiquam videri debet, aut minùs apta, aut difficilis loquendi ratio: nam cùm ea res omnibus audientibus planè esset cognita, atque perspecta, facilis omnino videbatur audientibus phrasis, quam nobis earundem rerum ignorantia, aut obliuio obscuriorem, ac difficiliorem reddit. Perperam igitur confundunt nonnulli emptionem vtramque, & contra Hebraeorum statuta, ac mores contendunt, argenti pretium, & ouium numerum pro eodem accipienda; vtpote quia nummi quoddam genus, agnarum, quas referebat, nomine censeretur.

Sup. lib. 3. pri. par. c. 16.

Cuius sententiae auctor Achiba non aliam affert probationem, quàm quòd apud Arabes nummus dicatur chesita, quo nomine apud Hebraeos ouis vocatur. Ea vero tam leuis est coniectura, vt coram intuente quamcitissime euanescat. Nam quod ex pecoris, & pecuniae consimili agnominatione quis sine vlla ratione contenderet, pecoribus signatam fuisse pecuniam, probabilem forsan induceret inter gentes coniectura: at inter priores illos humani generis parentes, bonis artibus, ac legibus à Deo ipso praeceptore imbutos, quis credat pecudum, brutorum, aut ratione vtentium animalium numismatis impressas fuisse imagines, quae idolis colendis facilem aditum parerent? Quae quidem innato rationis humanae lumini ita consona sunt, vt ipsos etiam barbaros homines, ad quos philosophiae quaedam quasi reflexa lumina, ac subobscuri splendores peruenerunt, statuas, inanesque rerum imagines fieri, aut coli prohibuisse noscamus. Cuius rei testis nobis erit luculentissimus, Clemens Alexandrinus; is enim Numam ipsum Romanorum secundum Regem (à quo nummi notionem desumptam putat Isidorus) in huius argumenti confirmationem adducit his verbis: Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoraeus; ex ijs autem, quae à Moyse tradita sunt, adiutus, prohibuit Romanis, ne homini, aut animali similem Dei facerent imaginem. Cùm itaque centum, & septuaginta primis annis templa aedificarent, nullam imaginem, nec affictam, nec depictam fecere. Occultè enim eis indicarat Numa, quòd id, quod est optimum, non alia ratione, quàm sola mente vlli licet attingere. Hactenus Clemens. Hunc Hebraeorum morem verè retulit, praeter morem, Tacitus; Aegyptij, inquit, pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola, vnumque numen intelligunt: profanos, qui deûm imagines mortalibus materijs in speA cies hominum effingant: summum illud & aeternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra vrbibus suis, nedum templis sunt: non Regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Hactenus Tacitus. qui, quod à Domino lege iniunctum fuerat, re ipsa factum fuisse confirmat. Et quidem meritò omnem imaginem facere prohibebantur à Domino Hebraei, qui idololatriae deditissimi quondam fuerant: imagines namque alia, aut alia ratione factas idololatriae causas fuisse latè confirmat Sapiens. Quapropter non sit verisimile, vt dixi, brutorum imagines ab antiquis illis Patribus effictas eamaximè tempestate, qua pro idolis habebantur ab Aegyptijs, vt affirmat Moyses, ad Pharaonem inquiens: *Abominationes*, hoc est, idola, *enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? quod si mactauerimus ea, quae colunt Aegyptij, coram eis, lapidibus nos obruent.* Cui peruersissimo errori antiqui illi, ac primi parentes non vtique occasionem dederunt, sed posterioris aetatis ambitio, ac superbia. Quae omnia disertis verbis confirmat Sapiens: *Initium enim*, inquit, *fornicationis*, sic vocat idololatriam, *est exquisitio idolorum*, vel, vt alij conuertunt, excogitatio simulacrorum, *& adinuentio illorum corruptio vitae est. Neque enim erant ab initio; neque erunt in perpetuum; superuacuitas enim hominum haec, aduenit in orbem terrarum*; vel, vt habent Septuaginta; superuacua enim ambitione hominum intrauerunt in orbem terrarum. Et quamuis haec ita sint, vt sunt, firma, ac certa, Hebraeorum tamen recentiores aliqui cum eorum sequacibus vocem קשישה chesitah, quae in Hebraeo habetur praedicto loco Geneseos, nummum significare arbitrantur; eam namque deducunt à radice קשש chosset, quae firmitatem, certitudinemque significat, quod nummus sit signum, ac firmamentum contractus mutui. Qua in re meritò à recentioribus reprehenduntur eius sententiae auctores, vtpote qui punctum illud litterae ש sin è sinistro cornu mutauerint in dextrum, quod longè diuersam solet vocibus inducere significationem. Quapropter standum potiùs censent, vt debent, prudentes viri vulgatae nostrae, Septuaginta interpretum, & Chaldaei paraphrastis lectionibus, & interpretationibus communitae, quàm horum placitis, nulla firma aut ratione, aut coniectura innitentibus. Immo verò, si rem ipsam attentiùs inspiciamus, vox קשישה chesitah, tribus tantùm locis legitur in biblijs, & allato Geneseos, quem intrepretamur, & relato Iosue, & tandem in historia Iob, vbi sic habetur: *Et dederunt ei*, vtique amici Iob, *vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Quo loco, praeter Sancti Hieronymi, Septuaginta interpretum, Targhum, & Rabbi Abraham, Aben Hezra auctoritatem, quae maxima est, cum hi omnes ouem, vel agnam constanter vertant, idipsum ipsa ratio suadet: quis enim credat auream inaurem nummo vno coniunctam amicorum dono datam, & non potiùs ouem, quae peculio in pristinum statum restituendo vsui esse posset? Accedit huc etiam Oleastri coniectura, ex subsequentibus historiae verbis aptè desumpta: mox enim subditur, inquit, benedixisse Deum nouissimis Iob magis quam primis, & fuisse ei quattuordecim millia ouium: quasi oues illae paucae datae Iob ab amicis, propter Dei benedictionem, in tantum creuerint numerum

Exod. 20. V. 4.

Sapien. 14. V. 15. & seq.

Exod. 8. V. 26.

IDOLA abominationes dicuntur.

Sap. 14. V. 12. & 13.

Gen. 33. V. 19.

CHESITA nummum non significat.

Iosue 24. V. 32.

Iob 24. V. 11.

Gen. 23. V. 19.

Oleast. in Genes.

CHESITA Hebraea vox agnam, non nummum significat.

PRIMI PHILOSOPHI statuas fieri, ne colerentur, prohibuerunt.

Clem. 1. strom.

S. Isid. Orig. l. 16. cap. 17.

Corn. Tac. lib. 4. hist.

merum. Sed de voce iam satis superque: nunc enim aliud addendum est è re ipsa non leue argumentum, numismata nimirum omnia Hebraeorum, quorum aut forma exstat, aut memoria, in quibus nulla visuntur aut hominum, aut pecudum, siue viuentium signa, nisi vasorum tantum modo, plantarum, aut arborum, aut his similia. Quae omnia tum allatis superiore capite testimonijs, numismatumque formis stabiliuntur, tum multò magis earundem interpretationibus sequenti capite confirmabuntur.

DE ARGENTEI SICLI, AC SEMISICLI *figuris, & inscriptionibus.* *Cap. XXVI.*

HAVIVS capitis argumentum circa figuram illam numismatum versatur, quam ad finem vigesimi primi capitis paulò superiùs vnà cum characteribus apposuimus. id quod monendum fuit, vt eam lector ob oculos ponat, vt quae agenda sunt, facilè intelligat. In praedicta igitur figura octo visuntur expressa numismata, quae, vt faciliùs perciperentur, suis etiam sunt numeris distincta; vniusciuiusque verò numismatis vtraque facies exprimitur tantumdem ab aduerso situ seiuncta, quanta fuit ipsius numismatis crassitudo, qua eadem numismatum crassitudo in directum extensa subtus aspicitur. Eius verò extensae crasitudinis vsus lectori esse poterit fortè iucundus, si ex subtili alicuius metalli lamina, aut saltem ex papyro similem abscindat quantitatem, quae circumducta numismatis propositi crassitudinem, ac magnitudinem propè ostendet. Illud insuper constituendum videtur, haec omnia numismata percussa fuisse, quod ita certum, atque perspicuum sit intuenti, vt qui illud negare conaretur, certo certius probaret, se à nummorum cognitione ita esse alienum, vt percussa numismata à fusis, aut alia ratione formatis distinguere, aut secernere nesciret. Cuius rei nonnulla etiam apparent in praeallata numismatum figura vestigia, ac signa. Igitur qui maximam prae se ferre videtur antiquitatem, is est siclus, qui primo loco constituitur; tempore posteriores videntur secundus, ac tertius. neque his omnibus minorem ostentat quartus nummus antiquitatem. His autem quattuor nummis eadem, vtrimque figura expressa cernitur. De vase illo, quod in prima facie gerunt, constans apud omnes Latinos, Hebraeos, ac Graecos, quos vidi, exstat sententia, vas illud significare, cuius in Exodo sit mentio, vbi sic habetur: *Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum potest capere gomor, & repone coram Domino ad seruandum in generationes ve-*

NVMISMATA haec omnia percussa fuere.

Exod. 16. ℣. 33.

stras. Et sanctus Apostolus Paulus, dum arcam commemorat testamenti: *in qua*, inquit, *erat vrna aurea, habens manna*, Graecè στάμνος stamnos. Huius porrò vasis capacitatem infrà, cùm demensuris agemus, explicabimus. *Heb. 9. ℣. 4.* VRNA MANNAE, & virga Aaron expressae nummis.

Ex altera verò parte praedictis quattuor nummis omnium pariter Scriptorum consensu virga Aaron, quae fronduerat, referri creditur. Verùm cùm terni illi flores, quos in summitate profert ramusculus ille, non tam amygdalini videantur, quam malogranati, quanam ex causa id factum fuisse conijciamus, breui aperiemus. Quamuis quae in textu legimus, quo haec referuntur, ita sint perspicua, vt interpretatione non indigeant. Ibi enim, postquam seditio populi Hebraici contra Moysem, & Aaron igne quodammodo exstincta fuisse dicitur, igne absumptis quattuordecim seditiosorum millibus, & eo ampliùs, ne vlla superessent ampliùs semina, quae vllo vmquam tempore germinarent, duodecim tribuum virgas singulas vnà cum Aaronis virga afferri sibi praecepit Dominus, vt prolatis ex arido ligno virentibus foliis indicaret, quemnam sibi prae alijs Sacerdotem eligeret. Allatis igitur iuxta Dominicum praeceptum virgis: *sequenti*, inquit, *die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Id omne, quod non paucis verni temporis diebus, in proferendis amygdalis, praestare solent eiusmodi arbores, breuissimo illius horae spatio praestitisse Aaronis virgam conspicimus. id quod significare voluisse videntur primi huius nummi percussores, qui amygdala ipsa, floresque simul effinxerunt, seu mauis florida amygdala. Quo vtroque nummi signo duplex genti collatum beneficium referebant, caelestis nimirum panis, quo pasti fuerant, & Sacerdotis, ac Sacerdotij à Deo electi, qui mediator Dei, & hominum constitutus, illius iram ab his auerteret, horum scelera ab illius conspectu dimoueret. Quapropter & vrnam, & virgam vnà cum testamenti arca asseruari praeceperat Deus. Verùm cùm ea omnia in figura illis contigissent, nostrum supercaeleste manna, nostrum Sacerdotem IESVM Christum Dominum, panem viuum, qui de caelo descendit, Sacerdotem aeternum, qui semel quinque siclorum pretio redemptus in templo, Redemptor noster, ac nostrae salutis pretium effectus est. Neque aliam potissimùm ob causam sanctuarij siclo omnem aestimationem fieri praecepisse Dominum arbitrarer, quam quod haec, quae diximus, eiusmodi sicli insignibus referrentur. Quod verò ad inscriptiones spectat, tres nummi priores ex altera facie concordant eisdem characteribus scribentes שקל ישראל sechel Israel, hoc est, Israëlis siclus. ex qua inscriptione cùm altera, quae ex aduerso legitur, bene colligit Benedictus Arias numismatis antiquitatem: siquidem, & Hierosolymam simul, & Israelem refert, qua nimirum tempestate Hierosolyma & sanctitatis, & Regiae potestatis domicilium toti Israëli ante decem tribuum discessionem fuerat: parte altera litterarum numero inscriptiones variant: nam in primo numismate, & in quarto ירושלים הקדושה Ieruſalaim hacadoſah, tredecim litteris inscribitur. Et quod ad litteram, י iod, spectat, quae penultimo loco primae dictionis ponitur, & litteram, ו vau, quae in antepenultimo secundae, parum, aut nihil adnotandum

Num. 17. ℣. 8.

MANNA, ET virga nummis impressa duplex Dei beneficium referebant.

QVARE Deus sanctuarij siclo omnia aestimari praeceperit.

tandum est; cum eas olim vel adderent, vel non adderent, pro arbitrio; cum certissimis legibus periti agnoscerent, quando esset subintelligenda aliqua eiusmodi litterarum. Postea verò, cum lingua sancta memoria excidere cum suis legibus, & observationibus coepit, non solùm eiusmodi litteris, quae vices vocalium gererent, opus fuisse arbitrati sunt, verùm etiam punctis, quibus litterae alioqui immobiles mouerentur, ac significarent; vt doctè tradit Bellarminus. Quod verò ad literam ה he, quae in medio duarum dictionum additur, spectat, duplicem lectionem admittere posse putat relatus R. Azarias, librum Hierosolymitanum Meghila secutus: aut enim cùm antecedenti coniungitur, ita vt ירושלימה Ierosolimah legatur, aut iungatur sequenti dictioni הקדושה hachadosa. prima verò lectio peregrinae potiùs linguae prolationem refert, aut Syriacae, aut Graecae, quarum tunc temporis nulla consuetudine tenebatur Hierosolyma. Secunda verò lectio, quae vltimo praeallatae figurae numismate comprobatur, magis videtur retinenda, ac probanda; tum quod littera illa vices Graeci articuli supplere posset, ac si diceret Hierosolyma illa sancta, toto terrarum orbe celeberrima; tum vel maximè quod vsu receptum Hebraeis maximè est, vt, duobus pariter nominibus in compositione iunctis, posteriori litteram ה he, addant; vt in libro Regum videre est, vbi à Saule rogatus dixit Dauid: *Filius serui tui Isai* בית הלחמי beth hallachmi *Bethlehemitae ego sum*: atque in quarto numismate videre est, in cuius prima facie non שקל ישראל shekel Israel legitur, vt in alijs, sed חצי השקל chatsi hashechel, hoc est dimidius siclus.

Bellar. instit. ling. Hebr. cap. 2.

R. Azarias relatus supra cap. 21. huius in Meghila. cap. 1.

1. Reg. 17. ℣. 58.

Haec autem, quae diximus, perspicua sunt, & quae longiorem disputationem non exigunt. illud, fateor, difficultatem non modicam inuoluit, quid nimirum significet littera illa א, quae in medio nummo super vase conspicitur. Eam namque Benedictus Arias Montanus ita videtur interpretari, vt sit vnitatis nota priorem faciem significans. Ea verò facierum distinctio viris peritis, atque antiquiorum numismatum obseruantissimis propterea non probatur, quod nihil eiusmodi obseruatum vnquam viderint. Accedit huc etiam, quod loco eius litterae, binae aliae in secundo, ac tertio numismate visuntur; quarum omnium litterarum consimilis debuisset esse interpretatio. Quendam verò ex recentioribus Rabbinis Montani sententiam probantem audiui, ac ita eiusmodi litteram cum inscriptione coniungentem שקל ישראל אחד shechel Israel echad, hoc est siclus Israelis vnus, vel primus. Quae lectio mihi haud dubiè non displiceret, si eadem ratione in semisiclo legi posset; vt sensus esset, semisiclus Israel vnus, vel primus. Eam, qui volet, vel probet, vel abijciat: nobis namque non plenè satisfacit. Quapropter, dum solicitè, attentiusque mecum ipse perpenderem, quid ea nota significaretur, forte incidi in librum quendam de abbreuiaturis Hebraeorum, in quo haec verba legi. א litera aleph significat vnum de nominibus diuinis, nempe אדוני Adonai; & ponitur pro magno nomine quadrilittero יהוה elohim, haec ibi. quae in eam mentem sententiam induxerunt, vt crederem primos illos Hebraici populi Patriarchas pietatis ergo literam א, numismatis apposuisse; vt quasi symbolum esset genti illi, quod saepe saepius omnium bonotum largitorem in memoriam reuocaret.

R. Ari. Mon. in appara. biblic. in figura sicli.

ALEPH litera in nummo non significat primam faciem.

Globus canonum lib. 7. cap. 2.

LITTERA א in nummo Dei nomen significat.

Neque verò aequum, aut condecens videri potuisset, ineffabile illud, & admirandum Dei nomen suis litteris expressum, quae vel ipsum summi Sacerdotis caput gloria, & honore coronare consueuerant, numismatis inferri, quae impiorum plerumque manibus contrectantur, lociscque reponuntur immundis. Verùm enimuero non ea tantum ratione, quàm adferunt Hebraei, quamuis ea sit sufficiens, arbitramur littera alphabeti prima Dei ineffabile nomen significari, sed multo magis alia, quam forma eiusdem litterae numismatis expressa nobis indicat. Nam in praedicto nomine tria potissimum consideranda sunt, litterarum numerus, significandi modus, atque id, quod significatur: quaternis namque litteris Deum vnum, trinumque significat: nominis verò repetita secunda littera assumptam à Dei Verbo humanitatem indicat. Quae omnia symbolice potiùs, ac mystice, quam vocibus consueto significandi modo indicantur. Ea verò hac vna littera, quamuis obscurè magis, tamen haud dissimili modo innotescunt, in qua tria ligna sibi inuicem connexa, atque innitentia, vnam, eandemque simplicissimam, ac reliquatum omnium primam litteram constituunt, quae quaternis sphaerulis terminatur. Atque haec, ni fallor, sphaerarum in litteris adiectio, caeletibus stellarum figuris haud dissimilis, causa fuit, vt Scriptores non contemnendi arbitrarentur sacras literas à primis inuentoribus in stellis inuentas; atque adeo ipsa litteraria elementa plura complecti significata. Verùm, his alio praetermissis, hic tantum obiter notandum duxi, quatuor illas litteras, ineffabile Dei nomen constituentes, consimili artificio excogitatas; vt pote quarum singulae ternis, aut quaternis rectis lignis constent; ternisque, aut quaternis terminentur sphaerulis. Neque id tantum, sed & amplius vltima litera ה he, expressam habebat plerumque crucis formam; vt in quarto numismate facie prima visitur, quo non tantùm Diuini Verbi innueretur incarnatio, sed & assumptae carnis passio. Quae omnia in ipso Dei nomine, quod propterea seorsum scribendum in eadem figura curaui, videre quiuis poterit.

LITTERAE primae in stellis adinuentae. *Globus canonum lib. 10. cap. 12. ibi Picus Miran dulanus, & Lilius Giral. dialog. 1. hi stor. poetar.*

Superest iam, vt duas illas litteras, quae in secundo, ac tertio nummo pro ea, quam interpretati sumus, substituuntur, breui explicemus. Harum primam nullus ambigit esse litteram ש sin, alphabeti Hebraici penultimam. de secunda est quaestio. Nam Masius eam arbitratus est esse litteram מ mem, & vtriusque litterae enodationem huiusmodi שלמה מלך selemoh melec, hoc est Salomon Rex; ac si eius tempestate percussus fuerit eiusmodi siclus. Quam quidem sententiam, vt pote rationi valde consentaneam, aliquamdiu secuti sumus; neque abijceremus, si compertum nobis fuisset, atque exploratum, secundam illarum litteram esse מ mem. Sed eùm attentiùs perpenderem, mutuoque conferrem, similium, aut dissimilium litterarum notas, comperi litteram illam inferiori sui parte litteram ם referre, at toto corpore litteram ד daled, quartam alphabeti, ab ea tantùm distans, quod lineam, quae recta descendit in ד daled ad sinistrum latus inflectit; quod forsan consulto factum fuit, vt legenti indicaret dictionem minimè completam duabus illis litteris contineri; sed ad vlteriora in sinistram illam partem procedere. Quam animi mei coniectu-

Masi. Iosue 7.

ram

ram à doctis viris probari cum cernerem, etiam ego probare decreueram, & casu incidi in Rabbinum illum Azariam, cuius alias memini, qui שקל דוד sechel Dauid significari putat, nostram lectionem sequutus. Verùm, cùm sicli nomen eadem ipsa numismatis facie expressum sit, non fit verisimile tam breui inscriptione eandem vocem repetitam fuisse: quapropter easdem litteras retinentes, earum aliam prioris litterae interpretationi similem inuestigare lectionem cogimur. Ea verò non est difficilis: arbitramur enim celeberrimum illud Dei nomen שדי Saddai duabus illis litteris significari. Sed ne ad infirma tantum, & egena elementa respicere videamur, ex ipsa nominis explicatione coniecturas etiam rimari licebit, quae primos illos, ae sanctos Patriarchas inducere potuerunt, ad nemen huiusmodi cum alijs symbolis huic numismati imprimendum. Hoc igitur nomen Abrahamo primùm innotuit in Genesi, dicente Domino אני אל שדי ania el Saddai. *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Sanctus Hieronymus שדי Saddai, inquit, Aquila interpretatur ἀλειμον alcimon, quod nos robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus. Hanc Beati Hieronymi sententiam, vulgatae aeditionis auctoritate comprobatam, leuioribus quibusdam argumentis conuellere conantur nonnulli, quos meritò redarguit noster Pererius. sed illud exigere videtur contextus, vt eam demus voci notionem, qua maximè posset Deus ad se sequendum inducere Abrahamum; atque huiusmodi sane est, quod sit Omnipotens, Abrahami non indigens, vtpote sibi sufficiens; quique nihilominus possit, quidquid voluerit, praestare. Congruit igitur hoc Dei nomen cum symbolis illis vnae manna, quo populum quadraginta annis pauit in deserto; & Virgae, cuius flore Aaronem verum Sacerdotem à calumnijs hominum liberauit, populoque meritissimum prouidit Pontificem. Haec autem symbola nummis ipsis impressa, in quibus confidunt viri diuitiarum, significare videntur, pios homines profiteri debere Deum Optimum summae potestatis esse; quique suorum curam gerat, suauissimo cibo de caelo misso cos satians, à calumnijs hominum redimens, ditans, & subleuans. Quae omnia in figura illis contigisse credimus; nobis verò re ipsa exhibita, supercaelesti illo, ac quotidiano Eucharistiae cibo, sacrificio, ae sacramento Sacerdotum eximia potestate confecrato.

Gen. 17. v. 1.

S. Hier. epist. 136. ad Marcell.

EXPLICATIO nominis Saddai.

Pere. in Genes.

QVAE BONA nobis conferat sacra Eucharistia.

Tandem quod ad argenteos sicles spectat, huc omne referentes, vltimo loco siclum illum argenteum apposuimus, qui, quod quadratis neotericis characteribus sit inscriptus, recentioribus saeculis factus fuisse probatur. Et quamuis hae fortasse ratione suppositicius nummus aliquibus videatur, tamen, quod ad eius vel antiquitatem, vel veritatem spectat, liberum vnicuique relinquitur; quod volet existimet: nonnullis tamen ducti rationibus illum praetermittendum non fuisse existimauimus. Nam in primis nummus hic, vt omnes alij, quos proponimus, initio percussus fuisse, non fusus, aut incisus, ostendunt perplura signa, & coniecturae, quas longum fuisset percensere. peritos consulat lector, si certior fieri cupit, an nummus aliquis vel percussus fuerit, vel alia ratione formatus. Deinde vas illud, quod in prima facie visitur fumum exhalans, formam prae se fert turibuli antiquitatem plane redolentem. Ex altera vero parte virga Aaron frondescens, nondum flores, aut fructus ex se proferens ostenditur; vtraque Sacerdotis instrumenta sunt. Tandem propterea non omittendum duxi hunc siclum, quod aliorum omnium quasi quaedam interpretatio sit; cum notioribus, & vsitatioribus scriptus litteris eadem verba referat, quae alijs characteribus illi: in hoc tamen diuersus ab illis est, quod antiquiorum numismatum inscriptio à sinistra ad dextram tendat; & ab inferiore ad superiorem partem; in hoc verò contra, à dextra ad sinistram; & à suprema ad infimam: nisi fortè & hoc ipsum vel casu, vel consultò factum, illos innuit siclos percussos, nascente, & ad suprema tendente Hierosolyma; hunc contra, iam dilabente, atque ad supremum interitum, atque ruinam corruente. Atque hie satis superque de argentei sicli, ac semisicli forma dictum sit. nunc de alijs sicli partibus agendum est.

ANTIQVA turibuli forma.



DE FORMA, ATQVE INSCRIPTIONE *aerei sicli; necnon de argentea, atque aerea quarta parte sicli. Cap. XXVII.*

AEREVM semisiclum, quem olim à Patre Prado acceperam, ac semel supra attuleram, hic referre cogor, atque ea corrigere, quae ibi minùs accuratè scripta, maiorem, quam postmodum adhibuimus, exigebant indagationem. nam ibi nummus ille, ad exprimendam fruticis balsami formam adhibitus, id sanè praestitit: neque attentiùs expendi inscriptionem, & litterarum formam; sed vt eam verbo à donante acceperam, sic expressi. At posteaquam numismatum alios, atque alios characteres, variasque inscriptiones expendi; necnon integra alphabeta ex varijs locis conflata perspexi, eundem nummum solicitè consideraui, & planè comperi, eisdem omnino antiquis characteribus signatum fuisse, quibus reliqui; atque adeo inscriptionem vtramque supra positam corrigendam esse lectorem hortabor. neque enim fateri erubesco id, in quo me minùs recta tradidisse deprehendi; vt vel hac ipsa attestatione profitear, quam laeto, ac lubenti animo alia omnia, si animaduertissem, corrigerem, quae lector prudens corrigenda deprehenderit: non enim dubito, quin alia multa sint.

Supra tomo 2. cap. 27. Ezech. fol. 23

Igitur vt ad nummi explicationem accedamus, is praefert, hinc radicis balsami, inde palmae formam quas Palaestinae proprias fuisse vel vno Taciti testimonio confirmari facilè poterit. Is enim Iudaeam Palaestinae regionem describens, sic inquit: Rari imbres, vber solum; fruges nostrum ad morem; praeter eas, balsamum, & palmae. Palmetis proceritas, & decor, balsamum modica arbor: vt quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeat pauent ve-

Corn. Tac. lib. 5. hist.

BALSAMVM, & Palma Palaestinae propriae.

venae, fragmine lapidis, aut testae aperiuntur. Haec Tacitus. Sed radicem hanc balsami formam referre, non solùm hac Taciti descriptione constabit, verùm etiam alijs, quas praecitato loco retulimus. Haec autem perspicua sunt. Litterae verò vetustate ita exesae sunt, vt vix earum vestigia eernantur, quae diuinatore potiùs egere videntur, quàm interprete. quapropter, quae assidua longiorique meditatione comperi, explicabo: haec eadem paratus corrigere, cùm primùm aliquid aliud vel in mentem venerit, vel ab alijs mihi fuerit oblatum probabilius. Est igitur iuxta balsami radicem inscriptio obscura satis, quam sic lego מול עת mul ghet: nam prima littera מ mem satis videtur expressa. secundum ו vau, qui plures eius litterae formas in praecedentis figurae alphabetis attentiùs consideraverit, facilè deprehendet: necnon tertiam ל lamed, quamuis huius litterae angulus recto magis sit similis, quàm aliarum ciusmodi litterarum. In sequenti verò dictione prima littera haud difficulter discernitur esse similis Latinorum litterae o, similique Graecorum. Ea verò littera, quamuis in antiquis alphabetis non conspiciatur, mihi tamen, tam hoc quinto, quam sequenti sexto numismate accipienda videtur pro litteray ghain: nam cum apud omnes Hebraeos testatissimum sit, litteram hanc non solum notione, verùm etiam forma oculum referre, tam ע ghain antiqua, quàm recens y, oculum videtur imitari: hoc vno ab illa haec distat, quod haec aperto, illa clauso similis sit oculo. Vltima verò huius inscriptionis littera, quae Latinorum z similis est in Rabbinico alphabeto, pro extrema Hebraici littera ת tau vsurpatur. quapropter meritò tota inscriptio in hunc modum legitur מול עת mul ghet, quae, si Latinè reddatur, circuncisionis tempus significat; atque innuit eo tempore fuisse nummum percussum, quo circuncisus fuit totus populus, non quidem primùm, sed secundum, sub ingressum Palaestinae. Huius verò circuncisionis meminit liber Iosue; qui postquam Reges Amorrhaeorum, & Reges Chanaam retulisset contremuisse audito signo, quod fecerat Dominus, exsiccans fluenta Iordanis coram filijs Israel, subdit: *Eo tempore ait Dominus ad Iosue: fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundo filios Israel. Fecit, quod iusserat Dominus, & circuncidit filios Israel in colle praeputiorum. Haec autem causa est secundae circumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Aegypto generis masculini, vniuersi bellatores viri, mortui sunt in deserto, per longissimos vitae circuitus; qui omnes circumcisi erant: populus autem, qui natus fuerat in deserto per quadraginta annos latissimae solitudinis, incircuncisus fuit, donec consumerentur, qui non audierant vocem Domini &c. Horum filij in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt à Iosue.* Huius igitur circuncisionis meminit numismatis inscriptio: nam cum primùm circuncisi sunt, & comederunt filij Israel fruges terrae promissae, cessauit manna, vt ibi refertur. Quapropter mirandum non est, si, praetermissis vrnae, & virgae insignibus, arbores assumerent in nummis regionis proprias, cum inscriptione מעבו meghabu, hoc est crassitudo, vel pinguedo eius, eius inquam regionis, quam ingrediebantur possidendam. His verò minimè obstat posterioris aetatis numismata eisdem vrnae, & virgae insignibus fuisse percussa: repetuntur namque libenter à posteris maiorum insignia vel tunc maximè, cum ad id peculiari ratione impel-

SVB SE- cunda circuncisione percussus fuit semisiclus hic aereus.

Iosue 5. à ℣. 2. & deinceps

luntur, vt in sequenti numismate explicandum est. Priùs tamen hanc secundam inscriptionem explicare, & vtriusque symboli rationem reddere operaepretium duximus. Ac primùm, quod ad litteras spectat, prima, ac secunda ita sunt expressae, vt omnibus sint in promptu; quarta, quamuis non ita expressa sit, attentiùs tamen intuenti ipsa quoque fit manifesta. In tertia maior est dubitandi ratio, quoniam attrita nimis est; atque vix litteram aliquam repraesentat: sed tamen linea quaedam, vel potiùs lineae quoddam vestigium supereſſe videtur, quae linea pars litterae ב beth esse videtur. atque adeo vocem illam sic interpretamur, vt deducta sit à radice עבת gabath, quae incrassari significat in Exodo: *Impinguatus* aut pinguis fuisti עבית ghabitha, indeque deducitur nomen מעבה meghabah. in libro Regum sic habetur: *In campestri regione Iordanis fudit ea Rex*. Vasa nimirum aenea templi fundi iusserat Rex in campestri regione Iordanis במעבה bemaghabah in crassamento, vel pinguitudine terrae, hoc est in crassa, ac pingui terrae gleba, quam aptè significauit vulgatus in argilosa terra. quapropter terrae pinguedinem denotare videntur palma, & balsamum. Sed si mentis oculos tantisper intendamus ad interiora harum arborum symbola, facilè inueniemus tunc aptè balsami fruticem assumi, cum circuncisionis lapideo cultro factae fit mentio: si enim balsami radicem aspicias, horrida, deformis, atque omnino inutilis videatur; sed cùm primùm lapide incisi fuerint turgentes eius rami, mox suauissimum, ac pretiosissimum balsami stillat vnguentum. Id quod in filijs Israel tunc temporis euenisse cognoscimus, cum primùm lapide fuerunt circumcisi, mox Iosue audiuit Dominum dicentem. *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis*. Quare & tunc victoriae, ac celsitudinis palmam assumpsisse videntur. Ex tunc etiam fructus vberes Deo reddere potuerunt, qui priùs illi erant acerbi, & tanquam incircumcisi, exosi. Quae vtique omnia figurae sunt eius circumcisionis, quam praecipit ipse Dominus in Deuteronomio, vbi postquam potentiam suam infinitam, ditionem sine termino, feruentissimumque amoris affectum quo fidelibus suis agglutinabatur, ostenderat, subdit: *Circumcidite igitur praeputium cordis vestri* &c. Quam cordis circumcisionem, non alio, quàm lapideo cultro praeceperat, vt vidimus, fieri. Id quod planè significatur in balsamo, cuius ramis, vt dixit Tacitus, si vim ferri adhibeas, pauent venae; fragmine lapidis, aut testae aperiuntur. Sed discretis, ac magis perspicuis verbis Plinius non solùm balsami naturam expresit, sed multò etiam magis huius internae circumcisionis instrumenta, modum, & temperamenta. Sic enim inquit: Inciditur vitro, lapide, ossisue cultellis; ferro laedi vitalia odit, emoritur protinus, eadem amputari superuacua patiens: Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid, vltra corticem, violet. Haec ille. Ex quibus liquido intelligemus, noxios cordis affectus hac cordis interiori circumcisione amputandos praecipi, non quidem indignationis, aut odij ferro, sed viuo lapide, Christi amore, atque imitatione; idque non absque discretionis temperamento. Sed de his satis. Vltra morem enim in haec mystica diuagatus sum, vt ostenderem quam videantur, etiam ex hac parte, animi nostri coniecturae circa numismatum symbola probandae.

Deut. 32. ℣. 15.

BALSAMI frutex aptissimum circumcisionis symbolum.

Iosue 5. ℣. 9.

Deut. 10. ℣. 16.

BALSAMVM ferro non inciditur, vt stiller. sed lapide. *Tacitus vbi supra. Plin. lib. 12. cap. 25.*

CHRISTI exemplo noxij cordis affectus amputandi; vita charitate conseruanda.

Sequitur iam, vt de sexto argenteo nummo

nonnihil dicamus,& in primis de eiusdem nummi insignibus. Is namque ex altera parte torquem gestat satis expressum: est verò affabre elaboratus; vtpote qui binis margaritarum otdinibus constate videatur, quae filis insertae denae quaeque reuinciuntur,& quasi quibusdam interiacentibus nodulis copulantur. atque ita fit,vt vniuersus torques in nouem aequas partes diuidatur, quarum media, quae in suprema numismatis parte visitur, inanis apparet, nihilque in medio complectitut; reliquae maioribus quibusdam gemmis complentur, singulae singulis. In his nonnihil insculptum fuisse dignoscitur; quid verò fuerit, neque dignosci, neque conijci potest; quoniam extantes, maximè in numismate, partes vsu attritae sunt,& vetustate consumptae. Atque vt hoc etiam obiter dicamus, si expressum exemplar fuit alicuius torquis, cuius vsus Salomoni, aut alijs Regibus fuerit in vsu, vtique eius inaestimabile pretium, vel ex eo tantùm conijci potuisset, quod margaritae facile possunt annumerari, quinae vtrinque inter singulos torquis nodos: atque adeo margaritae quinque & quadraginta totum Regis collum ambirent, non recta via,sed secundum ambages illas, quas quisque videre poterit in eius figura. Ex quo fit, vt margaritae illae eximia fuerint magnitudine,pretio inaestimabili. Quae omnia ad mysticos potiùs, quos mox indicabimus,referenda sunt sensus.

TORQVIS Regius describitur.

Ex altera verò nummi facie guttus visitur forma pulcherrimus,caelaturis eminentibus, quem longum esset per singula describere, & superuacaneum; cum expressus videri possit in numismatis supra appositа figura. Illi adstat frondescens virga, qua non immeritò conijcimus Aaronis virgam referri; cum & vas ipsum ei simile videatur, in quo sanctum vnctionis oleum asseruabatur in templo; quo nimirum Sacerdotes Leuitici generis, vasa quoque, & instrumenta templi inungebantur, & sanctificabantur. Neque coniectura tantùm in hanc ducimur sententiam, sed multo magis ipsius numismatis inscriptione: nam in priore facie, in medio praedicti torquis quinque visuntur litterae satis expressae. Earum prima, secunda, & quarta planè cognoscuntur inter eas, quae supra dictae, explicataeque sunt: Tertia verò,& quinta, quarum similes alibi non perspeximus, non ita facilè dignoscuntur. Tertia namque littera Graecorum litterae ϛ sigmatau,siue notae quinarij numeri Latinorum similis est. ea verò non valde dissimilis est litterae ן nun quam in alphabeto Vaticano obsetuauimus: in hoc enim vna littera ab altera distare videtur, quod haec numismatis suas habeat complicaturas mollitet curuatas;illa verò Vaticana in angulos flectatur, id quod facillimè potuit,etiam ab ipso librario, mutari: quapropter, & pro littera נ nun à nobis accipietur. Vltima tandem huius inscriptionis nota, pro vltima Hebraici alphabeti vsurpabitur:nam cum pluribus suprà ostensum sit, litteram ת tau signum crucis expressisse, haec autem cruci omnino sit similis,pro littera ת tau merito habenda erit. Accedit huic altera coniectura, id probans; quod mox ostendemus,nummum videlicet hunc posteriori Regum Iudae tempestate fuisse cusum;nam & littera haec magis ad noui alphabeti litteram ת tau videtur accedere;siquidem transuersae crucis dextrum latus in inferiora deflectitur. Quapropter tota inscriptionis lectio hu-

GVTTVS olei sancti in numismate.

Exod. 31. ℣. 23.

iusmodi erit שמן עת samen gheth, hoc est vnctionis, vel vnguenti tempore. Qua in re cum certi nihil statui possit, quid conijciamus,breui aperiemus. Scripturam hanc numerum quendam annorum indicare putamus;cuius scripturae notio computandi numeri exordium indicat, nimirum annum illum, quo in Exodo Moysi praecepit Dominus, vnctionis oleum sanctum componere; fuit autem is annus primus egressionis filiorum Israel ex Aegypto. Numerus autem, si in vnum colligatur, erit iuxta singularum litterarum notas, vt in margine,octingentorum sexaginta annorum: atque adeo idem importare videtur eiusmodi inscriptio, ac si Latine diceremus, octingentesimo sexagesimo anno egressionis filiorum Israel. Vt igitur,quo Rege percussus fuerit hic nummus,inuestigemus, Regum tempora in margine quoque componentes,inuenimus tertio anno Iosiae percussum nummum: nam anno quadringentesimo, & octogesimo egressionis filiorum Israel de Aegypto, quarto Salomonis aedificatur templum, reliqui Salomonis sunt triginta sex; computatisque reliquorum Regum vsque ad Iosiam annis iuxta sacras historias, colliguntur omnes anni ab egressu vsque ad tertium Iosiae, octingenti sexaginta, vt videre est in appositа tabella.

ANNVS primus egressionis filiorum Israel ex Aegypto vnctionis dicitur tempus.

ש	300
מ	40
נ	50
ע	70
ת	400
	860

3. Reg. 6. ℣. 1

ANNI AB egressu ad templi initia. 480

Reliqui Salomonis	36
Roboam	17
Abiam	3
Assa	41
Iosaphat	25
Ioram	8
Ochozias	1
Athalia	7
Ioas	40
Amasias	29
Azarias	52
Ioathan	16
Achaz	16
Ezechias	29
Manasses	55
Amon	2
Iosias	31
	860

Ecclesiastici 49. ℣. 1.

ODORATIS vnguentis Sanctorum memoria comparatur.

Ioan. 12. ℣. 3.

Nec ab re videtur esse,vt Iosiae tempestate vnguenti fiat,& odoramentorum memoria,quem ita laudauit Ecclesiasticus, vt diceret: *Memoria Iosiae in compositionem odoris facta opus pigmentarij.* Haud secus enim iucundam, proficuam, & suauem futuram putat Iosiae sancti Regis memoriam, quàm solet pretiosum vnguentum ex varijs aromatibus sapienter à pigmentario confectum, non contrectantes modo reficere, ac recreare, verùm etiam praesentes omnes, etiamsi à longe prospiciant, & boni odoris fragrantia perfruantur. Id quod significare voluisse videtur sacer Euangelista, qui, cum inunctos retulisset vnguento pedes Domini, subdidit: *& domus repleta est ex odore vnguenti.* Nec mirum;praeclara enim Iosiae facta, eximia virtutum exempla, Religionis, Iustitiae, pacis documenta in omne aeuum futura posteritas laudabit,referet,aemulabitur.

In altera verò nummi facie omnes litterae ita sunt expressae,vt nulla possit in dubium reuocari, praeter vltimam,quam abstulit aliquis nummum perforans,vt eum collo appenderet: verùm,quaenam ea fuerit,antecedentes ita certò demonstrant, vt omnis sublata sit dubij occasio. est autem huiusmodi לחרות ירושלם lecharuth Ierusalem,quam Latinè sic licet reddere, ad scripturam Ietusalem: est enim prima vox à radice חרת charath deducta,quae exarare, scribere, sculpere, describere significat. Radici item כתב cathab significatione persimilis. Quapropter vtraque refertur simul in Exodo ומכתב מכתב אלהים הוא חרות על הלחת vehamicthab micthab elohim hu charuth ghal haluchot,& scriptura Dei ipsa sculpta super tabulas. Vulgatus: *scriptura quoque Dei erat sculpta*, vel scripta *in tabulis*.

Exod. 32. ℣. 16.

Quae autem hic dicatur scriptura,Hierusalem, conijci potest ex eo, quod habetur in libro tertio Esdrae, vbi refertur solemne pascha, quod primum celebrari iussit Iosias Rex;ibique eum dixisse Leuitis:Et nunc destruite Domino vestro,&c. Secundum scripturam Dauid Regis Israel. Haec autem Dauidis scriptura habetur in libro Paralipomenon, vbi Leuitae omnes, & numerati dicuntur à Dauide,& in sortes atque familias,variaque

Esdrae 3. cap. 1. ℣. 4. & 5.

1. Paral. 23. & 24. ℣. 6.

domus

SCRIPTVRA Hierusalem, quae dicatur.

domus Domini ministeria distributi, & subditur: *Descripsitque eos* ויסתם veiiçthebem à praedicto verbo deducta est vox: & descripsit eos *Semeias filius Nathanael Scriba Leuites coram Rege*, &c. Et haec quidem scripturarunc primùm scripta, semper conseruata fuit, dum Respublica illa permansit, additis ijs, qui denuò ad Sacerdotale munus admittebantur, priorum filijs: quam requisiuisse dicuntur è Babylonica seruitute reuersi Sacerdotes illi, qui, quòd eam non inuenerunt, eiecti sunt de Sacerdotio. *Hi*, inquit liber Esdrae, *quaesierunt scripturam genealogiae suae*, vel, vt conuertit ex hebraeo Regius codex, scripturam suam genealogizatorum. Hanc igitur scripturam, seu Leuiticae tribus genealogiam eleganti symbolo significare voluisse videtur auctor huius nummi, dum torquem illum expressit, indicans pulcherrimum, & pretiosum Synagogae monile fuisse Sacerdotale munus, vno eodemque sanguinis, & cognationis filo colligatum, varijs ministerijs quasi margaritis ornatum, atque illustrissimis viris, quasi coruscantibus gemmis distinctum; quorum vnctioni, ac sanctificationi deseruiebat sanctum illud vnctionis oleum, de quo paulò superius.

Esdrae 1. c. 2. V. 62.

SACERDOTALE munus perpulchrum monile olim Synagogae, nunc Ecclesiae.

Verùm si mens potiùs sanctissimorum illorum virorum, qualis fuit Iosias, & animus in his componendis attendatur, magis propriè, ac verè his inscriptionibus, ac symbolis aeternum Christi Domini Sacerdotium indicabitur, quod sancti Spiritus copiosissima vnctione conferatur, ad nos, licet immeritos, visibili, ac sacro oleo perunctos deducitur, qui eximiae potestatis characteris splendore illustrati lucebimus in perpetuas aeternitates. Atque hoc planè mirandum Ecclesiae sanctae Sacerdotium in varias dignitates, ac gradus distinctum, miro ordinis, & charitatis vinculo colligatum, ipsum Regium mystici corporis Christi collum nobilitat, ditat, exornat.

Vltimò tandem loco aereus quidam nummus explicandus est, qui, quamuis magnitudine, atque materia alijs cedere quodammodo videatur, symbolis tamen, atque inscriptionibus forsan praestare iudicandus est. In eo manipulus quidam apparet expressus, qui ex pluribus frumenti spicis conflatus, floribus, ac fructubus omnis generis abundans, subtus bene reuinctus, & colligatus est. Manipulum circunstant vasa Romanorum vrnis haud dissimilia, quorum dextrum maius vini videtur esse, sinistrum olei. Inscriptio verò maxima ex parte attrita est; sed ita tamen, vt has quattuor litteras satis expressas ostendat à parte sui dextra שמוא quibus non aliud indicari potest, quam Samuelis nomen. parte verò eiusdem faciei sinistra littera tantum ב visitur, quae situ facilè indicat, litteras hinc inde appositas vsu consumptas defecisse. ex quo conijcimus נביא nabi scriptum fuisse, hoc est propheta, vt bene interpretatus est vocem hanc Pradus: sensusque verborum erit, eiusmodi nummum à Samuele Propheta percussum fuisse; cùm ante Israelis Reges ipse Hebraeorum rempublicam administraret. Parte altera nummus vnam praefert aliorum nummorum vnis similem, eo tantum excepto, quod haec forma est perfectior, ac iuxta graphicae artis observationes magis exacta. quam etiam arbitramur vnam illam referre, qua manna asseruabatur. quod magis videtur hac ipsa inscriptione indicari, quàm reliquis. Eius igitur inscriptionis prior pars tres integras, ac satis expressas habet the-

Prad. tom. 1. in comment. Ezagogico. sect. 1.

matis litteras huiusmodi גאל gaal; quae vox redimere, in libertatem asserere, vindicare significat apud Isaiam, eximia illa, atque iubilationis plena exhortatione: *Laudate caeli*, &c. *Quoniam redemit Dominus Iacob* &c. Huic haud dissimilis est illa psalmi: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici.* Vatablus sic conuertit: In libertatem vindicati à Domino dicant, quod eos vindicauerit à manu hostili. Iuxta hanc vocis huius notionem explicanda est omnis inscriptio: illa namque littera, quae initio praefigitur, quaeque nec in nummis alijs, nec in alphabetis reperitur, diuinanda, potiùs est, quàm explicanda. Ego verò non aliam esse existimo, quàm litteram נ nun formatiuam passiuae vocis; atque adeo legendum censeo נגאלת לעמ nagaltha lersum. & sensus erit quasi exhortatorius ad populum, huiusmodi, redemptus es, vindicatus, ereptus à ieiunio, hoc nempe manna è caelo delapso. Totus igitur hic nummus à Samuele Propheta, ac totius Israelis Iudice, ad hoc tantum tamque singulare Dei beneficium in memoriam reuocandum, percussus esse videtur. Hoc enim caelesti cibo quadraginta annos pasti, recreati, & liberati fuerant Hebraei, non modo à famis, & indigentiae incommodis, verùm etiam amittendae libertatis, salutis, ac vitae. In eo verò vno, ac simplicissimo cibo, frumenti, vini, olei, frugum, ac fructuum omnis generis continebantur alimenta, dulcedines, commoda. Quae omnia diuino afflatus spiritu Sapiens percensèt his verbis: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem: Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Quae omnia antiqua symbola, quid aliud nobis ostendunt, quàm sanctissimum, & supercaeleste Eucharistitiae sacramentum, quod, singulari Dei, ac Domini nostri IESV Christi beneficio, Spiritu sancto edocta sancta mater Ecclesia, sacra pyxide vrnae illi quamsimillima in Ecclesijs asseruat, in memoriam quidem illius singularis beneficij, quo pridie, quam pateretur IESVS Christus, Deus, ac Dominus noster, patres nostros sanctos Apostolos corpore suo sanctissimo pauit; sanguine mox effundendo potauit; omnis suauitatis dulcedine repleuit, consecrauit, inunxit. Nec in memoriam tantùm, sed vt idem corpus eundem sanguinem, ac illa omnia bona continentem cibum asseruet, quo nos quotidie cibari omni suauitatis sapore, dulcedine, fructu, omnibus bonis, ac tandem aeternae vitae participes esse possimus. Reliqua prudens lector faciliùs conferet, atque commodius.

DE NOTIONE verbi redimere.

Isai. 44. V. 23

Psal. 107. V. 1. & 2.

QVID MANNA illo veteri contineretur.

Sap. 16. V. 20. & 21.

PLVRA, ET ineffabilia bona, quae supercaeleti Eucharistiae sacramento continentur.

His igitur explicatis nummis, facilè quiuis agnoscere poterit, reliqua omnia Hebraeorum numismata; & qua ratione à figuris, maximè humanis, abstinuerint: quamque à vero alienum sit Rabbinorum figmentum, qui in libro Rabba affirmant, quattuor referri nummorum cusores: Abrahamum, cuius nummus senem, ac vetulam referat: Iosue, qui bouem, & vnicornem effinxerit: Dauidem, qui virgam, & turrim: at tandem Mardocheum, qui hinc saccum, inde Reginam Esther, atque seipsum cum ea expresserit. quae omnia totrebus secum inuicem pugnantibus re-

QVATTVOR numismatum cusores apud Hebraeos recensentur.

ferta sunt, vt, vel me taeente, à prudente lectore refellantur: quare ab eorum confutatione abstinendum duxi. Neque amplius quidquam addendum putarem: iam enim satis superque dixisse videremur de Hebraeorum numismatum forma, nisi dicendum etiam nonnihil fuisset de nummis illis, qui Hebraici dicendi non sunt, quamuis Hebraicis etiam litteris sint conscripti. Atque vt breuitati consulam, vnum tantum adferam in exemplum, qui reliquorum omnium censuram doceat. Vidi apud Fuluium Vrsinum aeneum quendam nummum pondere drachmae, qui ex altera parte refert Marci Antonij caput, cum inscriptione huiusmodi שלמה מלך Selomoh melec, hoc est, Rex Salomon. rudem ex aduerso quandam, & incongruam templi formam ostendit, eum inscriptione היכל שלמה hahecal Selomoh, hoc est Salomonis templum. De quo quid idem Fuluius sentiat breui explicabo; quoniam singularis eruditionis vir auctoritatem sibi conciliat, & fidem. Is arbitratur nummum hunc ab Herode Agrippa percussum, qui, vt Antonio assentaretur, ei Salomonis nomen, & aedificati templi gloriam adscribit. hanc verò sententiam plures non contemnendae coniecturae confirmant: facies enim, quae in nummo conspicitur, est dubio procul Antonij, vtpote quae cum alijs nummis congruat, qui eiusdem Antonij praeferunt nomen, & vultum. Litterae omnino sunt similes ijs, quas nos protulimus, & ostendimus ab Esdra inuentas; quapropter nummus Esdra posterior neeessariò habendus est. Ac tandem templum non modò nihil habet commune cum Salomonis templo, verùm neque cum aliquo alio, quod à gentibus sapienter fuerit architectatum. atque adeò nihil aliud prae se fert, quàm inscitiam artificis, qui nummi exemplar confecit. Quapropter tam hunc, quàm alium quemcumque similem, si reperiatur, non Hebraeorum habendum esse putamus, sed peregrinum: percussus enim est ab Herode iniquo principe, qui se Hebraeum esse planè profiteretur, ac nihil minùs curaret, quàm Hebraeorum legibus se subdere, atque institutis, quibus impium habetur, & execrandum, hominis imaginem quacumque ratione, aut causa efformare.

NVMMVS Herodis.

A plicare; & quasi ab instituto desperantem remouere coeperunt. Quapropter monendum initio prudentem lectorem duxi, vt veri discendi cupidus supremum conscendat mentis suae conclaue, ibique remotis affectionum arbitris, omnia, & singula rationum momenta perpendat; &, quanta sit Diuinarum scripturarum fides, & auctoritas, existimet, quam non modo infringere non licet, sed neque aliqua ex parte imminuere, aut ei detrahere, nedum leues coniecturas, & figmenta aduersus illam quodammodo excogitare: non alia ratione, quàm quòd hominum nostrae tempestatis captui minùs credibilia videantur, quae in sacris voluminibus de magnificentia, & opibus templi proponuntur. Quem sanè disputandi morem, vt ab omni ratione alienum, longè à fidelium animis abijciendum esse pius quisque, & cordatus lector planè iam videt: & satius multò fore, si priùs attentiùs perspiciatur, quid sacra dicat historia: id enim cum primum perspectum fuerit, & cognitum, mox omnis auferetur dubitatio; & ipsa per se eadent pugnantia argumenta, quanto magis excogitata figmenta? atque hunc morem, quem alijs sequendum suademus, nobis in omnibus tenendum, ac numquam dimittendum proponimus. Et in primis Latinae vulgatae editionis auctoritatem tenendam, atque pro viribus tuendam esse profitemur, quo maximè Concilij Tridentini sanctissimis decretis nos exhibeamus obsequentes. Quamobrem Septuaginta interpretum versionem, immo & ipsam Hebraicam lectionem ita explicandam curabimus, vt cùm Latina congruat: quod si ab ea discrepet, ab ipsius quoque primitiui textus veritate discrepare probetur. Quae omnia propterea notanda duxi, quòd hac nostra tempestate quidam, multiplices siclos, diuersa talenta, mensuras varias, variaque pondera ipse sibi effingere, & comminisci conatus, Septuaginta interpretes saepè, saepius Iosephum ipsum sacrae vulgatae editionis auctoritati ita opponit, vt illos sequutus, hanc deserat. Atque illud maximè cauendum censeo, quod vsu, non sine intimo animi mei sensu venire comperio, plures, sapientes alioqui, & pios viros, rei nouitate, ac falsa eruditionis specie delusos, latentem anguem in herba non videre, ac tacita venena nulla ratione formidare.

NONEST aduersus sacrae Scripturae testimonia disputandum, sed quid dicant audiendum, quoniam plenam mox fidem sibi exhiberi expostulant.

DE SICLI PONDERE ET AESTIMATIONE ET *quod vnius tantummodo sicli mentio fiat in sacris litteris. Cap. XXVIII.*

SICLI pondus, & aestimatio ita sunt apud antiquos Scriptores perspicua, vt, nisi recentiores in infinitas sese coniecissent quaestiones, res fuisset tractatu facilis, intellectu facilior, breuitate facillima. Sed quòd plures Scriptores ingenij sui vires, & animum in hanc vnam curam intenderunt, non studio veritatis tantùm, sed captandae popularis aurae desiderio permoti, sibi ipsis negotium facessere, nobis laboriosam operam comparare, lectorem difficultatibus im-

SICLVS stater, tetradrachmus pro eodem vsurpantur pondere, & nummo. *Ioseph. 3. antiq. cap. 9.*

Hesichius.

Philo lib. 1. de specialibus legibus, qui est secundus Decalogi.

sexage-

sexagesimum Τιμὴν δραχμὰς νομίσματος ὁλαεγύρου timin drachmas nomisnatos olargyru. mulctam ducentas drachmas argenteos nummos (argenteos solidos vertit confusè Latinus interpres) mulieris verò centum viginti. à quinto autem aetatis anno vsque ad vigesimum masculi octoginta, feminae quadraginta. ab infantia vsque ad quinquennium masculi viginti, feminae duodecim. Eorum verò, qui sexagesimum vitae annum excesserunt, senis sexaginta, anus quadraginta. Haec ille. In quibus obseruandum est, omnes sacri textus numeros quaternario multiplicari: nam, pro sexaginta siclis, ducentas drachmas dixit; pro triginta, centum viginti; pro viginti siclis, octoginta drachmas; pro decem, quadraginta; & sic de reliquis, nemine excepto. Verùm haec omnia plurium scriptorum testimonia pariter complexus

S. Hieron. super Ezech. 4. ℣. 10.

est Sanctus Hieronymus: Siclus, inquiens, id est stater, habet quattuor drachmas Atticas: Drachmae autem octo Latinam vnciam faciunt. Hanc sententiam confirmant Scriptores omnes, quos

Supra à cap. 22. & deinceps.

suprà retulimus, dum de sicli forma ageremus. Accedit his etiam nostrum testimonium, cui non dubito, quin aliquid tribuendum sit fidei, ab ijs maximè, qui veritatis studio haec nostra legerint; & probauerint, animaduerterintque quàm accuratè res singulas examinandas susceperimus, praecedenti potissimùm libro. Verùm non nostrum dixerim testimonium, sed ipsorum numismatum, quod solidum esse debet, atque indubitatum. Igitur ante aliquot annos appendimus siclum vnum

Leuitici 27. ℣. 2. & sequentibus.

apud Fuluium Vrsinum; & postmodum eos omnes quos praecedenti capite percensuimus, atque comperimus singulos argenti siclos ex aequo semunciae Romanae antiquae respondere; ita vt ne minimum quidem hordei, aut frumenti granulum huic, vel illi lanci addi potuerit, quin in eam examen propenderet. Nec mirum cuiquam videri debet, antiquissimos nummos suo pristino ponderi nunc respondere, neque vllam argenti partem vetustate consumptam tot saeculis fuisse; nam singulari Dei beneficio nobis contigit tot integros appendere potuisse siclos. Id, quod nummi ipsi integri vetustatem maximè prae se ferentes, litterae expressae, extantesque, argenti color, atque alia id genus multa facilè probant. Atque hoc differunt sicli, quos Romae habuimus, ab illo, quem habuit Benedictus Arias Montanus: ille enim, vt mihi praesens referebat Pater Pradus, atque ipse postmodùm scriptum reliquit, diligenter appensus aliquot granis defecit à iusto semunciae Hispanicae pondere. quae causa fuit, vt ipse in eam sententiam propenderet Pradus, vt putaret siclum semuncia, quae nunc est in vsu, aliqua ex parte minorem fuisse. Verùm, cùm post illum tot, ac tantis experimentis sententiam nostram probauerimus, non putamus vni siclo tantum tribuere, vt plurium aliorum vetustate parium abrogetur fides, praesertim cum ea congij pondere, quod suprà retulimus, confirmetur. Statuto igitur illo primo fundamento, quod vnum omne praesentis disputationis pondus sustinere potest; nimirum eandem vnciam, quae nunc Romae, ac per totam ferè Hispaniam est in vsu, fuisse antiquam illam, qua Hieronymi tempestate vtebantur ijdem Romani; eamque vnciam octo Atticis drachmis ex aequo respondisse: si vera est Hieronymi sententia, quae tot probatos Scriptores plane sequuta est, & ab omnibus recepta, perspicuum erit siclum semunciae pondus habuisse, & tetradrachmo Attico aequalem fuisse. Ex quo omnia sacrae scripturae ponderа, omnisque cuiuscumque aestimationis supputatio facilis esset, omnibusque in promptu. Verùm vix, aut nulla ratione consequi potuimus, vt sicut res est, ita maneret: quin illi ipsi, qui sacrae Scripturae veritatem negare non audent, ita eam disputationum, & inanium figmentorum multitudine obruerent, vt parum abfuerit, quin percipi nulla ratione posset. nec mirum est, si in ea pericula, atque damna incurrant, qui caecos Rabbinos, veritatis infestissimos hostes sequuntur, amant, amplexantur. Hos igitur sequuti non pauci duplicem in sacram Scripturam inducere non verentur siclum; sanctum alterum, seu Sanctuarij; alterum verò profanum, vulgi, seu publicum. Atque illum putant huius esse duplum, hunc illius dimidium. Et huius quidem sententiae, cuius anteſignanus, & dux haberi potest Grsepsius, fundamentum nullum aliud videtur esse firmius, quam quod ex Septuaginta interpretibus desumere posse se putat. Nam in Genesi, vbi nos legimus: *terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet*, ipsi scribunt: terra est quadringentorum didrachmorum. Et iterum: *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam*, &c. *quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae*. Septuaginta: Et appendit Abraham Ephron argentum quadringenta didrachma argenti probati mercatoribus. Sed multiplex huius loci argumentum desumitur ex loco Leuitici, qui sic habet: *Homo, qui votum fecerit, & sponderit Deo animam suam, sub aestimatione dabit pretium. si fuerit masculus, à vigesimo anno, vsque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij. si mulier, triginta. A quinto autem anno vsque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: femina decem. Ab vno mense vsque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli, pro femina tres. Sexagenarius, & vltra masculus dabit quindecim siclos; femina decem.* Quibus omnibus locis, cum Hebraicus, atque Chaldaicus textus cum Latino concordent, siclum scribentes; necnon relatus Philo quattuor drachmas singulis tribuat siclis; Graecus tamen Septuaginta interpretum codex didrachmum semper transtulit pro siclo.

Sed quamuis haec ita sint, Septuaginta interpretum lectio non astipulatur Grsepsio, immò verò ei ex opposito aduersatur. Nam hoc eodem loco: Erit, inquiunt, eius pretium quinquaginta didrachma argenti pondere ipso sancto. Quamobrem, aut fingat Grsepsius duplicem siclum Sanctuarij, tetradrachmum alterum, iuxta relatos Doctores, & veritatem ipsam, quam nemo hactenus negare praesumpsit; alterum didrachmum, iuxta hunc locum Septuaginta, quo didrachmum vocant Sanctuarij pondus; aut fateatur suam sententiam Septuaginta interpretum lectione minimè fulciri. Neque verò aliter debent, aut possunt accipi Septuaginta; cum omnes pariter textus concordent, indicantes, sermonem hic fieri de siclo sancto. atque adeo alios testes exquirat, qui siclum vulgi didrachmum comminiscantur. Sed infirmemus ampliùs hanc è Septuaginta interpretibus desumptam coniecturam, ostendentes vnicum tantummodo siclum referri à Septuaginta

SICLVS Semunciae pondus habuit.

DVPLEX siclus Rabbinorum figmentum.

Gen. 25. ℣. 15. & 16.

Leuit. 27. ℣. 2. & seq.

SEPTVAGINTA interpretes ipsum siclum Sanctuarij didrachmum vocant.

NVMMI integri à nobis appensi Semunciam pendent.

Exod. 30. ginta intetpretibus, illumque didrachmum ab eis vocari. nam in Exodo sic habent : Et hoc est , quod dabunt, quicumque transibunt ad visitationem ; dimidium didrachmatis , quod est iuxta didrachma sanctum : viginti oboli ipsum didrachma : dimidium autem didrachmatis oblatio Domino . Ac ne quisquam dubitare posset (nihil enim est quod rerum ignotatio in dubium reuocare non audeat) quid didrachmate intelligant Septuaginta , ipsi id explicant , dum *Exod.* 39. collectam prima visitatione factam his verbis referunt . Et argenti demptio , a visitatis viris Synagogae centum talenta , & mille septingenti septuaginta quinque sicli : drachma vna capiti , dimidium sicli iuxta sicium sanctum . Ex quibus omnibus locis perspicuum sit, Septuaginta interpretes nullum vulgarem siclum didrachmum significare voluisse, sed eundem vnicum, atque perpetuum Israëlis siclum didrachmum appellasse , eiusque dimidium, drachmam. Verùm, cùm vulgata Latina lectio, cui standum est potiùs ; immò & rationes, atque allata testimonia probent, siclum Sanctuarij staterem , & tetradrachmum fuisse ; ne his firmissimis testimonijs aduersari dicantur Septuaginta , dicendum videtur, eos, cum didrachmum pro siclo reddunt , non certam habuisse exaequandi ponderis rationem; sed potiùs pro Hebraico nummo alium Graecum substituere voluisse, qui illi in eo tantum esset similis, quod magis in ore , & manibus omnium Graecorum didrachmum tunc versaretur , haud secus quàm tetradrachmus siclus in oculis , ac manibus olim Hebraeorum . Cuius rei haud leuis coniectura desumi potest ex Ezechiele: nam vbi nos legimus: *siclus viginti obolos habet* , Septuaginta interpretes ; & pondera , inquiunt , viginti oboli . quo loco nemo non videt noluisse prudentes viros sicli iustum pondus vel expendere , vel explicare , sed tantùm vniuersali ponderis nomine ostendere, siclo certum aliquod pondus indicari. Quem interprerum morem intellexisse, atque significare voluisse videtur Graecus Scholiastes, qui in Leuitico, vbi nos legimus. *Qui enim potest duobus siclis iuxta pondus Sanctuarij* : & Septuaginta : pretio argenti siclorum siclo argenti : ipse sic habet : σαθμὸν ἐν σαθμῷ ἁγίων, stathmon en stathmo agion . pondus in pondere Sanctorum. His igitur sic stantibus illud certò statuamus, quo non amplius Grsepsius nobis lectionem Septuaginta interpretum obijciat , eam nihil continere , quo duplex siclus probetur ; sed vnus tantum , quem didrachmum constantes appellant, eius dimidium , drachmam. Quam sententiam, qui tenere velit, vulgatam abijciat necesse est, quae pluribus locis staterem pro siclo substituit. Quod si hanc abijcere pium non est, illam interpretari necesse est . Qua eadem ratione Epiphanius quoque intetpretandus est, qui eorundem Septuaginta interpretum versionem sequutus , staterem dixit vnciae fuisse dimidium, habuisseque duo didrachma ; siclum verò quadrantem dici , quartam vnciae partem , dimidium stateris , habuisseque duas drachmas. Quod quidem Epiphanij testimonium veritati consonum, nobisque nulla ratione aduersum deprehendetur, si vbique sicilicus legatur pro siclo; ipseque de Romanorum sicilico loquutus fuisse intelligatur , non de Hebraeorum siclo, iuxta ea, quae à nobis iam sunt tradita. Haud dissimili etiam ratione perspicuum fiet Sancti Isidori testimonium huiusmodi: Sicel, qui Latino sermone siclus sicilicus corrigo corrupte appellatur, Hebraeum nomen est , habens apud eos sem vnciae pondus ; apud Latinos autem , & Graecos quarta pars vnciae est , & stateris medietas , drachmas appendens duas . Vnde cum in litteris diuinis legitur , siclus sem vncia est ; cum vero in Gentilium libris ; quarta pars vnciae est. Quae Sancti Isidoti verba ita corrigenda censui , vt pro Latino siclo , sicilicus substituatur pro vncia , vtrobique semuncia . Cuius coniecturae suspicionem mihi attulit altet Sancti Hieronymi locus , qui sic habet . בקע Bache, quod in hoc loco pro didrachmo scribitur semuncia : שקל secel vero, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur , vnciae pondus habet . Quem locum corruptè nunc legi , vel ipsemet Hieronymus suptà relatus probat , qui vnciam drachmas octo continere tradit , hoc est didrachmos nummos quattuor. Vt etgo secum ipse concordet Hieronymus, sic legendum puto . Bace , quod in hoc loco pro didrachma accipitur, dimidium semunciae est . Secel vero , qui Latino sermone siclus corrupte appellatur , semunciae pondus habet .

S. Isid. lib. 16. orig. cap. 24.

SANCTI Isidori, & sancti Hieronymi loci emendati.

S. Hieron. tradit. in Genes.

Sed ad institutum nostrum reuertamur , & oppositae sententiae diruamus fundamenta . Et in primis illud , quo ex quodam mendo, quod è suo Septuaginta interptetum codice hausit , quispiam hunc duplicem siclum probare contendit : nam vbi, inquit , caesaries Absalonis dicitur pendere siclos ducentos , pondere Regio , seu publico , Septuaginta interpretes centum siclos posuerunt ; nimirum quod siclum ponderis publici semis esse existimarunt sicli maioris. Haec verò argumentatio , si firmo inniteretur fundamento , adhuc firma non esset : multis enim alijs ex causis oriri plerumque solent huiusmodi lectiones variae . At quamuis in Complutensi codice centenarius legatur siclorum numerus , tamen in Sixtiano, qui maiore diligentia, pluriumque exemplatium collatione recognitus est, διακόσιοις σίκλοις diacosijs siclis ducentos siclos legitur . Quo planè ostenditur, non siclorum multitudinem indicate lectionem illam à vulgata diuersam , sed librariorum incuriam , nec nimiam diligentiam eorum, qui eiusmodi ducti rationibus , vnum eundemque sacrae Scripturae siclum in duos diuidunt ; quo nihil aliud praestare videntur, quàm vt , dum vtrumque persequuntur , neutrum consequantur. Instant tamen adhuc , & duplicem siclum rimantur : alterum ex hoc loco, vbi ducentis siclis ponderasse dicitur Absalonis capillus pondere publico: alterum ex aliquamplurimis sacrae Scripturae locis , in Exodo praesertim , atque Leuitico , in quibus sicli Sanctuarij saepe repetuntur: quasi verò duplex ijs verbis siclus indicetur ; maior alter, Sanctuarij ; alter dimidio minor , publicus , seu Regius. Sed hos Scriptores libentiùs percontarer , num eidem siclo aptari possit , vt & Sanctuarij dicatur , & publicus ? quod si potest , vnde quaeso probant eundem non esse ? Sed haud dubito , quin idem argumenti genus in nos retorqueant , rogentque, num possint esse diuersi . quod si concedam, vndenam probem fuisse diuersos ? Quibus ego , vel hac vna assumpta prouincia , facile ostendam quàm existimem causae nostrae meritò esse fidendum , cui nihil solidum , aut verisimile possit opponi . Accipiamus igitur id , quod vel ipsi aduersarij non negant ; siclum nimirum Sanctuarij Graecorum stateri , Romanaeque semunciae

VARIAE LEctiones ex multis causis oriuntur.

IDEM SIclus, sanctua-

VVLGATAE lectioni standum.

Ezech. 45.

Leuit. 5. ℣. 15.

Epiph. lib. de mens. & pon.

SEPTVAginta interpretes, atque Epiphanius interpretandi sunt.

rij, Israelis, publicus, ac regius dicitur.

munciae aequalem fuisse; eumque viginti obolos habuisse, iuxta Exodi, ac Leuitici persipicua testimonia. At idem, siclus Israelis dicitur, iuxta plurium numismatum, quae retuli, argentea testimonia, plurimorum Scriptorum auctoritate comprobata. Et quamuis numismatis, haud secus quàm publicis instrumentis, plena soleat haberi fides, tamen hoc ipsum sacris testimonijs confirmare non dubitabimus. Ac in primis rogabo, quid, ille profanus siclus, vel vulgi, quibus vsibus deseruiebat; numquid ad emendum, vendendumve? vtique publicis commutationibus deseruiebat; nec alia ratione publicus dicebatur. Sed is dicitur plerumque stater, praesertim ab

4. Reg. 7. ℣. 1. & V. 16. & 18.

Eliseo in hunc modum prophetante. *Cras modius similae vno statere erit; & duo modij hordei statere vno.* idemque ibidem semel, atque iterum repetitur, dum impleta fuisse ostenditur prophetia. Sed quamuis haec ita sint, vt verè sunt, adhuc rationem à nobis exquiret lector, propter quam vnus, atque idem siclus Sanctuarij diceretur, ac publicus, seu Regius: cui dubio cum primùm respondero, maximè confirmasse videbor hanc nostram sententiam. Et quod ad publicum

2. Reg. 14. ℣. 26.

spectat, cuius in libro Regum facta est mentio, sic habetur in Hebraeo מאתים שקלים באבן המלך meothaim sechelim be eben hamelec ducentis siclis in lapide regio, vel pondere regio, vertit Pagninus: Septuaginta verò interpretes ἐν τῷ σίκλῳ τῷ βασιλικῷ in siclo regio. Regius Codex ἐν τῷ σταθμῷ τῷ βασιλικῷ in pondere regali. qua etiam ratione Chaldaeus paraphrastes eum locum transtulit. Sed quid ea phrasi significaretur expressit prae omnibus alijs vulgatus, *pondere publico* scribens. neque ab hac diuersa esse ostenditur illa, quam supra exposuimus: *quadringentos siclos probatae monetae publicae*. Idem enim significare videtur moneta probata publica, quod moneta regio pondere examinata, atque omnibus publicis commercijs, atque contractibus deseruiens. Neque verò ab hac diuersa phrasis est, immo eadem diuersa ratione vsurpata illa, quae sacris Scriptoribus

SICLVS IN pondere publico, seu regio dicitur legalis, ac iustus,

Genes. 23. ℣. 16.

Exod. 30. ℣. 13.

magis est in vsu, in Exodo maximè, vbi sic habetur. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi*. Hebraicè מחצית השקל בשקל הקדש mahatsit hasechel besechel hacodes. dimidium sicli in siclo sanctitatis, vel iuxta siclum sanctum. Chaldaeus dimidium sicli iuxta siclum sanctuarij. Verùm cùm nos obseruemus saepe in sacris non sacra tantummodo, sed & profana siclo Sanctuarij appendi, & aestimari, non alium arbitramur fuisse siclum sanctum, vel Sanctuarij à profano, & legali; sed ita nuncupari, quod in Sanctuario asseruaretur vnus, atque idem siclus, ad cuius pondus omnes profani sicli exigerentur. Id, quod vel me tacente, ipsa sacra loquuntur eloquia: *Omnis aestimatio sicli Sanctuarij ponderabitur. siclus viginti obolos habet*. Neque cuiquam videri debet aut phrasis, aut interpretatio haec noua. Audiamus

IDEM SIclus sanctuarij, vel sanctus, qui iustus, & integer.

Iul. Capit. in Maximi. pat.

Iulium Capitolinum in Maximino patre sic scribentem. Bibisse autem illum saepe die vini Capitolinam amphoram constat; comedisse & quadraginta libras carnis; vt autem Cordus dicit, etiam sexaginta. Haec ille, quibus, vt bene notat Agricola, non aliam à communi, & vulgari intellexisse credendus est amphoram, sed eandem iustae mensurae. Propterea enim in Capitolio Ioui sacrabatur amphora, ne à quoquam

G. Agric. lib. 1. de mens.

violaretur, vt auctor est Fannius. Eandemque ob causam Iustinianus mensuras, & pondera in sacratissima cuiusuis ciuitatis Ecclesia custodiri mandat. Sed aduersus haec insurgit doctus quidam nostrae aetatis vir, sic scribens: Ex hoc instituto inuenio, qui explicet siclum Sanctuarij, siue pondus Sanctuarij in libris sacris saepe dici, non quod maius esset publico, vt Iudaei vulgo, & peritiores persuadent, sed quoniam pondera eius gentis iustissima, & mensuras, sicut in alijs gentibus, in templo seruare susceptum sit; & fortassis vtrumque verum fuit, initio pondera legitima in templo seruata, ne adulterari possent: & nihilominus, procedente tempore, dimidio minora apud populum esse facta. Peritioribus tamen illis minùs peritus ego non assentior; tum quod liberum esse videtur, ac merum effugium, asserere, procedente tempore, pondera fuisse immutata, quibus, etiamsi peritissimis, nulla est adhibenda fides, nisi ostendant, quando, à quibus, quaue occasione immutata fuerint: vel propterea maxime, quod quae semel probabuntur ab Hebraeis obseruata, ex ijs potissimùm, quae diuina lege censebantur, semper obseruata fuisse credendum est, à timoratis praesertim viris, quorum res gestas percensent sacri historici. Quapropter cum primum ostenderimus sicli rationem diuina lege semel iniunctam, mox vel nobis tacentibus apparebit, quam inanem Iudaeorum fabulam consequantur peritiores illi. Atque in primis diuina lege, vt vidimus, Israeli iniungitur, omnem aestimationem sicli Sanctuarij ponderari. Atque insuper, inter Sacerdotum munera hoc vnum illis, vtpote Reipublicae maximè necessarium iniungitur, *vt sint super omne pondus, atque mensuram*. Cuius quidem sacerdotalis ministerij perspicuum extat exemplum apud Ezechielem nostrum, sic scribentem: *Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis*. Et post pauca: *Siclus autem*, inquit, *viginti obolos habet*. quo in loco non tam Sanctuarij mensuras, quae Babylone detentis in vsu non erant, quàm vulgares vniuerso Israeli communes exigere conatur, prohibens, vt Sanctus Hieronymus ibidem notat, diuersa haberi pondera, diuersasque mensuras. Sed age, non pigeat luculentissimum referre Philonis testimonium, quo testatum habeamus, quibus potissimùm iniungantur huiusmodi leges omnes, diuersa pondera prohibentes. Item, inquit, qui mensuras tractant, ac pondera, negotiatores, caupones, institoresque, & quotquot victui necessaria venditant, seu arida, seu liquida, subijciuntur quidem τοῖς ἀγορανόμοις agoranomis, quae vox annonae praefectos, Praetores vrbanos, rerum venalium inspectores significat, eos inquam, qui curam habebant annonae forensis, copiaeque cibariorum; non abre Latinus interpres Aedilibus vertit. Debent tamen sibiipsis esse pro magistratibus, si sapiunt, & non prae metu quod iustum est facere, sed ex libera animi sui sententia: vltroneum enim officium vtique coacto praeferendum est: ideo praecipitur cauponibus, negotiatoribus, & caeteris huiusmodi institutum sequentibus, vt iusta pondera, mensurasque habeant, nullis thechnis insidiantes emptoribus, sed ingenue absque omni fuco dicentes, facientesque singula: sic cogitantes, quod iniqua lucra sint damnosissima, & e diuerso diuitiae cum iustitia coniunctae numquam intercidant. Haec ille. Ex quibus liquidò constare videtur Philonem Hebraeum existimasse Ezechielis legem, ac reliquas iustas mensuras, ac pondera exigentes, mercatoribus potissimùm

Fan. de pond. Authentic. de collator. colla. 9. ſ. ſi autem.

QVOD SEmel iniunctum diuina lege probabitur, id ab obseruantibus Iudaeis semper obseruatum fuisse credendum est,

Ezech. 45. ℣. 10.

S. Hier. sup. Ezech.

Philo. lib. de creatione principis.

DIVITIAE cum iustitia coniunctae numquam intercidunt.

latas fuisse; atque de communibus eorum ponderibus, atque mensuris fuisse loquutas. Cumque hoc ita sit, ac de vulgari planè siclo loquatur Ezechiel, siclum viginti obolos habuisse tradit, haud secus, quàm olim in Exodo, Leuitico, ac Numeris totidem obolos habuisse dicitur Sanctuarij siclus. At vix mihi persuadere possum, quemquam, tam audacem fore, vt affirmare non vereatur, obolos etiam duplices fuisse, alios alijs duplo maiores: esset enim id quasi plures sacrae Scripturae textus eludere. ac, ne nihil certi statuant, obolum pro arbitrio immutare, nunc maiorem, nunc minorem illum constituendo. Nam profecto sacrae historiae toties siclum ad oboli vicenarium numerum non exigerent, nisi certa quaedam, atque explorata fuisset oboli ratio, quae numquam mutaretur. Verùm ne huic etiam inani cogitationi non satisfaciamus, in quam se facilè praecipitem daret, qui illam obstinato animo tueri vellet sententiam, is audiat sanctum Hieronymum sic scribentem: obolum autem, hoc est vicesimam partem sicli, siue stateris esse minimam portiunculam in alio loco legimus. Concedant igitur nobis peritiores illi, vsque ad Hieronymi tempora siclum Sanctuarij immutatum non fuisse, ijsdemque nos liberè indulgebimus, procedente tempore vel mutatum, vel non mutatum fuisse, vt libuerit. Id tamen profiteor, iure concedi minimè debuisse; quoniam omnibus propè locis, quibus census illius pro animabus impositi in Exodo fit mentio, semper semisiclus pendi iubetur, non autem siclus; semper igitur ille dictus est semisiclus. Accedit, quod ad haec nostra tempora, & ad manus vsque meas peruenit argenteus quidam semisiclus, cuius formam suprà expressimus, cum hac inscriptione, SEMISICLVS. numquid ergo ab aliquibus potuit vocari siclus, qui extanti, ac perspicua sua inscriptione dicitur semisiclus? planè non puto; nisi forsan ab illis, qui legere nescirent, quae ignorationis nota nulla ratione videtur vlli ex sacris Scriptoribus inurenda. Sed lubet hic tantisper respirare, & orationis filum intermittere, ne tàm videatur inutilis haec, atque imperita siclorum multitudo, orationis longitudine ad legendum ponderosa: quàm mihi est ad confutandum grauis, ac molestiae plenissima.

Exod. 30. Ỹ. 11. *Leuit.* 27. Ỹ. 25. *Numer.* 3. Ỹ. 47. & *cap.* 18. Ỹ. 16.

SICLVS tam vulgi, quàm Sanctuarij, viginti habuit obolos.

S. Hieron. lib. 14. in Ezech. cap. 45.

SEMISICLVS numquam fuit dictus siclus; cum in ipsius litteris id habeatur expressum.

NVLLO CERTO IOSEPHI TESTIMONIO *duplicem siclum probari.* *Cap. XXIX.*

DIGET me sanè in eodem confutando argumento diutius immorari. Sicut enim ex qualibet varia lectione Septuaginta interpretum nouum aliquem siclum, nouumue talentum comminisci studuit Grsepsius, sic etiam ex Iosephi mendis, atque interpretum erroribus, quibus scatet Iosephus, suos vel siclos confirmat, vel nouos inducit. Quibus omnibus argumentis vna, eademque ratione posset satisfieri, ad alios vel codices, vel interpretes causam reuocando. Interea tamen, dum illi, qui sententiam in te dubia ferant, iudices non inueniuntur, standum esse dicemus sacris textibus; erraseque Iosephum, qui illis plerumque aduersatur. Sed quoniam ex horum locorum, quos affert, bteui discussione, lucis non parum huic nostrae disputationi afferri posse speramus, eorum aliquos quambreuissimè examinabimus; vt hotum saltem exemplo intelligete possit lector, qua ratione sit similibus, si quae occurrent, argumentis satisfaciendum. Is igitur sic scribit: Quod quidem ita esse docet nos auctor libri primi Machabaeotum, qui in epistola Demetrij pro decem millibus drachmarum (sic enim Demetrium hominem Graecum scripsisse discimus ex Iosepho) quinque millia siclorum Hebraico more dixit, binas drachmas pro singulis siclis computando. Haec ille. Quibus verbis maiorem auctoritatem, ac fidem habere videtur Iosepho, quàm libris Machabaeorum, dum hos illi morem gerere debuisse insinuat, affirmans Demetrium Graecum hominem drachmis, non siclis, quae donabat computasse. quasi verò nesciret Demetrius, qui tot mores, atque statuta Hebraeorum in eadem epistola relata seruari permittebat, numisma etiam Hebraeorum proprium computare, atque ad eius modum, quam condonabat summam reuocare. Morem etiam in refetenda epistola tenuit Grsepsius, quem, qui veritati vim inferre studeut, tenere consueuerunt; qui nimirum partem teferunt, quae sibi è re videtur esse; reliquam verò, quae aduersa videtur, praetermittere consueuerunt, subticere, caelare, si possunt. Igitur libri Machabaeorum haec sunt verba. *Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti, de rationibus Regis, quae me contingunt. Et super haec, quinque millia siclorum argenti, quae accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos; & haec ad Sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur.* Quem locum sic retulit Iosephus in Graeco Basilienfi codice. Δίδωμι δ' ἐκ τῶν ἐμῶν εἰς τὴν δαπάνην τῶν θυσιῶν κατ' ἔτος μυριάδας ιε'. τὰ δὲ παρεισπεύοντα τῶν χρημάτων ὑμέτερα εἶναι βούλομαι τὰς δὲ μυρίας δραχμὰς ἃς ἐλάμβανον ἐκ τοῦ ἱεροῦ οἱ βασιλεῖς ὑμῖν ἀφίημι. Huic verò Graecè lectioni maximè conuenit Ruffini interpretatio, quae sic habet: Praebeo etiam

IOSEPHVS mendosus quoties cum sacris litteris non concordat.

Grsepsius de multiplici siclo. S. de minori tal.

DEMETRIVS Graecus siclorum meminit ad Hebraeos scribens.

1. Machab. 10. Ỹ. 40. & 42.

Ioseph. 13. *antiq. cap.* 5.

IOSEPHI locus explicatus, & integritate restitutus.

etiam ad sumptus immolationum per singulos annos centum quinquaginta millia drachmas; quaeque superfuerint pecuniae, vestras esse volo. Decem millia autem drachmas, quas Reges a templo accipiunt, vobis cedo. Graeca verò, si ad verbum conuertantur, sic habent: Do autem de meo in sumptum sacrificiorum, in singulos annos myriadas quindecim; pecunias verò, quae supersunt, vestras esse volo: at decies mille drachmas, quas ex templo Reges accipiebant, vobis remitto. Gelenius, sollers & ipse Iosephi interpres, sic habet: Praeterea do in singulos annos ex meis rationibus, in sumptus sacrificiorum, quindecim millia siclorum argenti; & quod pecuniae superfuerit, vestrum esse iubeo: & decem illa drachmarum millia, quae de templo accipiebant Reges, Sacerdotibus, atque ministris templi remitto. Quae quidem omnes lectiones hoc vnum probare videntur, locum Iosephi, quem interpretamur, mendosum fuisse in Graecis codicibus, ac variè ab Scriptoribus, siue etiam ab Interpretibus correctum, ita à vero aberrare, vt nihil doctis, atque eruditis viris probet aliud, quàm quod veritati sacrae Scripturae magis sit conueniens. Atque adeò, sicut priori loco in suis exemplaribus Graecis adinuenit Gelenius quindecim millia siclorum, iuxta sacrae Scripturae lectionem, ita etiam in secundo quinque siclorum millia, iuxta Machabaeorum historiam, scribenda suadet ipsa ratio. idemque ratione illa suadetur, quam excogitauerat pro se Grsepsius, quem rogare lubet, num Graecus Demetrius, qui quando de suis rationibus priorem summam donabat, Hebraicis siclis computauerat, vt ex sacra Scriptura, & Iosepho constat; eam, quam ab Hebraeis siclis Hebraicis accipiebant Graecorum Reges, in eadem epistola reuocauerit? quod planè non sit verisimile. Quapropter perspicuum iam esse existimo, alucinatum fuisse hac in parte cum suis argumentationibus Grsepsium: neque hac tantùm, sed & illis omnibus, quibus consimili argumento diuersi textus, versionis, aut numeri, pondera, numismata, mensuras multiplicare, seu potiùs confundere non desistit. Sed eius argumentis omissis, nos ad explicanda reliqua progrediamur: quoniam quae ex Iosepho afferuntur loca, multiplex talentum probantia, ex quibus rursus coniecturam deducit multiplicis sicli, nullam vim habent; ipsa porrò coniectura leuissima est, & omnino infirmabitur, cùm vnum, non plura talenta Hebraeis fuisse ostendemus.

Gelenius Iosephi interpres.

GRSEPSII tacito refellitur.

DE AVREIS ET ARGENTEIS SACRAE SCRIPTVRAE; necnon de pretio venditi Christi Domini. Cap. XXX.

NON parum huic disputationi vsui esse poterit breuis quaedam explicatio phrasis cuiusdam sacris Scriptoribus frequentissimae, qua aureos, aut argenteos absolutè referunt; nec explicant, quod eiusmodi metalli pondus, aut signati nummi genus intelligendum sit. Vox igitur זהב zachab aurum significat. eam verò à colore deductam putant nonnulli; siquidem, cum vino, aut oleo, siue etiam Aquilonari caeli regioni tribuitur ea vox, lucidum, splendentemque eiusmodi rerum colorem indicat, vno verbo aureum. Vox verò כסף ceseph à radice כסף casaph deducta, quae amare, concupiscere, desiderare significat, argentum denotat; quod sit amabile, seu desiderabile, concupiscentiae incitamentum. Vtraque pariter vox zachab & ceseph cum numeri, aut ponderis nominibus iungitur, siclorum numerum denotat certum, aut indefinitum; tum quòd ponderum norma esset siclus; tum etiam, quòd esset omnium numismatum vsitatissimum, ac nominatissimum. Quam sententiam eruditi viri tenuerunt: mihi verò eruditissimum proferre Hieronymum satis esse videtur; vt eam arbitrer maximè confirmatam, atque tenendam. Is namque in Genesi, quod ex Hebraeo ad verbum vertunt nonnulli, duas armillas, decem auri pondus earum, aptissimè vertit, atque interpretatur, sic scribens: *pondo siclorum decem*. Et in libris Regum, quod in Hebraeo habetur, sexcentis argenti, Latinus interpres scribit: *Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti*: quamuis in libro Paralipomenon idem repetens, *sexcentis argenteis* scribat, planè indicans idem omnino significari vtraque phrasi. Sed vt omnis sublata esset dubitandi ratio, in libro Iudicum, & Regum exprimitur vox sicli. Neque Latinus tantummodo interpres, quamuis maximae sit auctoritatis, apud eos potissimùm, quibus vulgatam non licet abijcere lectionem; sed etiam Chaldaeus paraphrastes: nam vbi nos legimus in Genesi iuxta Hebraeum, Iosephum venditum *Ismaelitis viginti argenteis*, ipse legit, viginti argenti siclis. Sed obijciet his fortasse quispiam locum Ieremiae: Stateres, hoc est siclos, diuersis computantem numeris; quasi diuersa numismata, hac, atque illa voce significentur: sic enim habet: *Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth: & appendi ei argentum, septem stateres, & decem argenteos*. Quae phrasis non parum torsit quamplurimos; cùm tamen ea sit perspicua; & quam ipsemet interpres sanctus Hieronymus, quem sequitur Rabanus, interpretatus est in commentario, sic scribens: Et appendi argenti decem & septem siclos; quos nos

AVRVM vnde dictum.

Iere. 51. ℣. 7. *Zach.* 14. ℣. 12. *Iob.* 37. ℣. 22.

ARGENTI notio.

QVOTIES aureus, vel argenteus legitur, subintelligendus est siclus.

Genes. 24. ℣. 22.

3. *Reg.* 10. ℣. 29. 2. *Paralip.* 1. ℣. 17.

Iudic. 8. ℣. 26. 2. *Reg.* 18. ℣. 10.

Genes. 37. ℣. 29.

IEREMIAE locus explicatus.

Iere. 32. ℣. 9.

S. Hier. Sup. Ierem. *Raban. in Ieremiam.*

nos in stateres vertimus. Haec ille, quibus omnem sublatam ostendit loci huius difficultatem, si verba ipsa, vt decet, ordinentur. Appendi, inquit, argentum, (pecuniam hic significat argentum, vt apud Isaiam. *Et quinon habetis argentum, venite, & emite absque vlla commutatione*; & alias saepe. mox explicat pecuniae genus, materiam, & numerum, dicens.: decem & septem siclos argenteos; siue, vt habent Septuaginta, septem siclos & decem argenti. Et Chaldaeus paraphrastes hanc, & praecedentem vnico verbo expressit phrasim, dicens: Et appendi argentum septem minas, & decem argenti siclos. minas pro siclis posuit, vt repetitae vocis leniret asperitatem: perspicuum tamen est septenos in Hebraeo siclos dici, non minas; nisi minam absolutè pro pondere posuerunt Chaldaei, sicut alias fieri solet, vt mox videbimus. Quamuis & ipsa vocis repetitio non inusitata sit Prophetis, vt videre est apud Oseam: *Coro*, inquit, *hordei, & dimidio coro hordei*. Atque de aureis, & argenteis in vniuersum haec dicta sufficiant. Superest, vt de argenteis illis, quibus IESVS Christus Dominus noster fuit venditus, breui disseramus.

ARGENTVM pro pecunia. Isa. 55. ℣. 1.

Septuaginta Ierem. 39.

MINAM pro siclo Chaldaeus vsurpat.

Osc. 3. ℣. 2.

VOCIS eiusdem repetitio.

Ea, quae diximus hactenus, illud omnino explicare videntur, quod pijs omnibus Christi cultoribus in votis esse solet, ac cognitu periucundum; quanti nimirum iniquissimus Iudas IESVM Christum Dominum, ac Redemptorem nostrum venderit: ex eo enim peruersum, ac iniquum magis fuisse agnoscent hominis, in quem Diabolus introierat, ingenium; quod infinitum sanguinis Christi, atque inaestimabile pretium cum vilissimo triginta argenteorum pretio contulerit, iinmo & hoc illi praetulerit. idque non minùs vtile, quàm scitu iucundum censendum est, si attenta mentis cogitatione perpendatur. Et planè res esset sine vlla dubitatione perspicua, si sanctum Matthaei Euangelium Hebraicè, sicut scriptum fuit, extaret. Nam, cùm triginta argenteos Iudae constitutos referat à principibus Sacerdotum; si iuxta ea, quae dicta sunt, interpretemur hunc locum, facilè intelligemus hos argenteos fuisse siclos triginta, pendentes, vt vidimus, argenti vncias Hispanicas, pariter atque Romanas quindecim. Nonnihil tamen lucis afferre videntur Syriaci textus, quos Romae in Collegio Maronitarum habent nostri, in quibus כספא cesapho legitur. Arabici verò eiusdem textus paraphrastes, ea voce, quae argentum significat, aliam significari tradunt Mesceala, qua aliqui ex interpretibus quattuor drachmarum pondus significari putant. Ego verò vocem ipsam, vt aliae Arabum quamplurimae, ab Hebraica משקל misceal desumptam puto, significaregue siclum, iuxta praedicta. Verùm ea sunt hominum ingenia, vt nouis disputationibus quaerant semper materiam, & ansam. nec mirum: cuiquam enim videri facilè posset, in Hebraeo non כסף cesseph, argenti, vel argenteos scriptum fuisse, sed aliam vocem, aliudve nummi genus, quod vt exprimeret Graecus interpres, illumque secutus Latinus argenteos scripsit, qui non iuxta antiquum Hebraeorum morem tetradrachmi sicli, sed iuxta Graecorum vsum didrachmi, aut drachmae habendi sunt. Cui sententiae fauere videtur argenteus nummus, qui hodie Romae asseruatur in Ecclesia sanctae Crucis in Hierusalem, cuius exemplar, vna cùm alijs Hebraeorum nummis diligenter asseruamus: atque hic nummus didrachmus est, & Rhodi percussus, vt non insignia modò, sed & inscriptio indicat. Hanc tamen difficultatem, quamuis non maxima sit, amouere videtur ipse Euangelista: siquidem emptum affirmat illo pretio agrum figuli in sepulturam peregrinorum; & tunc impletum fuisse, *quod dictum* fuerat *per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, &c.* Et quamuis haec verba apud Ieremiam non legamus, legimus tamen illorum similia apud Zachariam. quapropter hoc certo colligi videtur, Euangelistae historiam, & verba ita intelligenda esse, vt cùm Prophetarum verbis maximè concordent. At apud Prophetas ex eodem Ieremiae paulo ante probauimus, argenteorum nomine siclos intelligi: non ergo aliud pretium, neque alij nummi intelligendi sunt, quàm sicli triginta. nam ea argenteorum distinctio, quam refert Benedictus Arias Montanus, ex Rabbinis nimirum, argentei nomine in Pentateucho siclum; in Prophetis libram; in agiographis talentum significari, abijcienda videtur, vtpote quae nullo sacrorum voluminum testimonio comprobetur; immo verò quamplurimis, ijsque manifestissimis sit contraria. Id quod non tantùm sacrorum interpretum testimonijs confirmatur, sed & ipsius Iosephi Hebraei quidem, & Habraici sermonis peritissimi: siquidem in libris Regum Ioab militi exprobrat, quod Absalonem confodere potuerit, nec fecerit: & ait illi iuxta Hebraea: Et ego darem tibi decem argenteos, & baltheum vnum. Dixitque vir ad Ioab: etsi ego appenderem super manus meas mille argenteos, non mitterem manum meam in filium Regis. Hanc verò historiam Iosephus sic refert. Quod nimirum Absalonem pendere de quercu animaduersum, quidam e militibus Dauidis nunciauit Ioabo: eoque quinquaginta siclos se illi daturum fuisse dicente, si illum confodisset, respondit: nec si duo millia dedisses feciſſem hoc Domini mei filio. Et quamuis Iosephus, librariorum fortasse vitio, in siclorum numero cum sacra historia non concordet, in explicatione tamen argenteorum ita certus est, vt eius sententiam dimittere nobis non liceat, siquidem vulgata Latina lectio id apertè confirmat his verbis: *Et ego dedissem tibi decem argenti siclos, &c.*

DE TRIGINTA argenteis, quibus Christus fuit venditus.

Matth. 26. ℣. 15.

ARGVMENTA in contrarium.

ARGENTEVS qui Romae ostenditur, tanenum quo venditus fuit Christus.

SICLIS TRIginta venditus fuit Dominus.

Arias Montanus in diction. Syrochald. vocem כספא

VARIAS argentei accepciones non admittunt sacri textus.

2. Reg. 18. ℣. 12.

Ioseph 7. antiq. cap. 9

IOSEPHVS examinatus, in quo cum sacris scriptoribus conueniat, aut secus,

Quod verò ad citatum ab Euangelista Ieremiam, non verò Zachariam spectat, inter plures doctissimorum virorum sententias, illa minimè probatur, quae memoriae lapsum in scribente admittit, postea verò minimè ausum fuisse nomen Ieremiae delere, quod Spiritu sancto dictante scripserat: haec enim secum inuicem maximè pugnant, Spiritu sancto dictante excipi, & labente memoria scribi. Illa verò non videtur ex aequo satisfacere, quae Latini textus vitio id ascribit, quasi è marginali aliqua notatione in ipsum textum irrepserit: nam quamuis ipse Euangelista non soleat Prophetarum, quos refert nomina percensere quis prohibet ipsum semel citasse quem voluit? Neque verò huic fauet sententiae S. Augustini testimonium, asserentis sua tempestate Ieremiae vocem codices non habuisse: nam Sanctus Hieronymus eidem Augustino vel coaetaneus, vel antiquior huiusmodi quaestionem mouit, & soluit, vtique non alia ratione, quàm quod *Ieremias* in suis codicibus legeretur. Quapropter, ad tuendam Latinae lectionis auctoritatem, lubet

Q V A R E Ieremiam citet Euangelista, apud quem ea verba non habentur.

VVLGATAE defensio.

assere-

asserere à codicibus Augustini, scriptorum vitio, sublatam vocem potiùs, quàm codicibus Hieronymi, ac nostris omnibus superadditam. Illa igitur sententia prae caeteris nobis probatur, quae affirmat Ieremiae haec esse verba, non autem extare, quoniam in libris alijs, qui non extant, habebantur: perijsse verò Ieremiae libros, auctor libri Machabaeorum restis est locupletissimus, descriptiones eius referens, quae non extant. Nisi malis Eusebio adhaerere, asserenti, in ipsa, quae nunc extat, Ieremiae prophetia haec verba Iudaeorum maligna praesumptione fuisse delera.

IEREMIAM citat Euangelista, quoniam eius haec sunt verba, quamuis in eius prophetia non extent. *Lib. 2. Mach. cap. 2. ℣. 1. Euseb. demon. lib. 10. cap. 40.*

Supererat nunc aliud argumentum, quod gratissimos viros vehementer mouit; atque ab hac, quam sequimur, opinione deterruit; quia nimirum triginta siclorum minimum videtur pretium, ad emendum agrum in suburbanis Hierusalem. Verùm nos supra planè, ni fallor, ostendimus, tam magnum pretium fuisse, aut agri ram minimum vsum, vt duplex, aut eo maior fortasse campus eodem posset prerio comparari.

ARGVMENtum soluitur de agro empto hoc pretio.

Supra parte 1. lib. 3. cap. 25. huius.

Quod attinet ad nummum, qui Romae, vt diximus, tanquam vnus ex acceptis à Iuda, asseruatur, quo antiquas maiorum traditiones tueamur, dicemus cum Illustrissimo pariter atque doctissimo Baronio, certam illam argenteorum summam huiusmodi nummis appensam, non quidem triginta, nam siclis, vt dixi, minores sunt, sed quod, iuxta traditam sententiam nostram, sexaginta ex illis Rhodiorum didrachmis triginta argenteos siclos pondere, & aestimatione exaequarent. Haud secus quàm si quis nunc Romae decem scura monetae soluisse diceretur, argenteumque nummum ostenderet, Iulium dictum, quo eiusmodi summa soluta fuisset. Ac tandem illud nouum figmenrum, aureos siclos ab argenteis dupli, ac subdupli contrarierate distinguens, facilè ex dictis euanescit: siquidem tam similis, tamque frequens sicli sub aurei, & argentei commemoratione intelligentia facilè indicat, eiusdem sicli mentionem fieri, neque alios esse aureos, quàm argenteos siclos, qui, quamuis aestimatione sint longè diuersi, pondere tamen aequales sunt.

NVMMVS Romanus nihil nobis obstat.

Baron. tom. 1. annal. anno Christi 34.

NON SVNT aurei sicli ab argenteis diuersi.

DE SEMISICLO; ET DE TRIBVTO, *qui Deo primum, deinde Romanis exhibebatur.* *Cap. XXXI.*

SEMISICLVS pondus, & signatus nummus non minùs frequens Hebraeis, quàm siclus fuit, immo fortasse magis; quoniam nummus hic viririm quotannis templo pendebatur, vt mox ostendemus. Et quidem rationem ponderis habuisse constat ex historia Geneſis, in qua Abrahami seruus inducitur Rebecae Dei ductu obuiam venisse, & aqua ad potum, sibi camelisque suis accepta, protulisse vir *inaures aureas appendentes siclos duos*. Sed hunc locum attentiùs examinare oportet, in quo binae insunt non contemnendae difficultates. Prima, quodnam ornamenti genus inaures hic dicantur: idem namque aliter, atque aliter in alijs sacrae Scripturae locis refertur. Altera difficultas est de eiusdem ornamenti pondere, de quo Hebraea, Graecaque lectio, atque Chaldaica minùs consentire videntur.

Gen. 24. ℣. 22.

AVREVM ornamentum Rebecae datum cuiusmodi fuerit. *Isa. 3. ℣. 21. Forerius in Isa.*

Et primum, eiusmodi ornamentum Rebecae datum Hebraeis dicitur נזם nezem: quam vocem apud Isaiam vulgatus vertit: *& gemmas in fronte pendentes*. quem locum his verbis interpretatur Forerius: nomen נזם nezem, quod monile interpretamur, puto cum praeceptore meo à נזה zanah deductum, facta duarum priorum litterarum transpositione, & addita littera מ mem, & generaliter significat ornamentum, quod publicè vel in fronte, vel in naribus, vel in auribus prostituitur, causa quaerendae sibi bonae gratiae. Hactenus ille. Hanc sententiam, quod ad verbi deductionem spectat, reprehendunt recentiores alij; quòd, cum sanctissimas feminas huiusmodi ornamento vsas fuisse legamus, inconueniens illis videatur ab impudico verbo deduci. Quo sanè argumento nihil aliud conuincitur, quàm linguae sanctae puritas, atque proprietas: illud enim ornamentum oculis spectantium prostitui dicitur, quod propalam, & in omnium aspectum proponitur: eodemque verbo meretrices denotantur, ne peiora de eis proferantur: atque adeo virgines ea voce significabantur, quae absconditas, & ab omnium hominum conspectu longè semotas fuisse indicaret, vt alias dicimus. Fuisse autem huiusmodi ornamentum non aurium tantum modo, sed & vultus, frontis, aut nasi, perspicuum fit in Prouerbijs. *Circulus* נזם nezem *aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Septuaginta: Sicut inauris in naribus porcae, sic mulieri malè prudenti pulchritudo. Circulum legit cum Sancto Hieronymo Clemens Alexandrinus: quamuis in alijs codicibus legatur ἐνώτιον enotion inauris. Sed huius rei celebre habetur testimonium apud nostrum Prophetam Ezechielem, dicente Domino: *Dedi inaurem super os tuum*. Quo loco doctè satis, & piè Sanctus Hieronymus aptam reddit rationem:

MERETRICES dicuntur, quòd in conspectum hominum veniant, virgines contra absconditae.

Prouerb. 11. ℣. 22.

Clem. Alex. lib. 3. paedago.

Ezech. 16. ℣. 12.

tionem: non enim inauris, inquiens, in ore ponitur, sed inauri simillis circulus, cuius vsque ad sua tempora vsum perduraſſe teſtatur. Quapropter affirmari poſſe putamus, voce נזם nezem inaures nonnumquam ſignificari: ſed plerumque aliud quoque ornamentum inauribus ſimile, quod è capillorum radicibus pendens naſo ſuperſtat, frontem exornat, decorat, & quaſi coronat.

EADEM voce inaures, & aliud frontis ornamentum ſimile ſignificatur.

Quod verò ad huius ornamenti pondus ſpectat, non minorem inuoluit difficultatem, ſed quae facilè ex dictis ſoluetur. Nam in Hebraeo בקע משקלו becagh miſſecelo dimidium ſicli pondus eius, vel appendentem dimidium ſiclum. Septuaginta in Complutenſi codice, δύο ἐνώτια χρυσᾶ ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς dyo enotia chryſa ana drachmin olchis, hoc eſt inaures duas aureas pendentes ſingulas drachmam, in Sixtiano deſideratur δύο dyo. Chaldaeus paraphraſtes: inaurem auream appendentem ſiclum vnum. eſt igitur בקע primacua impoſitione ſignificans diſſectum, ſciſſum: vſuque deinde factum eſt, vt ſicli diſciſſum, ſeu medium ſignificaret: id quod luce meridiana clarius apparebit locum Exodi perpendentibus, qui ſic habet בקע לגלגלת מחצית השקל bacagh lagulgoleth machatſit haſecel. hoc eſt ſemiſſis capiti dimidium ſicli: cuius loci pars ſeeunda priorem explicare videtur: ſed hunc locum paulo inferius explicabimus; & Vulgatam lectionem ab iniurijs detrahentium vindicabimus.

Gen.24.Ÿ. 22.

BECAGH diſſectum dimidium ſignificat. *Exod. 38. Ÿ. 26.*

Nunc verò, quod ad praeſens ſpectat inſtitutum, illud eſt, becagh abſolutè pro ſicli dimidio vſurpari: atque tantumdem pependiſſe Iudaeos pro animabus ſuis quotannis Deo, qui ad viginti annorum numerum peruenirent, vt videbimus, cum primùm verſiones diuerſas conciliabimus. Et primùm Hebraea in promptu eſt, quae, dum ornamentum indicat, vt dixi, quod non ſimplex, ſed multiplex eſſe ſolet, plura eiuſmodi ornamenta data fuiſſe Rebeccae indicat. id quod confirmari poſſe videtur eorum interpretum teſtimonijs, qui inaures ſcripſerunt, quae binae ſaltem eſſe ſolent, non ſimplae; dum verò ſingulari numero eiuſmodi ornamentum exprimitur, idque teſtatur ſemiſiclum pependiſſe, planè oſtendit, ſingulas eiuſmodi ornamenti partes, verbi gratia, inaures tantumdem pependiſſe. Atque hoc ipſum non coniectura modò, ſed diſertis verbis indicauerunt Septuaginta, dum particulam illam diſtributiuam ἀνὰ ana adiecerunt. Verùm Latinus interpres, nihil ab his diſſidens, immo verò vlteriùs progreſſus, rem totam explicauit; & indicare volens, illud fuiſſe capitis, *aut frontis ornamentum*, *quadruplex* inauribus ſimile (Hiſpani diceremus quattro pendientes a manera de arracadas) *inaures aureas* dixit. atque vt totius eiuſmodi ornamenti pondus vno exprimeret verbo, ſubiunxit: *appendentes ſiclos duos*, quoniam vnaquaeque illarum partium ſemiſiclum pendebat, vt & ipſe alibi teſtatur ſcribens: didrachmum pondus eius. Chaldaeus verò paraphraſtes inaures datas intelligens, quae non ſingulae, ſed binae computari conſueuerunt, inaurem ſcripſit aurcam appendentem ſiclum vnum: Quae omnia, noſtra Hiſpana phraſis aptiſſimè exprimeret, dicens, diole dos pares de arracadas que cada vno peſaua vn ſiclo. Neque verò quemquam mouere debet, quod Septuaginta interpretes pro becagh drachmam ſcribant; cùm, vt ſuprà oſtendimus, ipſi pro Sanctuarij ſiclo didrachma ſubſtituant: atque adeo, ne ſibi ipſis contrarij ſint, ſemiſiclum in drachmam conuertunt.

QVADRVplex ornamentum fronti Rebecae datum.

S. Hieron. in quaeſt. Hebr.

BECAGH ſemiſiclum didrachmo aequalem eſſe.

Iam verò, quamuis ex eo, quod probatum eſt becagh ſemiſicli pondus habere, liquidò conſtet, & didrachmae aequalem eſſe; ſiquidem pluribus ſuprà probauimus, ſiclum tetradrachmo exaequari, tamen idipſum nouis rationibus, ac teſtimonijs comprobare non pigebit, qui de tributo etiam agere conſtituimus, quod pro animabus ſuis reddere iuſsi ſunt Hebraei. Et quidem hoc tributo ſemiſiclum, ſeu becagh imperari conſtat; tum ex loco Exodi, quod ex Hebraeo ſuprà retulimus; tum vel maximè ex alio, quod perſpicuum eſt in noſtra vulgata, huiuſmodi. *Locutusque eſt Dominus ad Moyſem dicens: quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi; ſiclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis, & ſupra, dabit pretium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Suſceptamque pecuniam, quae collata eſt, filijs Iſrael trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Hoc verò tributum, cuius cauſa, quantitas, tempus, vſus, ſolutores, atque exactores tam luculenter hoc loco exprimuntur, alijs quoque locis percenſetur. Verùm breuitatis ſtudium nos cogit à ſingulis abſtinere. illos tantummodo explicabimus, qui ad explicandam ſemiſicli quantitatem maximè videbuntur accommodati. Inter quos potiſsimùm erit Ioſephi teſtimonium, quo incommoda, & damna, quae Iudaei Babylone detenti paterentur, enumerans, Neerdae, & Niſibis munitiſsimarum vrbium meminit, ac ſubdit: Iudaei freti locorum natura, ſacrum didrachma, quod Deo ex more ſolent offerre, caeteramque votiuam pecuniam in his vrbibus apponebant, tamquam in communi aerario, inde ſuo tempore tranſmittendam Hieroſolymam. Haec ille. quibus planè teſtatur ſemiſiclum didrachmae fuiſſe aequalem. Huius tributi meminit Titus, Iudaeis exprobrans ingratitudinem, & rebelles animos, quibus Romanis adhuc reſiſtebant. enumerans enim collata beneficia ſubdit: Quodque maximum eſt, tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere permiſimus: eaque offerentes, neque monuimus, neque prohibuimus, vt hoſtes nobis efficeremini ditiores; noſtraque pecunia vos contra nos inſtrueretis. Haec ille. Neque verò parum mouit Titum, ac Veſpaſianum patrem haec ratio, quam vltimo loco recenſuit Titus: ſiquidem, ea fortè permotus, debellata Hieroſolyma, ſtipendium, inquit Ioſephus, vbicumque degerent, Iudaeis indixit; binaſque drachmas ſingulis annis deferri Capitolium iuſsit, ita vt ante hac Hieroſolymorum templo pendebant. Haec ille. Atque hoc eſt tributum, cuius exactores Petrum interrogant: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma*: & Dominus inuentum in ore piſcis ſtatarem iubet pro ſe, & Petro reddi. Atque de hoc tributo Deo, ac patri ſuo reddi ſolito in Hieroſolymitano templo loquutum fuiſſe IESVM Chriſtum Dominum noſtrum probant verba, quae interſeruit, Petrum praeueniens: *Quid tibi videtur Simon? Reges terrae à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? Dixit illi* IESVS: *ergo liberi ſunt filij*: Quae omnis argumentatio eo tendere videtur, vt oſtendat ſe liberum eſſe ab eiuſmodi tributi ſolutione:

Exod. 38. Ÿ. 26.

TRIBVTVM populo à Deo indictum becagh, hoc eſt ſemiſiclum. *Exodi 30. Ÿ. 11. & ſequentibus, vſque ad 17.*

TRIBVTI quantitas, tempus, vſus, ſolutores, & exactores.

Ioſep. 18. antiq. cap. 12. alius 16.

Ioſeph. 7 belli cap. 13.

Ioſeph. 7. belli cap. 27.

TRIBVTVM idem, quod Deo ſolueba-tur, in Capitolium inferre praecipiuntur Iudaei. *Matth. 17, Ÿ. 23. & 24.*

LOCVS Matthaei de libertate Chriſti explicatus,

naun

nam de Petro, aut alijs sermonem non esse probat nexus, quem indicat Euangelista, horum verborum eum praecedenti exactorum interrogatione. *Magister vester*, inquiunt, *non soluit didrachma?* Respondet his Dominus: non quidem teneor: nam si Reges terrae à filijs suis tributa non accipiunt, quanto minùs caelestis Rex in prima huius tributi indictione, tributum accipere decreuerit ab vnigenito filio suo, sibi consubstantiali, & eiusdem potentiae, maiestatis, & gloriae? quod si Deo Patri tributum hoc soluere non teneor, vtique nec Caesari, qui non aliud, nec ab alijs tributum exigit, quàm ab ijs, qui tributum templo soluere tenebantur. Id quod vel ex eo maximè fit manifestum, quod non à feminis, neque ab illis, qui vigesimum aetatis annum non attigerant, didrachma exigebant: non alia sanè ratione, quàm quod prima illa tributi lege non tenebantur. Quod si aliquando, & ab his etiam pendebatur, id exactorum licentiae, & auaritiae tribuendum potiùs, quàm legi à Caesare latae. fit igitur perspicuum, a Christo Domino tributum exigendum non fuisse, quippè cùm multò potiori filiationis iure ab illa alienorum lege immunis esset. Verùm ad vitandum scandalum, quod in Christi Domini libertatem, immo & Diuinitatem ignorantibus oriri potuisset, praecipitur Petrus, & pro Christo Domino, & pro seipso tributum soluere. Neque verò quisquam miretur, Christum Dominum in multitudinis numero loquutum fuisse, quasi de se, ac Petro loquatur, dum dicit: *Vt autem non scandalizemus eos*: nam praeterquam quod dignitatis, ac maiestatis est propria eiusmodi locutio; etiamsi de Dominica tantummodo libertate loquatur, apud eos, quibus ignotus erat Dominus, eorundem iniquitate scandalum suboriretur, tum quod Dominus non solueret; tum etiam quod Petrus discipulorum primus, magistrum, etiam rogatus, non moneret. Sed non modica sese offerret legenti difficultas inde oborta, quod paulò superiùs indicare voluisse videtur tributum hoc à Vespasiano indictum; cùm, iuxta Sancti Hieronymi, & Bedae sententiam, hoc tributum tunc Iudaeis fuerit impositum, cum *Exijt edictum à Caesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*. Hanc verò praecedenti sententiae ita conciliat noster Maldonatus, vt putet Vespasianum illud ipsum tributum exegisse, siue etiam indixisse, quod Augustus imperauerat; & à quo sese Iudaei rebellando exemerant.

Maius tamen negotium facessit non paucis, nec contemnendis viris eiusdem Matthaei locus alter, quo interrogatus ab Herodianis Dominus: *Licet censum dare Caesari, an non?* petit sibi ostendi numisma census; *at illi obtulerunt ei denarium.* Ex quo colligunt Romanorum denarium drachmae aequalem numisma census dici, quia eiusmodi numnum quilibet Caesari penderet. Cuius argumenti vim non alia ratione effugere se posse putant, quàm si dicant, diuersum fuisse hoc tributum à priori, quod hactenus retulimus: quippe illo binae drachmae sicli dimidium solueretur à singulis; hoc verò denarius drachmae aequalis, hoc est sicli pars quarta. Sed cùm nullibi legamus aliud tributum Iudaeis à Romanis impositum, praeter didrachma illud sacrum, quod templo olim dabant, dicendum potius videtur, Romanos, qui, Plinio teste, vi-

A ctis gentibus in tributo semper argentum imperabant, vnicam, atque vsitatam denarij Romani monetam imperasse, quam alij simplicem, alij duplicem, vel alia ratione multiplicem, pro imperantium arbitrio soluerent: Ideoque census numisma dici à Iudaeis, non quod vnum tantummodo soluerent; sed quia, qui didrachma soluebant, illud duplici denario soluere cogerentur. Quod si Illustrissimi Cardinalis Baronij sententia, quàm ipse ex Lampridio probat, vt meritò posset, recipiatur; nimirum, Romanos numismata iuxta tributi rationem cudere solitos, ita vt, alijs numnis immotis manentibus, numisma census, iuxta ipsius census rationem, aut minueretur, aut creseceret, dicendum esset, numisma illud B Christo oblatum, à Caesare percussum didrachma fuisse; denariumque dici, propterea quod Romano denario forma, imagine, inscriptione, quamuis non pondere simile fuisset. Sed iam tandem Septuaginta interpretum versionem si attendamus, quamuis ipsi, pro becagh, drachmam substituant, nihil nobis aduersatur; cum ipsi suum, quem dixi, perpetuum morem sequantur, Sanctuarij siclum in didrachmum conuertentes; semisiclum consequenter in drachmam.

Caesar Baron. tom. 1. annal. An. Chri. 34. Aeli. Lampr. in Alexand.

CHRISTVS scandalum, quod passiuum vocant Theologi, deuitare studet.

Matth. 7. ℣. 26.

S. Hieron. Beda.

QVIS PRIMus hoc tributum indixerit.

Luc. 2 ℣. 1. Ioan. Mald. in Matth.

Matth. 22. ℣. 17.

NONALIVD quàm didrachmi tributum Hebraeis imposuere Romani.

Plin. lib. 33. cap. 3.

C

DE HEBRAEO RVM MINA.

Cap. XXXII.

MINA apud Hebraeos tanr multiplicem habet vsum, vt certum aliquod pondus, aut aestimationem illi dare vix possimus: deducitur enim à verbo מנה manah, quod numerare, deputare significat, vt in Numeris. *Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel?* Et apud Isaiam: *Numerabo vos in gladio, & omnes in caede cornuetis.* Tradam vos in gladium, vertunt Septuaginta. Deputabo vos gladio, vertit Forerius, nec immeritò; cum locum alterum eiusdem Isaiae, quem aliqui conuertunt: Et cum iniquis annumeratus est, Sanctus Euangelista Lucas vertat: *deputatus est*; cum apud eundem Isaiam Vulgatus, *reputatus est*, legat, quod idem est. Hinc deducitur vox מנה maneh mina, vel mna, certum aliquem numerum significans, aut destinatum pondus, siue pretium alicuius rei. Igitur numerum aliquem significare videntur Hebraei, cum dicunt: Virgo exigit dotem ducentorum, Vidua מנה maneh, minam. quam vocem quamuis ali- MINA CERqui eorum centum denarios significare arbitrentur, tamen ego potiùs crederem minam hic accipi pro sexagenario siclorum numero ab Ezechiele praescripto. Quae omnia non modicam mihi injciunt suspicionem, minam, hunc, vel illum siclorum numerum continentem, certam aliquam, ac quasi lege praescriptam fuisse pecuniae summam, in peculiares vniuscuiusque vsus deputatam; vt ferè congruat notione cum voce מנה menath

D

Numer. 23. ℣. 10.

DINVMErare in gladio, quid significet. *Forer. in Isai.*

Isa. 53. ℣. 12 Luc. 22. ℣.

tum, aut statutum numerum monetarum, aut pondus significat. *Ezech. 45. ℣. 12.*

E

partem, sortem significante, quantum cuique deputatur. Iuxta quam minae acceptionem facilè concordatur parabola illa sancti Matthaei, de talentis seruis distributis à Domino; & Sancti Lucae, minas traditas affirmantis. In quo Sanctorum Hieronymi, & Ambrosij in primis adhaeremus sententiae, asserentium, eandem parabolam semel à Christo Domino prolatam, diuersis quamuis verbis, eodem tamen sensu ab vtroque Euangelista fuisse relatam. nosque pariter argumentis, quae Sanctum Ioannem Chrysostomum negare coegerunt eandem vtrobique narrari parabolam, breui respondebimus.

Matth. 25. Luc. 19.

PARABOLA de talentis eadem est, quae de minis.

S. Hieron. S. Ambros. in Lucam. S. Ioan. Chrysost. homil. 79. in Matt. to. 2.

Primum igitur, diuersae videntur esse parabolae, quoniam tempus, quo dictae fuisse narrantur hae parabolae, non idem vtrobique videtur esse, sed longè diuersum. Matthaeus namque post hanc cum alijs enarratam parabolam, subdit: *Et factum est cum consummasset* IESVS *sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet &c.* Quae quidem post diem Palmarum dicta fuisse videntur. Siquidem ex Euangelio Sancti Ioannis constat IESVM ante sex dies Paschae venisse Bethaniam, ibique conuiuio exceptum à Martha; sequenti autem die venisse Hierosolymam, exceptumque cum palmarum, atque arborum ramis ab ijs, qui venerant ad diem festum. quare dies palmarum ante quinque dies Paschae contigit; atque adeo post tres dies huius aduentus Pascha fiebat, non post biduum. Et Lucas, absoluta minarum parabola, statim subdit: *Et his dictis praecedebat ascendens Hierosolymam;* ac mox aduentum Christi, & palmarum pompam consequenter enarrat. In quo nulla reperitur temporis dissensio: verum namque est, parabolam ante aduentum palmarum dictam. neque his obstat Sancti Matthaei historia, quae, post absolutum talentorum parabolam, longiorem refert Christi Domini de finali iudicio concionem, quam non cogimur affirmare factam eodem die, sed sequenti; ac post eam dictum fuit Discipulis: *Scitis quia post biduum Pascha fiet,* hoc est, quarto ab illo die.

Matth. 26. ℣. 1. & 2.

Ioan. 12. ℣. 1. & 2.

NON ALIVD sed idem tempus indicatur ab vtroque Euangelista.

Deinde, quod spectat ad talenta quina, bina, & singula donata, alibi verò singulas minas; facilè ea concordantur, si minae praedicta notio perpendatur: id enim, quod Matthaeus dixit, talenta vnicuique donata *secundum propriam virtutem*, idem Lucas minae voce indicauit: nimirum vniuscuiusque debitam partem, siue deputatum pecuniarum numerum. Ex quo patet, minas meritis recipientium pares fuisse, inter se verò longè diuersas; vtpotè cum earum vna quinque, altera duo, tertia tandem vnum contineret talentum. Neque recipientium seruorum numerus prohibet eandem fuisse parabolam; siquidem vterque Euangelista omnem recipientium à Deo munera, pene infinitam multitudinem significare voluit; atque vterque pariter Euangelista eandem multitudinem ad tres potissimùm gradus reuocauit. primùm, eorum, qui maximum quendam referunt acceptorum munerum fructum: alterum, eorum, qui mediocrem: tertium, eorum, qui nullum. Atque hoc est, quod perspicuè indicauit Lucas, qui definito denario indefinitum omnium seruorum numerum denotans, in ratione reddenda tres tantùm computauit, ad tres praedictos gradus eos omnes reuocans. Difficiliùs videtur apportati lucri summam concordare; vtpote quia apud Matthaeum primus quinque lucratus est talenta, accepto talentorum numero pari; alter, binis acceptis, bina lucratus est: at apud Lucam denas, vel quinas minas minae singulae pepererunt. Sed neque in eo disparitas est: namid, quod Matthaeus magnum, ac mediocre lucrum indicare voluit, principali sorti foenus exaequans, id ipsum Lucas expressit denarij numeri indefinita notione, eiusque medietate quinario. Praemium igitur non longè diuersum: id enim, quod Sanctus Matthaeus in vniuersum dixit: *Supra multa te constituam.* Sanctus Lucas magis explicat, dicens: *Eris potestatem habens super decem ciuitates, aut super quinque.* Tandem, quod ad otiosum, & iniquum seruum spectat, quamuis ibi pecuniam domini absconditam in terra, hic verò repositam fuisse in sudario dicatur, quis prohibet nos intelligere, eandem in sudario repositam pecuniam, in tetra quoque absconditam fuisse; cum tam hic, quàm illic, aliquo solido, ac bene occluso vase condenda fuisset pecunia, ne consumeretur; neque commodiùs mina, quàm talentum sudario includeretur: vel quia, vt dixi, non aliud hic significet mina, quàm ibi talentum: vel quia, sudarij quantitate non definita, quaelibet vel maxima pecuniae quantitas sudario posset includi. Sed frustra in re hac probanda immoror, cuius locupletissimum testem habeo Sanctissimum Hieronymum sic scribentem: Vae illi, qui acceptum talentum in sudario ligans, ceteris lucra facientibus, id tantum, quod acceperat, reseruauit.

ACCEPTORUM ratio quare à tribus tantùm exigatur.

MAXIMVM foenus est, quod sorti exaequatur.

Hier. epist. 1. ad Heliodorum.

Haud aliter quàm praedictae parabolae, minae perspecta notione, intelliguntur, historiae quoque sacrae, & concordantur, & plenè percipiuntur. Maximam enim ingerunt interpretibus difficultatem verba illa libri Regum, quibus Salomon fecisse dicitur *Trecentas peltas ex auro probato*: Et subditur: *Trecentae minae auri vnam peltam vestiebant:* Non enim percipi posse videtur, clypeum trecentas pendentem minas aliquibus humanis vsibus fore proficuum, maximè si mina sit siclorum sexaginta, librarum duarum cum dimidia. Accedit huic difficultati Paralipomenon liber, qui de eisdem peltis sic habet: *Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta.* Hunc verò, qui inexplicabilis videtur nodus, ita soluere conantur nonnulli, vt Latino textui libri Regum vim inferant, quasi vitiatus sit, cum, iuxta Hebraea, Graeca, & Chaldaea, tres minae legendum esset, non trecentae. Nos verò, quibus leuis ea peregrinorum textuum coniectura videtur ad corrigendum nostrum, quem vt emendatissimum tandem edidit Sixtus Quintus Pontifex Maximus, lectionem nostram retinendam censemus; Hebraeamque, quam alij codices sequuntur, vel legendam, vel interpretandam aliter. Quod confirmari posse videtur Iosephi testimonio, qui non Latinos, sed Hebraeos legit libros; ac trecentas minas legit, non tres, vt falso illi adscribit Grsepsius. Est igitur sic legendum, vt habent nostri emendati codices, atque dicendum, quod cum trecentis aureis, vtique siclis, singulas peltas oper-

DIVERSVS talentorum, & minarum numerus idem diuersa ratione demonstrat.

RECIPIENTES à Deo munera ad tria capita reuocantur.

PROPTER Hebraeos, Graecos, aut Chaldaeos textus, non licet recedere à Vulgata.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

CONCORdantur textus.

opertas fuisse legamus in libro Paralipomenon, id, interpretandae alterius lectionis gratia, scriptum fuisse arbitramur. & ad explicandum, quid minae nominae significetur in libris Regum, siue, quod idem est, ad significandum siclum ibi minam dici; non quod aliqua fuisset apud Hebraeos statuta mina, quae pondere fuisset aequalis siclo, sed quod vniuersalis minae notio etiam siclum vnum comprehendat, si is sit operi alicui, aut negotio destinatus. Quem morem tenuit etiam Iosephus historicus: nam Iosephum Patriarcham, quem à fratribus viginti argenteis, vtique siclis, venditum narrat historia sacra, ipse referens, viginti eum minis venditum fuisse tradit: Eundem quoque morem tenuit Chaldaeus paraphrastes, vt praecedenti capite vidimus. Atque hac eadem ratione putant aliqui intelligendum locum Machabaeorum, vbi clypeus magnus pondo minarum mille missus dicitur à Simone Romam; quo loco putant minam pro siclo vsurpari. Id verò nullo probatur argumento: nam ea, quam afferunt, coniectura, nimirum vsui minus vtilem fore tanti ponderis clypeum, leuior videtur, quam quae clypei pondus tantum possit eleuare; vt è magno clypeo, cui à Romanis magna refertur gratia, in tam minimum cogatur pretium, vt bis mille aureorum, siue etiam mille aureorum nostratium summam, eorum sententia, non excedat. Quapropter quamuis minas libri Machabaeorum ad Graecas, aut Romanas reuocandas facilè credam, non ad Hebraeas; tamen, eas ad siclos, vel drachmas reuocandas esse, nulla ratio suadet: donaria enim, quae ad ostentationem mittuntur, numquam consueuerunt ad communes similium rerum coetus constringi. Cuius rei vel vnum pro pluribus esse poterit argumentum. Vidi enim ego ipse in Lauretana Beatae Virginis domo, quae missis à toto Christiano orbe donarijs, quotidie magis, ac magis augetur, & colitur, inter alia ealices tantae molis, altitudinis, capacitatis, ac ponderis, vt omnem superet humanam fidem: quoniam certum est, eiusmodi calices nullis alijs vsibus esse aut inseruire posse, quàm ad ostentandam donantis liberalitatem, & magnificentiam. Sed hoc omne ariolandi studium vnus reprehendit Iosephus, qui à Romanis scribit hunc clypeum quinquaginta aureorum millibus aestimari. cumque supra ostenderimus, Romanos aureos didrachmales fuisse, fit perspicuum, clypeum illum mille minas ponderis habuisse, singulas drachmarum centum.

SICLVS quare dicatur mina. *Gen. 37. ℣. 28.* *Ioseph. 2. antiq. cap 3.*

1. Macha. 14. ℣. 24.

CLYPEVS minarum mille quomodo aestimandus.

Ioseph. 14. antiq. cap. 16.

Sup. cap. 12. & 13. huius.

Et quamuis haec ita sint, vt verè sunt, nihil tamen obstat, quo minùs mina fuisset, sicut apud Graecos, & Romanos, ita apud Hebraeos certum habens, ac definitum pondus. Immo verò maximè, vt apud Prophetam nostrum videre est, qui eum postliminio reuersuris iustam mensurarum, stateraе, ac ponderum rationem praescriberet, non minimam adhibuisse videtur diligentiam in minae iusto pondere decernendo. *Porrò*, inquit, *viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt*; si igitur tres hos numeros, viginti, viginti quinque, quindecim in vnam summam collegeris, facilè inuenies, minam sexaginta fuisse siclorum. cumque siclus ostensus sit Romanae semunciae aequalis, minam intelliges vnciarum fuisse triginta, quae in duodenas librae vncias diuisae, duas efficiunt libras cum dimidia; id quod Iosephus sibi constans, atque hanc nostram sententiam ferè confirmans, sic scribit: Mina autem apud nos constat duabus libris cum dimidia.

Ezech. 45. ℣. 12.

20
25
15
60

Ioseph. 14. antiq. cap. 12.

MINA SEXAGINTA siclorum, librarum duarum, & semis.

Verùm quanam ex causa in eiusmodi numeros sexagenarium diuidat Propheta, nec vno verbo dicat; sexaginta sicli mina erit vobis, non eodem modo explicandum esse opinantur interpretes. Nam, cum Hebraeis putant nonnulli, non tam integrae minae pondus explicare voluisse Prophetam, quàm eius partes: quartam, quindecim siclis: tertiam, viginti: quinque duodecimas, numero viginti quinque. Sed si quid artificij in illa diuisione minae reperitur, hoc est: quod si aurifex, verbi gratia, minam argenti, eiusque plures partes expendere vellet, id facilè posset praestare, haec tria habens pondera: primum siclorum viginti quinque: secundum siclorum viginti: tertium siclorum quindecim: posset namque quinarium siclorum numerum appendere, & quemcumque quinarij multiplicem. Nam si quinque primùm argenteos conetur expendere, in altera lance pondus quindecim ponet; in altera verò pondus viginti, pendebitque haec prae illa, siclis quinque. Si igitur argenti tantùm addat priori lanci, donec sit in aequilibrio cum posteriori, absque dubio siclos appendit quinque; eademque ratione decem appendet, si in altera lance quindecim, in altera verò viginti quinque constituat, & in reliquis operetur vt priùs: tres verò sequentes quinarij multiplices numeri, quindecim, viginti, & viginti quinque in ipsis habentur ponderibus: triginta deinde efficiet, sumpto bis pondere quindecim. idem pondus quindecim cum pondere viginti dabit triginta quinque: quadraginta, dat bis sumptus vicenarius numerus: quadraginta quinque additi numeri viginti, & viginti quinque. quinquaginta dabit bis sumptus viginti quinque: quinquaginta quinque fiunt, bis sumpto numero viginti, & semel quindecim. sexaginta tandem dabunt sumpta simul tria illa pondera. reliqui verò numeri quinarij multiplices fient additione, vel multiplicatione praedictorum trium numerorum. Sed quamuis hic vnus trium illarum minae partium vsus sufficere videatur, ad sedandos animos eorum, qui causas inquirunt, cur Propheta eiusmodi pereensuerit minae partes; tamen non vsquequaque textui ipsi videtur eiusmodi ratione satisfieri. Quapropter adducor in hanc sententiam, vt arbitrer, seruitutis tempore, diuersarum gentium consuetudine varijs earum moribus Hebraeos imbutos fuisse, atque adeo diuersa minarum genera suscepisse; minam videlicet drachmarum sexaginta, siclorum quindecim; alteram drachmarum octoginta, siclorum viginti; tertiam drachmarum centum, siclorum viginti quinque, quae fuit maximè Athenis in vsu, ac tandem, vt vidimus, apud ipsos Romanos. Hunc igitur multiplicis minae vsum inhibere videtur Propheta, dum dicit: *Viginti quinque sicli, viginti sicli, & quindecim sicli in vnam summam collati mina erit vobis*: quasi dicat: sit alijs, quindecim, alijs viginti; alijs verò viginti quinque siclorum mina, vobis, Domino etiam praecipiente, perpetua, eademque mina erit ex his omnibus collecta.

MIRABILIS trium ponderum vsus.

GENTIVM consuetudo earum mores inducit.

Iuxta praeceptum hoc Ezechielis computasse credendus est Esdras, cum sic scribit, de principibus è Babylonica captiuitate in templum redeuntibus: *Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos* drachmas habent Hebraea *sexaginta millia, & mille: argenti minas quinque millia*. quem locum sic conuertunt Septuaginta in Sixtiano codice: auri minas mille, & argenti minas quinque millia. quo loco Septuaginta interpretes drachmas sexaginta singulis tribuunt minis; vel quia drachmam pro siclo vsurpant, vel quia minam siclorum quindecim, drachmarum sexaginta computarunt, nihil millenarium illum numerum, qui supereſt, curantes, quod magis crediderim.

Esdrae 2. ℣. 69.

Septuaginta 1. Esd. 6.5.

Hanc ipsam principum, ac populi donationem retulit Nehemias, seipsum, atque alios referens, qui maximam oblatae pecuniae partem dederunt. Sed cum auri, & argenti summa huic non respondeat, conijci potest, non omnes eos, qui obtulerunt, ab eodem computari; cum è contra vestes sacerdotales multo plures computauerit Nehemias, quàm Esdras hoc loco computauerit. Sed ad institutam de mina disputationem redeuntes, multiplicem minam videtur insinuare Iosephus: nam praeter illam, quae fuit Hebraeis, vt vidimus, propria, aliam refert siclorum quadraginta; dum caesariem Absalonis affirmat tanti ponderis fuisse, vt siclos ducentos exaequaret, qui sunt minae quinque. Quod si ducentos siclos in minas quinque diuidas, singulis vtique obuenient sicli quadraginta. Atque huiusmodi minam retulit Epiphanius, sic scribens; Italica mina quadraginta staterum est, hoc est vnciarum viginti, id est librae vnius, & duarum tertiarum. Haec ille. Sed de mina iam satis, praesertim cum minae aliae cum his passim inter disputandum occurrant.

Nehemi. 7. ℣. 70.

Ioseph. 7. antiq. cap. 8.

MVLTIPLEX apud Iosephum mina.

200/40/5

Epiph. lib. de mensuris.

DE HEBRAEORVM TALENTO.

Cap. XXXIII.

HIC eardo totius praesentis disputationis versatur: cupientes namque certa aliqua ratione percipere expensas templi Salomonici, vel saltem illas, quas in paupertate sua praeparasse dicit Rex Dauid: *Centum millia talenta auri*; *argenti verò mille millia talentorum*, ipsa de talento disputatio nobis occurrit. Et dum, quid talentum hic significet, inuestigamus, scriptores videmus tot talenta comminisci, vt neque in ipso Cretae Labyrintho tot possint ambages occurrere, tot fallaciae ingredientem impedire, quot hic dicendi modi, quot partiendi, comminuendi, augendi, siue immutandi excogitatae sunt viae, quae animum, aut mentem à veri perceptione auocare, immo & repellere possint. Ego planè fateor, non me esse sentio laboris ita patientem, aut lucubrationum mearum tam prodigum, aut temporis tam parum solicitum, vt tamdiu me patiar per tam densam dumetorum siluam aberrare: vt illi, qui postquam integros fecerunt de multiplici talento commentarios, si mox rogentur, quid hac, vel illa talentorum summa significetur, id se penitus ignorare fateantur necesse est; cum nullam possint assignare rationem, quare potiùs hoc talenti genus hic, quàm aliud alibi accipiendum, computandumue sit. quare, cum optatum huius disputationis finem consequi nequeant, oleum, & operam perdidisse censendi sunt. quapropter aliam nos tenere viam decet, alias excogitare rationes: neque hoc tantùm, sed & lectores hortari, vt oculos mentis omnino auertant ab illarum opinionum varietate, & labilitate, ni velint, vertigine turbato capite, in defluentes aquas praecipites se dare. Igitur examinanda est Hebraea vox ככר chicar; quoniam, vt supra vidimus, Hebraicè, lex primùm, historiae, atque prophetiae deinde scriptae sunt. Videnda est praeterea vox, talentum, vnde desumpta sit; & num cum ipsa voce ipsius vocis notio, ae res significata in Hebraeos sit inducta mores. Est igitur vox ככר chicar, Hebraea quidem, sed cuius origo, & notio pene ignoratur: nec me latet vsurpari in biblijs, ad significandam planitiem, tortam, aut frustum panis; vel, vt alij interpretantur, orbem, atque aliquod magnum metalli pondus. Verùm, qua analogia id fiat, statuere non possumus: quamuis enim in dictionarijs primo loco ponatur prior significatio cum suis exemplis, deinde posterior; tamen M. Marinus quorundam sententiam refert, & probat, asserentium vocem ככר chicar, metalli pondus significare, quod Graeci, ac Latini talentum vocant, deinde per translationem vsurpari ad significandum tortam panis, & terrae planitiem. Quam sententiam, si vera est, vt creditur, inde originem sumpsisse credenda est, quod certum, aut destinatum metalli pondus, quo videlicet frumentum, aut alia eiusmodi appenderentur, in tortae modum efformabatur, quod suprema, & infima parte planum, forma rotunda à lateribus in modum semicylindri in orbem ducti tota planè figura panis tortam repraesentabat. eiusmodi plurima passim Romae visuntur exempla, ex nigro, ac splendenti, solidoque lapide affabre elaborata: quibus, propter eorum solidam materiam, longa temporum iniuria pepercit. eisdem simile & nos è candido marmore efformari curauimus talentum, & asseruamus, iustum habens Hebraeorum pondus.

1. Paral. 22. ℣. 14.

MVLTIPLICIS talenti computatio confusionem non modicam parit.

ABALIARVM opinionum lectione abstinendum.

VOX HEBRAEA chicar.

M. Marinus in Arca Noe

HEBRAICI talenti forma.

Quantum verò chicar penderet, ita perspicuum est in Exodo, vt numquam mirari desinam, quod in re tam manifesta alucinentur quamplurimi. Fateor tamen eos, qui minùs attentè vulgatam nostram tantummodo legerant, aliquam habuisse excusationem: sed eos adhuc culpa non vacare mòx ostendemus. Igitur loeus Exodi, sicut ex Hebraeo conuertitur in Regio codice, sic habet: Omne aurum factum ad opus in omni opere sanctitatis: & fuit aurum eleuationis, siue oblationis, nouem & viginti talenta, & septingentorum, & trigin-

EXAMINATVR talenti pondus.

Exod. 38. ℣. 24. & seq.

& triginta ſicli, vel ſiclorum, in ſicło ſanctitatis. Et argentum viſitatorum, vel numeratorum, ſinagogae centum talenta, & mille & ſeptingenti & quinque & ſeptuaginta ſicli in ſicło ſanctitatis, Becagh, vel ſemiſſis, capiti dimidium ſicli in ſicło ſanctitatis omni tranſeunti ſuper viſitatos a filio viginti annorum & ſupra, ſexcentis millibus & tribus millibus & quingentis & quinquaginta. Et fuit centum talenta argenti ad fundendum baſes ſanctitatis, & baſes veli, centum baſes centum talentis, talentum baſi. Et mille & ſeptingentis & quinque & ſeptuaginta fecit vncinos columnis: & texit capita ipſarum, & cinxit eas.

Exod. 39. Septuaginta interpretes in Sixtiano Latino codice ſic habent: Omne aurum, quod elaboratum eſt ad opera ſecundum omnem operationem ſanctorum, fuit auri eius, quod primitiarum, nouem & viginti talenta, & ſeptingenti viginti in Complutenſi legitur triginta, in Hebraeo, atque Latino ſicli iuxta ſiclum ſanctum. Et argenti demptio a viſitatis viris ſynagogae, centum talenta, & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli: drachma vna capiti, dimidium ſicli iuxta ſiclum ſanctum: Omnis tranſiens ad viſitationem a vigeſimo anno, & ſupra, ad ſexaginta myriadas, & ter mille quingenti & quinquaginta. & facta ſunt centum talenta argenti in conflationem centum capitellorum tabernaculi, & in capitella velaminis: centum capitella ad centum talenta, talentum capitello. Et mille illos ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos fecit in anſulas columnis. & inauratuit capitella earum, & ornauit eas.

Chaldaea item paraphraſis ſic habet: Omne aurum, quod factum eſt in omni opere Sanctuarij, & quod oblatum eſt, fuit viginti & nouem talentorum, & ſeptingentorum & triginta ſiclorum in pondere Sanctuarij. Argentum autem numeratorum congregationis fuit centum talentorum & mille & ſeptingentorum & ſeptuaginta & quinque ſiclorum in pondere Sanctuarij. Vnum pondus oblatum eſt per ſingula capita: quod eſt dimidium ſicli in pondere Sanctuarij: quod oblatum eſt ab omnibus, qui tranſierunt ad numeros a viginti annis & ſupra, de ſexcentis & tribus millibus & quingentis & quinquaginta: fueruntque centum talenta argenti, ex quo conflatae ſunt baſes Sanctuarij, & baſes tentorij, centum talenta, pro centum baſibus; talentum pro baſe. De mille autem & ſeptingentis & ſeptuaginta & quinque ſiclis fecit vncinos columnarum, & operuit capita earum, & fecit caelaturas earum.

603550
600000
3550
1775
6000|00
3000

His igitur ita in idem conuenientibus codicibus, cuilibet perſpicuum eſt, de ſexcentis hominum millibus centum colligi talenta: ex minori verò hominum numero tribus millibus quingentis quinquagita fiunt ſicli mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque; quoniam quilibet dimidium ſicli pendit, bini homines ſiclum vnum: atque adeo dupla futura eſt ſemper proportio inter numerum hominum, & ſiclorum numerum, qualem habent praedicti duo numeri; vt, facta vtriuſque collatione, cuilibet eſſe poteſt notiſsimum. Ad maximum igitur hominum numerum redeuntes, ſi ſexcenta hominum millia centum ſoluunt talenta, vtique ſex millia talentum vnum pendunt, & ſinguli dimidium dant ſiclum, ergo talentum tria continet ſiclorum millia. Neque verò quidquam his, quae diximus, contrarium colligi poteſt ex noſtra vulgata lectione, aut diuerſum. Nam quamuis ſumma talentorum argenti initio non referatur expreſſa, vt in alijs codicibus, tamen ibidem teſtatum habemus, expenſa fuiſſe centum argenti talenta in baſibus centum: atque inſuper ſiclorum etiam numerus ibi eſt relatus, ex quo columnarum capita facta

PROBATVR talentum tria ſiclorum millia continere.

A fuiſſe referuntur. Quae omnia, vt ab ipſis lectoribus expendi, atque faciliùs percipi poſſint, ipſam vulgatam lectionem, additis verbis illis, quibuſque ſuis locis, quae in alijs lectionibus habentur, & non in vulgata, hic adijcere non grauabor; diuerſis tamen, vt nobis moris eſt, diſtincta characteribus. *Omne aurum, quod expenſum eſt in opere Sanctuarij, & quod oblatum eſt in donarijs, viginti nouem talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta ſiclorum ad menſuram Sanctuarij.* Argentum autem numeratorum congregationis fuit centum talentorum, & mille & ſeptingentorum & ſeptuaginta & quinque ſiclorum, in pondere Sanctuarij: ſemiſſis pro capite, dimidium ſicli, iuxta ſiclum Sanctuarij. *Exod. 38. ℣. 24.*

TALENTI pondus ex vulgata lectione probatur.

B *Oblatum eſt autem ab his, qui tranſierunt ad numerum à viginti annis, & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum. Fuerunt praeterea centum talenta argenti, è quibus conflatae ſunt baſes Sanctuarij, & introitus, vbi velum pendet. Centum baſes factae ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis. De mille autem ſeptingentis, & ſeptuaginta quinque ſiclis fecit capita columnarum, quas & ipſas veſtiuit argento.* Ex his igitur ita collatis perſpicua plane eſt talenti ad ſiclum proportio, quàm nemo non recipit. Et quidem, ſi ſacrae litterae attentius euoluantur, ni mea me fallit opinio, nullum aliud reperitur talenti genus, neque eius veſtigium, aut aliqua dubitandi ratio: niſi ego planè fateri cogar ingenij mei tarditatem, ac mentis hebetudinem, qui inter infinitam propemodum talentorum multitudinem, quae circumfertur, ego ne alterum quidem videre queam, praeter vnum. quod & alijs quoque me oſtendere poſſe non diffido: ijs potiſſimùm omnibus, qui attentiùs haec noſtra legerint, ac libero veritatis cognoſcendae ſtudio rationum, quae breui exponendae ſunt, momenta perpenderint. Ac primùm, ne ab hoc eodem Exodi loco diſcedamus, quis non intelliget vno, eodemque pondere, aurum, argentum, & aes expendi; cùm pari prorſus loquendi ratione eadem voce immutata כבר chicar, eiſdemque ſiclis aurum, & argentum, vt vidimus, computetur; eademque ratione aes quoque ad certum ſiclorum numerum reuocetur, vt in ſequentibus apparet? Ibidem enim, nullis interpoſitis verbis, haec habentur. *Aeris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia & quadringenti ſupra ſicli.* Sed & in libro Paralipomenon, aurum, argentum, aes, atque inſuper ferrum eadem voce כבר chicar computantur. ſic enim habetur. *Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos* Hebraicè אדרכונים adarconim Medi nummi genus fuiſſe exiſtimat Arias Montanus *decem millia: argenti talenta decem millia: & aeris talenta decem & octo millia: ferri quoque decem millia talentorum.* Quorum ſimilia exempla paſſim reperies in ſacris. Ex quibus colliges, figmenta eſſe vana, quae comminiſcitur Grſepſius de talentis aureis, argenteis, aereis numiſmaticis, ſacris, profanis, publicis, maioribus, minoribus, Regijs, decimis, duodecimis, centeſimis, milleſimis, atque alijs ſexcentis huiuſmodi monſtris, atque portentis. Nam quamuis Hebraica vox chicar nulla alia, Graeca, aut Latina aptiùs reddi poſſit, quàm talenti, tamen non propterea verum eſt,

℣. 25. *℣. 26.* *℣. 27.* *℣. 28.*

DVPLEX talentum non reperitur in ſacris litteris.

IDEM EST auri, argenti & aeris talentum.

℣. 29. *1. Paral. 29. ℣. 7.*

FERRVM quoque eodem talento, ac ſiclo ponderatur. *Arias Montanus in apparatu biblic. lib. de menſu.*

MVLTIPLEX talentum figmentum eſt.

immo neque verisimile, omnes talenti notiones, aut diuersarum in Graecia gentium mores in Hebraeorum rempublicam admissos fuisse: illae enim proprium, & ad arbitrium formatum pondus, aut drachmarum numerum sibi talentum assumebant; Hebraei verò perpetuum, & à Deo ipso statutum pondus chicar vocabant. Et quamuis verum sit, Hebraici sermonis interpretes vocem chicar in talentum conuertisse, nusquam tamen, quod sciam, talenti mentio fit in Hebraicis libris. Verùm haec vna ratio facilè suadere poterit, vnum, idemque chicar perpetuò mansisse apud Hebraeos; quod hoc vnum in ipsa lege habetur expressum: totque, ac tam firmis Diuinae legis iuribus inhibetur pondera immutare, vel duplicia habere, sicut in huius libri exordio vidimus.

GRAECORUM diuersa talenta ad Hebraeos non pertinent.

MVLTIPLEX pondus, aut mensura inhibetur.

B

Neque contendat quisquam, ad mysticos sensus eiusmodi leges referendas esse, non ad pondera, vel mensuras; aequitatemque praecipi in agendis rebus omnibus, non in ponderibus: nam etiamsi leges eiusmodi aequitatem praecipiant in vniuersum; quis tamen negabit in ipsis quoque ponderibus, ac mensuris aequitatem praecipi, quorum exemplo & in omnibus alijs rebus seruanda sit? Et quamuis nihil Legislatoris lex, ponderum vel mensurarum aequitatem curaret iniungere, sed eorum nomine, & exemplo iustitiae, atque aequitatis virtutem suadere; quis non videat, carnalem illum populum, qui vix quidquam, praeter nuda legis, atque egena elementa, percipiebat, de ponderibus, C mensuris, stateris, ac similibus, quae verbis ipsis exprimuntur, ea intellexisse? Quod si hoc ita est, vt verè est, nemo non videt, infirmam esse rationem illam, qua multiplex talentum potissimùm innititur, Graecorum videlicet exemplo ea probari; cum contra se res habeat, ac firmum hac ratione fieri possit argumentum: multiplex fuit apud Graecos talentum, ergo à talento multiplici abstinuerunt Hebraei, qui à peregrinis gentium legibus maximè abstinebant. Sed hi omnes, qui eiusmodi similitudinis argumentum probant, audiant Philonem Hebraeum:

GRAECORUM exemplo multiplex talentum non probatur, sed improbatur.

Philo lib. 2. de vita Mosis.

Sola, inquit, nostra lex firma, immobilis, inconcussa, tanquam obsignata naturae signaculis, manet, ex quo scripta est in hodiernum vsque; D & spes est mansuram per omnia saecula immortalem, donec Sol, Luna, caelum, totusque mundus manebit. gens enim haec multas experta fortunae vicissitudines, tamen, ne minimum quidem mandatum passa est obsolescere &c. Et subdit: Res certè non caret miraculo, per tot saecula mansisse leges easdem incolumes. Tandem mores aliarum gentium, Graecorum praesertim, ab his longè diuersos fuisse his verbis ostendit: In tota Graecia, totaque Barbaria nulla ciuitas habet leges communes cum quapiam alia: immo vix inuenias vllam eisdem semper vsam, in tot mutationibus rerum, & temporum. Athenienses Laconicas leges aspernantur; Atticas Lacedaemonij. Inter Barbaros Aegyptij non vtuntur Scytharum legibus, nec Scythicae gentes institutis Aegyptiorum: & in vniuersum Europaei suas leges habent; suas item Asiatici populi. ab Oriente vsque ad Occidentem omnes regiones, gentes, ciuitates abhorrent ab externis ritibus: putantque tanto plus honoris suis accedere, quanto magis alienos procul arcuerint. Haec ille. quibus nescio quae coniectura opponi possit, quae probet obsignata Diuina lege talenta, aut pondera ab Hebraeis immutata, vt alienis, Graecis maximè, adhaerescerent. Nullum tamen aliud talentum in sacris reperiri, vel ex eo fit manifestum, quod illi omnes, qui tantopere conati sunt plures siclos, pluraue talenta inducere, nullum sacrae Scripturae testimonium pro se afferant. At afferunt, inquis, Iosephum magnae auctoritatis virum, qui de candelabro à Moyse facto, cuius omne pondus talentum fuisse testatur liber Exodi, praecipiente in hunc modum Domino: *Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi.* Iosephus verò hoc idem candelabrum referens, fuisse ait pondo minarum centum. Hoc pondus, subdit, Hebraei Chincares, Graeci talentum sua lingua nominant. Haec ille. Alibi verò idem Iosephus, vt vidimus, minae tribuit duas libras, & semissem, vncias nimirum triginta, siclos sexaginta, in quo maximè cum Ezechiele concordat. Sentit igitur Iosephus, talenti pondus siclis constitisse sex millibus, non autem tribus. Verùm, etiamsi Iosephus id sentiret, quod numquam sensit, quis sibi persuadeat, Moysem in eodem libro Exodi, de eodem tabernaculo loquentem, aequiuocè locutum, ita vt, cum donaria percenset, talentum computet siclorum trium millium; cùm verò candelabri pondus, talentum sex millium? quod si hoc verisimile non est, neque credendum est, Iosephum hac in parte tam C manifesto errore prolapsum: hos potiùs talentorum inuentores deceptos fuisse crediderim, qui minimè perpendunt, apud Iosephum minam potiùs aliam atque aliam fuisse, vt vidimus, talentum non item. atque adeo, cùm chincares minarum fuisse centum testatur, minam intelligent significare voluisse siclorum triginta, drachmarum centum viginti, potiùs quàm talentum à sacra Scriptura longè diuersum proponere.

Exod. 25. ℣. 39.

Ioseph. 3. antiq. cap. 7.

Ioseph. 14. antiq. cap. 12.

IOSEPHVS diuersum talentum non retulit, sed diuersam minam.

Et planè, vt verum fatear, si haec Iosephi coniectura ad infirmandum talenti pondus sufficiens, ac vera non est, saltem verisimilis est: illa verò, quae plurimos mouit, ab omni est specie veritatis aliena, ex Eupolemo desumpta, huiusmodi. Ingens talentorum numerus, inquiunt, qui in libris Paralipomenon legitur, si ad nostros aureos referatur, immensum crescet, vix vt credi possit, ac ne vix quidem, vt ex tantulo regno Dauid tantum auri, & argenti per totam vitam collegerit. Quare probanda illis videtur Eupolemi sententia, qui, cum de templi structura, atque expensis in eo factis loqueretur, addit: Talentum dico, quod siclum appellant. Quae quidem ratio, si quemquam moueat, viam facilem aperiet ad pleraque sacrae Scripturae loca vel infirmanda, vel aliter quàm decet interpretanda. nam si quisquam proprio metiatur arbitrio, quid credibile videatur, aut secus, facilè postmodum rationes huic similes inueniet, quibus vel probet, quae magis, vel improbet, quae minus credibilia sibi videbuntur, etiam si vera non sint. E At longè aliter nobis in rebus sacris procedendum esse videtur, nimirum vt ea, quae planè indicant, & cum alijs sacrae Scripturae locis concordant, maximè credibilia esse videantur. atque ita facilè, quae ab illis obijciuntur, solui possunt argumenta. Et cùm haec vera sint, hoc maximè loco, de praeparatis à Dauide domus expensis locum habent aptissimum: nam si quae, cum in sacris litte-

TALENTVM sicli loco accipi probant nonnulli, sed falsò.

NON QVAE nobis credibilia videntur attendere decet in sacris litteris, sed quae ipsae litterae indicant maximè habenda credibilia.

litteris, tum in profanis de templi huius structura, magnificentia, vasis, expensis operis, alijsque dicuntur, attente perpendantur, & inuicem conferantur, facilè intelligetur, eam talentorum multitudinem necessariam ita esse, vt vix vlla minor sufficere potuisset. Quae ratio quantum ponderis, ac momenti habitura sit, tunc maximè lectori constabit, cùm singula, quae modò percensuimus, in hoc nostro apparatu legere, atque examinare licuerit. Interim tamen ipsam Eupolemi historiam examinemus; atque hanc eius interpretationem, quam apta sit ad locum illum Paralipomenon explicandum, perpendamus. Atque illud in primis, quod ipse Eupolemus testatur, nimirum habuisse Salomonem artificum in construendo templo, Aegyptiorum octuaginta millia, Phoenicum totidem; & quando misit eos in regiones suas, denos auri siclos singulis datos fuisse narrat: nam dena talenta falsò illi ascripsit interpres, id quod quamplurimos à recta veritatis via reuocauit. Sed hunc locum integritati iuxta Graecos codices restitutum infrà attexemus: Erit igitur hic exterorum numerus centum sexaginta millium. quod si singulis modo computes datos fuisse denos siclos, atque adeo totum illum numerum in denarium ducas, fient expensi, hoc tantum dono operis dato, decies sexies centena siclorum aureorum millia. At in sacris litteris, vt videbimus, Gabaonitarum, siue Nathineorum computantur centum quinquaginta millia. Israelitarum triginta millia. Si igitur his operis tantumdem dedit, neque enim verisimile apparet, eos, qui fuerunt in laboribus pares, paribus caruisse muneribus, fiet vt, si omnia computentur, vt fit hic in margine, absoluto templi opere, factisque omnibus expensis, donauerit Salomon tricies quater centena siclorum millia. Cui ergo nunc fiet verisimile, Dauidem centena tantummodo eorundem siclorum millia templo legasse, cum ait se offerre centena talentorum aureorum millia? Haec verò summa, si iuxta Eupolemi dictum computetur, priori comparata, est eius pars trigesima quarta. At dices: mirum non est, Dauidem non omnes impensas praeparasse, sed earum partem aliquam: at ipse Dauid sic inquit: *Ecce ego in paupertate mea praeparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia* &c. quomodo ergo Rex, & Propheta, qui apprimè nouerat operis magnificentiam, leges, ac singula, quae data ab eo Salomoni fuisse testatur idem liber Paralipomenon, quomodo, inquam, hic Propheta impensas domus Domini vocet eam pecuniarum summam, quae vix sufficiat donandae operariorum trigesimae quartae parti, nedum ad omnes operarios tot annis alendos, & labori debitis muneribus cumulandos? Vnde ergo fient tot, ac tam magna vasa aurea, quae ad sexcenta sexaginta millia facta esse narrat Iosephus suo loco afferendus? quod si haec omnia stare non possunt cum tam exiguo siclorum aureorum numero, dicere non verebimur, credibile nimis esse, centena talentorum aureorum millia à Dauide legata Salomoni fuisse, quorum singula tria siclorum millia complectebantur. Neque cuiquam credibile, aut verisimile videbitur, siclos hic pro talentis accipiendos, nisi ei tantummodo, qui haec nec legerit, neque vnquam computauerit. Sed neque Eupolemus quidquam vel cogitauit, vel dixit, quod huic nouae sententiae faueat, vel illam tueatur: sic enim apud Eusebium Eupolemus, vt Graecè lego ἀπαντέμψαι δὲ τὸν σολομῶνα καὶ τοὺς ἀγυπτίους, καὶ τοὺς φοίνικας ἑκάστους εἰς τὴν ἑαν τῶν ἑκάστῳ χρυσοῦ σίκλου ὄντα δέκα τὸ δὲ τάλαντον εἶναι σίκλον: hoc est: remisisse autem, ait Eupolemus, Salomonem & Aegyptios, & Phoenices singulos in patriam suam, datis vnicuique decem auri siclis; siclus autem est talentum, vel, facta verborum transpositione, quae interpretes illos fefellit, talentum autem est siclus; eundemque vtroque modo sensum reddit. Sed attentiùs perpendendum videtur id, quod vel me tacente cuilibet in mentem venire potuisset, nimirum, quod Eupolemus Graecus, & Graecè scribens apprimè nouerat, talentum apud Graecos duplicem habere notionem, quam suprà vidimus: plerumque enim pondus aliquod indefinitè significat vel magnum, vel paruum; alias verò, & frequenter magis pro certo quodam vsurpatur, & determinato maximo pondere, siue drachmarum maximo numero. Et quando Eupolemus expensas templi computauit, mille ducenta triginta argentea talenta computando, ac nihil amplius addendo, significare voluisse videtur, ea fuisse frequentiora talenta, quaeque magis in omnium oculis, ac ore versabantur. At cum in altera significatione eandem vocem vsurpare voluit, subiunxit: siclus est talentum, hoc est Hebraicorum pondus. Et sanè nulla alia Graeca voce aptiùs notio ipsa vocis Hebraicae שקל secel exprimi potest, quàm Graeca talentum; id quod cuicumque legenti ea, quae de vtraque voce suis locis dicta à nobis sunt, maximè erit perspicuum. Ad argumentum illorum, qui diuitiarum copiam, auri, & argenti abundantiam ita putant proportione magnitudinis respondere, vt non possint opes exiguae in latum ditionis campum diffundi, aut maxima auri, & argenti copia exiguo solo contineri, tunc respondebimus, cum de opibus templi, atque adeo Salomonici Regni magnitudine singillatim differemus. Interim tamen magnam videntur Romano imperio irrogare iniuriam; quia, cum illud esset per totum penè terrarum orbem longè, lateque diffusum, non erubuit *metalla argenti, & auri*, quae in Hispania tunc erant, inuestigare, Regno nimirum huius comparatione nimis exiguo, in quo vix modo reperiuntur exigua quaedam illorum metallorum vestigia: ea namque ipsi Hispani apud Indos inquirunt. Fundamenta verò Grsepsij, quibus numismaticum quoddam talentum se effingere fatetur, contra omnium Scriptorum, etiam Rabbinorum sententiam, quam sint infirma, nemo non videt: omnes enim nullo alio nituntur fundamento, quàm Iosephi mendis, quibus liber ille scatet: in numeris verò potissimùm qui notis olim scribebantur, ipsis nimirum exiguis litterulis, quae vetustate vel omnino, vel aliqua ex parte corrosae, aliae alias facillimè referunt: quapropter vna eademque supra à nobis allata ratione his omnibus respondebimus: Iosephi codicem mendosum esse, quoties à sacris litteris discrepat. Cuius rei non leue argumentum est, Iosephum referre, à Regina Saba, quàm ipse Aegypti vocat, viginti talenta auri allata fuisse, cùm in libris Regum, & Paralipomenon centum viginti legamus. quapropter in codice Iosephi Graeco scribendam censeo ante litteram

MINOR TALENTORUM NUMERUS CUM TEMPLI MAGNIFICENTIA, & EXPENSIS NON CONCORDAT.

Eupolemus apud Euseb. lib. 9. praeparat. cap. 4.

DENI SICLI singulis è centum sexaginta operariorum millibus dati.

80000
80000
160000
10
1600000
150000
30000
180000
10
1800000
1600000
3400000

QVANTVM donauerit Salomon operarijs templi, operibus absolutis. *1. Paral. 22. ℣. 14.*

Ibidem.

NVLLA RATIONE STARE POTEST, VT À DAVIDE PROPHETA CENTUM SICLORUM AUREORUM MILLIA TEMPLO DICANTUR EXPENSAE.

NON PVTAUIT EUPOLEMUS ALIO LOCO SICLUM TALENTUM DICI, NISI EO SOLUM, QUEM RETULI.

Sup. cap. 19. huius.

QVANDO SICLUS DICATUR TALENTUM.

1. Machab. 8. ℣. 3.

IOSEPHI MENDIS NUMISMATICUM NITITUR TALENTUM.

IOSEPHI CODICES MENDIS SCATENT. *Ioseph. 8. antiq. cap. 2. 3. Reg. 10. ℣. 10. 2. Paral. 3. ℣. 10.*

IOSEPHVS CASTIGATUS.

ram κ, quae viginti significat, litteram ϱ, quae denotat centum; minorem enim hac summa-
3. Reg. 6. ℣. 10. sacer historicus non vocaret *aurum infinitum-nimis*. Ad illud verò argumentum, quod ex eodem Iosepho desumitur, facilè respondebimus: Dauidem legasse templo *centum millia talenta auri; argenti verò mille millia talentorum*,
1 Paral. 22, ℣. 14. vt habent historiae sacrae: cum his verò non videtur concordare Iosephus, qui decuplo minores numeros scribere videtur, tam in Latinis, quàm in Graecis exemplaribus, etiam Vaticanis antiquioribus, in quibus omnibus numeri hi, non notis, vt olim, sed vocibus scripti
IOSEPHVS iterum restitutus. sunt, quas notarum vice substitutas fuisse à librario non dubitamus. Igitur locus integritati restitutus, vt cùm sacra historia concordet, sic habuit χρυσοῦ μὲν τάλαντα σημειλεγμένα μ δ'. δὲ ἀργυρίου μμ ταλάντων. nam haec verba sic legenda erant: μυρίας δ'ἑκα, & μυρίας μυριάδας, cum librarius deceptus legerit, μυρίας, factaque ibi distinctione subiunxerit δ'ἑκα δὲ ἀργυρίου μυριάδας, quae lectio maximam praebuit errandi occasionem Grsepsio, cum id omne, quod astruit, cum Iosepho pugnet, qui eodem loco, paulò inferiùs oblationem principum populi referens, eadem prorsus verba retulit in Graecis codicibus, quae habentur in libro Paralipomenon, quamuis mendum sit in Latinis, qui sic habent: Promiserunt enim se contributuros talentorum auri quinque-millia, & stateres decies mille; argenti vero centum-millia. In Graeco ἀργυρίου δὲ μυρία τάλαντα argyriu de myria talanta, hoc est argenti verò decem mil-
1. Paral. 23. ℣. 6. & 7. lia talenta. Quae in sacro textu sic habentur. *Pollicti sunt autem principes familiarum, & proceres tribuum Israel &c. auri talenta quinque-millia, & solidos decem millia: argenti talenta-decem millia-*.

Cùm igitur non sit verisimile diuersa talenta commemorasse eodem capite Iosephum, dicendum est, illum eadem retulisse, quae habentur in sacris; quamobrem, aut hoc, aut superiori loco error est, cùm ipse secum non concordet: dicamus ergo, eum hic vera scribere, vbi sacris litteris consonat; ibi mendosum esse, vt-
ADARCHOnim siclo, tertia saltem huius parte minus est. pote sacris litteris, ac sibiipsi contrarium. In eo tantummodo hoc loco aberrauit, quod vocem אדרכונים adarchonim, quae habetur in Hebraeo, quamque nos supra interpretati sumus, & Vulgatus optimè vertit solidos, ipse in stateres vertit, quod stare nullatenus potest: hoc enim nummi genus minus oportet esse stateris tertia parte; siquidem decem millia adarchonim talentum vnum non complent: alias enim hoc vnum talentum annumeraretur.

VERA Talenti computatio. Sed cùm iam tandem ab huiusmodi disputationibus abstinendum sit, quid liquido ex dictis de talento constet, hic subijciendum videtur. Est igitur talentum Hebraeis vnum perpetuò asseruatum habens tria siclorum millia, nimirum vncias Romanas mille quingentas, quae in vncias quin-
TALENTVM 3000 Sicli. 1500 Vnciae. 100 Minae. 12000 Drachmae. 120 Minae Atticae. 125 Librae. decim diuisae efficiunt minas centum, quot nimirum talento à Iosepho tribuuntur. At si praedictae sesquimillesimae vnciae in octonas ducantur drachmas; vel si ter milleni sicli in quaternas drachmas diuidantur, obuenient talento drachmarum duodecim millia, quas si in centenas Atticae minae, quam suprà retulimus, drachmas diuidamus, inueniemus habere talentum huiusmodi minas centum viginti, quot nimirum eidem tribuuntur à Vitruuio, qui testudinem retulit ab Agetore Byzantio factam, habentem pondus talentum quattuor millium, quod fit CCCCLXXX. pondo. Philander notat in aliquibus codicibus addi ante pondo, millia; sed in melioribus superaddita est, inquit, notis illis lineola quaedam, idem denotans, nimirum quattuor millia talenta, quadringentis octuaginta millibus pondo exaequari. Si igitur vtrumque numerum consuetis notis scribas, vt in margine, ablatis paribus à dextris ex vtroque notis, fit, vt quaternis talentis quadringenta octuaginta pondo contineantur; atque adeo, si vterque numerus in quaternarium diuidatur, comperiemus, vnicuique talento centum viginti pondo, siue centenarias minas respondere. Quod si supradictas millenas quingentenas talenti vncias in duodenas librae Romanae vncias partiaris, erunt vtique in talento Romanae librae centum vigintiquinque. Huiusmodi verò talenti meminit etiam Suidas, tantumdem affir-
Vitruu. l. 10 cap. 21.
Philander ibidem.
4 | 000
480 | 000
120
Suidas.
Hesychius Epiph. lib. de mensur.
mans apud quasdam gentes continere, his verbis, τὸ τάλαντον παρὰ τισὶν ἔχει λίτρας. ϱκε. hoc est, talentum apud quosdam habet libras centum viginti quinque. Idemque affirmant ab Hesychio referri. Epiphanius verò disertis verbis haec omnia, quae diximus, confirmat, dum sic scribit: Talentum omnem mensuram, quae ponderatur, excedit; verum iuxta librae pondus, est librarum centum viginti quinque. Et post pauca subdit: Porro ex partibus centum viginti quinque talenti est libra vna; libra autem est duodecim vnciarum; Vncia habet stateres duos; stater dimidium est vnciae, habet autem duo didrachma. Haec Sancti Epiphanij sunt verba. ex quibus liquido
TALENTVM aut mina numquam signabatur. constat, à vero aberrare eos, qui talentum putant, aut minam esse genus aliquod percussae-monetae; cùm tam magna metalli quantitas signari numquam solcat, quin potiùs, vt bene notat Arias Montanus, argenti siclis numeratis talentum exsolucbatur. Idemque de mina certo
TALENTA duo ab vno portari non possunt. 4. Reg. 5. ℣. 23. Hebraeorum pondere iudicandum censeo: quod perspicuum fit, siquidem ligatur in saccis. Magnumque argenti pondus talentum fuisse probatur ex eo, quòd duplex ab vno portari non poterat: *Ligauit enim* inquit historia Regum de Naaman *duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris*, Chaldaicè adolescentibus, *suis, qui & portauerunt coram eo*.

2. Reg. 12. ℣. 30. Sed adhuc vnus superest eruendus non leuis scrupulus: quia hoc talenti pondus stare non posse videtur cum historia Regum, quae
CORONA aurea talentum pendens. sic habet. *Et tulit diadema Regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput Dauid.* Quis enim, ne breui quidem tempore, pro capitis ornamento coronam admittat, quae centum viginti quinque libras Romanas pendat, pondus vtique, quod vix quisquam, nisi viribus potens, manibus à terra eleuare queat, nedum, vt dixi, portare. quomodo ergo Ammoniarum Rex eam gestabat in capite; aut quomodo postmodum Dauid eam potuit sustinere? Cui vtrique dubio satisfacit liber Paralipomenon; eadem sic referens: *Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius*: relinquens enim eandem Hebraicam vocem, quae vtrobique habetur מלכם melchom nomen fuisse idoli significat, cuius meminit liber Regum. *Tunc*, inquit, *aedificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab in-*
1. Paral. 20. ℣. 2.
3. Reg. 11. ℣. 7.
mon-

monte, qui est contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon, quod quidem idoli nomen Latinè conuersum fuit in citato libro Regum, dum scribitur *Regis eorum*. Hoc autem idolum Forstero Saturnus putatur, ac si dicas Rex, seu Deus Regius, seu astrum Regium, quod maximè terrarum orbi dominatur. Huic verò idolo, quod alio nomine Moloch dicebatur, eratque ingens aerea statua, tam grandis, vt, dum candesceret, manibus immolatum puerum sustineret. atque adeo mirandum non est, immo verò historiae veritati maximè condecens, auream huius statuae coronam, & magnam fuisse, & talentum pependisse. quomodo ergo, tunc dices, impositum fuisse dicitur hoc diadema capiti Dauidis? huic dubio respondet ipsemet locus Paralipomenon, subdens: *fecitque inde sibi diadema*. Neque enim tantummodo propter magnitudinem niniam coronae, sed multo magis, quoniam indecens esset, atque indecorum, coronam ipsam idoli capiti Regis, quod oleo sancto fuerat inunctum, imponi, nisi priùs per ignem purgata, amissaque priori forma, in aliam transformaretur. Quod vel ex ijs maximè perspicuum erit, quae de peccato Achan suprà disseruimus. Neque verò omne illud auri pondus, quod erat in priori corona, in hanc secundam conferebatur, sed illa tantummodo eius pars, quae sufficiens videretur. Maneat igitur hoc firmum, omnibus sacrae Scripturae locis talentum vnum librarum centum viginti quinque congruere, nulli repugnare. quibus stantibus, facilè omnia Hebraeorum numismata, & pondera ad quaeuis alia reuocabuntur, si tamen priùs proportio auri ad argentum in ipsis sacris litteris inuestigetur.

Ioan. Forsterus in dictionar.

IDOLO illa corona aurea imponebatur:

EX AVREA corona aliam sibi fecit Dauid: non enim decebat Regem sanctum idoli coronam gestare.

Supra cap. 33. huius.

QVAM PROPORTIONEM HABVERIT OLIM *aurum ad argentum.* *Cap. XXXIV.*

AVRVM metallorum optimum apud omnes nationes, omnium etiam maximè aestimatur. Cùm enim tria sint, quae metallorum aestimationem, ac pretia augere soleant, nimirum metalli bonitas, raritas, commoda, auri quidem prae caeteris bonitatem indicat soliditas, pondus, duratio, color. Est autem ita solidum aurum, vt propterea putent nonnulli incorruptibile esse, quod minus sit porosum, eiusque partes magis sint inter sese permistione coagmentatae. Pondus verò eius, vel ex eo, quod suprà ostendimus, liquido constare poterit, siquidem aequales assumptae auri, & reliquorum metallorum portiones, aurea quidem plusquam dupla ponderis proportione quamlibet aliam (vtroque argento & plumbo excepto) superat; vt in tabula de hac re videre quilibet poterit. Quod verò ad eius naturae praestantiam, & durationem spectat, vel ex eo maximè percipi potest, quod igne liquescit, & fundi potest: verùm tantùm abest, vt consumi possit, vt vnum ex omnibus metallis nihil de propria magnitudine, aut pondere in igne deperdat; sed quo saepiùs etiam in magno, quem vocant, catino arserit, & apparuerit ignis colore simillimum, eo fiat melius, & praestantius. Acribus item, quae maximè alia metalla consumunt, nihil aurum consumitur, nec quidquam de proprio colore deperdit. Est etiam purissimum, quod nulla inficitur, aut commaculatur rubigine; neque ipsum manibus attritum, siue etiam super panno, aut aliqua alia pura materia ductum, & reductum eam facilè inficit, aut vllum sui vestigium relinquit, id quod experientia quotidiana demonstrat. Quapropter & apud omnes nationes, omnibus perpetuò seculis magno fuit in honore habitum aurum. Accedit huc etiam, quod propter vtilitates, quas vsui affert humano, aestimatur maximi: siquidem, quamuis magis vniuersales, latioresque fructus ferrum pariat Reipublicae, certè nullos habet aureis iucundiores: eximium enim naturae hominum ornamentum est aurum, haud dissimile ei, quod hoc vniuersum à lumine recipit. Et tandem, quamuis vbique sit rarum, habet hoc insuper, quod subtilioribus terrae venis, ac breuioribus admiscetur. Quapropter quaelibet auri portio non solùm prae alijs metallis fuit in pretio, sed etiam prae ipso argento, quod primas ceterorum tulit. Non tamen semper, neque apud omnes eadem fuit excessus proportio inter haec duo nobilissima metalla: nam Graeci vnam auri partem decem paribus argenti aestimabant, vt auctor Pollux, qui ad Commodum Caesarem scribens: Aurum, inquit, quod argenti decuplum sit, liquido quis discere potest ex Menandri decreto. Sed Plato duodecuplam fuisse auri ad argentum proportionem probat, dum Socratem inducit cum Hipparcho his verbis differentem: Enimuero hoc insuper interrogabo, si quis dimidiam auri libram erogans, duplum reportet argenti, lucrum, an damnum sit? cui respondet Hipparchus: Damnum profecto, o Socrates: nam pro duodecuplo duplum solummodo capit. Hanc verò proportionem non minùs, quam ipsius auri, & argenti vsum Hebraeis acceptam referendam esse à Graecis, non modò illorum auctoritas, & horum aemulationis studium verùm multo magis ipsae sacrae litterae Platone antiquiores suadere videntur. Nam in libris Regum celebris illa historia refertur emptae areae ad aedificandum in ea templum, necnon liberalem Araunae oblationem, cuius explicatio proportionem, quam inquirimus, nobis ob oculos ponet. Gratuitam igitur oblationem areae, boum, & plaustri non admittens Dauid dixit: *Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta*. Liranus hunc locum interpretatur his verbis: Littera haec sic debet punctari. *Emit ergo Dauid aream*. & tacetur hic praedium, quod in Paralipomenon exprimitur sexcentorum auri siclorum: & sequitur: *& boues argenti siclis quinquaginta*. Scilicet pro bobus tantùm. Haec ille. In libro autem Paralipomenon sic habetur.

AVRI COMmendatio.

Supra lib. 1. huius part. cap. 5. propositione, 16.

AVRI COMmoda.

Iul. Pollux. ad Com. Caesarem. Plato in Socrate.

2. Reg. 24. V. 24.

Nicol. de Lira ibid.

QVANTI aestimata fuerit area templi.

1. Paral. 21. ℣. 24. & 25. tur: *Dixitque ei Rex Dauid: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Dedit ergo Dauid Hornam pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.* His verò locis quae videtur inesse contrarietas, ita auferenda videtur Grecsio, vt nouum, more suo, confingat siclum duodecuplo minorem Sanctuarij tetradrachmo siclo. Verùm ille interpretandi modus ab omnibus reijcitur, & meritò: admitteret enim in sacra Scriptura plures, & inexplicabiles aequiuocationes, confusionem non modicam in animos inducentes legentium.

SVB DVO- decuplus siclus non est admittendus.

Nam quis, praeter alia, distinguere posset, num quinquaginta sint Sanctuarij sicli, quos in duodecupla ponderis proportione excedant sexcenti; vel an sexcenti sint Sanctuarij sicli, quorum partem duodecimam referant sicli quinquaginta; cùm nulla possit huius potior assignari ratio, quam alterius? Igitur donec aliquam afferat vel probabilem coniecturam, hanc abijciamus vt falsam. Est autem alius dicendi modus, quem ex Rabbinorum sententia, vna cùm Lirani, quàm attulimus, interpretatione retulit Glosa; nimirum aream altari exstruendo emptam siclis quinquaginta; reliquum verò vniuerso templo exaedificando spatium siclis aureis sexcentis. Priorem Lirani interpunctionem non admittunt Hebraea, quae ad verbum sic conuertuntur ex Chaldaeo, & Graeco: Emit Dauid locum arearum & boues argenti siclis quinquaginta. Non ergo altaris tantùm aream emptam fuisse dicunt, cùm omnia simul siclis quinquaginta coempta fuisse dicantur. Alterum verò interpretationem repellere voluisse videtur Chaldaeus, locum arearum coemptum dicens, ne forsan putaretur vna primùm area empta, & aliae postmodum, quod merum redolet effugium. Sed multo magis hanc improbat sententiam, quod eisdem Paralipomenon libris habetur: *Et coepit Salomon aedificare domum Domini in Hierusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid, in area Hornam Iebusaei.* Ecce in area Hornam totum templum aedificatur, quae tunc empta fuit, cum ei locus ab Angelo demonstratus est: vbi est alia area ab hac priori diuersa? sanè aream altaris ab area totius templi ita distinguere, vt diuersis temporibus, ac pretijs emerentur, nullus admittet, qui templi ipsius, & altaris constitutionem in descriptionibus, quas apponimus, attentiùs perspexerit. Tandem Rabbi Dauid Chimchi putat, sexcentos siclos auri datos pro area, quos duodecim tribus ex aequo soluerunt; in libro autem Regum quinquaginta referri, quantum videlicet vnaquaeque tribus expendit: sed conficta videtur eiusmodi interpretatio, atque violenta. Dicamus ergo, aream vniuerso templo aedificando quàm aptam, totum nimirum à radicibus montem Moria, boues, plaustrum, & iuga boum semel omnia simul coempta fuisse pretio quinquaginta siclorum auri in auro, vt Romano more loquar, qui duodecupla proportione multiplicati sexcentos argenteos siclos efficiunt. Neque obstat locus Regum, qui affirmare videtur siclos quinquaginta argenteos fuisse; cum perpendenda sit Hebraica phrasis, quae sic habet. בכסף שקלים המשים baceseph schelim hamisim. in argento siclis quinquaginta, licet ad verbum vertere:

Glosa super Paralip. Arias Mont. lib. de mens.

INTERPRETATIONEM Lirani non admittunt Hebraei textus.

2. Paral. 3. ℣. 1.

VNIVERSI templi area quinquaginta aureis siclis empta fuit, qui sexcentis argenteis aestimatione sunt pares.

A cademque ratione Septuaginta interpretes, & Chaldaeus paraphrastes hunc locum conuertunt. Argentum verò, vt vidimus, atque vt bene notauit Abulensis, pro quolibet metallo, moneta, aut pretio sumitur; quasi diceret: emit pretio quinquaginta siclorum, atque eodem modo in libro quoque Paralipomenon eadem vox intelligenda est: alias enim maxima esset in verbis oppositio. Qua enim ratione stare poterit, vt dicat Dauid: argentum dabo quantum valet. Hebraicè בכסף מלא beceseph male. in argento pleno. Septuaginta: Emam argento digno. Rem expressit Vulgatus, *quantum valet*: quomodo inquam haec promissio argenti concordat cum eo, quod sequitur, nimirum dedisse siclos auri, nisi priori loco argentum pro pretio vsurpetur, quocumque sit metallo expensum? Reliqua verò pars loci Paralipomenon tunc perspicua erit, cum vox משקל mischal perspicua, erit; ea autem à verbo שקל schal deducitur, quod, vt alias diximus, ponderare, seu numerare significat: indeque deducta est vox שקל schel, quam ponderatorem, seu numeratorem vertere licet, vno verbo siclum: quod, cum sit primum, & commune omnium rerum pretium, apte potest accipi pro communi aestimatione. Qua ratione intellexisse videtur Sanctus Euangelista Matthaeus locum Zachariae, qui sic habet וישקלו vaischechelu. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*: ipse verò sic vertit: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel. pretium appretiati* vocat id, quod dixerat: *Appenderunt mercedem meam*; tunc enim appretiatus fuit ab illis Christus Dominus, quando appenderunt, vel aestimauerunt quanti esset emendus à Iuda; nimirum quando, vt inquit idem Euangelista, *Constituerunt ei* Iudae *triginta argenteos*. Igitur locus Paralipomenon, vt ad institutum reuertamur, sic est intelligendus: *Dedit ergo Dauid Hornam pro loco* במקום bamacom, in loco. vtraque lectio vera est: In eodem namque loco soluit pro loco pecuniam: nimirum quoniam nec munera accipere voluit, nec solutionem differre: pari enim plerumque damno hoc & illud subditos afficit; nonnumquam etiam maiori. שקלי זהב schekli zachab. vtique siclos auri: quae lectio apud omnes manifesta est, & in Hebraeo maximè nota, cum vox שקל schele sit in statu, quod aiunt, regiminis. Quod superest interpretatione indiget, & difficultates omnes peperit משקל שש מאות mischal ses meoth, pondere sexcentorum, legit Regius codex, hoc est, qui sexcentis aestimabantur: id enim, vt dixi, significat pondus. Qua etiam ratione Romana phrasis, non minùs quàm Hispana diceret de argenteo etiam vase, pondere est decem aureorum, pesa dieci scudi d'oro; nimirum, quia tota eius materia decem aureis aestimaretur; sicut ex aduerso diceres, annulus hic pondere est scutorum monetae decem, pesa dieci scudi di moneta. nimirum, quia aurum, quo constat, decem argenteis scutis aestimatur. sic etiam in praesenti loco aureos siclos pependisse dicitur Dauid pondere sexcentorum, hoc est, quorum pondus sexcentis aestimabatur, vtique argenteis siclis, quorum vsus erat magis frequens, vt, quoniam aureorum siclorum rarò fit mentio, neque vllum signatum, aut viderimus, aut legerimus extitisse: cum contra & plures viderimus, & ha-

ARGENTVM absolute pro moneta, aut pretio vsurpatur. *Abul. quaest. vlt. 2. Reg.*

SICLVS pro communi aestimatione. *Zachar. 11. ℣. 12. Matth. 27. ℣. 9.*

Matth. 26. ℣. 16.

MVNERA à subditis accipere, & solutionem promissi pretij differre aequiparantur.

& habuerimus signatos argenteos siclos, hinc fit, vt quam summam aureis quinquaginta soluerat Dauid, non citra mysterium quinquagenarij remissionis numeri, eandem liber Paralipomenon, qui quoddam quasi historiae supplementum est, vt alias vidimus, eius summae pretium ad communem argentei sicli reuocando explicauerit. Ex dictis igitur liquidò constare videtur proportio auri ad argentum. Nam cum suprà ostensum pluribus à nobis sit, aureum, & argenteum siclum aequales pondere extitisse, iamque modo constet, quinquaginta aureos siclos sexcentis argenteis aestimatione pares fuisse, fit vt, si numerus sexcentorum in numerum quinquaginta diuidatur, in quotiente det duodenarium, indicantem aurum ad argentum duodecuplam habuisse proportionem; siue, quod idem est, singulos auri siclos duodecim argenteis pondere paribus aestimari. Quid verò hac nostra tempestate, in Hispania, vel in Italia obseruetur, id facilè appositis sequenti capite tabulis constare poterit; in ijs enim pretia definiuntur: Vnciae verbi gratia auri, & argenti, in singulis perfectionis gradibus, tum quae apud nos, tum etiam quae nunc Romae sunt in vsu. Quapropter, si pretium vnciae auri in pretium vnciae argenti diuidatur, facilè ostendet numerus quotiens, quam habeat aurum ad argentum proportionem: id quod non tantùm praestari poterit ita, vt ad singulos gradus auri, singuli ex aduerso argentei referantur, verùm etiam singuli auri gradus cum omnibus argenti gradibus poterunt comparari. quae res, & operae plurimum, & pretij non item huic nostro instituto posset afferre: quapropter eà praetermittenda à nobis erit.

DVODECVPLA auri ad argentum proportio ex sacris litteris probatur.

600 | 50 | 12

A

B

C

D

E

COLLATIO
ANTIQVORVM
PONDERVM, AC NVMISMATVM cum nostri temporis ponderibus, atque numismatis.
Cap. XXXV.

HOC capite non solùm totius huius libri epilogus continetur, sed eiusdem quasi finis, & fructus, cum omnis susceptа de ponderibus, ac numismatis disputatio eo potissimùm tendat, vt ea cùm nostris ponderibus, ac numismatis conferamus, quod est huius capitis institutum. Igitur, quod ad pondera, quae percensuimus, spectat, ea omnia, tum inter se, tum etiam cum nostris facilè conferri poterunt; siquidem antiquam Romanam vnciam Romae vsque ad nostra tempora perduraſſe probauimus, eandemque etiam in Hispania receptam, cuius octaua pars aequalis est Atticae drachmae, & huius vnciae dimidium Hebraeorum siclo par est; siclus autem, cum ab ipso mundi exordio inuentus fuerit, atque immutatus permanserit, vnciam hanc nostram mundo ipsi coaeuam dicere licuisset. Hinc fit, vt, quicumque velit Graeca pondera cum Romanis conferre, Romana ad vncias reuocet, Graeca ad drachmas: tunc enim, si drachmarum numerum per octonarium diuidat, Romanas habebit vncias, quas mox poterit cum Romanis libris conferre. Quod si Romana è contra pondera cum Graecis velit comparare, Romanum pondus ad vncias reuocet, eumque numerum in octonarium multiplicet, habebitque drachmarum numerum, quem postmodum ad minas, atque talenta poterit reuocare. Exemplis res est intellectu facillima. sit, verbi gratia, primùm numerus decem talentorum Atticorum ad libras Romanas reuocandus, multiplicetur numerus sex millium drachmarum, quas habet Atticum talentum, in denarium, fientque omnes denum talentorum drachmae sexagenae millenae, quae, si diuidantur per numerum octo, dant vncias septies mille quingentas, quas si per duodenarias rursum diuidas, habebis libras sexcentas viginti quinque, quas decem Atticis talentis aequales esse affirmabis. Eandemque viam in reliquis omnibus conferendis tenebis. Hebraea verò pondera facilius multo ad haec nostra reuocabuntur: Siclus enim dimidia pars est Romanae, Hispanaeque vnciae, idemque quadruplus drachmae Atticae. Sed, vt ad nostra pondera reuocentur, antiqua, necessarium est, nostra quoque perspecta haberi. cuius rei gratia breui quadam ratione ea quoque percensebimus. Et quod ad Romana pondera nostri temporis spectat, nihil amplius dicendum censeo, quàm quod libra, atque vncia cum partibus suis eadem nunc quoque in vsu est apud omnes mercatores, aurifices, Medicos, atque alios, immota perpetuò manens. Quapropter, quae suprà de Romanis antiquis ponderibus dicta sunt, hic quoque de nostrae aetatis ponderibus dicta esse credenda sunt.

VNCIA nostra mundo coaeua.

6000 | 10 — 60000 | 8 — 7500 | 625 | 12 | 1

ROMANA nostra pondera eadem sunt cum antiquis.

Hispana pondera aliquanto ab his sunt diuersa, quamuis vncia eadem hic atque illic perpetuò fuerit. Igitur à maximis exordium sumentes, ponderum maximum dicitur Quintal, centum Hispanas libras continens, quarum quaelibet sexdecim est vnciarum. Vocem autem hanc ab Hebraico chicar deductam probat vocum, & rei significatae similitudo: sicut enim chicar centenas quindecim vnciarum minas continebat, sic etiam quintal centenas, vt dixi, sexdecim vnciarum libras complectitur. Sed longè petita vocis similitudo videtur aliquibus, quibus similior est Latina centenarij vox. Verùm Hebraicae similem magis esse vocem quintal non est qui dubitet; praesertim cum varia earundem Hebraicarum vocum prolatio nonnihil faciat discriminis: nos enim antiquam gentis prolationem assequi nulla ratione possumus. cuius rei haud leue argumentum est, quod eandem vocem ככר chicar Graecorum more terminatam κιγχάρεις cinchares vertit Iosephus. chicar igitur in quintal facillimè commutatur. vnde etiam vox cantaro in Italia frequens deducitur.

HISPANA pondera.

QVINTAL, & cantaro ab Hebraea voce chicar deducuntur.

tur. Neque mirandum est, ab Hebraeo plura A idiomata voces accepisse, cum, illud omnium primum fuisse, suprà ostensum sit. Quintal diuiditur in quattuor partes, quas arrouas vocant, & continent singulae libras Hispanicas viginti quinque. Libra, vt dixi, sexdecim vnciarum est; selibra vnciarum octo: quod pondus apud aurifices, & argentarios dicitur marcho, de quo infra. Vncia librae est decima sexta pars, marchi octaua. Ea diuiditur in semuncias, quartas, octauas, quas absolutè nominant ochauas, subintelligentes vnciae. Haec verò ochaua drachmae Atticae aequalis est. vocis verò drachmae nullus est vsus, nisi apud Medicos. ochauam tandem in duas partes diuidunt, quas vocant adarames. Est autem adarame ochauae medietas, quartae B pars quarta, semiunciae octaua, vnciae decima sexta. Adarame in duas partes diuiditur. neque alias habent ponderum partitiones mercatores, aut scrutarij, aurifices, ac reliqui, quorum artificium circa auri, & argenti materiam vetsatur. Marchum, hoc est semissem Hispanicae librae, Romanae bessem, continentem vncias octo, alitet ad aurum expendendum diuidunt, aliter ad argentum. Auri namque marchum diuidunt in castellanos quinquaginta. olim nummi, nunc ponderis nomen est. Castellanum diuidunt in octo tomines, tominem in duodecim grana. Atque adeo marchus auri diuiditur in grana quattuor millia octingenta, C vt in margine apparet.

	Castellanos	Tomines	Grana.
Auri Marcus continet.	50	400	4800
Castellanus habet.		8	96
Tominus habet			12

Rursus argenti marchum. aureo pondere omnino aequalem diuidunt in vncias octo, vnciam in totidem octauas, octauam in grana septuaginta quinque. Qui numeri inuicem multiplicati, vt in margine, dant patem D granorum numerum argenteo, atque aureo marcho.

	Vncias	Octauas	grana
Argenti Marcus habet	8	64	4800
Vncia habet		8	600
Octaua habet			75

Et hoc est, quod ad omnia Hispana ponderа spectat.

Supereſt, vt de nostris numismatis nonnihil dicamus, ac primùm de Hispanis, de quibus, post alios, perspicue, ac breuiter noster Mariana tractauit, quem, si his pluta cupiat, lectot adire potetit; nobis enim ab antiquis omnino supersedendum duximus, ac de illis tantummodo nummis agendum, quae satis esse videbuntut ad metallorum pretia percipienda; necnon ad antiqua numismata, & pondera conferenda. Triplex nobis numismatum genus, aereum, argen E teum, aureum. Aes percussum, siue etiam argentum, cui pars quarta, aut quinta aeris admista est, nostris dicitur moneda de vellon. Haec verò aeris, & argenti permistio iamdiu apud nos cessauit: non enim argenti copia, & commertiorum multitudo permittit, vt ea ratione argentum admistione corrumpatur. Ex aere minima moneta dicitur blanca: duplex blanca constituit vnum marauedinum. Et quamuis nulla modo videatur moneta, quae aut dicatur, aut aestimetur marauedi, tamen quoniam vsitatissima haec vox est apud nostros, vtpote qua aurei, argentei, aereique nummi, diuersis tamen temporibus, & aestimationibus olim cuderentur, sit vt omnes summae, etiam quàmmaximae ad marauedinos, non modo communi vsu loquendi, verùm etiam in publicis instrumentis reuocentur. Quamobrem, & ad eam nos quoque nostras tabulas reuocabimus. Dum haec scriberem Romae sub exordio anni Iubilei, à viris fide dignis accepi, nunc denuò monetam cudi aeream apud nostros, quae nomine, & aestimatione sit marauedinus. Fit etiam ex dùobus marauedinis aerea moneta, quae dicitur ochauo, quod octaua sit pars minimae argenteae monetae, quae dicitur medio real. Alia eius dupla quattuor habens marauedinos, quae quarta pars est eiusdem minimae argenteae monetae. Fuerunt etiam aliquando ex infimo argento percussae aliae monetae, quae dicebantur quartillos, quoniam quarta pars erant argentei regalis, quae octo continebat marauedinos cum dimidio.

Ex argento minima moneta dicitur medio real, continet marauedinos septemdecim. huius dupla dicitur regalis, valetque marauedinos quattuor & triginta, pondere ferme Atticae drachmae: siquidem marchus, vnciae videlicet octo, in drachmas diuiduntur sexaginta quattuor; at ex argenti marcho signantur argentei regales sexaginta septem: atque adeo drachma regalem superat tribus sexagesimis quartis huius partibus. Ad argenteam monetam spectare videtur ducatus, vulgo ducado, qui aestimatur argenteis regalibus vndecim, & vno insuper marauedino; siue marauedinis trecentis septuaginta quinque. Et quamuis nullus modo sit nummus, vel argenteus, vel aureus, qui eius sit aestimationis, sed tantummodo vsurpetur ea vox, ad significandam praedictam argenteorum summam, tamen non dubitamus, eam summam ex pretio aurei nummi, quem percussit Rex Catholicus, desumptam vsque ad nostra tempora perdurasse. Nam quamuis ex auri marcho vnciarum octo au- AVREI Hispani. tei quinquaginta cuderentur, qui castellani dicebantur, quod Regum Castellae iussu cuderentur; atque eorum vsus Castellanis tantummodo esset frequens, tamen castellani nomine, ad significandum eius aurei pondus retento, nummorum vsus omnino perijt. Ferdinandus postmodum Rex Catholicus aureos excellenti bonitate cudi iussit ex singulis marchis, id est, octonis vncijs, aureos sexagenos quinos, quorum aestimatio tunc fuit marauedinorum quinque & septuaginta supra trecentos, hoc est, argenteorum regalium vndecim, & vnius matauedini, vnde desumpta forsan est praedicta ducati summa. Sed nunc tandem ex singulis octonis vncijs sexaginta octo aurei cuduntur, quos felicis recordationis Philippus Secundus Rex noster, quadringentis marauedinis aestimari praecepit; neque amplius eiusmodi lex immutata est. Ex his verò aureis non simplices modo cuduntur, sed & duplices, ac quadruplices quamplurimi: id enim exigit auri copia, vt facilius nummi cudantur, & commodius numerentur.

Quod verò ad auri aestimationem spectat, au- AVRI AE- ri bonitas, atque perfectio maximè attenditur. aestimatio.

Atque

PARTES Hispani ponderis, quod vocant quintal.

MARCHO continet vncias octo.

MINIMA Hispana argentea moneta est medio real.

AERE AE Hispaniarum monetae.

Marian. lib. de ponder. & mens. cap. 22.

Atque adeo auti bonitatem in viginti quattuor gradus diuidunt, quos vocant quilates, fortassis deducta voce à Gtaeco pondere κεράτιον ceratiom. Est verò quilate, non pondus, sed auri indicans puritatem : atque adeo in pondere illo, quod suprà castellanum vocari diximus , singulos quilates aestimarunt marauedinis viginti quattuor cum tribus quartis marauedini pattibus, qui numerus duodecies multiplicatus indicat, quanti aestimandus sit castellanus duodecim habens quilates , nimirum marauedinis ducentis nonaginta septem . Quanti autem aestimandus sit castellanus, vncia , vel marcus in reliquis perfectionis gradibus , sequens tabula indicabit , cuius haud infrequens etit in sequentibus vsus.

24 ½
12
9
48
24
297

HISPANA AVRI PRETIA IN SINGVLIS *perfectionis gradibus, quos vocant* Quilates.

Quilates.	Pretium Castellani marauedis	Pretium vnciae marauedis.	Pretium Marci marauedis.
12	297	1856 ¼	24850
13	321 ¼	2010 15/16	16087 ½
14	346 ½	2165 ⅝	17325
15	371 ¾	2320 7/16	18562 ½
16	396	2475	19800
17	420 ¼	2629 11/16	21037 ½
18	445 ½	2784 ¼	22275
19	470 ¾	2939 3/16	23512 ½
20	495	3093 ¾	24750
21	519 ¼	3248 7/16	25987 ½
22	544 ½	3403 ⅛	27225
23	569 ¾	3557 11/16	28462 ½
24	594	3712 ½	29700

HAVIVS verò tabulae fabtica ex dictis manifesta est : nam aestimatio castellani in singulis gradibus perspicua est , vt dixi ; & marcus quinquaginta complectitur castellanos : si igitur inuentum castellani pretium in quinquagenarium nu-

9	56 1/4	84 3/8	337 1/2	1350	141 [illegible]/21	147 [illegible]/10	589 67/100	1769 [illegible]/2500	2358 67/100	199 [illegible]/100	2395 [illegible]/25	53 21/100	159 [illegible]/10	212 [illegible]/10	2555 [illegible]/10
9 3/5	60	90	360	1440	150 506/621	157 115/621	628 [illegible]/625	1886 524/[illegible]	2515 154/125	212 557/625	2955 [illegible]/625	56 464/625	170 [illegible]/625	227 [illegible]/625	1725 [illegible]/621
10	6 1/2	93 3/4	375	1500	157 [illegible]/25	163 [illegible]	655 [illegible]	1965 [illegible]/25	2620 [illegible]	221 [illegible]	1661 [illegible]/100	59 [illegible]	177 [illegible]	236 [illegible]/100	2839 7/10
11 1/5	70	105	420	1680	176 [illegible]/621	183 [illegible]	733 [illegible]	2201 [illegible]/625	2935 144/621	248 [illegible]	2981 [illegible]/625	66 [illegible]/625	198 [illegible]/625	264 [illegible]/621	3179 [illegible]/121
12 4/5	80	120	480	1920	201 [illegible]/625	209 [illegible]	838 [illegible]	3515 [illegible]/121	3354 [illegible]	283 [illegible]	3406 [illegible]	75 444/625	227 [illegible]	302 [illegible]	3634 [illegible]
14 2/5	90	135	540	2160	226 [illegible]	235 [illegible]	943 [illegible]	2830 2/5	3773 242/625	319 [illegible]	3932 [illegible]/625	85 [illegible]	255 [illegible]	340 [illegible]	4088 [illegible]
16	100	150	600	2400	251 [illegible]/125	262 [illegible]/621	1048 [illegible]/321	3144 156/621	4193 116/621	354 [illegible]/625	4258 [illegible]/125	94 [illegible]/621	283 [illegible]/625	378 [illegible]/125	4542 [illegible]/625
20	125	187 1/2	750	3000	314 [illegible]/100	327 [illegible]/500	1310 57/100	3931 [illegible]/100	5241 14/25	443 [illegible]	5323 [illegible]	218 [illegible]	354 [illegible]/100	473 [illegible]/100	5678 [illegible]
30	187 1/2	281 1/4	1125	4500	471 [illegible]/100	491 [illegible]/100	1965 [illegible]	5896 [illegible]/100	7862 [illegible]	665 [illegible]	7985 [illegible]/100	177 [illegible]	532 [illegible]	709 [illegible]	8517 [illegible]
40	250	375	1500	6000	628 [illegible]/50	655 19/100	2620 [illegible]/10	7862 [illegible]/50	10482 97/100	887 [illegible]/100	10646 [illegible]/25	236 [illegible]/100	709 [illegible]/50	946 [illegible]	11356 [illegible]/20
50	312 1/2	468 3/4	1875	7500	786 [illegible]	818 [illegible]	3275 [illegible]/500	9827 [illegible]	13103 71/100	1109 [illegible]	13308 [illegible]	295 [illegible]	887 [illegible]	1182 [illegible]/500	14195 [illegible]
60	375	562 1/2	2250	9000	943 [illegible]	982 [illegible]	3931 [illegible]	21793 [illegible]	25724 [illegible]	1330 [illegible]	15970 [illegible]	354 [illegible]/100	1064 [illegible]	1419 [illegible]/100	17034 [illegible]
70	437 1/2	656 1/4	2625	10500	1100 [illegible]/100	1246 [illegible]/100	4586 [illegible]/50	13758 [illegible]/100	18345 [illegible]/100	1552 [illegible]	18631 [illegible]/100	414 [illegible]	1242 [illegible]	1656 [illegible]	19873 [illegible]/100
80	500	750	3000	12000	1257 24/[illegible]	1310 [illegible]	5241 12/25	15724 [illegible]/20	20965 97/100	1774 [illegible]	21293 [illegible]	473 [illegible]/100	1419 [illegible]/100	1892 [illegible]	22713 [illegible]/500
90	562 1/2	843 3/4	3375	13500	1415 [illegible]	1474 [illegible]/100	5896 [illegible]/100	17690 [illegible]	23586 69/100	1996 [illegible]/100	23955 [illegible]/100	532 [illegible]	1597 [illegible]/100	2129 [illegible]	25552 [illegible]/100
100	625	937 1/2	3750	15000	1572 [illegible]/25	1637 [illegible]/25	6551 [illegible]/20	19655 [illegible]/25	26207 41/100	2218 [illegible]/25	26616 [illegible]/10	591 [illegible]/100	2774 [illegible]/50	2365 [illegible]	28391 [illegible]/500
200	1250	1875	7500	30000	3144 [illegible]	3275 [illegible]/100	13103 [illegible]/100	39311 [illegible]	52414 65/100	4436 [illegible]	53233 [illegible]/500	1182 [illegible]/100	3548 [illegible]	4731 [illegible]/500	56782 [illegible]/500
300	18,5	2812 1/2	11250	45000	4717 [illegible]	4913 [illegible]/100	19655 [illegible]	58966 [illegible]	78622 6/25	6654 [illegible]/100	79850 [illegible]/100	1774 [illegible]	5323 [illegible]	7097 [illegible]	85174 [illegible]/50
400	2500	3750	15000	60000	6289 [illegible]/10	6551 [illegible]/20	26207 [illegible]/100	78622 [illegible]/25	104829 3/10	8872 [illegible]/10	106467 [illegible]/10	2365 [illegible]/20	7097 [illegible]/25	9463 [illegible]/10	113565 [illegible]/10
500	31.5	4687 1/2	18750	75000	7862 [illegible]/50	8189 [illegible]	32759 [illegible]/500	98277 4/5	131037 7/100	12090 19/50	133084 [illegible]/25	2957 [illegible]/500	8872 [illegible]	1829 [illegible]	141956 [illegible]/100
600	3750	5625	22500	90000	9434 [illegible]/500	9827 [illegible]	39311 [illegible]/25	117933 [illegible]/25	157244 12/25	13308 [illegible]	159701 [illegible]/500	3548 [illegible]/25	10646 [illegible]	14195 [illegible]	170348 [illegible]/100
700	4375	6562 1/2	26250	105000	11007 [illegible]/500	11465 [illegible]/50	45862 [illegible]/500	137588 [illegible]/25	183451 [illegible]/10	15526 [illegible]/500	186318 [illegible]/100	4140 [illegible]/100	12421 [illegible]/50	16561 [illegible]/100	198739 [illegible]/25
800	5000	7500	30000	120000	12579 [illegible]/25	13103 [illegible]/100	52414 [illegible]/100	157244 [illegible]/25	209659 51/100	17744 [illegible]	212935 [illegible]/25	4731 [illegible]/100	14195 [illegible]/25	18927 [illegible]	227130 [illegible]/25
900	6525	8437 1/2	33750	135000	14152 [illegible]/250	14741 [illegible]/100	58966 [illegible]/25	176900 [illegible]/25	235866 73/100	19962 [illegible]/25	239552 [illegible]/50	5323 [illegible]	15970 [illegible]	21293 [illegible]	255522 [illegible]/100
[illegible]000	6250	9375	37500	150000	15724 [illegible]/20	16379 [illegible]/100	65518 [illegible]/100	196555 [illegible]	262074 [illegible]/50	22180 1/4	266169 [illegible]/20	5914 [illegible]/500	17744 [illegible]	23659 [illegible]/500	283913 [illegible]/50
[illegible]000	12500	18750	75000	300000	31448 [illegible]/10	32759 [illegible]/500	131037 [illegible]/100	393111 [illegible]	524148 7/25	44361 51/100	532338 [illegible]/10	11829 [illegible]/50	35489 [illegible]	47318 [illegible]	567827 [illegible]/10
[illegible]000	18750	28125	112500	450000	47173 [illegible]/100	49138 [illegible]/10	196555 [illegible]	589666 [illegible]/100	786222 [illegible]/10	66542 9/10	798507 [illegible]/10	17744 [illegible]	53233 [illegible]	70978 [illegible]/100	851740 [illegible]/20
[illegible]000	25000	37500	150000	600000	61897 [illegible]/100	65518 [illegible]/500	262074 [illegible]/50	786222 [illegible]/10	1048296 14/25	88723 [illegible]/50	1064676 [illegible]/100	23659 [illegible]/100	70978 [illegible]/500	94637 [illegible]/25	1135654 [illegible]/5
[illegible]000	31250	46875	187500	750000	78622 [illegible]/25	81898 [illegible]/100	327592 [illegible]/100	982778 [illegible]/10	1310370 7/10	110903 77/100	1330845 [illegible]	29574 [illegible]/50	88723 [illegible]	118297 [illegible]	1419568 [illegible]
[illegible]000	37500	56250	225000	900000	94346 [illegible]/100	98277 [illegible]/5	393111 [illegible]/100	1179333 [illegible]/100	1572444 [illegible]/25	133084 [illegible]/25	1597014 [illegible]/100	35489 [illegible]/100	106467 [illegible]	141956 [illegible]/100	1703481 [illegible]/100
[illegible]000	43750	65625	262500	1050000	110071 [illegible]/10	114657 [illegible]/25	458629 [illegible]/10	1375889 [illegible]/500	1834518 [illegible]/50	155265 [illegible]/25	1863183 [illegible]/100	41404 [illegible]/100	124212 [illegible]	165616 [illegible]/10	1987395 [illegible]
[illegible]000	50000	75000	300000	1200000	125095 [illegible]/100	131037 [illegible]/100	524148 [illegible]/25	1572444 [illegible]	2096593 [illegible]/50	177446 [illegible]/100	21 9352 [illegible]	47318 [illegible]	14 956 [illegible]/100	189275 [illegible]/100	2271309 [illegible]/100
[illegible]000	56250	84375	337500	1350000	141520 [illegible]/25	147416 [illegible]/10	589666 [illegible]/100	1769000 [illegible]	2358667 [illegible]	199626 [illegible]/100	2395521 [illegible]/100	53233 [illegible]/500	159701 [illegible]/100	2 2935 [illegible]	2555222 [illegible]/50
[illegible]000	62500	93750	375000	1500000	157244 [illegible]/25	163796 [illegible]/10	655185 [illegible]/20	1965556 [illegible]/10	2620741 [illegible]/500	221807 27/50	2661690 [illegible]/25	59148 [illegible]/25	177446 [illegible]/100	236594 [illegible]/500	2839136 [illegible]/500
[illegible]000	125000	187500	750000	3000000	314488 [illegible]/100	327592 [illegible]/100	1310370 [illegible]/10	3931112 [illegible]/100	5241482 [illegible]/100	443615 [illegible]/25	5323380 [illegible]/25	118297 [illegible]/20	354892 [illegible]/10	473189 [illegible]/10	5678273 [illegible]/50
[illegible]000	187500	281250	1125000	4500000	471733 [illegible]/25	491389 [illegible]/500	1965556 [illegible]/50	5896668 [illegible]/50	7862224 [illegible]/50	665422 [illegible]/25	7985071 [illegible]/25	177446 [illegible]/500	532338 [illegible]/10	709784 [illegible]/100	8517409 [illegible]/100
[illegible]000	250000	375000	1500000	6000000	628977 [illegible]/100	655185 [illegible]/20	2620741 [illegible]/500	7862224 [illegible]/10	10482965 [illegible]/10	887230 [illegible]/25	10646761 [illegible]/100	236594 [illegible]/100	709784 [illegible]/500	946378 [illegible]/15	11356546 [illegible]/25
[illegible]000	312500	468750	1875000	7500000	786122 [illegible]/10	818981 [illegible]/100	3275926 [illegible]/50	9827780 [illegible]/100	13103706 [illegible]/100	1109037 [illegible]/10	13308452 [illegible]/100	295743 [illegible]/500	887230 [illegible]/25	1182973 [illegible]	14195682 [illegible]/25
[illegible]000	375000	562500	2250000	9000000	943466 [illegible]/10	982778 [illegible]/10	3931112 [illegible]/100	11793336 [illegible]/100	15724448 [illegible]/100	1330845 [illegible]/25	15970142 [illegible]/500	354892 [illegible]	1064676 [illegible]/100	1419568 [illegible]	17034819 [illegible]/50
[illegible]000	437500	656250	2625000	10500000	1100711 [illegible]/100	1146574 [illegible]/25	4586297 [illegible]/25	13758892 [illegible]/25	18345189 [illegible]/25	1552652 [illegible]/50	18631833 [illegible]/20	414040 [illegible]/10	1242122 [illegible]/10	1656162 [illegible]	19873955 [illegible]/100
[illegible]000	500000	750000	3000000	12000000	257955 [illegible]/100	1310370 [illegible]/10	5241482 [illegible]/100	15724448 [illegible]/25	20965932 [illegible]/10	1774460 [illegible]/25	21293523 [illegible]/100	473189 [illegible]/50	1419568 [illegible]/50	1892757 [illegible]/100	21713092 [illegible]/25
[illegible]000	562500	843750	3375000	13500000	1415200 [illegible]/10	1474167 [illegible]/100	5896668 [illegible]/50	17690004 [illegible]/100	23586672 [illegible]/10	1996267 [illegible]/10	23955214 [illegible]/500	532338 [illegible]/10	1597014 [illegible]/100	2129352 [illegible]/10	25552228 [illegible]/100
[illegible]000	625000	937500	3750000	15000000	1572444 [illegible]/25	1637963 [illegible]/100	6551853 [illegible]/25	19655560 [illegible]/10	26207413 [illegible]/50	2218075 2/5	26616904 [illegible]/50	591486 [illegible]/100	1774460 [illegible]/25	2365947 [illegible]/100	28391365 [illegible]/10

[Q]VONIAM IN HIS TERTIA, QVARTA, ET SEPTIMA PROPORTIONVM TABVLIS HEBRAICAE LONGITVDINVM MENSVRAE, QVAE GEOMEtrice quidem exactae habentur, in numeris non ita haberi potuerunt; Cum ex radicibus cubicis, quas surdas appellant; atque adeo irrationales sunt; deduci debuerint: Ideo curatum est quam diligentissime, vt saltem veris quam proximae, ac simillimae haberentur. Neque tamen licebit studioso cuiquam duas quaslibet ex alienis mensuris cum duabus item Hebraicis pro ratione conferre: fiet enim plerumque, vt ex numerorum, qui in tabula sunt multiplicatione, aut diuisione, (cum exactissimi, vt dictum est, non sint) non idem omnino numerus, qui in tabula est reproducatur.

DE ROMANIS GRAECIS HEBRAICISQVE MENSVRIS

SECVNDAE PARTIS APPARATVS LIBER TERTIVS.

DE ROMANAE AMPHORAE DIMENSIONE ET FORMA.

Caput I.

EADEM plane ratione, qua permoti, superiore libro de Romanis, ac Graecis, vna cum Hebraeis ponderibus disseruimus, nunc quoque cogimur de earum gentium mensuris, ad perdiscendas Hebraeas, pertractare. Nam quis vnquam Hebraeorum batum vidit, aut ephi, aut cabum? Eorum potrò quam aliam potuit habere cognitionem, ab ea, quam ex grauissimorum Scriptorum restimonijs licet haurire, dum tradunt batum metretae parem, aut eiusdem sesquialtera proportione maiorem? Qua etiam alia ratione, metretam quoque cognoscimus amphora fuisse consimili proportione maiorem? Verùm eandem disputationum partitionem tenere non libuit, tum breuitatis studio; tum vel maximè, vt quaelibet cuiusque disputationis pars consimili alterius aut coniungi posset, aut permisceri. In quibus omnibus ordini disciplinae, breuitari, perspicuitati maximè inuigilabimus, ac verirati. Quapropter sine vlla vel praefatione, vel mora ad agendum de Romanorum amphora mox accedemus. Sunt igitur quaedam in hac dispuratione, à tam multis anriquissimis ac grauissimis Scriptoribus ita recepta, vt ea negare vel proteruiae adscribendum, vel rerum omnium ignorarioni videatur. In quibus illud tantummodo praestandum nobis erit, vt quàmbreuissimè, quae citra controuersiam ab omnibus probanrur, explicemus: sic enim fiet, vt citiùs, ac faciliùs grauioribus nos expediamus disputationibus. Est autem omnibus propè notissimum amphorae nomen, cum forma, dimensione, & capacitate. Sextus enim Pompeius Festus, vir antiquitate venerandus, Larinae linguae peritissimus: Quadrantal, inquit, vocabant anriqui, quod ex Graeco amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati, octo & quadraginta capit sextarios. Haec ille. Deducitur aurem ea vox Agricolae à Gtaeco fonte; à Graecis enim, inquit, ἀμφορεὺς amphoreus dicitur vas, quod vtrimque ansas habet, quibus capi, & pottari possit; mensuram etiam eodem nomine appellant. Et quidem ansatam amphoram fuisse planè cognoscimus ex Catone, cuius haec sunt verba: Post dies quadraginta diffundito in amphoras, & addito in singulas amphoras saepe sextarium vnum, amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fini. Ex quo restimonio, amphorae formam facilè conijcio persimilem referri ijs, quae infra apponam: habent enim ansas superiori parti proximas; ita vt vsque ad infimas ansas plenae, non nimium plenae dici facilè potuissent. Aliam verò vocis huius interpretationem, vnà cum ipsius amphorae definirione adducit Sanctus, Isidorus, sic scribens: Amphora vocata, quòd hinc & inde leuerur. Haec Graecè à figura sui dicitur, quòd eius ansae geminatae videantur aures imitari. Recipit autem vini vel aquae pedem quadratum; frumenti verò modios Italicos tres. Hactenus Isidorus. Amphorae quoque meminit Cicero: Iam non quaero, inquiens, vnde quadringentas amphoras mellis habueris. Et iterum: Tiburium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorij nomine exegisse. Eiusdem meminit Varro: Nonne item in agro Fauentino, à quo tricenariae appellantur vites, quòd iugerum tricenas amphoras reddat.

Sext. Pomp. Fest.

G. Agric. lib. 1. de mens. Rom.

AMPHORAE nomen à Graeco significat ansatum.

Cato cap. 113

S. Isidor. lib. 16. orig. cap. 25.

Cic. in Ver. & pro Font.

Varro lib. 1. cap. 11.

Quibus omnibus testimonijs illud compertum est, mensuram quandam amphoram Romanis dictam fuisse, qua vinum, ac mel, & reliquos metiebantur liquores. Est & aliud eiusdem mensurae nomen, Latinum quidem origine & vsu, quadrantal, à figura mensurae vndequaque quadratae desumptum. Eius rei auctor est Quinctus Remnius Fannius Palaemon, cuius auctoritas tanta est, vt à nullo cordato viro aut impugnari, aut non admittti queat, aut debeat: is enim Claudij, & Neronis temporibus Romae floruit, qui Plinij testimonio commendatur; & Criniti maximè, qui Lucani Cordubensis praeceptorem eum fuisse commemorat, ac in Poëtica ducem. Is eleganti carmine atque erudito de ponderibus atque mensuris scripsit, quo (quamuis omni poëtico artificio, ac lepore) veram, ac sinceram notissimarum rerum rationem, aridissimamque disputationem lectu iucundam reddidit, ac suaui recordatione memorandam; non tamen propterea fidem suis scriptis abrogauit, quòd carmine scripserit: nam licet carminibus fabulas, atque figmenta admisceant Poëtae; de mensuris tamen agit, quae & sua aetate notissimae, & omnibùs in promptu erant, quarumque rationem, (quam fortasse verbo coram expositurat) perspectam suis discipulis haberi cupiens, heroico carmine scripserit: id quod memoriae iuuandae gratia in difficilioribus Grammaticae artis praeceptionibus praestare consueuerunt eius disciplinae magistri, dum eas carminibus, pueris tradunt perdiscendas. Hic ergo Palaemon sic scribit:

Pes longo spatio, latoque notetur in anglo,
Angulus vt par sit, quem claudit linea triplex.
Quattuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora sit cubus, quam ne violare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

FANNII auctoritas quanta sit.

Plin. Crinit. de poetis illust.

AMPHORAE mathematica consideratio.

Eleganti planè oratione, ac methodo persequitur modum conficiendae amphorae, & eius dimensiones, ac formam. Ac primùm quadratum describendum praenotat in superficie plana, ad mensuram pedis. Notetur pes longo latoque spatio in angulo pari, siue recto; definitur enim angulus rectus ab Euclide ex aequalitate angulorum, quos incidens in lineam rectam recta constituit linea. Neque verò planos angulos figurae rectos tantummodo exigit, verùm etiam solidos corporis; eos enim describit, dum inquit:

ANGVLVS, quem claudit linea triplex, solidus est.

Angulus vt par sit, quem claudit linea triplex.

Binis enim minimùm lineis angulum planum contineri definit Euclides; solidum verò tribus, nulla ratione paucioribus: non enim triplicis lineae nomine tres corporis dimensiones, longitudo, latitudo, altitudo notatur, sicut perperam notauit Budaeus: nullus enim vel mediocriter in physicis, vel mathematicis versatus lineam pro latitudine, aut profunditate vsurparet; specie enim differunt eiusmodi quantitatis dimensiones. Mox verò ad singula prioris quadrati latera singula erigi praecipit quadrata; sic enim fiet cubus mathematicum corpus, quod describitur à Vitruuio his verbis.

Euclid. lib. 1. definit. 8. & lib. 11. definit. 11.

Vitru. prooemi. lib. 5.

CVBI definitio.

Cubus autem est corpus, sex lateribus aequali latitudine planitierum quadratum. Is, cùm est iactus, quam in partem incubuit, dum est intactus, immotam habet stabilitatem, vti sunt etiam tesserae, quas in alueo ludentes iaciunt. Hactenus Vitruuius. Euclides: Cubus, inquit, est figura solida, sub sex quadratis aequalibus contenta. Haec ille. Sex planis aequalibus, ac quadratis contineri dicit; ex quo patet, eum lateribus duodecim constare, angulis solidis, rectis, atque inter se aequalibus octo: estque propterea corpus vnum ex ijs, quae regularia vocant, maximè regulare; vtpote quo omnes omnium corporum dimensiones computantur. ex quo statim apparet, sapientissimè cautum fuisse, vt ea mensura, quae reliquarum omnium quasi norma futura erat, hac regulari, atque aequabili forma conficeretur: eaque ex aere, vel solido lapide conficiebatur, ne vsu attrita imminueretur. quod ex Paulo Iurisconsulto constare poterit, qui inter tabernae instrumenta vrnas aereas annumerat. Ac ne haec eadem iniquorum malitia imminueretur, vel minor, vel maior conficeretur, ideo illam, quam reliquarum omnium decernebant primam, Ioui dicarunt in Capitolio, vt ab iniqua mensurarum immutatione religione arcerentur etiam illi, qui iusti amore, aut poenae metu à consimilibus sceleribus minimè abstinebant. Idemque ipsum, quod Romae operaepretium fore experientia docuit, Iustinianus Imperator vniuersali ac perpetuò duratura constitutione sanciuit; qui mensuras, & pondera in sacratissima cuiusque ciuitatis Ecclesia custodiri mandauit.

Iureconsl. tabernae. de fundo instruct.

AMPHORAE ex aere, vel solido lapide constituebantur ex lege, ne facilè vsu, vel dolo imminuerentur.

In auth. de collatorib. collat. 9.

AMPHORAE GEOMETRICA ATQVE *arithmetica diuisio.*

Cap. II.

QVONIAM Reipublicae vsus non vna tantùm mensura contentus est, quamuis ea mediocris sit, atque adeo sufficiens videatur; sed adhuc postulat, vt maiores instituantur, & minimae: ideo Romanae Reipublicae institutores non minore artificio in amphorae diuisione vsi sunt, quàm in eius constitutione. Nam, amphoram geometricis rationibus compositurat, & cùm ad eius diuisionem accesserunt, arithmeticis vsi sunt calculis: atque adeo, cùm pedem, sicut quodlibet vnum, in duodecim partes, hoc est, vncias, siue pollices tribuissent, duodenarium numerum cubicantes, amphoram continere experti sunt vncias cubicas, siue pollices cubicos mille septingentos viginti octo. Eius rei ratio fiet manifesta, si in memoriam reuocemus, quae ab [a] Euclide traduntur de numero cubico. Cubus, inquit, numerus est, qui aequaliter aequalis aequaliter; vel qui sub tribus aequalibus numeris continetur. Haec ille. Sub tribus autem aequalibus numeris contineri idem est, ac si dicat, fieri ex quodam numero in seipsum

[a] *Eucli. defin. 19. septimi.*

NVMERI cubi definitio, & ratio.

12	Pes
12	
24	
12	
144	
12	
288	
144	
1728	Amphora.
864 | 4	Vrna
216	congius
144	
6	
864	vrna
6	
6	
36	
6	
216	congius

sum ducto, si productum iterum in eundem priorem numerum ducatur. Cuius rei exemplum in hoc eodem duodenatio numero subijciendum duxi. Duodecies enim duodecim producunt centum quadraginta quattuor; quod productum, si duodecies accipiatur, dabit amphoram, vt dixi, continentem cubicas vncias mille septingentas viginti octo. Nullam igitur amphorae partem tamquam mensuram assignarunt, quae iusto aliquo huiusmodi cubicarum vnciarum numero non contineretur, vt in singulis, quas mox trademus partibus, videre quilibet poterit.

OMNES amphoraepartes aliquo certo cubicarum vnciarum numero continentur.



Prima verò amphorae diuisio in duas aequas partes facta fuit, quod & Geometricè fieri facilè potuit, si intelligatur plana quaedam superficies, cubum media altitudine secans; fient enim duo parallelepipeda, quadratas bases habentia, & amphorae basibus aequalia, & alta sex pollices, dimidium nempe pedis. Idemque ipsum parallelepipedum arithmetica ratione haberi poterit, si quadrata amphorae superficies, cuius numerus, vt dixi, est centum quadraginta quattuor, multiplicetur per senatium dimidiae altitudinis numerum; fiet enim numerus octingentorum sexaginta quattuor, quanta videlicet est amphorae mensura: id quod margini adiecti numeri indicabunt. Vrnam verò in parallelepipedum efformatam in quattuor aequas partes diuiserunt, binis planis sese bifariam ad angulos rectos per mediam quadratam superficiem mutuò secantibus, qua diuisione fit congius cubicus, qui ex senario numero fit; estque cubicarum vnciarum ducentarum sexdecim. Qui quidem numerus, vtpote perfecti numeri cubus, tanti habitus est à Pythagora, vt, Vitruuio attestante, tam ipsi, quàm his, qui eius haeresim fuerunt sequuti, placuerit cubicis rationibus praecepta in voluminibus scribere; constitueruntque cubum ducentorum sexdecim versuum, eosque non plus, quàm tres in vna conscriptione oportere esse putauerunt. Eundem verò congium, qui senarij cubus est, in sex rutsum partes tribuere decreuerunt, quae propterea sextarij dicuntur. Eiusmodi autem diuisio sic geometricè facta intelligenda est, vt primùm cubi altitudo, ducta superficie, in duas inaequales partes secetur, quarum inferior binas vncias alta sit, superior quattuor: atque inferior pars in duas rursum partes diuidatur, vnica tantùm ducta superficie per mediam quadratam

VRNA quomodo constituatur ex amphora.

144
6
864

CONGIVS quomodo fiat ex vrnae diuisione.

6
6
36
6
216

Vitru. proœmi. lib. 5.

SENARIVS cubus maximi habitus à Pythagora.

SEXTARIVS eiusque variae formae, & denominationis ratio.

A congij basim; altera verò maior congij pars in quattuor aequas diuidatur partes, binis planis sese mutuò ad angulos rectos secantibus in medio basium reliqui patallelepipedi; sic enim fient ex eo quattuor congij, forma & magnitudine pares; tamen forma reliquis dissimiles. Fiunt enim quaterni illi ex ductu ternarij in se, qua ratione fit nouenarius, qui si in quaternarium ducatur, fient triginta sex cubicarum vnciarum numerus, qui aequalis est sextae parti numeri congij: bini verò reliqui sextarij fiunt ex ductu senarij in tetnarium, ex quo fit decimus octauus, qui si in binarium ducatut, fient triginta sex numerus sextarij; qui numerus non modo est sexta pars congij, verùm etiam est ipB sius senarij quadratus numerus; nam sexies sex faciunt triginta sex. Quae rationes omnes facilè ostendunt, optimo iure dici hunc sextarium, qui vndequaque senario numero affinis est. Sextarium propterea Andraeas Alciatus, & Robertus Cenalis primam esse mensuram tradiderunt, quod ex senario numero perfectorum primò constet. Ea potissimùm mensura, vtpote neque magnitudine intractabili, neque paruitate incerta, sed mediocri, reliquas omnes examinare consueuerunt antiqui ferè omnes Scriptores, cum recentioribus. Quamuis oppositum probare contendat ex Fannio Petus, eos reprehendens, qui primas sextario tribuerunt; quasi verò eae C non debeantur sextario, qui congij sit pars; neque ipse alias mensutas formet. Rationes verò sextarij dignitatem commendantes, eae sunt, quas retulimus, quibusque nihil obstat ex congio formati sextarium; quare nihil aduersus haec probant, quae excogitauit Petus. His igitur ductis rationibus antiqui, sextatium, vt assem, in duodecim partes tribuerunt, quas cyathos compellarunt. Continet autem cyathus tres vncias, siue pollices cubicos. Atque huiusmodi sextarij diuisio facilè dignoscetur, si vna quaeuis sextarij superficies ex ijs, quae altitudinem constituunt, & altera parte longiores sunt, in duodecim quadratas vncias diuisa intelligatur; atque per eiusmodi diuisiones superficies planae intelligantur ductae, quae extimis superficiebus sint aequidistantes. Quae omnes amD phorae diuisiones cuiuis etiam mathematicarum disciplinarum ignaro manifestae erunt, si earum figuras, quas his diuisionibus praemisimus, attentiùs consideret. Ideo enim has geometricas diuisiones percensere decreui, vt cuiuis nota esse possit ac facilis norma, qua non amphoram tantùm, sed & quaslibet eius partes regulari forma conficere, inutuò conferre, atque examinare possit. Illud tamen admonitum examinatorem velim, vt non cuiuis mechanico artifici fidat mensurarum fabricam, neque quauis diligentia, aut indagine, nisi sollertissima sit contenE tus: quilibet enim vel minimus in longitudine, latitudine, aut altitudine corporis error corporis magnitudinem mirificè variat. Nos enim, quamuis nostrae sollicitudini, atque multorum annorum assiduo, improboque labori nonnihil in hac parte fidere potuissemus; tamen numquam eodem nobis ipsis feciissemus satis, nisi fidissimos, ac sollertissimos in omnibus, ac singulis operationibus adhibuissemus testes, eos inquam, quos iudices maximè vereri, duces verò, ac magistros feliciter, ac tutò imitari potuissemus. Huiusmodi fuerunt

ALIAE RATIONES denominationis sextarij.

Alciatus Cenalis.

Luc. Tet. lib. 3.

CYATHI constitutio, & capacitas.

QVANTA sit adhibenda diligentia in examinandis mensuris.

INSIGNIVM Mathematicorum iudicio mensurarum examina probantur.

in primis Ioannes Ferrerius, Regius quondam architectus, sub cuius maximè disciplina huiusmodi primùm praeceptis imbutus fueram; cuiusque commendatione, Catholicae Maiestati haec nostra studia probantur. Dein Romae Pater Christophorus Clauius Germanus, qui Mathematicorum scholae notissimus, ac maximè celebris ad vsque diem hanc suam Spartam ornare non desinit: ac tandem publicus Collegij nostri Romani Mathematicarum disciplinarum professor, Pater Christophorus Griembergerus, & ipse Germanus, quem, ob singulare ingenij acumen, notissimum, atque maximè proficuum fore non dubito. Is verò in examinandis mechanicis instrumentis tanta est sollertia praeditus, vt nemini debeat haberi secundus. Nam, cum nullos posset exactos artifices adhibere, quorum opera pro votis vteretur, ipse decreuit omni artificum instrumento, atque arte instrui: neque id magno labore consequitur; quidquid enim vel semel à quocumque artifice fabrefieri conspexerit, id ipse mox fideliùs multò, atque perfectiùs fabricare consueuit. Nec mirum: dicam enim, quod ego ipse expertus sum Romae. quadratam tabulam fieri curaueram, quae conficiendis lapideis mensuris, de quibus infrà, pro norma esset; sollertissimos quosque artifices adij, eos monui, exactissima instrumenta suppeditaui, pollicitationibus excitaui, alios atque alios perquirendo mutaui; semel non successit, bis errarunt, ac tertiò, mirum dictu, nouies, & eò ampliùs tabulae factae sunt, aut normae; nec tamen vel vnicam obtinere potui, quae Patris Griembergeri perspicaci iudicio quadrata aequis lateribus, & angulis probaretur. Cuius propterea iudicio omnia, quae hactenus feci mensurarum, ac ponderum examina libenter subieci; neque priùs probaui, quàm ab eodem probarentur. Non tamen propterea quisquam nos arbitretur ita vel rudes esse, vel ignaros, vt lineas perfectè rectas, superficies perfectè planas, corpora perfectè sphaerica, vel quadrata inuestigemus: magnam enim nostris his lucubrationibus irrogaret iniuriam, qui eiusmodi de nobis conciperet opinionem. Quis enim nesciat, physicis his nostris instrumentis, ac rebus, lineas rectas imaginari posse, cerni non posse; superficies planas concipi posse, formari non posse; perfecta figura corpora voce vsurpari posse, sensu contrectari, aut percipi nulla ratione posse. Quapropter cùm exactas mensuras, mathematicas diuisiones inquirimus, aut quid simile, physicam materiam, ac formam, quàm maximè potest, exactam inuestigamus, perfectè formatam nec somniauimus; loquimur enim sapientibus sapientiam, quorum sententias magnificamus, ac semper veremur, reliquorum censuras, & iudicia non item.

Sed, his omissis, ad reliquas amphorae partitiones explicandas progrediamur. Et quoniam, vt initio proposui, amphora vsi sunt antiqui tamquam prima rerum liquidarum mensura, eademque in dimetiendis frugibus vtebantur; cùm hactenus de rerum liquidarum mensuris actum sit, superest iam vt de eiusdem amphorae diuisione, quatenus frugum est mensura, tractemus. Diuisa namque fuit amphora in tres aequas partes, quas modios nuncuparunt; id quod facilè geometrica diuisione consequemur, si amphorae altitudo diuisa intelligatur in tres

MODIVS quomodo constituatur ex amphora.

A aequas partes, quarum singulae quattuor vnciarum erunt, siue quattuor pollicum; atque per eiusmodi diuisiones superficies intelligantur ductae vtrique basi parallelae, sicut margini appositа figura demonstrat. Fiet autem arithmetica modij compositio, si amphorae superficies centum quadraginta quattuor quadratarum vnciarum multiplicetur in quaternas altitudinis modij vncias; fient enim cubicae vnciae quingentae septuaginta sex, quas continet modius. Atque idem ipse vnciarum numerus deprehendetur, si numerus vnciarum cubicarum amphorae in tres partes tribuatur, sicut exempla margini appositа demonstrabunt. Modium in sexdecim aequas partes tandem distribuunt, quas, quoniam liquidorum sextarijs aequales omnino esse deprehenderunt, sextarios nuncupauerunt, quos in cyathos, atque alias minores partes, sicut liquidorum sextarios, diuiserunt.

AMPHORA IN III. MODIOS DIVISA



Amphorae superficies 144
4
Modius 576
Amphora 1728|3
Modius 576
Sextarius 576|36
16

MODIVS IN SEXTARIOS XVI. DIVISVS



MODIVS quomodo in sextarios diuidatur.

C Fit autem modij diuisio, si quattuor illae alterae parte longae superficies, quae altitudinem constituunt, diuisae singulae in quattuor partes aequales intelligantur, per quas eisdem extimis superficiebus parallelae superficies ducantur, sicut praesens figura demonstrat; in qua integrum cuiuis erit sexdecim numerare sextarios, quos etiam facilè comperiet aequales esse sextarijs, in quos diuisus congius paulò superiùs ostensus fuit: nam hic etiam, sicut ibi, sextarius fit parallelepipedum, cuius quadratae bases trium vnciarum sunt; altitudo verò quattuor vnciarum; quanta videlicet ipsius modij altitudo exstitit. Neque verò arithmetica supputatione maior, aut minor deprehendetur; nam si modij numerus D quingentae septuaginta sex vnciae per sexdecim diuidatur, prodibit absque dubio triginta sex sextarij numerus: Sed iam ad has ipsas amphorae diuisiones, quas tamquam certas assumpsimus, classicorum scriptorum testimonijs comprobandas accedamus.

E

SCRIPTO-

SCRIPTORVM TESTIMONIIS PRAEDICTAE *amphorae diuisiones probantur. Cap. III.*

PRIVS MODum diuisionis amphorae, quàm eius probationem tractauimus.

PRAEPOSTERO fortassis ordine progressi videbimur alicui, si quidem, priusquam in tot partes diuisam fuisse à Romanis amphoram ptobatum fuisset, quomodo ea diuideretur ostenderimus; latius enim videretur priùs probasse quot fuissent, ac mox faciliùs esset ostendere, cuiusmodi fuissent; aut qua ratione componerentur. id quod naturae, ac disciplinae ordo postularet. At nos, qui id potissimùm his nostris omnibus lucubrationibus intendimus, vt breuissimè, ac quàm facillimè eettiorem reddamus lectorem; eum libenter amplectimur disciplinae ordinem, quem magis vsui esse iudicamus, vt faciliùs, minoreque labore, ac taedio singula, quae à nobis pertractantur, percipere lector possit. Quapropter maluimus lectorem tantispet manere suspensum, dum appositis figuris diuisiones, de quibus agendum nobis est, quasi ob oculos poneremus singulas, potiùs, quàm vt, dum Scriptorum varias sententias percensemus, de quamplurimis amphotae partibus, ac de varijs mensutis disputantes, dubium teneremus lectorem, eumque mensutarum multitudine, ac nominum varietate, sententiarumque diuersitate grauatum ab omnium perceptione arceremus. Quamuis non ita alienum à disciplinarum ordine sit, quod hactenus praestitimus; cùm ea tantummodo proposuisse videamur superiore capite, quae hoc probanda suscepimus.

AMPHORA vini frequens apud Iurisconsultos.

Igitur, vt ad mensuras singulas aggrediamur, amphora vini mensura frequens est, ac saepius a Iurisconsultis tepetita. Ptoculus: Cum vinum, inquit, heres dare damnatus est, quòd in amphoris, seu eadis diffusum est, dari debet, etiamsi vasorum mentio facta non est. Et iterum: Illud verum esse puto, cui vinum legatum cum vasis erit, ei amphoras, cados, in quibus vina diffusa seruamus, legatos esse. atque aliàs saepe. Quare de huiusmodi vinatijs amphoris intelligendus est Cicero, ad Lentulum scribens: Ieirco, inquit, etiam naues onerarias, quarum minor nulla etat duum millium amphorarum, contractas in Lycia à classe eius obsideri. Haec Cicero. Apud Labeonem etiam mentio fit nauis totidem amphorarum capacis, subtriplae autem his sunt, constitutione Theodosij, quae duum millium modiorum dicuntur capaces.

Leg. cum vinum de tritico legat. L. vinum. eodem tit.

Cic. lib. 12. epist. ad Len.

NAVIVM variae magnitudines.

L. vlt. in fin. de l. Rhodia. l. iubemur. C. de sacr. eccle. l. 2. C. de nau. excus. lib. 11. Plin. lib. 14. c. 14.

Neque verò exempla desunt, quibus vinariae amphorae sub quadrantalis nomine mentio fiat. Plinius: Licinius, inquit, Crassus, & Lucius Iulius Caesar censores anno ab vrbe condita sexcentesimo septuagesimo quinto edixerunt, ne quis vinum Graecum, Aminiumque octonis aeris singula quadrantalia venderet. Et Plautus.

Sitit haec anus. quantillum sitit? modica est, capit quadrantal.

Plaut. Curcul. act. 1. scen. 2.

Praetet eam amphoram aeream, quae in Capitolio asseruabatur, fuisse quidem amphoras fictiles communi vsu receptas, fit manifestum ex Plinio, qui de fictilibus tractans sic scribit: Hodieque in templo ostenduntur amphorae duae vasis propter tenuitatem consecratae discipuli, magistrique certamine, vter tenuiorem humum duceret. Haec ille. Forma autem horum vasorum ex ijs, quae quotidie Romae effodiuntur, & quorum fragmentis totus propemodum testaceus mons constat, facilè constare poterit: fuerunt enim oblonga in cylindri modum, quorum colla binas vtrimque ansas habentia erigebantur: subtus verò acuminata erant, quoniam non minus amphoris, quàm vrnis defunctorum cineres asseruabantur. Atque adeo, vt, inferiore patte terrae infixa, contra ventorum impetum immota manerent, acuminabantur. Fuerunt autem huiusmodi, quamuis & in alias quamplures formas iuxta rerum indigentiam efformata.

AMPHORAE fictiles.

AMPHORAE forma.

CVLLEVS maxima Romanorum mensura.

Denis amphoris fit culleus maxima Romanorum mensura. Eius meminit Fannius, cuius auctoritas doctissimis nostrae aetatis viris ita probata est, vt antiquis Plinio, atque alijs fuit; fuit autem ptobatissima. Mihi verò eius fides, & auctoritas tanta est, vt in vnius viri sententia facilè conquiescam; quam uis non defuerit, qui ptopterea fidem ei abtogari posse putarit, quòd inter poëtas annumeretur, quorum scripta fabulis respersa sunt omnia. at mirum in modum suam proderet insitiam ille, quicumque fuisset, qui nescitet fabulas, ac poëtarum figmenta à veris praeceptionibus, & historijs secernere. At quamuis nihil certi ex aliorum poëtarum scriptis elici posset, quod sanus nemo cogitaret; tamen non propterea Fannij contemnenda esset auctoritas, qui ideo carmine scripsisse visus est, vt faciliùs difficilis haec mensurarum disputatio memoria retineri posset. Is igitur sic scribit.

Q. Rhem. Fannius.

Est & bis decies quem conficit amphora nostri Culleus. hac nulla est maior mensura liquoris.

Neque verò haec tantummodo cullei mensura, & capacitas Columellae auctoritate poterit comprobari; verùm & reliquae ferè omnes, quas suprà attulimus, amphorae diuisiones vno atque altero eiusdem testimonio confirmantur: Quoniam, inquit, deterrimi generis vineae singulos culleos singula iugera ferunt, culleus vrnas quadraginta capit. Et iterum: Ego tamen, inquit, si humida fuerit vindemia, trientem, si sicca, quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum; ita vt quattuor vrnarum esset musti modius; vrna autem quattuor & viginti sextatiorum. Haec ille. Quibus illud in primis manifestum est, amphoram binis vtnis aequalem fuisse; siquidem pro binis amphoris vrnas quattuor vsurpauit. id quod Fannius etiam assumat: *Huius* amphorae, inquit, *dimidium fert vrna*. Illud etiam Columellae verbis probatur, vrnam viginti quattuor sextarijs expleri, propterea que & amphoram quadraginta octo, sicut nos paulò infrà latiùs probabimus. Quod verò ad

Colum. 3. de re rust. c. 3.

Lib. 12. cap. 20.

AMPHORA duabus vrnis aequalis.

CVLLEI materia, & vsus.

culleum spectat, fuisse cum ex corio, & valde capacem, constat ex eo, quod in culleum insuebatur parricida, cum cane, gallo gallinaceo, simia, & vipera, simillimis huic monstro feris. Et Rhetorum illa lege ficta dicebatur: qui parentem necasse iudicatus erit, is obuolutus, & obligatus corio deijciatur in profluentem. Eius meminit Iuuenalis his verbis.

L. poena de L. Pomp. §. alia de pub. iud. vbi Theop.

POENA parricidae.

Iuuen.

Quis dubitet Senecam praeferre Neroni?
Cuius supplicio non debuit vna parari,
Simia, non serpens vnus, non culleus vnus.

Fuerunt etiam ex alia materia confecti cullei, vt videre est apud Vlpianum. Vino legato vtres non debebuntur, nec culleos quidem deberi dico. Fuit igitur, iuxta Columellae sententiam, culleus quadraginta vrnarum; cumque idem ipse amphoram duas continere vrnas testetur, erit concors eius sententia Fannio asserenti, culleum bis denas amphoras continere. Neque verò huic sententiae aduersantur Catonis verba, quae sic habent. Vinum in dolio hoc modo venire oportet. Vini in culleos singulos quadragenae, & singulae vrnae dabuntur. Quamuis enim vnam & quadraginta vrnas culleo tribuere videatur Cato; tamen, ex omnium recta sententia, vrnam culleo accessionis loco, & pro detrimento adiecit, vt bene post alios notauit Lucas.

Vlp. lib. 23. ad Sabin. leg. 3. in fine de virt. vino.

Cato cap. 155. in l. vini in dolijs vendendi.

Luc. Tet. lib. 3. de antiq. liq. aridorum que mens.

Sed ad vrnam sic dictam Varroni, quòd in hauriendo aqua vrinet redeamus, quam dimidiae amphorae aequalem esse perspectum est; eamque tum ad oleum, tum verò ad vinum mensurandum vsos antiquos fuisse, manifestum est ex Catone, qui loca enumerans, quibus optima quaeque vtensilia venderentur, sic scribit: Hamae, vrnae oleariae, vrcei aquarij, vrnae vinariae, alia vasa ahenea Capuae. Ex eo verò quòd Cato olearias, & vinarias vrnas seorsum commemoret, illud ran unmodo conijcere licet, fuisse quidem eas diuersas, non materia, non forma, non capacitate, sed eo tantummodo, quod vrna, quae semel oleo inficeretur, semper ad oleum mensurandum asseruaretur, neque amplius vino, aut alio quouis liquore dimetiendo vtilis esse posset. Neque huic vsui tantummodo vrna erat, sed & vt de amphora dixi, ita etiam vrna, immo & multò magis vrna, quàm amphora, defunctorum condendis cineribus deseruiebat. Quod tum ex Scriptorum assidua commemoratione, tum etiam ex ijs, quae Romae videntur cum suis inscriptionibus, facilè fit manifestum. Cicero.

VRNA vnde dicta.

Varro lib. 4. de ling. Lat.

Cato cap. 142

VRNA condendis defunctorum cineribus deseruiebat.

Cic. Tusc. 1.

Aspicite, inquit, *ò ciues senis Ennij imaginis vrnam.*

Ouid ad Liu. Ouidius item.

Scilicet exigua cineres condentur in vrna.

Iterum eleg. de morte Tibulli. Et iterum.

Carminibus confide bonis; iacet ecce Tibullus:
Vix manet e toto parua quod vrna capit.

Est & alius vrnarum vsus apud Scriptores, tam sacros, quàm profanos frequens, cuius meminit Virgilius:

Virg. 6. Aeneid.

Nec verò hae sine sorte datae sine iudice sedes.
Quaesitor Minos vrnam mouet, ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque, & crimina discit.

Esth. 3. ℣. 7. & cap. 9. ℣. 24. & ℣. 26. Eius etiam fit mentio in historia Esther, vbi sic habetur: *Mense primo cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo Regni Assueri missa est sors in vrnam, quae Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die, & quo mense gens Iudaeorum deberet interfici.* At postquam conuerterat Dominus consilium Aman in caput ipsius, iterum haec eadem percensentur: *Et misit*, inquit sacer historicus, *phur, quod nostra lingua vertitur in sortem*, &c. *Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium; eo quòd phur, id est, sors in vrnam missa fuerit.* Vatablus vocem phur, esse Persicam contendit, eamque Hebraica גורל goral propriè sortem significante interpretatur. Verùm alij firmiori argumento arbitrantur esse Hebraicam, vt pote quae à radice פור phur deducatur; quae labi, illabi, cadere significat, ideoque sic dictam sortem putant, quòd in vrnam, dolium, aut vas aliquod injiciatur, & cadat. congruitque huic interpretationi, quod apud Isaiam haec eadem vox paululum immutata reperitur, dolium significans, aut vas, in quod vuae conculcandae proijciuntur. *Torcular*, inquit, *calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Atque huius vrnae vel dolij loco sinum vsurpauit Sapiens, dum ait: *Sortes mittuntur in sinum*, Hebraicè בחיק bachec, sed à Domino temperantur: vel, vt Vatablus conuertit, in sinum deijciuntur sortes, at omne iudicium earum pendet à Domino. Et loci sensus hoc videtur iunucre, integrum cuiuis fore, plurium, verbi gratia, ciuium nomina consimilibus chartis conscripta in vrnam conijcere, vt sorte exploret, quisnam ex illis omnium princeps, aut iudex constituendus sit; verùm quòd hic potiùs, quàm ille sorte eligatur, non sine diuina prouidentia fiet; id quòd in electione Matthiae perspicuum fit. Quamuis enim Matthiae & Iosepho *sortes*, vt inquit textus, *dederunt*; tamen ipsi orantes dixerunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris, ex his duobus vnum.* בחר echec. Sed ad vocem redeamus: ea, vt Hebraeis placet, anteriorem partem corporis significat intra duo brachia, quam Latinus interpres, iuxta locorum indigentiam, nunc in *sinum*, nunc in *gremium* transtulit. Quia verò ea interior corporis pars est, ideo transfertur ad interiorem, & concauam cuiuslibet rei partem significandam. quapropter hoc loco, non pro humano tantummodo sinu accipienda videtur, sed pro cuiuslibet vasis, aut alterius rei interiore parte; sicut & vrna, cùm ad sortes significandas vsurpatur, non pro exacta mensura accipitur, sed indefinitè pro vase aliquo. Verum quod ad vrnam spectat, inter vasa omnia prae manibus habebatur, vtpote, quae pluribus deputaretur familiae vsibus.

VRNA Iaciendis sortibus antiquissimis etiam temporibus frequens.

Vatab.

Isai. 63. ℣. 3.

Prouerb. 16. ℣. 33. Vatab.

SORTES non casu, aut fortuna, sed diuina prouidentia disponuntur.

Actor. 1. ℣. 26. & 24.

Ad congium veniamus. is octaua amphorae pars est, vrnae quarta. id quod testatur Galenus: Italicum, inquit, ceramium habet choas octo, chus sextes sex. Haec ille. Quibus mox quaedam additur interpretatio. Ceramum Italicum amphoram dici contestans, chum congium, sextem sextarium. Incerti verò auctoris fragmentum apud Alciatum id magis clarè demonstrat: Italicum enim, inquit, vas, quod amphora dicitur, habet congios octo: congius sextarios sex. Haec ille. Quae paulò inferiùs manifesta fient; tum verò manifestiora, cum de ponderibus rerum, quae mensurantur, agemus: de congij item materia, ac forma statutum erit, cùm tractabimus de eo, quem nos vidimus, atque de his omnibus pariter disseremus.

CONGIVS amphorae octaua pars est, vrnae quarta.

Galen. lib. de pond. apud Alcial.

Incerti auctoris de mensur. apud Alciat.

Nunc verò, congium, vini mensuram fuisse, constat ex Plinio, qui de vinis factitijs scribens:

Proxi-

Plin. lib. 14. c. 16.

CONGIVS vini, & olei mensura.

Proximum, inquit, fit è milij semine maturo cum ipsa stipula, libram, & quadrantem in congios duos musti macerato, & post septimum mensem transfuso. Fuisse etiam congium olei mensuram probat Liuius: Et congij, inquit, olei in vicos singulos dati. A congio congiaria vasa dicuntur, tantundem capientia apud Paulum Iurisconsultum. Et congialem fideliam pari ratione dixit Plautus. Est & congiarium Imperatorum munus, quo populus, aut miles donabatur, sic forsan dictum, quòd congius vini, vel olei viritim principio daretur; at, crescente ambitione, & fastu, retento congiarij solùm nomine, ad multam summam excreuit donarium. Vnde Plinius Traianum laudat, quòd congiarium populo dedisset, quo locupletatae sunt tribus. Tiberius enim congiarium populo trecentos nummos viritim dedit: Caligula populo bis dedit tricenis sestertijs: Nero quadragenos nummos populo diuisit. Miranda planè congiaria Octauij Augusti, referente Tranquillo: Congiaria, inquit, populo frequenter dedit, sed diuersa ferè summa: modò quadragenos, modò tricenos, nonnumquam ducentos quinquagenosque nummos: ac ne minores quidem pueros praeterijt, quamuis non nisi ab vndecimo aetatis anno accipere consuessent. Frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe leuissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est. Sed de congio iam satis, sextarium exploremus. Eum sic dictum tradit Fannius ab omnibus receptus, quòd sexta pars congij sit. Eius haec sunt carmina.

Tit. Liuius lib. 25. L. Tabernae. de fundo instructo. Plaut. in Aulul. act. 4. scen. 2.

CONGIARIVM dicitur Imperatorum donum.

Plin. in panegyr.

Sueto. Tranq. in vita Oct. Aug. cap. 41.

A quo sextarij nomen fecisse priores
Crediderim, quòd eos capiat sex congius vnus.

SEXTARIVS vnde dictus.

Sextario humida pariter, atque arida omnia metiri solitos Romanos olim fuisse, probant quamplurima Scriptorum testimonia. Cicero: Si emere, inquit, sextarium aquae mina cogeretur. Et Horatius:

SEXTARIO liquores omnes pariter, ac fruges mensurabantur.

Cic. 2. Offic. Hora. 1. serm. satyra 1.

Nescis quid valeat nummus, quem praebeat vsum,
Panis ematur, olus, vini sextarius.

Cato. cap. 15.

Et Cato inter cellae oleariae instrumenta sextarium olearium vnum requirit. Atque iterum inter familiae cibaria olei menstruum sextarium singulis seruis attribuit. Columella verò: Adijcitur autem, inquit, in aquae dulcis sextarios quinquaginta salis sextarius, & mellis optimi vnus sextarius. Atque iterum de napo, & rapo scribens, iugerum agri quattuor sextarios seminis eorum poscere tradit. Et Plinius: Ex vno grano, inquit, milij Indici terni sextarij gignuntur. Sed ea, quae de diuisione amphorae, & congij in sextarios dicta sunt, omnia firmissima in omnium hominum animis manebunt, si audiantur, quae publica lege sancita fuisse referuntur à duobus Silijs P. & M. Tribunis plebis. Eius rei auctor est Sextus Pompeius Festus, vir apud omnes Scriptores summae auctoritatis, hac nostra potissimùm tempestate, qua sollertissimorum hominum industria, quasi ex deperditi, & igne consumpti cineribus, vt altera phoenix, rediuiuus prodijt. Is verò sic scribit: Quòd duo Silli (Sillij vel Silij legendum aliqui putant) P. & M. Tribuni plebis rogarunt his verbis. Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oëtier &c. sex sextarij congius fiet vini, duodequinquaginta sextarij quadrantal fiet vini.

Iterum c. 66. Colum. lib. 12. cap. 25.

Iterum lib. 11. cap. vlt. Plin. lib. 18. cap. 7.

Sext. Pomp. Fest. pub. ponera.

Ex quibus verbis liquidò constare poterit, sextarium congij sextam, amphorae quadragesimam octauam partem fuisse; ideoque facili supputatione colliges, congium amphorae octauam partem fuisse: nam si quadraginta octo in sex diuidas, prodibunt octo: siue aliter: sexies enim octo fiunt quadraginta octo. Sextarium tandem in heminas, seu cotylas binas partiti sunt, vt auctor est Fannius.

HEMINA seu cotyle sextarium bifariam diuidit.

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius vnus.
At cotyle cyathos bis ternos vna receptat.

CYATHVS duodecima sextarij pars.

Sextarij cyathus pars est, quae est uncia librae.

Quibus quidem verbis illud manifestum fit, quo nos potissimùm indigemus, sextarium non secus quàm assem, aut libram in duodecim partes tributum fuisse, quas cyathos Graeca voce nominarunt; sic enim à sumendo, vel hauriendo vino dicebatur, quod cyatho pocula in conuiuijs dimetirentur. Ex quo fit, vt ijsdem nominibus, quibus librae partes nuncupare solebant, calices denominarent, qui consimilem cyathorum numerum continerent, atque illae vnciarum: sextantem enim appellabant calicem duos cyathos capientem, vel ipsos binos cyathos, quadrantem tres, trientem quattuor, quincuncem quinque, semissem sex, septuncem septem, bessem octo, dodrantem nouem, dextantem decem, deuncem vndecim, sextarium duodecim. Quae omnia explicata iam sunt, vbi de libra egimus. Nunc verò ex ijs, quae fusè à Scriptoribus afferuntur de vsu potandi in cenis, nonnulla afferre decreuimus, quibus harum partium vsus innotescat, & illud maximè, quanta sit nostrae aetatis bibendi libido ac licentia; facilè enim ostendetur, quamplures nunc reperiri ex ijs, qui temperatos, ac sobrios haberi se velle profitentur, qui largiùs quidem, ac liberaliùs ebibunt, quàm qui illius aetatis intemperantissimi, ac bibacissimi habebantur. Ac primùm Augustum commendat his verbis Tranquillus: Vini quoque natura parcissimus erat, non ampliùs ter bibere eum solitum super cenam in castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradidit; postea, quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit, aut si excessisset, reijciebat. Haec ille. Quibus, cùm largissimè biberet Augustus, sexies bibisse traditur; tota autem cena sextarij mensuram non excessisse, cùm sex sextantes sextarium compleant. cuius capacitas quanta fuerit infrà ostendetur. Sed apud Martialem poëtam frequens omnino est compotationum vsus.

QVANTVM antiqui in singulis cenis biberent, quantumque à nostrae aetatis aliquibus hominibus superentur.

Sueto. in Augusto cap. 77.

AVGVSTI in bibendo temperantia.

Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces:
Et quereris quòd non, Cinna, bibamus idem.

Martial. lib. 12. in Cinnam.

Et iterum de eodem sextante:

Sextantes, Calliste, duos infunde falerni
Tu super aestiuas, Alcine, funde niues.

Lib. 5. ad ministros.

De quadrante verò trium cyathorum sic ad Calatissum ministrum.

Addere quid cessas puer immortale falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.

Lib. 9. de Calatiss.

At quoniam vix potest bibendi licentia contineri, quin & in superstitiones, adulationes, ac turpia, & inhonesta prorumpat, quae sunt conuiuiorum, & nimiae compotationis sales, modum etiam inuenerunt, quo pluribus se ingurgitarent vini cyathis, si tot biberet vnusquisque, quot litteris idolorum, dominorum, vel amasiarum nomina exprimebantur. Quare subiungit:

VIX CONTINERI potest nimia compotatio, quin in adulationem, aut turpitudinem prorumpat.

Nunc mihi dic quis erit, cui te Calatisse decorum

Sex

Sex iubeo cyathos fundere? Caesar erit.

Duplicem quadrantem sex cyathis aequari dicit in Caesaris honorem, quem adulatorie vocat dcum. sex autem conscribitur litteris Caesar, quoniam diphtongi non coniunctè, vt modo; sed diuisè, vt à nobis his libris obseruatur, scribebantur. De triente verò sic:

DIPHTONGI olim diuisè scribebantur.

Lib. 9. ad Luperc.

Denso cùm iaceam triente blaesus.

Idem lib. 6. in bibentes aquam.

Et iterum.

Setinum, dominae que niues, densique trientes
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Prop. lib. 3. de nat. ami.

Et Propertius de eodem.

Cùm fuerit multa exacta trientibus hora.

Mart. lib. 2. ad libram.

De quincunce Martialis.

Te conuiua leget misto quincunce, sed ante
Incipiat positus, quàm tepuisse calix.

Idem lib. 11. de Caio & Proculo.

Idem verò de pluribus simul sextarij partibus sic scribit:

Quincunces, & sex cyathos, bessemque bibamus;
Caius vt fiat Iulius, & Proculus.

Idem lib. 1. ad somn.

Quincuncem verò sibi dari iterum petit, dum sic inquit:

Naeuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica falerno:
Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

Idem lib. 3. in Zoilum.

De septunce sic.

Septunce multo deinde perditus fletit.

Pet. lib. 3. de antiq. liquo. arid. q. mens.

Quos quidem mores quamuis peruulgati sint, & à Peto relati; tamen ideo libenter retuli, vt euulgari magis cum fuerint, facilè nostrae aetatis compotatores erubescant, se ab huiusmodi eius saeculi intemperantissimis viris minime superari.

Sed, ijs omissis, ad diuisionem sextarij reuertamur. Quamuis plures aliae referantur sextarij diuisiones, quoniam eae ferè omnes ad cyathos facilè reuocantur, ab illis modo supersedendum duximus, tunc explicandis, cùm de cyathis aliquanto fusiùs egerimus. at ne in aliquo studiosis huius disciplinae deesse videamur, eas diuisiones breui percensebimus. Ipse primùm sextarius in heminas, seu cotylas binas diuiditur à Fannio paulò superiùs relato, apud quem sex cyathis hemina constat. Gellius verò non eodem modo vsurpari contendens dimidium & dimidiatum: Contrà quoque, inquit, si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est.

Fann.

HEMINA.

Gell. lib. 3. cap. 14. noct.

QVARTARIUS.

Est & quartarius heminae dimidium, sextarij pars quarta, de quo mox Volusij afferam testimonium. Constat autem quartarius, haud secus, quàm quadrans, tribus cyathis. Diuiditur rursum quartarius in bina acetabula. Est autem acetabulum sextarij pars octaua, sesquicyathum capiens. Dicitur autem Hermolao acetabulum ab accipiendo; iunioribus verò ab aceto, Graecorum exemplo, qui consimile vas oxybaphum vocant, Hispani salsera; quoniam eiusmodi vasculis acetum, & consimilia ciborum condimenta apponi in mensis soleant. Huius mensurae medicis frequens est vsus, vt videre est apud Plinium. Diocles, inquit, difficilè parientibus, semen eius (fenigraeci) dedit, acetabuli mensura tritum. Et iterum: Vicenis, inquit, hordei libris, ternas seminis lini, coriandri selibras, salisque acetabulo torrentes &c. De cochleari, siue ligula mensurarum minima non satis constat, quota sit cyathi pars. Nam Columella: Ex eo molito, inquit, post salituram musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi eius, qui est quarta pars cyathi, adijcitur in binas vrnas. Et paulò ante dixerat: ita conijcitur in binas vrnas ligula cumulata, seu mensura semunciae bene plenae salis cocti, & triti. At Fannius longè aliter cyathi diuisionem tradit in hunc modum.

ACETABVlum. *Hermolaus Barbarus.*

Plin. lib. 24. cap. vlt.

Idem lib. 18. cap. 7.

COCHLEAR siue ligula. *Colum. lib. 12. cap. 21.*

At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri.
Quam vocant cyanem, capit haec cochlearia bina.

Cumque post pauca ponderibus has mensuras comparet, id, quod aliquanto obscuriùs dixerat, interpretatur: subdit enim:

Cochlear extremum est, scripulique imitabitur instar.

DE LIGVla, seu cochleari variae sententiae.

Quòd cùm paulò superiùs scripulum, seu gramma quater, & vigesies vncia contineri dixisset, cochlear toties cyatho contineri Fannio manifestum est. Hanc autem Fannij, & Columellae diuersam supputationem concordare nititur Lucas Petus, dum Fannium loquutum arbitratur de Graecorum cochleari, Columellam de Latino. Ego verò non video, cur potiùs hic, quàm ille ad Latinam, vel Graecam mensuram referendus sit, cùm vterque natione, lingua, orationis contextu alteri quàmsimillimus sit, hoc tamen excepto, quod Fannius ex professo, & de omnibus pariter mensuris disputat, Columella non item: ideoque Robertus Cenalis duplices mensuras his vocibus significari arbitratur, vocibus quidem pariter obscuris. Ligulam enim à figura primùm nomen accepisse putat, eò quòd oblongae, ac concauae linguae formam referret: postmodum verò ad certam quandam mensuram significandam vsurpatam fuisse. Neque sibi probari significat Martialis sententiam, qui sic inquit:

Luc. Pet. lib. 3. citato.

Rob. Cenal. lib. de men. & pond. rat.

Mart. lib. 14.

Quamuis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Quibus verbis nimis exactam Grammaticorum sollertiam carpit, qui vocis originem attendentes, lingulam dicerent, cùm contra eos staret vsus à maioribus receptus, quem quasi legem obseruare consueuerunt linguarum periti: ab eo facilè discedunt indocti, quibusdam excogitatis inanibus argumentationibus. Cochleare verò, inquit idem Robertus, duplicis mensurae nomen est, maioris scilicet, & minoris, cochleae formam praeseferat, & ab ea sortitur appellationem. docet hoc Martialis his verbis.

Martial.

Sum cochleis habilis, sed non mimus vtilis ouis
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

Quasi mirum esse dicat, si quis ignoret, quòd à forma cochleae potiùs, quam à rei alicuius vsu nomen accipiat. Haec ille. Quibus libenter assentimur: Cochleare instrumentum frequens est, quod nostris cuchara Italis cocchiaro dicitur, eiusque duplex est vsus, ac magnitudo: alterum paruum, quo in mensa iuscula, & liquidiores cibos edimus: alterum verò maius, quo pharmacopola, & cocus ollas, & cacabos despumant, & commouent, ne cibi, aut alia ad ignem applicata comburantur. Huius quidem magni cochlearis meminit Columella loco allato, atque iterum, cum mel saepiùs ligula purgandum praecipit, quam cyathi quartam partem capere tradit. Illius verò minoris cochlearis meminit Fannius, cum illud cyanis dimidium, cyathi verò vigesimam quartam partem esse dixit. Has porrò sextarij partes elegan-

Colum. lib. 10. cap. 15.

eleganti epigrammate percensuit Martialis, quod hic addere non grauabor.

Mart. lib. 8.

Quattuor argenti libras mihi tempore brumae
Misisti ante annos Posthumiane decem.
Speranti plures (nam stare aut crescere debent
Munera) venerunt plusve, minusve duae.
Tertius & quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quincto Septitiana quidem.
Bessalem ad scutulam sexto perucnimus anno.
Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octauus ligulam misit sextante minorem.
Nonus aculeolos in cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus iam non habet annus.
Quattuor ad libras Posthumiane redi.

Sed ne capitis modum excedere videamur, quae superfunt de aridorum mensuris, in caput sequens referenda videntur.

DE ROMANIS FRVGVM MENSVRIS *Medimno, & Modio.* *Cap. IV.*

RAETERMITTENDA non sunt ea, quae ad Romanas aridorum mensuras spectant; ea tamen quanta maxima potero breuitate percurram. Et quidem celebris apud Latinos Scriptores medimni mentio; eius verò quantitatem Fannius praescribit, ideoque de eo primum agendum duxi, atque examinandum, an Romanorum fuerit: nam, Graecam mensuram fuisse, ipsum nomen indicat, & apud omnes Scriptores receptissimum Cornelij Nepotis mox afferendi testimonium. Sed quamuis Agricolae videatur, medimnum Graecorum mensuram ita fuisse, vt à Cicerone non vsurparetur, nisi de rebus Siculorum tunc loqueretur, quippe qui non minima ex parte Graeci erant; nobis tamen, si licet ab Agricola dissentire, contrarium omnino videtur, Ciceronem id mensurae genus non vsurpaturum fuisse si ea à Romanis vsu recepta non fuisset. Quis enim non videat, non minùs Romanos, quàm Siculos Graecorum voces ex aequo vsurpantes, mensuras quoque vsurpare potuisse? id quod Fannij Romani Scriptoris confirmat auctoritas. sic enim scribit:

Agric. lib. 1. de mens. Rom.

Huius dimidium fert vrna, vt & ipsa medimni Amphora, terque capit modium; sextarius istum Sexdecies haurit, quot soluitur in digitos pes.

MEDIMNVS Romanorum Amphorae duplus.

Duo igitur pariter ex his Fannij versibus manifesta fiunt, ternos modios amphora contineri, senos medimno; quoniam medimnum amphorae duplum est. Et vt hoc obiter dicamus, quòd superiori capite praetermissum videretur, medimnus geometricè conficeretur, si bini pedes cubici sibi inuicem vna quauis superficie coaptarentur; fieret namque parallelepipedum, habens basim quadratam, Romani pedis altitudine duplicata. Medimni verò numerus is erit, qui ex duplo numeri amphorae fiet, siue si amphorae area in altitudinem duplicis pedis ducatur; sic enim fiet medimni numerus trium millium quadringentarum quinquaginta sex vnciarum cubicarum, vt margini addita exempla demonstrant. Sed ad medimni capacitatem probandam accedamus. Suidas Graecus legendus, qui, postquam medimnum dixerat fuisse mensuram aridorum, vt tritici, vel hordei, subdit: μέδιμνον οὖν μοδίων. ϛ. ὡς εἶναι μέτρον ξεστῶν οβ'. ἢ τοι λιτρῶν ρϛ'. medimnon vn modion 6. os inae metron xeston 72. iti litron 106. hoc est: Medimnum igitur modiorum sex, vt sit mensura sexta-riorum duorum & septuaginta, hoc est librarum centum & octo. Quibus verbis tria simul explicat: Primum, medimnum modijs sex compleri, sextarijs duobus & septuaginta, libris centum & octo. Secundum, modium habere sextarios sexdecim, libras octodecim. Tertium, sextarium pendere libram vnam semis, de quibus suis locis sigillatim agemus. Illud verò, quod ad medimni diuisionem spectat, confirmat Cornelius Nepos, qui de Pomponio Attico sic scribit: Auxit hoc officium alia quoque liberalitate: nam vniuersos frumento donauit, ita vt singulis sex modij tritici darentur, qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. Qui quidem Cornelij locus ita legendus est; Agricolae, & Alciati emendatione. Ausonius quoque de ternario numero sic scribit:

Cornel. Nepos in vita Pomp. Att.

Agricola. Alciatus. Auson. in Grippo.

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat vsus agendi.

Quadrantal Bacchi, qui Bromius cognominatur, tribus modijs expletur; medimna verò Siculabinis tribus. Et quamuis Agricola diuersa putet esse à Romanis Sicula medimna, tamen ab eisdem petita credenda sunt medimna, à quibus quadrantal, quod tribus modijs expletur. id quod ex Ciceronis verbis comprobari potest: Agri enim, inquit, Leontini decumae anno tertio venerunt medimnis triginta sex millibus, hoc est tritici modijs ducentis sexdecim millibus. quibus verbis planum fit, medimnum senos modios capere, cum prior numerus senario multiplicatus posteriorem efficiat. Deinde inferius ita subdit: Professio est agri Leontini ad iugerum triginta millia: haec sunt ad tritici medimnum nonaginta millia, id est tritici modium quingenta quadraginta millia. Qui quidem duo Ciceronis loci longè aliter à Budaeo citantur; ac subditur: Haec exempla Ciceronis corruptissimè hodie leguntur; sed partim ex locorum collatione, partim calculo emendantur: quae ideo citanda duxi, vt probarem, medimnum senos modios Romano more capere. Haec ille. Nos verò Agricolae emendationem, & lectionem potius sequuti sumus hoc secundo testimonio, quoniam calculi ratio illam magis probat. Nonaginta enim millia medimna, si per senos vnius medimni modios multiplicentur, efficient praedicta quingenta quadraginta modiorum millia. Ex his facilè colliges, Sicula medimna, de quibus Ausonius, & Romana, de quibus Cicero, & Attica, de quibus planè loquitur Suidas, eadem fuisse, vtpote eodem modiorum, vtique Romanorum, numero inuicem congruentia. Illud verò me ha-

Cicero in Verrem. lib. 3.

Bud. lib. 5. de Asse.

144 Amphorae area.
24 Duplicis pedis altitudo.
576
288
3456 Medimnus.

Suidas.

BROMII quadrantal, id est, vini.

36000
6
216000

90000 medimna
6
540000 modij

me hactenus consequi nulla ratione potuisse profiteor, quomodo pro eodem sumantur à Suida choenices quadraginta octo, modij sex, sextarij duo & septuaginta. Cùm enim mihi semper displicuerit, ac nunc etiam displiceat maximè dissidentium Scriptorum numeros ita conciliare, vt ex quolibet eorum vel errore, vel librariorum mendo nouae mensurae confingantur, satius esse duxi istorum numerorum indicare discordiam, quàm illam, facilem quidem, sed insciti ae plenam viam ingredi. Sed contra eos etiam pugnare videtur Iosephus, qui famem commemorans, regionem sub Claudio Imperatore obtinentem, sic scribit: Cum in festiuitate Asymorum allati essent farinae cori septuaginta, hoc est medimni Siculi triginta & vnus, Attici vero quadraginta & vnus, &c. Quibus verbis sollers quidam & doctus nostrae aetatis Scriptor probari putat, Siculum medimnum Attico maiorem fuisse quarta Attici parte. At quamuis ea ratio non plene respondeat Iosephi numeris, tamen aliqua ex parte conuenire videtur. Tamen mihi omnino persuasum est, librariorum fortasse vitio, aut ignauia locum hunc Iosephi ita esse corruptum, vt, donec pristinae redigatur integritati, nihil omnino probet: facit enim Siculos, aut Atticos medimnos maiores Hebraicis coris, dum plures coros, nimirum septuaginta, paucioribus numero medimnis exaequat, quod est longè à veritate alienum. Medimnum praeterea Epiphanius decem modios continere testatur: verùm, cum, de quo loquatur medimno, nulli sit notum, à nemine, quod sciam, reciptur. Reliqui omnes Scriptores medimno sex modios tribuunt; at corus, vt ex sacris litteris constat, decem continet batos, totidemque batis aequales ephi: batus autem minimum continet, ipso Iosepho teste, sextarios septuaginta duos, vt infrà docebo; qui sextariorum numerus per sexdecim modij, quos suprà habere probauimus sextarios, partitus dat bato modios quattuor, & semis: qui decies assumpti dant coro modios quadraginta quinque; cui modiorum numero nullus medimnum parem credet, quanto minus maiorem. Praedictae omnes cori computationes infrà afferendae sunt: quapropter & hic praetermittendae cum alijs, quae de medimno possent afferri; quoniam modij disputatio iamdudum me vocat.

NON BENE conciliantur Scriptores noui adinuentis mensuris.

Ioseph. 5. antiq. cap. vlt.

IOSEPHI locus de coro, & medimnis corruptus nihil probat.

Epiph. lib. de pond.

Infra cap. 8. huius.

Supra cap. 4. huius.

72|4½
16

10
4½
45

Modius Romanorum propria mensura, & vox est; quamuis Epiphanius, & eum sequutus Isidorus ab Hebraea lingua eam desumptam putent, modiumque continere sextarios duos & viginti; tamen ipsa vox, & notio Latinis frequens Latinam eam esse ostendit: est enim quasi modus, quo frumenta dispensantur. terque sumptus amphoram complet, quod Fannij allato testimonio probatur; & ab omnibus Scriptoribus ita receptum est, vt à nemine, quod sciam, in dubium reuocetur. fateor tamen, postquam haec scripseram, quendam non contemnendae auctoritatis Scriptorem me legisse, qui Siculos, ac Cyprios modios Italicis maiores facit, Iosephi, & Epiphanij allatis fretus testimonijs; id tamen nulla ratione admittimus, donec ostendat, vt dixi, Iosephi integrum testimonium, atque Epiphanij verba interpretetur, & ostendat quomodo cum alijs consimilis auctoritatis Scriptoribus concordent. Ac ne haec etiam noua sententia aliquibus occasio sit à nostris recedendi, quamuis & id liberum vnicuique pro arbitrio sit, curandum tamen nobis omnino est, ne id merito, aut iure fieri possit. Quapropter examinanda iterum proponimus Ciceronis, atque aliorum allata de medimno testimonia; & perpendendum, an, quando, verbi gratia, Cicero medimnos modijs comparat senos singulis tribuens, de alijs loquatur modijs, an de Romanis. si de alijs dicat, fuissent sanè illi cum Romanis, vel cum altera notiori Romana mensura conferendi, vt quanti essent ab auditoribus perciperentur. Quod si de Romanis loquutus fuisse dicatur, vt reuerà loquutus fuit, teneamus hos modios Romanos, quos nouimus: illos enim Siculos, aut Cyprios nec nouimus, neque vnde probentur hactenus percipere potuimus. Hic verò operaepretium duxi aliqua afferre Scriptorum testimonia, quibus manifestus fiet modiorum vsus, priscis illis hominibus frequens. Varro: *Var. lib. 1. de re rust. c. 44.* Seruntur, inquit, fabae modij in iugero, quattuor; tritici quinque, hordei sex, farris decem; sed nonnullis locis paulo amplius, aut minus. Et iterum: *Idem lib. 3. cap. 6.* Hordei pauonibus singulis, mensibus singulis, modij singuli. Et Cato: Familiae cibaria, qui *Cato. cap. 66.* opus faciant, per hyemem tritici modios quatuor per aestatem modios quattuor semis. Haec ille.

Modius in sextarios sexdecim diuisus fuit, iuxta Fannij ab omnibus recepti allatum testimonium. Fuit etiam & semodius modij pars altera, quod, ipsum nomen indicat, Varrone teste, *Varro. de lingua Lat. lib. 4.* qui sic scribit: Semuncia, quod dimidia pars vnciae: se valet dimidium, vt in selibra, semodio. Haec illae. Quibus addendum duxi alterum eiusdem testimonium, alibi de semodio sic scribentis: In vicenas centenas turtures ferè semodium aridi tritici. Fuisse autem modios, & semodios ex lignea materia, patet ex Catone, qui inter vineae instrumenta modium praeferratum vnum, semodium vnum requirit. Si enim lignei non fuissent, vix credendum est, vt praeferrari potuissent. Muniebantur autem modiorum orificia ferro, ne vsu attrita mensuram redderent minorem, id quod tum Romae, tum etiam alibi obseruari consueuit. Sed praetermittendum nulla ratione videtur sale plenum Sancti Hieronymi testimonium, quo modij magnitudo aliqua ex parte *S. Hieron. in vita Hilarionis.* conijci poterit. Is enim Marsitam quendam refert, quindecim frumenti modios diu longeque portasse, & hanc habuisse palmam fortitudinis suae, si asinos vinceret. Cum igitur leuissimi frumenti modio libras viginti tribuat Plinius, efficient modij quindecim libras minimum trecentas, quod pondus vix, aut nulla ratione asinus diu, longeque portet. Sed iam ad reliquas frugum mensuras breui percensendas curramus.

15
20
300

Sextarij partibus, haud secus quàm ipso sextario, promiscue vtebantur Romani, & ad arida metienda, & ad liquida commensuranda; ita vt aprissimè Agricola disputationem suam de mensuris Romanorum in epitomen redigat: Romanis, *Geor. Agr. de mens. Rom.* inquiens, mensurae rerum liquidarum tantummodo fuerunt, culleus, amphora, vrna, congius, quartarius: aridarum solùm modius, semodius; humidarum, & siccarum simul sextarius, hemina, acetabulum, cyathus, ligula. Hactenus Agricola. Nos verò caput hoc Volusij Metiani testimonio claudere decreuimus; is enim, Bernardo Rutilio ex Politiani sententia attestante, iurisprudentiae peritus ita fuit, vt librorum eius plurima capita in Digestis vim legis obtinuerint. Huius etiam rei auctor est Antonius Augustinus.

Epith. lib. de mensuris.

Isid. lib. 16. orig. cap. 25.

Volus. Metianus.

Bernard. Rutil. in vitis Iurisconsl.

Anton. Aug. lib. 2. emend. cap. 7.

Idem

Idem etiam Metianus & Antonini Philosophi praeceptor fuit, & magnae auctoritatis apud omnes, maximè Iurisconsultos. Is igitur sic scribit: Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet vrnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios octo & quadraginta, heminas sex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos sexaginta sex. Hactenus ille. Nos verò, quoniam Romanas mensuras vna cum Graecis, & Hebraicis inter se contulimus, earumque omnium proportiones in vnam tabulam redegimus, quo sub vnum omnes simul aspectum possent proferri, eamque ad finem huius libri cum alijs adiecimus, eo lectorem remittimus, & finem huic capiti imponimus.

DE GRAECORVM METRETA, ET AMPHOREO, *necnon de Hebraeorum cado.* *Cap. V.*

TAta sunt apud Scriptores antiquos omnes Graecorum mensurae Romanis permistae, vt vix quidquam de illis percipi possit, quin harum quoque tractatio misceatur. Harum verò ratio, quae tota ex illarum collatione pendet, vix, aut ne vix quidem cognosci poterit, vel expendi, quin illae quoque cognoscantur. Id quod ea potissimùm ex causa vsu venire arbitramur, quòd non minùs Graecis Romanae, quam Graecae Romanis mensurae diuersis temporibus, ac rerum vicissitudinibus communes fuerunt. Quapropter nullum alium, aut naturae, aut disciplinae ordinem in hac disputatione obseruare poterimus, quàm illum, quem ipsaemet exigebant mensurae; quique minus eadem repetere cogat. Atque adeo, priusquam inceptam de Romana amphora, sextario, ac modio disputationem absoluamus, hic aliqua de Graecis mensuris interserere decreuimus. Ac primùm de metreta; quae sic dicta videtur à verbo μέτρέω metreo, quod est metior, quòd haec fuisset quasi prima, & velut aliarum, ac sui mensura. Quod nomen proprium cuiusdam mensurae fuisse planè testatur Aristoteles, qui prudens quoddam Timothei Athenienſis consilium his verbis enarrat: Cùm rerum, quae ad viuendum necessariae sunt, in castris penuriam cerneret, propter eos, qui aduehebant, quidquid tritici venale habendum erat, molere vetuit; nec idem dimensum vendere medimno minùs: neque item de liquoribus partem vllam ea mensura minorem, quae propriè metreta vocatur: ergo ipsorum ordinum duces; quique manipulis praeerant, quae aceruatim congesta emerant, ea minutatim postea militibus distribuebant. Et qui ventitabant, secum ferebant, quae necessaria sibi putarent ad victum: qui deinde abeuntes vendebant, si quid residui ipsis foret: ex quo id euenit, vt milites victu abundarent. Quibus verbis Aristoteles, dum mensuram quandam propriè metretam dici testatur, alias communi voce eodem nomine compellari solitas fuisse insinuat: id quod Cleopatrae testimonio liquet, metretae sextarios tribuentis duos, & septuaginta; Syrorum autem metretae sextarios sex; Italorum centum viginti: non enim possent tam diuersae mensurae eodem nomine compellari, nisi nomen omnium ferè mensurarum commune fuisset. Huius vocis vsus non infrequens est Latinis. Cato enim: Oleum, inquit, si in metretam nouam inditurus eris, amurca, ita vti est cruda, priùs colluito, agitaque diu, vt bene combibat; id si feceris, metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet; & ipsa metreta firmior erit. Hac etiam ratione vocem vsurpauit Columella; nec tantùm, sed & pro certa mensura: ait enim: Picis liquidae metretam adde in labrum. Et iterum: Quantum vini vno die fecerit, eius partem decimam, quot metretas efficiat considerato, & totidem metretas aquae dulcis in vinaceae addito. Sed & in municipalibus iuribus, quae ante trecentos & amplius annos vigebant, auctore Peto, Haec leguntur: Omnes mensurae, tam rublitellarum, quàm congitellarum vini, & olei, quarteronum, & metretorum sigillo senatus signentur. Haec ibi. Porrò haec mensura, vtpote frequens, pluribus nominibus censetur apud Graecos. Dicitur enim eadus, quam vocem magnum etymologicum sic interpretatur κάδος σκεῦός τι παρὰ τὸ χαδῶ χαδήσω ὃ δηλοῖ τὸ χωρῶ. ῥηματικὸν ὄνομα χάδος καὶ κάδος. τὸ χωρητικὸν ἀγγεῖον. hoc est cadus vas quoddam à verbo chado, quod significat capio. verbale nomen chadus, & cadus, vas capax. Quae vox à Latinis quoque vsurpatur ad vinaria vasa potissimùm significanda. Martialis.

In Vaticanis condita musta cadis.

Et iterum.

Quadrantem duplica de seniore cado.

Nonnumquam etiam pro paruo vasculo, seu cyatho accipitur, vt docet Athenaeus hos adducens versus de quodam Pasisocle.

Ἐξ ἠοῦς εἰς νύκτα καὶ ἐκ νυκτῶν πασισωκλῆς
Εἰς ἠοῦν πίνει τετρακόσιοι κάδοις.

De luce in noctem, & de nocte in lucem Pasisocles quadringentis bibit cadis. Vox haec ab Hebraea כד cad desumpta videtur, cuius quamuis origo ignoretur, notio tamen Graecae est persimilis. Quidam enim à radice כידוד cidod scintilla fauilla, deducunt sine etymologia. Alij à voce deriuant לכד lacad instrumenta esse putantes, in quibus capitur ignis. Vel, vt alij existimant, à capiendo dicitur, vel quod in se contineat, vel quod ansis capiatur. Alijs radix esse propria videtur, quamuis eiusdem rationem percipere non potuerint. Ego verò, si meam quoque liceat inter alios admiscere coniecturam, ex ea voce deductam puto Italicam catino, quasi dicant cadino, vtpote quae eundem significandi modum adhuc obseruet, quamuis huius forma omnino antiquae similis non sit. Nam in Genesi saepiùs Latina vox hydria Hebraicae כד cad respondet. *Et ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, &c: habens hydriam in scapula sua. &: Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua &c.*

Cele-

METRETA etiam apud Latinos. *Cato. cap. 107*

Colum. lib. 12. cap. 22. & 40 & 51.

Luc. Pet. lib. 4. de mens.

CADVS quasi capax dicitur.

Martial. lib. 9

CADVS pro cyatho. *Athene. lib. 11.*

CAD HEBRAEORVM à capiendo dicitur.

CAD IN Hydriam conuertitur. *Genes. 24. V. 15. & V. 17.*

METRETA dicta, quasi mensura. *Arist. lib. 2. Oeconom. qui de re familiari inscribitur.*

Celeriterque depositit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Quibus locis, & forma, & magnitudo cadi facilè conijci posset, vtpote quae & portari à virgine potuisset, & qua in vlnas accepta potari potuisset Abrahami seruus; essetque ad hauriendam de puteo aquam non inepta. Neque verò huic dissimilis est cadi vsus, quem refert historia Regum, cum Elias coram omni Israele, eiusque Rege Achab sacrificium illud instituit, quod caelesti igne absumptum, Dei optimi gloriam atque potentiam à calumnijs pessimorum vindicauit. Postquam enim ligna, & carnes super altari compositisset Elias, ait: *implete quattuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna.* Id cum semel, secundo, ac tertio fecissent: *Currebant aquae circum altare, & fossa aquaeductus repleta est:* eam verò fossam, quae plena aquis fuit, magna vtique credenda est. nam vbi nos legimus: *fecitque aquaeductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris*, Septuaginta legunt: capientem duas metretas seminis circa altare. Quidam è recentioribus: fecit aggerem, velut intercapedinem satorum duorum seminis circa altare. Sed hunc locum susiùs infra explicabo.

CADI VSVS varij.

3. Reg. 18. V. 34. & 35. & V. 32.

Forsterus in dictionario.

CADI FICTILES.

Fuisse autem fictiles plerumque cados, perspicuum est in celebri illo Gedeonis aduersus Madianitas stratagemate: nam in eiusdem historia sic legimus: *Dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.* & post pauca: *Coeperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.* & iterum: *Et hydrias cum fregissent.* Elegantissima illa, omnique eruditione plena Ecclesiastis methaphora hoc idem indicat: *Et conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.* Rabbi Dauid sic explicat hunc locum: Indicat ventrem, qui findetur. Et dixit, super fontem, indicans sepulchrum, quemadmodum dixit: & conteretur rota super cisternam: vt enim cadum ad fontem deferunt, qui est locus eius, sic est locus hominis sepulchrum, & ibi scindetur venter eius. Fuisse autem hoc vas ore latiori, neque tantum ad aquam hauriendam, verùm etiam ad farinam, aut similia asseruanda, probat Sareptanae viduae ad Eliam responsum: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria*, cui Elias Dei nomine dicit: *hydria farinae non deficiet*, &c. quibus omnibus locis, hydriae, aut lagenae, in Hebraeo, respondet cadus: quamuis ex his, aut alijs locis vix percipi possit, an cadus mensurae genus fuerit, aut cuius capacitatis; cum vbique vas cuiuscumque magnitudinis aeque possit intelligi. Sed ad Graeca reuertamur.

Iudic. 7. V. 16. 19. & 20.

Eccles. 12. V. 6.

Rabbi Dauid in lib. rad.

CADIS etiam farina asseruabatur.

3. Reg. 17. V. 12. & 14.

Hesichius. Hesichius vocem κάδος cados dum interpretatur, aliam quoque vocem, idem, quod metreta, significantem exponit, κάδος, inquiens: κεράμιον, id est, cadus est ceramium. & alibi, κεράμιον τὸ τοῦ οἴνου ἢ ὕδατος σαμνίον, ceramium est stamnium, hoc est seria, seu amphora vini, vel aquae. Aristophanes ὅτ' ἐγὼ μὲν ὢ Διόνυσος υἱὸς σαμνίου, id est, quando ego Dionysius Stamnij sim filius. Vbi interpres: Filius Stamnij, dixit, tacita significatione; quandoquidem vinum in stamnium mittitur. Dicitur etiam amphora Attica, sicut è contra amphora Romana ceramium Italicum dicitur Galeno. Nomina verò, & mensurae capacitatem accuratè satis significauit eleganti carmine Fannius.

Aristopha. in vens.

Galen. lib. de pond. & mens.

Attica praeterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies, nostrae si adieceris vrnam.

Diuisa namque in duas vrnas, vt vidimus, amphora, ex eis continet metreta vrnas tres. atque adeo, cum notus sit numerus congiorum, & sextariorum, quos continet vrna, is ternario multiplicatus, congios, vel sextarios metretae facilè indicabit. Habet enim vrna congios quattuor, metreta duodecim. Habet vrna sextarios quattuor & viginti, metreta duos & septuaginta. Italicum ceramium, inquit Galenus, habet coas octo, chus sextarios sex. sexies octo, vel octies sex efficiunt planè sextarios quadraginta octo, quibus si addas vrnam sextariorum quatuor & viginti, erunt omnes metretae sextarij duo & septuaginta, vt prius. Quam sententiam confirmat Nicandri interpres Cleopatra, Epiphanius, atque alij quamplurimi. In re autem tam perspicua deesse nullatenus possunt contentionum impedimenta. Dubitat namque Robertus Cenalis, immo verò non dubitat, sed constanter tenet, sextarios Atticos septuaginta duos metreta contineri, non verò Romanos: nam & quadam vnciarum & ponderum ambiguitate deceptus, Fannium quoque falsum fuisse putauit. Robertum alij sequuti, dubitari posse existimant, de quibus sint intelligendi sextarijs Graeci Scriptores, qui duos & septuaginta metretae tribuunt; atque in eam partem inclinant, vt existiment Atticos potiùs esse sextarios, vt mensura maior, & minor eiusdem generis sit. Ego verò in eam sententiam non solùm propendeo, verùm manibus, ac pedibus ad illam accedo: quoties enim Scriptores aliquam referunt mensuram, suae & alterius gentis communem, de propria loquuti existimandi sunt, quoties seipsos de alia loquutos non indicabunt; vt fecit Galenus, cum Italicum dixit ceramium; & Fannius, cum Atticam amphoram. Verùm ex hac assumptione longè aliam ab illis conclusionem conficio, nimirum aequalem omnino fuisse Graecum sextarium Romano, immo eundem. Nam cum Graeci illi omnes, quos retulimus, magnae auctoritatis viri metretam definiant fuisse sextariorum duorum & septuaginta; eandemque metretam tribus Romanis vnis aequalem fuisse testetur sollertissimus Romanus Fannius (Fannius inquam, cuius auctoritatem sine euidenti aliqua ratione eleuare non poterit Cenalis, qui nullam hactenus ostendit) certò affirmabimus vrnas Romanas tres, Atticis sextarijs duobus & septuaginta aequales fuisse, iuxta celebre illud Mathematicorum axioma: Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. At constat ex dictis, vrnas tres aequales esse Romanis sextarijs duobus & septuaginta; ergo eodem axiomate cogimur affirmare, Romanos sextarios duos & septuaginta totidem Atticis aequales fuisse: quapropter & vnum vni aequalem fuisse necessarium est. Verùm ad ponderis rationem mensuralium, & ponderalium vnciarum, & librarum confusam multitudinem confugiunt, qui omnia confundunt, dum lucem afferre huic difficili tractationi profitentur. Verùm meridiana luce clariùs apparebit, vt spero, quam haec, quae de mensura diximus, cum ponderibus, vncijs, libris, atque alijs concordent, cum primùm mensurabilium rerum inferiùs pondera pertractabimus. Nunc enim binis alijs Galeni, &

Vidimus cap. 2. & 3. huius.

Galen. lib. de mens.

Nicand. interpres.

Cleopat. lib. de munditi.

Epiph. lib. de pond. & mens.

Rober. Cenal. lib. de pond. & mens. §. de metreta.

IDEM FVIT apud Graecos, & Romanos sextarius.

Dio-

Dioscoridis argumentis solutis, absoluta erit haec metretae disputatio. Galenus namque videtur asserere Atticum ξέστε xeste sextarium minorem fuisse Romano; scribit enim in haec verba: Caeterum sextarij Romani Heram meminisse puto: nam apud Athenienses, neque mensura, neque nomen hoc erat. Nunc, ex quo Romani imperare orbi coeperunt, nomen sextarij apud omnes, quae lingua Graeca vtuntur, nationes exiit: ipsa verò mensura Romanae aequalis non est, quippe alij aliam sextarij mensuram vsurpant. Haec ille. Ex quibus non video (ingenij mei tarditatem fateor) quomodo colligant prudentes viri, Atticum sextarium minorem Romano fuisse; cum non omnes, qui Graeca lingua vtuntur, Attici sint. Igitur, donec alia ratione probetur, teneamus, Athenienses cum Romani sextarij nomine mensuram quoque Romanam vsurpasse; quamuis omnes aliae Graecorum nationes nomen vsurpantes idem, eandem mensuram non admiserint, sed maiorem alij, alij minorem, vt Galeni verba indicant. Dioscoridem praeterea nobis opponunt, qui in vino è veratro confecto sic scribit, ἔστι δὲ ὁ μετρητὴς χόες ι. ideſt, est autem metreta choum decem. Hanc autem lectionem amplexatus Budaeus Fannium facilè reijcit; cum contra debuisset: Fannij namque expressum est testimonium, in quo nulla est dubitandi ratio; Dioscorides verò nihil his aduersatur, qui litterulis illis Graecis ιβ. numeros notauit, quarum vel exscribentium festinatio, vel temporum iniuria alteram potuit abscondere, aut abolere; ita vt meritò iuxta Alciati, Agricolae, atque aliorum doctissimorum virorum censuram, addenda potiùs videatur littera β. binarium numerum indicans, quàm ab omnium ferè grauissimorum virorum sententia recedendum; cum horum tanta sit auctoritas, & dignitas, vt, cum illis Dioscoridis perspicuum testimonium obijceretur, perpendendum omnino esset, huicne, an illis esset adhaerendum.

Gal. lib. de comp med. per gen. c. 16.

RESPONdetur ad argumenta.

Dioscor.

DIOSCORIdis locus correctus.

Budaeus de asse.

Metretam igitur iam satis perspectam esse putamus. eius partes dum persequimur, primum occurrit amphoreus, sic dictus Agricolae, quasi ansatus: vas enim erat vtrinque ansas habens, quibus capi, & portari facilè posset. Vsurpatur-que praeterea nomen ad genus quoddam mensurae significandum, vt videre est apud Aristophanem. Ὁ δ' ἀμφορεὺς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου. ideſt, Amphorae autem, seu amphorei vini nigri, atque odorati, subaudi, pleni. Eiusdem meminit Herodotus de argenteo cratere vna cum aureo Delphos à Croeso misso, his ferè verbis scribens: Argenteus autem (crater) in angulo vestibuli templi (situs erat) χωρέων ἀμφορέας ἑξακοσίους. choreon amphoreas exacosius capiens, amphoreos sexcentos. Et Lacedaemones apud eundem cratera aeneum Croeso dono mittunt, μεγέθει τριηκοσίους ἀμφορέας χωρέοντα, hoc est capacitate trecentos amphoreos continentem. Quantum verò amphoreus capiat, quamque habeat ad metretam proportionem, explicat Nicandri interpres his verbis. ὁ ἀμφορεὺς ξέστας τριάκοντα ἕξ, ὁ μετρητὴς ξέστας ἑβδομήκοντα δύο. ideſt amphoreus capit sextarios sex & triginta, metreta duos & septuaginta. Hanc eandem sententiam tenuit Cleopatra his verbis. καὶ τὸν ἀμφορέα ξεστῶν. λϛ. κοτυλῶν. μπ. τὸν δὲ μετρητὴν ξεστῶν. οβ. κοτυλῶν ϟϛ. ideſt, & amphorea (subaudi, inueni in Georgi-

G. Agric. lib. 1. de mens. Rom.

AMPHOreus quasi ansatus dicitur.

Aristoph. in Pluto.

Herodotus lib. 1.

Nicandri interpres.

cis, hoc est rusticanis) sextariorum sex & triginta: Metretam verò sextariorum duorum & septuaginta; cotylarum sex & nonaginta. Ex quibus verbis non bene inferunt nonnulli, omnes agricolarum mensuras diuersas à communibus fuisse. Cum enim metretae tribuat eum sextariorum numerum, quem suprà communi metretae tradiderat, planè ostendit, eandem ciuicam, & rusticanam metretam fuisse. id quod ex allatis Nicandri interpretis, atque aliorum testimonijs, quorum sermo ad agricolas spectat, planè probatur. Atque illud maximè ex collatione numerorum liquet, amphoreum à metreta dupla proportione superari, haud secus, quàm numerus triginta sex à numero septuaginta duorum. In hoc tamen diuersae videntur esse à ciuicis georgicae mensurae, quod cotylem, choenicem, aut choeum diuersam à communibus faciunt, vt suis locis infra videbimus.

AMPHOreus metretae dimidium continet.

COTYLEM, choenicem, choeum diuersum agricolae à communi faciunt.

CHVS CONGIO PAR SEX CONTINET *Romanos sextarios, qui totidem Graecis sunt pares.* *Cap. VI.*

CHVS menſurae nomina plura vnus commemorat Suidas, dum scribit: χόος δ' ἐξέστος, χόους γὰρ δύο ξέστας χόους δὲ ἕξ. hoc est, choos duorum sextariorum: Chus enim duo sextarij; choeus autem sex. Hunc verò locum meritò putauit Agricola corruptum fuisse, atque legendum: choenix habet sextarios duos, choeus sex. sed eiusmodi diuinandi ars non omnibus placet; ideoque nullum inconueniens sequi putarem, si quis assereret, apud alias respublicas, aut gentes aliam mensuram fuisse eodem nomine, immutato tamen iuxta dialecti suae rationem. Nos verò de Atticis tantummodo mensuris disputantes satis superque nostro instituto feciſse putamus, cum de eis id, quod probabilius videatur, ostenderimus. Chum igitur Graecorum mensuram Hesichius μέτρον ὑγρόν metron hygron vocat, hoc est mensuram humidorum, cuius planè capacitatis ad alias mensuras, non Graecorum modò, verum etiam Romanorum, perspicua est apud Fannium proportio: cuius viri auctoritas, ac fides mihi maxima est. Is namque carmine ita de mensuris loquutus est diluciде, ac vere, vt ferè nullus alius soluta oratione. Quapropter in eius sententijs minor datur disputandi atque altercandi occasio: qua ex causa fortasse ab aliquibus non magni fieri solet; nobis verò propterea maximi. Is verò de sextario sic scribit.

Suidas.

Agric. lib. 2. de pond.

Hesichius.

Fannius.

Qui quater assumptus fit Graio nomine choenix,
Adde duos, chus fit, vulgo qui est congius idem.

CHVS SEnos sextarios continet.

Senos igitur sextarios continet chus. Et certè

mirari non desino, qua ratione de sextariorum genere aliqui ambigant, cum Fannius vnum tantummodo definierit sextarium, quo sexies assumpto Chum fieri tradiderit; eumque vulgari Romanorum congio aequalem fuisse dixerit. Id quod feciſſe videtur, ne de capacitate Graecae mensurae chus dubitari posset, cum ea dicatur congio Romanorum aequalis. neque de sextariorum varietate vlla incidere posset suspicio, cum par eorum numerus in Graeca, atque Romana mensura contineretur. Atque hoc idem ex metretae, & choei collatione pari ratione probatur. Ostendimus namque metretam, & choas Atticos continere duodecim, & sextarios Romanos duos & septuaginta; si ergo hic sextariorum numerus per duodenarium diuidatur, dabit choeo senos Romanos sextarios, quod videbatur probandum. Id etiam Cleopatra, Dioscorides, & Galenus confirmant. Sunt tamen aliqua, quae huic possent opponi sententiae, quae examinanda sunt, quo ea magis perspecta sit, & confirmata maneat.

72|6 12

Cleopatra. Dioscorides. Galenus.

Leuit. 19. ℣. 36.

Ac primum locus Leuitici, qui sic in Hebraeo legitur מאזני צדק אבני צדק איפת צדק והין צדק meozne tsedec abne tsedec, ephat tsedec vehin tsedec. Quae verba sic conuertuntur in Regio codice: Statera iustitiae lapides iustitiae, epha iustitiae, & hin iustum erit vobis. Septuaginta interpretes ζυγὰ δίκαια καὶ σταθμία δίκαια καὶ χοῦς δίκαιος. ziga dicea ce stathmia dicea ce chus diceos. Sic autem ea verba conuertuntur in Sixtiano codice. Staterae iustae, & pondera iusta, & congius iustus erit vobis. Harum verò lectionum facta collatione, nemo non videat Septuaginta interpretes non verba transtulisse, sed sensum, atque mensuram vnam Graecorum chum pro duabus Hebraeorum ephi, & hin substituisse. Quos imitatus Vulgatae Latinae versionis interpres sic scripsit: *Statera iusta, & aequa sint pondera, iustus modius, aequusque sextarius*. Non enim significare voluit aequalem fuisse aut modio ephi, aut hin sextario, cum non minùs, quàm senaria proportione vtraque Hebraea mensura vtramque Latinam excedat; sed aeque his, atque illis mensuris legis statutum, & Legislatoris mentem percipi: vnius namque, aut alterius mensurae commemoratione facta, omnium, nulla excepta, aequitas, & solicitudo praecipitur.

SEPTVAginta: chum pro ephi substituentes contextum potiùs verborum, quàm mensurarum aequalitatem respexerunt.

MENSVRArum omnium aequitas praecipitur.

Maius tamen negotium nobis facessere videtur Sancti Hieronymi locus, qui sic habet: Sterilitatem, inquit, cibi, aquae auget sterilitas. Sextam enim partem mensurae Hebraicae, quae appellatur hin, iubetur per singulos dies bibere. Porro hin duos χόας choas Atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita vt hin mensura sit Iudaici sextarij, nostrique castrensis, cuius sexta pars facit tertiam partem sextarij Italici. Hactenus ex Hieronymi commentarijs desumpta sunt verba, quae non modicam Agricolae, & Alciato praebuerunt disceptandi occasionem: Alciatus namque hanc, vt Hieronymi admittit sententiam, eamque Plinij testimonio mox afferendo confirmare conatur. Contra Agricola deprauatum ita putat esse locum, vt minimè credat Hieronymi proferre sententiam; atque huic opinioni ita plus nimio adhaeresci, vt priùs admittat Hieronymum, quem vt sanctissimum, ac doctissimum virum commendat, hac in patte minùs diligenter scripsisse, quam ea, vt vera recipere, quae eiusmodi verbis continentur, doctissimorum virorum testimonijs aduersa, nulliusque probati Scriptoris testimonio comprobata. At nos id licere nullatenus putamus. Sanctissimi, doctissimique viri sententiam examinandam primùm esse censemus, qua perspecta, mox facilè appareat, quidnam sit ab alijs superadditum. Atque vt rem ipsam perspiciamus, videamus an cibus, quem putat Hieronymus Ezechieli praescribi, potui respondeat: ait namque distertis verbis panem vnum, qui diurnum praestaret cibum, decem vncias pependisse, qui quidem panis, vt ipse inquit, vitam protrahere sine vllo miraculo posset. At potus, quem ea verba videntur significare, tertia est vnius Romani sextarij pars, hoc est cyathi quattuor, qui potus vix gallinae sufficiat in diem, nedum humano corpori ieiuno, cui fames ipsa humidum corporis consumens, sitim exaestuare cogeret. Vidimus suprà, singulis potationibus abstemijs trientes, hoc est quattuor caythos propinari; namque alij quincunces, & septunces, singulis vicibus, ijsque frequentibus potabant. quid ergo, Propheta trientem vnum tantùm integro die, quattuor & viginti horarum, sumat? certè non fit verisimile. quapropter, neque id traditum fuisse à Sancto Hieronymo vnquam credemus, sed tantum verba illa: porro hin duos choas Atticos facit, scripsisse, in quibus sententiam Iosephi planè sequutus videtur, qui eadem planè verba multo ante scripserat. Eam porro sententiam explicare voluisse videtur, subiungens, & illa: quam sextam partem hin nos appellare possumus duos sextarios Italicos, tantum enim existimanda est eius capacitas, cum chus, vel congius sex capiat sextarios. At vero, quae sequuntur, omnia ab aliquo sciolo addita margini fuisse conijcimus, quae postmodum librariorum incuria in textum relata sunt, & simul vox illa, quam, in, quos, mutata fuit.

NON LICET à sanctorum opinione cum eorum reprehensione discedere.

Supra cap. 3. huius.

Ioseph. 3. antiq. cap. 9.

HIERONYmi locus expurgatus, & explicatus.

Fefellit praeterea Alciatum Plinij mendum, vt putaret hanc, quam modo refellimus Hieronymi fuisse sententiam. Nam de nectarite vino componendo scribit, & eam, quae Graecè habebatur Dioscoridis sententiam, in Latinum sermonem transtulit, & vbi legerat: vncias quinque in choas sex, ipse scripsit: ponderis quadraginta denariorum in sextarios sex musti. Ex quo colligit Alciatus, choam sextario aequiparari. Verumtamen, quam sit eiusmodi coniectura à veritate aliena, docuit pluribus Agricola; cui, vt perito medico, maxima videtur hac in parte habenda fides. Si quis enim, inquit, sicut verba Plinij leguntur, composuerit, non vinum conditum, sed omnino pharmacum quoddam efficiet: est enim Helenium perualidum medicamentum. Quapropter, ne eiusmodi oscitantiae notam Plinio inuramus, placet mihi eiusdem Agricolae coniectura; Plinium videlicet scripsisse sextarios triginta sex: vt enim quinque vncias in quadraginta denarios distribuit, octo denarios indicans singulis vncijs contineri, ita etiam sex choas, vel congios per triginta sex sextarios distribuit, singulis congijs senos vtique tribuens sextarios. Nec mirum est, si postmodum temporum iniuria, vel librariorum incuria tricenarius ille numerus exciderit qui addendus est modo. Sed alicui fortasse videbitur, ostendendum à nobis hic fuisse, quanam ratione

PLINII LOcus emendatus.

Plin. lib. 14.

G. Agr. lib. 2. de mens. Gre.

OCTO DEnarios singulis vncijs tribuit Plinius.

Agricola. Alciatus.

tione Romanus sextarius Attico ξέστου xestu sit par, id quod iam satis suprà probatum esse videtur: siquidem planè ostendimus, Plinij sequuti sententiam, choum senos habuisse sextarios, aequalemque fuisse Latino congio, qui sex habuit sextarios Romanos. quapropter necessarium omnino est huius, atque illius partem sextam aequalem quoque fuisse. Sed objiciuntur à multis multa antiquorum Scriptorum testimonia, quae, dum aliud, atque aliud pondus sextario, aut cyatho praescribunt, diuersam videntur indicare sextarij capacitatem, & magnitudinem. Verùm cum inconueniens non sit, immo necessarium, eandem mensuram diuersis rebus plenam diuersa sortiri pondera, non priùs eiusmodi argumentationibus satisfecero, quàm rerum pondera, quae superiori libro expendimus, ad ipsas mensuras applicemus. Quapropter in commodiorem locum eiusmodi responsiones reseruandas putamus.

DIVERSVM fuisse sextarij pondus cum diuersis rebus plenum appenderetur.

DE GRAECORVM COTYLE, CHOENICE, *Hebraeorum caph, necnon de Romanorum demenso.* *Cap. VII.*

DIVERSA plane de cotyle, & choenice tradunt Scriptores, vix vt audeat Portius, aut Budaeus de huiusmodi mensuris certi aliquid statuere. At quamuis voces ipsae plura significent, atque adeo cum pro mensura vsurpantur, non certam aliquam apud omnes significent, sed apud alios aliam atque aliam; nos verò eam perpetuò vsurpabimus, quae magis sit in vsu, & à plutibus probata. Et quod ad κότυλην cotylin spectat, ea voce significari putant Graecae linguae interpretes omne cauum, accipique pro vase cauo; quamuis & pro patulo accipiatur. Significat etiam manuum, ac pedum cauitates, quas volas Latini vocant. nisi fortè haec vox, eiusque notio ex similitudine Hebraicae כף caph desumpta sit. Haec enim primùm omne euruum significat, qua ratione & littera quaedam alphabeti dicitur כף caph. Significat praeterea volas manuum, vel peduum, apud Ezechielem. *Et percute* כף אל כף caph el caph *manum ad manum*, volam ad volam, palmam ad palmam, conuertunt alij. Et apud eundem Ezechielem וכף vecaph, & *planta pedis eorum* כבכף cecaph *sicut planta pedis vituli*. A similitudine cauitatis manus vas etiam quoddam apud Hebraeos dicitur caph, cuius frequens mentio fit in Numerorum libro כף אחת caph ehath: cochleare vnum vertit Pagninus; Sanctus verò Hieronymus, *mortariolum*, vertit, & sanè me-

HEBRAEORUM caph similis est Graecae cotyli. *Ezech. 21. ℣. 14.* *Ezech. 1. ℣. 7* VAS QVODdam dicitur caph. *Numer. 7. ℣. 14. & 20. 26. & 86.* *Pagni. in dictio.*

A liùs, & contextui accommodatiùs. Pendebat enim vas illud decem auri siclos, offerebaturque incenso plenum; quapropter cochleare non fuit, quia vix credi potest, auri tantum cochleari contentum fuisse, aut tam parum incensi à principibus oblatum. Qua autem fuerit capacitate huiusmodi Hebraeorum vas, vix statui potest, ac ne vix quidem, nisi fortè ex similitudine Graecae vocis κοτύλη cotyli, similem fuisse vtriusque magnitudinem conijciamus. Fateor tamen, Septuaginta interpretes praecitato Numerorum loco θυίσκην tyiscin posuisse pro mortariolo, hoc est turibulum τρυβλίον tryblion pro acetabulo. Est autem tryblion eadem cum cotyli mensura. Sed ad Graecam κοτύλην reuertamur. Hac voce Athenaeus, & Eusthatius cymbala significari ttadunt, fortasse quod ea cotylis haberent formam. Alij putant, eam vocem significare acetabula illa, quae eminent in pedibus polyporum, quibusque arctissimè se astringunt saxis, atque alijs rebus, similitudine fortasse, ac forma cotylis.

TRYBLION, & cotyle pares mensurae.

Nos verò ab hac voce deductam putamus Latinam scutulam, vel scutellam, quam Romanus, non minùs quàm Hispanus more suo vterque proferens vsurpauit. Hoc significare voluisse videtur Martialis, qui eleganti carmine imminuta Posthumiani munera quadam acuta gradatione exaggerat, & post alia subdit.

A COTYLI deducta videtur Latina vox scutella.

Bessalem ad scutulam sexto peruenimus anno,
Post hunc in cotula rasa selibra data est. *Martial. lib. 8*

Non enim modo binas imminutas ponderis vncias dixisse satis habuit; cum ex besse ad rasam selibram ventum fuisse dixit; verùm etiam vas ipsum, quod cotulam vocat, quasi scutulam, ablata prima litterâ s, imminuere. Iam verò multiplex eiusdem vocis notio rationem nobis indicare videtur, propter quam Septuaginta interpretes Hebraicam vocem לוג log κότυλην cotylin reddant, cum Vulgatae interpres sextarium conuertat, qui est, vt mox videbimus, illius duplus: non enim est à communi vsu alienum scurellam dari, quae sextarium capiat; quamuis frequens magis sit scutellae vsus, quae semisextarium contineat. Qua etiam ratione interpretandi sunt medici eum Valla grammatico, quos refert Agricola, qui sextarium acceperunt pro cotyli. Est igitur cotyle liquidorum mensura eadem, quae Romanis hemina, vt Diodorus, & Heraclitus tradunt, & interpres Aristophanis sic inquiens: κοτύλη δέ ἐστιν εἶδος μέτρου ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεστον cotyli de estin idos metru ho legomen himis himixeston, ideſt, cotyle autem est genus mensurae, quod nos (vtique Attici) dicimus semisextarium. Est etiam cotyle aridorum mensura; vtriusque exemplum extat apud Thucididem. ἐδίδοσαν αὐτῶν ἑκάστῳ ἐπὶ ὀκτὼ μῆνας κοτύλην ὕδατος καὶ δύο κοτύλας σίτου. ideſt, dabant eorum cuique ad menses octo aquae cotylen, & duas cotyles tritici. Quem quidem morem mensurandi cotyli tam aridam, quàm liquidam à Graecis accepisse videntur Romani, qui mensuras omnes sextario minores, vna cum ipso sextario, liquidis, atque aridis mensurandis communes fecerunt, inter quas fuit hemina cotyli par. Fuisse autem parem vtramque mensuram, testatur Fannius.

Agri. lib. 2. de mens. Grae.

COTYLIS liquidorum mensura eadem, quae hemina. *Diod. & Heraclit. apud Athenaeum.* *Interpres Aristophanis in Pluto.* *Thucid. apud Athenae. lib. 11.*

Fannius.

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius vnus.

Et iterum.

At cotyle cyathos bis ternos vna receptat.

Cùm igitur suprà ostensum sit, duodenos cyathos sextario contineri, constans sibi est Fannius, cotylem semisextario parem faciens, vtpote quam bis capiat sextarius Romanus, & eandem compleant sex cyathi item Romani. Hoc idem mensurae genus τρυβλίον tryblion quoque dici scribit disertis verbis Cleopatra τὸ τρυβλίον τὸ αὐτὸ μέτρον χωρεῖ τῇ κοτύλῃ. ἔχει γὰρ μέτρῳ κυάθους ς'. id est tryblion eandem, quam cotyle mensuram capit, continet enim mensura cyathos sex. Haec verò tam perspicua de cotyli testimonia interturbant nonnulli, dum varia cotylis expendunt pondera; cum non animaduertant, eandem mensuram, vt saepè dixi, diuersis rebus plenam diuersa plane sortiri pondera; quae perspicua plane erunt, cum rerum pondera paulo inferiùs definita à nobis fuerint. Quapropter, illis hic praetermissis, ad choenicem examinandam properandum est.

COTYLE dicitur tribion.

CHOENIX Graecorum frequens mensura.

Χοῖνιξ choenix Graecorum propria mensura, eiusque vsus Scriptoribus frequens est. Sed in eius magnitudine, aut capacitate explicanda, non solum nostri Scriptores, verum etiam antiquiores variant, vt vix quid de ea sentiant statui possit. Pollux tres illi dat cotylas, dum cotyle inquit, est tertia pars choenicis. Sed cum cotylis magnitudinem, quam ipse intelligat, non habeamus, vix quid sentiat percipere poterimus. Est enim cotyle, vt vidimus, heminae aequalis, quam si accipiat, capiet choenix sesquisextarium. At ipsemet Pollux medimno tribuit choenicas octo & quadraginta, quo in loco choenici tribuere videtur binos sextarios. Siquidem, vt vidimus, medimnus amphorae duplus sextarios continet sex & nonaginta. quare cum constans, eiusdemque sententiae Pollux non sit, quam teneamus & nos, nullam aperit. Sed neque alij Scriptores, qui binas, quas retulimus, ingressi sunt vias. Cleopatra enim, & Dioscorides choenici pariter cotylas tres tribuunt. Galenus verò, choenix, inquit, habet sextarios duos. Multo verò minus sibi constans est Suidas, qui μέδιμνος, inquit, μέτρον χοινίκων, μή. μέδιμνον οὖν μοδίων ς'. ὡς εἶναι μέτρον ξεστῶν οβ'. hoc est, medimnus mensura choenicum quadraginta octo. Et iterum: medimnum igitur modiorum sex, vt sit mensura sextariorum duorum & septuaginta. qua in re choenicis, modij, sextarij proportio perturbata est, cum modius, vt diximus, tertia sit amphorae pars sextariorum sexdecim; atque adeo medimnus sextarios contineat nonaginta sex, non septuaginta duos. Quapropter mirandum non est, si huiusmodi Scriptorum sententijs praetermissis, vnius Fannij, qui sibi constans est, sequamur vestigia, & quattuor sextarios choenici tribuamus; essèque affirmemus modij quartam partem, amphorae duodecimam. Sic enim scribit ille de sextario.

POLLVX quid sentiat de choenice non constat.

Cleopatra de mundit. Dioscorides lib. de pond. Gal. de pond. & mens. Suidas.

FANNII constans sententia dubijs aliorum praeferenda.

Qui quater assumptus fit Graio nomine choenix.

Sed & hanc Fannij, quam sequimur sententiam confirmare non pigebit. Priùs tamen admonendum lectorem duximus, ne eum moueat Septuaginta interpretum lectio apud Ezechielem, quae choenicem scribit pro bato: siquidem paulo inferiùs pro bato etiam cotylem scribunt. Et Theodoretus, eam lectionem interpretari dum studet, coro tribuit choenices centum, cum, paulo post, ephi aridorum mensuram aequalem constituat choenici: quae interpretatio cum nostra Vulgata lectione nulla ratione congruere potest, quin ei,

Fannius.

Ezech. 45. ℣. 10. & 14. Theodor. super Ezechiel.

A ex aduerso stet. Eandem ferè sententiam tenuit Epiphanius, Graecae lectionis difficultate permotus, dum ephi, & choenicem pares facit mensuras. Verùm huiusmodi sententiam probare non possumus, quae, eum Septuaginta ipsis interpretibus quamuis aliqua ex parte conueniat, multis tamen ab ea discedit: siquidem, vt dixi, & notat Hieronymus, pro bato cotylem scripserunt Septuaginta, quam nullus non minorem choenice fecit. Ex quibus omnibus liquido constare videtur, Septuaginta interpretes, sicut aliàs dixi, non Graecas Hebraicis mensuris exaequare curasse, sed tantum mensuras substituere, quae loci contextum explicare potuissent. Sed ad probandam Fannij, quam sequimur, sententiam reuertamur. Constans apud omnes Scriptores sententia est, choenicem diurnum fuisse hominis cibum: ideoque Pythagoras in choenice considere vetuit, numquam non è praesentibus aliquid in posterum relinquendum; crastinique diei in hodierno memores esse debere docens, vt auctor est Plutarchus. Verùm ne hac quidem ratione certi quidquam de choenicis magnitudine statui posse videtur: siquidem non idem apud omnes homines ciborum vsus; non par absumunt panis demensum, qui parum, & qui multum corporis exercent vires. Quapropter latus iterum vnicuique relinquetur opinandi campus, si, iuxta euiuslibet Regionis, gentis, aut exercitationis rationem, homini diurnum cibum liceat constituere. At nos, qui ex Graecis Atticas tantum meditamur mensuras, Attici antiquissimi pariter, ac docti Aristophanis interpretis testimonio insistendum esse censemus, qui sic scribit. ἐις τὴν χοίνικα τέσσαρες μεγάλοι ἄρτοι γίνονται μικροὶ δὲ η'. hoc est in choenicem quattuor magni panes fiunt, parui autem octo. Ego verò nulla ratione putarem, magnum panem dici eum, qui minor sit eo, qui ex frumenti sextario fieret, aut paruum illum, qui minùs, quàm heminam frumenti habeat, quin potiùs minimum dicendum esse. Sanè ego diligenter examinaui, quantum panis è choenice fiat, & reperi, Romae è rubro tritici panem fieri rusticanum pondo sexcentorum circiter. continet autem, vt infrà ostendemus, rublum sextarios antiquos quadringentos nonagintaduos: si igitur ille librarum numerus per hunc diuidatur, singulis sextarijs obueniet libra vna eum nouem quadragesimis primis librae partibus, atque adeo ex choenice vix panis pondo quinque fiet. At Cato, cibum familiae praescribens villico, modios quattuor assignat in hyeme, per aestatem quattuor semis, villicae modios tres. ex quo nonnulli arbitrantur, quaternos modios in mensem operarijs assignari, qui binos sextarios dant in diem, & paulò amplius. at ipsemet Cato seipsum explicat subdens: Compeditis per hyemen pondo quattuor; vbi vineam fodere coeperint, panis pondo quinque, vsqueadeo dum ficus esse coeperint. deinde ad panes quattuor redito. Panes quattuor pro quattuor libris accipit Cato, librarios fuisse panes indicans, quorum quaterni, aut quini è choeniee fiunt, quae diurnum homini cibum praestat.

Epiph. lib. de pond.

SEPTVAginta interpretes mensuras exaequare non curant.

Plut. sympos. 7. problc. 4.

Aristoph. interpres in Vespis.

IN CHOEnicem magni panes fiunt quattuor, parui octo.

600|1 ℔

Cato. cap. 56. de re rustica.

QVATTVOR librarij panes singulis operis dabantur.

Ea, quae de choniee diurno hominis cibo diximus, exigere quasi suo iure videntur, vt de Romanorum demenso, vel, vt alij scribunt, dimenso, nonnihil dicamus, sic enim dicebatur;

quod

quod singulis mensibus olim seruis dabatur. *Plaut. Sticho. 3.3.* Eius meminit Plautus: Vos meministis quot calendis petere demensum, qui minùs meministis quod opus sit facto facere in aedibus? *Ter. Phorm. 1.1.9.* Et Terentius: quod ille vnciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium comparsit miser. *Donatus.* Vbi Donatus: Serui, inquit, quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id demensum dicebatur: & vtrum à mense, an à mensura, incertum est. QVATERNI modij in mensem seruis dati demensum dicuntur Donato. Hinc sit, vt ab aliquibus pro eiusmodi frumenti quantitate vsurpetur demensum, quasi sit quoddam mensurae genus. Alij quidam ea voce abutuntur, ad significandum diurni cibi, quae seruis dabatur, mensuram: qui & mox disputant de diurni, ac menstrui seruorum cibi quantitate. Sed quoniam nostri instituti non est, varios gentium vsus, & cibandi seruos diuersissimos mores inuestigare, satis superque huic negotio feciisse videbimur paulò superiùs allato Catonis testimonio, in quo, Villico, qui, vtpote totius vineae curam gerens, alijs quoque cibis abundare credendus est, quaternos modios assignat in mensem: compeditis verò, qui solo forsan pane vescebantur, choenicem panis in diem assignat, hoc est quaternas, vel quinas panis libras. QVATERnae, vel quinae panis libra seruis in vineis operantibus dabantur quotidie. *Supra cap. 5. huius. Arist. 2. Oecon. Aeli. Spartia. in vita Hadr.* Verùm, quod ad demensi notionem spectat, latiùs multo vsurpari videtur ab interprete Aristotelis loco suprà allato, & ab interprete Iosephi, qui demensum pro mensura absolutè vsurpant. Sed & Spartianus; Senatoribus, inquit, qui non vitio suo decoxerant patrimonium pro liberorum modo Senatoriae professionis expleuit; ita vt plerisque in idem vitae suae dimensum sine dilatione restituerit. Sed de his hactenus: quoniam ad reliquas Romanas mensuras diligentiùs examinandas reuocamur, vtpote ex quarum collatione, reliquarum omnium cognitio pendet.

DE DVPLICI HEBRAEORVM BATO

Cap. VIII.

VENTVM est iam tandem ad ea, quae huius nostrae disputationis sunt propria, & quorum potissimùm causa de externis quoque mensuris agendum fuit: de quibus cum ea tantummodo praelibata sint, sine quorum cognitione vix voces ipsae, de quibus tracturi sumus, nedum res cognoscerentur, ratio ipsa poscit, vt Hebraeorum mensuras, illas potissimum, quarum in sacris litteris mentio fit, exquiramus, BATVS re, & nomine Hebraeorum mensura. casque cum alijs notioribus conferamus. Ac primum sese nobis offert batus, re, & voce Hebraeorum mensura, ad quam tanquam ad primam, & aliarum omnium normam reliquae omnes reuocantur. בת bat igitur vox est, quae ab omnibus ferè linguae sanctae interpretibus explicatur; & tamen adhuc, vnde fit dicta, penitus ignoratur. Sunt tamen, qui putent à vacuitate, &

A capacitate dici; & cognata esse existimatur voci בית baiath: mos enim Hebraeis fuit, à sono, forma, aut capacitate vasa denominare, vt alias, quod ad sonum spectat, explicauimus. Deducunt eam alij à radice בנה bana aedificare, & tau finem esse putant vocis בית baijt domum significantis, quod vt domus homines continet, ita mensura haec liquores. id quod Hebraicae phrasi consonum videtur, vtpote quae omne continens, domum solet appellare. Vt apud Iob ובי עכבים vbaij ghacçabis, & domus araneae fiducia eius. sensum aptissimè reddidit Vulgatus: *& sicut tela aranearum fiducia eius.* telam enim domum araneae vocauit, quod haud secus, quàm in domo vir, in sua tela aranea demoratur. Et in Exodo: B *Subter coronam* erunt *circuli aurei* לבתים lebathim in domos vectibus. phrasim, & loci sensum explicauit Vulgatae interpres, *vt mittantur*, inquiens, *vectes per eos*. Eandem phrasim explicat Vatablus in libris Regum. Domus, inquit, hoc loco pro sacco, vt & alio loco domus manuum pro chyrothecis. Verùm, vt ad institutum redeamus, quidquid sit de vocis origine, hoc est omnino perspicuum, & ab omnibus receptum, batum mensuram fuisse quandam determinatam & certam, ad liquores, aquam, vinum, oleum, aliosque dimetiendos. Id quod ex historia Regum apparet, qua aeneum vas illud, quod prae aquarum multitudine, quam continebat, mare dicebatur, describitur, eiusque materia, C forma, longitudo, latitudo, altitudo, ornamenta, capacitas definitur. Ibi enim sic habetur אלפים בת יכיל alphaijm bath iachil *Duo millia batos capiebat.* Chaldaeus: duo millia batorum humoris continebat. Septuaginta verò interpretes nihil nobis certi hoc in loco tradunt: nam in Complutensi, ac Regio codice: δύο χιλιάδας χόες ἐχώρει dyo chiliadas choeis echori, duo millia choros capiebat; quamuis in Latina eorundem codicum versione aliter legatur: duorum millium batorum capax erat. At in vtroque Sixtiano codice, Graeco nimirum, ac Latino, eiusmodi verba desunt, nihilque de maris capacitate hoc loco legitur, ex quo suspecta nobis lectio est, quae choeum pro bato D substituit: quamuis, vt aliàs dixi, Septuaginta interpretes non multum curasse videantur, mensurarum aequam proportionem explicare, sed mensuram Graecam pro Hebraica substituere. illud tamen perspicuum ex omnibus pariter lectionibus fit, batum mensuram fuisse liquorum; atque illam non minorem ea, ad quam habeat mare aeneum proportionem, quam habet numerus bis mille ad vnum; siquidem bis mille batos continebat mare.

Fuit autem aliud Hebraici bati genus, cuius in Paralipomenis fit mentio מחזיק בתים שלשת אלפים יכיל mahazich bathim seloset elaphim iacil, hoc est comprehendens batos tria millia complebat; vt in Regio codice: vel capiebat; vt Pagninus. Phrasis TRIA BAtorum millia capiebat mare. autem, quae duplex verbum; comprehendens, & E complebat, idem ferè significans, vni tributi orationi, id ipsum complete fieri planè indicat, nimirum, vas illud praedictum batorum numerum ita comprehendisse, vt & aliquid amplius posset, quamuis ea aquae quantitate immissa plenus diceretur, & esset. Locus hic mirificè expositores potissimùm Hebraeos torsit, dum, quomodo cum alio Regum concordet, exquirunt, in quo bis mille batos dicitur capere mare idem, quod

DOMVS plura significat Hebraeis. *Iob. 8. ℣. 14.* *Exod. 25. ℣. 27.* *3. Reg. 18. ℣. 33.* BATVS mensura liquorum *3. Reg. 7. ℣. 26.* CHOEVM pro bato substituere minime probandum est. MARE AEneum duo batorum millia capiebat. DIFFICVLtas bis mille, ac trium millium batorum Hebraeos torsit.

hic dicitur tria batorum millia comprehendisse. Et in primis reijcienda est Vatabli sententia, qui cum hanc proposuisset difficultarem: dicendum est, inquit, hic addi quod praermissum videbatur in libris Regum: ea enim est mens auctoris huius libri. Quae sententia vero fundamento falsissimam superstruit opinionem. Nam quamuis Paralipomenon liber, vt alias notaui, quasi quoddam sit supplemenrum historiae, nihil tamen illi aduersum continere potest, cum vtraque sit eidem Diuinae veritati pariter innixa, atque adeo, si mare capiebat trìa batorum millia, non vtique dici potuisset, mare idem eorundem batorum duo cepisse millia; esset enim haec propositio aut falsa, aut planè nugatoria, vtpote quae communi loquendi modo non responderet: nam cum vas aliquod aliquas capere mensuras dicitur, vtique eisdem impleri intelligendum est.

Vatabl. in lib. paral. 2. cap. 4. nu. 7.

FALSA EST Vatabli interpretatio.

NON EST verior Caietani opinio.

Non magis probanda videtur Caietani huic simili expositio, quae describi putat in libro Regum mensuram secundum quantitatem aquae in communi vsu; in Paralipomenis autem quantitatem aquae, quae poterat apponi implendo illud mare vsque ad summum. Confirmat hoc, quoniam in Hebraeo haberi dicit: Facienti impleri mensuras tria millia tenebat. Haec verò probatio ex significatione vocis מחזיק machazic desumpta, & praepostera est, & nimis violenta: nam vocem יכול iachil, quae vtrobique habetur, quamque aptissimè Vulgatus vertit *capiebat* sic interpretatur Marinus: De vasis propriè dicitur, quae aliquid intra se continent; quod est eorum mensura: si igitur maris mensuram denotat verbum hoc, cui locus Regum bis mille batos tribuit, quam fortificationem intelliget Caietanus, quae tertium superaddat batorum milliare? numquid modum inuenit comprimendi aquam, aut in cumulum eam erigendi, ita vt cumulus dimidiae vasis capacitati sit aequalis? quod si haec nondum inuenit, permittat verò similiorem aliam inquirere expositionem, quae totam exhauriat loci difficultatem. Eam verò emollire quodammodo voluisse videntur Septuaginta interpretes, qui pro eadem voce bati, quae vtrobique habetur in Hebraeo, aliam in loco Regum substituerunt, ab ea, quam in loco Paralipomenon scripserunt. In libro namque Paralipomenon tria millia metretas legimus in omnibus codicibus tam Latinis, quàm Graecis. At in libris Regum non eadem est codicum lectio: nam in Complutensi, & Regio Graeca sic habent. δύο χιλιάδας χόες ἐχωρει. dyo chiliadas choeis echori duo millia chocos capiebat. Latine verò sic: duorum millium batorum capax erat. In Graeco verò, & Larino Sixtiano codice, vt dixi, maris capacitas nulla notatur. Quae omnia in eam me cogitationem inducunt, vt suspicer, à Septuaginta interpretibus bari nomen eo loco scriptum fuisse, quod cum librarius aliquis non intelligeret, praesumptionem, vt assolet, comitem ignorantiae dedit, atque adeo batum mutauit in choeum, sicut aliqua habent exemplaria; at deprehenso postmodum ab alijs errore, tam haec, quàm illa lectio sublata fuit, quod probant exemplaria omnia illa, quae imitati sunt Sixtiani codices.

Marinus in arca Noe.

DIFFICVLtatem loci emollire conantur Septuaginta.

SEPTVAginta interpretes batum scripsere in libris Regum, at in Paralipomenis metretas.

Hanc verò animi nostri coniecturam probat etiam vulgata Latina nostra editio, quae & Septuaginta interpretes alias sequuta deprehenditur, & hoc loco maximè, atque in libris Regum sic habet: *Duo millia batos capiebat:* at in libro Paralipomenon sic: *Capiebat tria millia metretas.* Eandem verò coniecturam id probat, quod hoc ipsum, quod in Septuaginta interpretum libris factum fuisse existimamus, in Iosephi quoque simili historia, atque eius versione factum esse deprehendimus. Is enim in nostro Basilienſi codice sic habet: ἐδέχετο δὲ ἡ θάλασσα βάδους τρὶς χιλίους edecheto de thalassa badus tris chilius; hoc est capiebat autem mare batos ter mille. Georgius verò Agricola hunc locum sic retulit: ἐδέχετο δὲ ἡ θάλασσα βάδους διχιλίους: id est capiebat autem mare duo millia batorum. Eam lectionem vnde hauserit, non facilè conijcere possumus, nisi alicuius librarij vitio contigit, vt pro τριχιλίους, διχιλίους legeretur. Et quamuis in batorum numero cum nostro rextu concordet Gelenius, & alij Iosephi interpretes illum sequuti, tamen in illo planè labuntur, quod congios pro batis scribunt: capiebat enim, inquiunt, mare congiorum tria millia. Aliqua tamen excusatione digni sunt huiusmodi interpretes, si pro bato Hebraica voce, quam in Graeco Iosephi codice legerant χόαν scripserunt, cùm paulò inferiùs luterum capacitatem, quam liber Regum quadraginta batis definit, ipsius Iosephi Graecus codex τεσσαρἀκοντα χόας fuisse dicat.

3. Reg. 7. 26.

2. Paral. 4. 5.

IOSEPHVS ter mille batos scripsit, quamuis male citetur ab aliquibus quasi bis mille dixerit, ab alijs congios pro batis scribentibus.

Agric. lib. 1. de exter. men.

Gelenius.

Quibus omnibus in locis superstitiosam quandam Graecorum praesumptionem agnosco, qui, dum linguam suam à peregrinis vocibus expurgare semper student, seipsos priuant plerumque veritatis perceptione: cuius rei haud leue argumentum ex hac nostra collatione desumitur; siquidem coguntur hanc, aut illam mensuram pro bato substituere, cum nullam habeant bato aequalem; vel, quod verius est, cum interpretes vr plurimum, cui Graecae mensurae batus sit aequalis, ignorent, atque adeo choeum frequenter scribant pro bato, cùm batus, vt infrà videbimus, choeum pluries contineat: Verùm tamen est Ruffini translatione batos legi, vt habetur in Graeco.

GRAECI Scriptores alienas voces à propria lingua superstitiose reijciunt.

Iam verò à vocibus ad res ipsas gradum facere oportet. Ac in primis duplicem mensuram eodem bati nomine compellatam apud Hebraeos fuisse, quarum maior minorem proportione sesquialtera superaret, ipsa diuersorum textuum collatio, & concordia probat. Nulla enim alia verisimili ratione intelligi posse videtur, idem vas duobus batorum millibus, aut tribus barorum millibus impleri, nisi dicamus, bis millenos è maioribus batis tribus millibus minorum exaequari. Hoc autem duplex bari genus quasi digito nobis demonstrare videtur Latinae nostrae vulgatae interpres, qui maiorem mensuram ipsa Hebraica voce batum numcupauit; minorem verò, non sine magno consilio, Graeca metretam. Id quod tam perspicuum alicui expositori visum est aliquando, vt in libro Regum addendum duxerit: & tria millia metretas; quae additio postmodum in textum irrepsit, ita vt in pluribus antiquis codicibus legeretur: Duo millia batos capiebat mare, & tria millia metretas. Quae sanè verba maturo consilio ex Vaticana editione sublata sunt. Mirificè verò interpretes ostendere conantur id, quod additum est, è textu non esse, quod & nos libenter fatemur, quamuis ex collatione textus libri Regum, & Paralipomenon idem prorsus eliciatur sensus, qui ex illo libri Regum

DVPLEX batus, & vtriusque proportio probatur.

cum

cum eiusmodi additione. Ac ne alicui videatur haec nostra sententia aut noua, aut à nobis inuenta, nobilium Scriptorum testimonia proferre operaepretium duxi. Nicolaus de Lyra: tria millia metretas, inquit, non est in Hebraeo, nec in libris correctis, sed est dictum fortasse alicuius expositoris, volentis ostendere, qualiter se habeant batus, & metreta: & quia batus continet metretam, & dimidiam, & sic duo millia bati valent tria millia metretas. Abulensis verò rem ipsam expressit, dum scripsit: metreta, & batus sic se habent, quod batus continet metretam & dimidiam; ideo, cum mare contineret duo millia batos, continebat tria millia metretas. Vgo etiam Cardinalis, dum locum Paralipomenon explicat: capit, inquit, tam batus, quàm ephi metretam, & dimidiam, & ita duo millia bati sunt tria millia metretarum. Dionysius Carthusianus: Batus autem, inquit, continet metretam cum media. Sunt & alij recentiores Scriptores hanc eandem sententiam confirmantes, verùm, quae tam perspicua ratione nititur, nulla alia videtur indigere probatione.

SCRIPTORum testimonijs duplex batus probatur.

Lyra. in lib. Reg.

Abul. 2. paral. 4. quaest. 32.

Vgo Card. in lib. 2. paralip.

Dion. Carth. in lib. Reg.

Iam verò, quoniam probatus satis esse videtur Hebraeorum batus, nec minus vtriusque proportio sesquialtera, superest vt explicemus, cuinam Graecorum mensurae comparandus sit batus, & quam ad illam habeat proportionem. Et in primis Iosephi auctoritas viam nobis aperuit perplanam; siquidem cum olei bados, quos Salomon Hiramo quotannis mittebat, retulisset, Batus autem, inquit, capit sextarios septuaginta duos. Quem autem batum hoc sextariorum numero metiatur Iosephus, aptè explicat Grsepsius. Nam cum eodem capite Iosephus, & bati quantitatem sextarijs metiatur, & maris capacitatem batis, vtique de eodem bato locutus fuisse credendus est. At mare, vt vidimus, capax fuisse dicit trium batorum millium, qui minores vtique sunt; batum igitur minorem duobus & septuaginta sextarijs definiuit, qua in re explicate quodammodo voluisse videtur Septuaginta interpretum verba, qui dum minorem batum in Graecam metretam conuertunt, hanc illi aequalem fuisse denotant, quae, vt vidimus, duos & septuaginta sextarios complectebatur. Sed non hoc tantum loco batum metretàe aequiparant Septuaginta, sed & alijs, quibus metretae quoque nomen pro bato ponunt. Nam vbi decretum Artaxersis Persarum Regis refertur, quo praecipiebantur dari Esdrae *vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum*. Septuaginta interpretes sic habent: ἕως πυρῶν κόρων ἑκατὸν καὶ οἴνου μέτρητῶν ἑκατὸν. hoc est, vsque ad tritici coros centum, & vini metretas centum. In Complutensi verò, vini batos Graecè, ac Latinè legimus; at in Sixtiano Graecè idem. Sed & additur καὶ ἕως ἐλαίου βάτων ἑκατὸν, & vsque ad olei batos centum. Verùm Latinus Sixtiani codicis interpres vtramque pariter mensuram peruertit; pro coris enim modios posuit: pro metretis amphoras; in quo interpretis muneri se satisfeciisse arbitratus est, si Latinas modij, & amphorae voces pro Hebraica, & Graeca substituisset, cum nihil ad se spectare arbitraretur, mensurarum aequam tradere proportionem, id quod saepe saepius alijs quoque interpretibus vsuenire comperimus. Sed ad Septuaginta redea-

IOSEPHVS minorem batum metretae comparat.

1. Esdrae. 7. ℣ 22. Septuaginta cap. 8.

A mus, qui apud Isaiam pro bato scribunt κεράμιον ceramion, quae vox, vt suprà ostendimus, idem significat, quod metreta. Quo etiam referenda videtur Agricolae coniectura, qui apud Ezechielem in Septuaginta interpretum codicibus pro Hebraico bato, nunc χοίνικα, nunc κοτύλην cotylin legi putat librarij vitio, quem ignorasse existimat ceramij notam huiusmodi Κ^μ. Sed inter haec omnia, quae batum minorem Hebraeorum, Graecorum metretae faciunt aequalem, firmissimum esse videtur Vulgatae nostrae testimonium, quo tria metretarum millia mari contineri dicuntur, quot minores bati eodem, vt vidimus, continebantur.

Isai. 5. ℣. 10. G. Agric. lib. 1. de exter. mens. Ezech. 45.

His verò sic constitutis, vera esse omnino videtur, quam colligit Grsepsius vtriusque bati, metretae, atque amphorae proportio. Nam cum tam batus minor, quàm metreta duos & septuaginta dicatur habuisse sextarios, ex illis quos amphora octo habuit & quadraginta; minoris verò bati medietate sex & triginta sextarijs maior sit batus alter, fiet, vt additis sex & triginta, duobus & septuaginta, omnes bati maioris sextarij sint octo supra centum: ac tres praedictae mensurae habeant inter se proportionem, quam hi tres numeri. 108. 72. 48. qui, si ad minores terminos iuxta arithmetices regulam reuocentur, dabunt hos. 9. 6. 4.

VTRIVSQVE bati, metretae, atque amphorae proportio.

Sed postquam satis probata esse videtur maioris bati ad sextarium proportio, operaepretium me facturum existimaui, si probati alicuius Scriptoris possem de maiori bato testimonium afferre. Sed neque vllum possum aut explicatiorem, aut magis expressum optare, nedum inuenire illo Cleopatrae, qui Graecè sic habet: ὁ δὲ κατὰ σύρους μετρητὴς ξεστῶν ἰταλικῶν. ρη. hoc est métreta apud Syros est sextariorum Italicorum centum & octo. Quem locum perperam interpretantur omnes ferè Latini, qui litteram κ capa, quae nota est vicenarij numeri pro η ita legerunt: octonarij nota, atque adeo centum viginti scribunt, pro centum & octo. Haec verò coniectura eo magis nobis probatur, quod à doctis alijs viris non parum probari intelligam, qui & asserunt, assiduè antiquis manuscriptis Graecis exercitatos, nullum propemodum discrimen inter litteras has duas η. & κ. reperire potuisse, sed ex aliarum litterarum coniunctione vtramlibet discernere consueuisse. Quare cum hoc in loco nulla alia ratione posset, nisi tantummodo ex re ipsa, quam ignorari à librario facilè ea littera conijci potuisse credimus, ita etiam & errasse illum non dubitamus. In eadem porrò Cleopatrae sententia fuisse existimant Nicandri interpretem, in cuius lectione pariter alucinatos fuisse existimamus, quapropter eum quoque nobiscum sentire putamus.

Cleopat. lib. de munditijs.

BATVS maior centum & octo sextariorum.

Verumtamen quamquam haec ita sint perspicua, atque probata, vix tamen sustineri possunt, quin à plurium argumentationibus, atque obiectionibus vindicentur, quorum vis omnis duplici, vt ita dicam, videtur cardine volui: aut enim diuersos exquirunt sextatios, aut aliam mensuram ephi, quam videre non possint, quomodo sit batho aequalis, vt esse debuisset; ac propterea docti quidam nostrae aetatis viri ea negant, quae hactenus ostensa sunt. Et quamuis firmis etiam rationibus infrà probandum sit, ephi, & batum aequales esse mensuras, necnon sextarium eundem, vt apud Romanos, & Graecos, ita etiam apud Hebraeos in vsu fuisse, non eodem nomine; rogarem tamen libenter huiusmodi mensurarum

BATVS minor metretae aequalis. *Grsepsius de mens. Hebrai.*

multi-

multiplicatores, num, quando Ioſephus bati capacitatem ſextarijs definit, capere illum inquiens ξέστας ἑβδομηκόντα καὶ δύο ſextas ebdomiconda ce dyo num vox ξέστας aliquam eius nominis Hebraicam menſuram denotet? id negabunt planè, ſi ſapiunt. Supereſt igitur, vt Graeca vox, aut Graecam, aut Latinam aliquam menſuram ſignificet, quod ſi fateantur, firma hac ex parte manet ſententia noſtra; cum Graecam menſuram Latino ſextario ſupra ſatis, & infrà pluribus, aequalem eſſe probaturi ſimus. Sed dicent fortaſſe, eiuſmodi voce, quae Graecam, aut Latinam ſignificat, Hebraicam quandam menſuram ſignificari, quam ipſi לוג log vocant. At rurſus rogo, num aequalis menſura ſit Romanorum ſextario? negabunt dubio procul, ne nobiſcum ſentiant: at cum non videant, quam male de Ioſepho maximae eruditionis viro ſentiant, neque nos illis aſſentimur, quod putent ignotam bati menſuram per ignotius logi nomen explicare voluiſſe Ioſephum. Immo & aliquid peius, atque abſurdum magis exiſtimant de illo; ignotam ſcilicet logi menſuram, quamque neque priùs, neque poſterius explicauerat Ioſephus, notiſſimo ſextarij nomine ſignificare voluiſſe peritum hiſtoriographum, cum re ipſa, vt putant, longe diuerſae menſurae ſint ſextarius & log, quod nec diuinaſſet Apollo. Ego planè erubeſco in his confutandis immorari; nec mirari deſino, peritos viros huiuſmodi coniecturis ſuos implere commentarios.

DE CORO, ET EPHI HEBRAEORVM.

Cap. IX.

QVAMVIS ordine praepoſtero videamur progredi in explicandis Hebraeorum menſuris, qui neque à maximis, neque à minimis exordiamur; tamen eum ſequimur, qui magis videtur aptus ad huius diſputationis facilioren tractationem, & intelligentiam. Atque in primis remouenda fuit duplicis bati amphibologia, quae nobis vbique foret impedimento, niſi de quo bato loqueremur perſpicuum foret, ac interim etiam, cui ex Graecis menſuris aequalis ſit minor batus, exponeremus. His igitur tanquam primis iactis fundamentis, ad Corum maximam Hebraeorum menſuram, eandemque liquoribus pariter, ac frugibus congruentem veniendum duxi. Eſt igitur Corus, vt ab ipſa vocis notione exordiamur, Hebraeis dictus כר cor, à radice כור cor, quae fodere, aut eircum effodere ſignificat, ex qua deducitur celebris illa vox ככר cicar de qua pluribus ſupra diximus: eamque in talentum conuerti tam à Graecis, quàm à Latinis ſignificauimus. illud verò ſilentio praetermittendum non fuit, quod ſicut cicar maximum pondus habebatur, ita Corus maxima fuit apud Hebraeos menſura. nomen autem deſumptum videtur Forſtero à figura foueae, quam fortè habuit vas illud. Rabbi verò Dauid vas illud radice ipſa ſignificari putat, quo aurifex fundit argentum, & aurum, quod catinum Latinis dicitur, Hiſpanis criſol, voce à Graeca deducta. Atque huiuſmodi vocis interpretatio eandem ferè vaſis formam indicare videtur. Huius autem vocis mentio fit, non ſolùm in veteri teſtamento, ſed & apud Sanctum Lucam: Roganti enim Villicо: *Quantum debes domino meo?* reſpondet ſeruus ἑκατὸν κόρους σίτου *centum coros tritici.* Et quidem, ſi nullo alio nomine cenſeretur haec menſura, vbique perſpecta eſſet, & nota; verum habet aliud nomen in ſacris litteris non minus celebre חומר chomer, quod Latina prolatione ſimile videtur eſſe voci עמר ghomer. ita vt non paucos in errorem induxerit, arbitrantes eandem menſuram chomer dici, ac ghomer. Longè tamen aliter ſe res habet: nam in Hebraeo diuerſae voces ſunt, vtpote quae longè diuerſis literis ח chet, & ע ghaim ſcribuntur. Quapropter & notionem, & modum ſignificandi ſortiuntur diuerſum; nec tantum, ſed longè diuerſas denotant menſuras; nam עמר ghomer diurnum hominis cibum continere oſtendemus. חמר chomer autem tantum frumenti continet, quantum ſemel poteſt à camelo, bis à ſumento portari: quae omnia opportune ſuis locis proponentur.

Vt ergo vocem hanc explicemus חמר chomer. dici putant nonnulli quaſi חמור chamor, aceruus, cumulus, quod ea menſura aceruum frumenti contineat. Alij ab כמור chamor, voce aſinum ſignificante deducunt, & ſic dictam menſuram exiſtimant, quod aſini onus contineat, quaſi dicant aſinarium onus. Hi verò longè à vero aberrant, tum in vocis explicatione, tum vel maximè in ipſa menſurae quantitate definienda: aliter namque ſe res habet; non enim chomer vox cumulum ſignificans ab aſino nomen accepit, ſed contra, aſinus à cumulis, ſarciniſve portandis dicitur chamor, & ab Euangeliſta Matthaeo propterea Graecè dicitur ὑποζύγιον hypozygion, id eſt ſubiugale. Id quod probare contendunt nonnulli eleganti illo Samſonis carmine, quod ſic legimus in noſtra vulgata: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros. Hebraicè verò ſic, בלחי החמור חמור תים belhi ha chamor chamor chamorthaijm. hoc eſt in maxilla aſini aceruum aceruos duos in maxilla aſini percuſſi mille viros. ſic in Regio codice. Pagninus verò, aceruum aceruorum, iuxta Rabbinorum ſententiam legit. Chaldaeus verò paraphraſtes ſic habet: In maxilla aſini proieci eos aceruos aceruos, in maxilla aſini occidi mille viros. Quae omnes lectiones in idem videntur recidere, ac planè oſtendere, notionem vocis chomer à cumulo deductam fuiſſe; immo & ab eadem aſini quoque nomen deductum fuiſſe: vſus namque eſt Samſon eleganti paronomaſia, dum hominum aceruos aſini maxilla peremptos fuiſſe gratulanter affirmat.

Eſt etiam celebris locus in Numeris de collectis coturnicibus, huiuſmodi: *Congregauit coturnicum, qui parum, decem coros.* Vbi Chaldaeus paraphraſtes, decem aceruos, conuertit. Nec tantum ab alijs interpretibus haec vox, in aceruum, tumulumve conuertitur, ſed etiam à Latinae noſtrae vulgatae interprete. Nam in Exodo, vbi de ranis Aegypti ſic ſcribunt

A C I C A maximum pondus, corus maxima menſura. *Forſterus in dictionario.*

AVRIFICI fuſorium vas dicitur batus.

Luc. 16. ℣. 7

B CHOMER & corus eadem menſura

MAXIMVM diſcrimen inter ghomer, & chomer.

C CHAMOR vnde dicatur.

Matth. 21. ℣.

D *Iudic. 15. ℣. 16.*

Pagninus in dictionario.

E *Numer. 11. ℣. 32.*

CHOMER cumulum ſignificat.

Exod. 8. ℣. 14

scribunt Hebrea ויצ ברו אתם המרים המרים vaijts beru atham homarim homarim, hoc est: & congregauerunt eas aceruos aceruos. Vulgatus phrasim explicans sensum reddidit: *congregauerunt eas in immensos aggeres*. neque enim aliter contextui posset satisfieri: quis enim intelligere hoc loco posset coros pro aggeribus, aut existimare morientium ranarum putrida corpora mensurata fuisse, vt colligerentur? Neque verò quemquam aduersus praedicta moueat Grsepsij disputatio de cori decima: ratio enim, quam astruit, nimirum oportuisse sacram Scripturam certam aliquam mensuram definisse, non incertam cumuli, nihil omnino probat, eaque allato Exodi testimonio plane refellitur; atque adeo nemini verisimilis videnda est decima cori mensura, quam ille pro arbitrio finxit. Ex his igitur allatis testimonijs hoc vnum constare videtur, corum, & chomer pro eadem mensura vsurpari, quod apud Hebraeos, Latinos, & Graecos obseruatum accepimus. Grsepsius praeterea vocem, chomer, voci cori praeferre contendit, cum quòd vox cori apud antiquos Hebraeos minùs sit in vsu, magis apud exteros; tum vel maximè, quòd ea vox minùs vernacula habeatur. Et quamuis eiusmodi disputatio non multum ad mensurae capacitatem examinandam facere videatur, tamen eius rei longè diuersam assignandam rationem putamus, nimirum, quoniam, vitandae amphibologiae causa, externi, res Hebraeorum referentes, libentiùs multo vocem cori vsurpabant ab alijs omnibus diuersam, à voce chomor libenter abstinebant, ne cum alia mensura, ghomor, dicta hanc viderentur confundere. Quod verò ad antiquitatem, & idiomatis proprietatem spectat, satis esse videtur, vocis radicem propriam Hebraeorum probare, vt & ipsa vox inde deducta Hebraeorum habenda sit propria. Non tamen parum habet & antiquitatis, & commendationis, quae temporibus Salomonis fuit in vsu, vt ipsa probat historia Regum. Accedit his etiam Epiphanij sententia, qui coro eandem tribuit notionem, quam chomor; sic enim inquit: Acceptus itaque est corus ex Hebraica lingua, vbi vocatur chor; sunt autem modij triginta. Appellationem habet ex argumento collis; choria enim vocatur collis. Haec ipsa Epiphanij sunt verba.

FALSO decima cori corus dicitur Grsepsio.

Grsepsius lib. de mensuris Hebr.

CORVS Hebraeorum propria vox.

Epiph. lib. de mensur.

Sed his iam de cori appellatione praelibatis, priusquam cori capacitatem, aut magnitudinem desiniamus, de ephi frugum mensura nonnihil dicendum videtur, quoniam illa mensura huius collatione percipienda est. Est igitur איפה epha, vox quidem Hebraea, quidquid conijciat in contrarium Grsepsius: nam quamuis facta litterarum metathesi Septuaginta interpretes eam vocem in iod terminent, non propterea eam esse Aegyptiam significant. Illud praeterea, quod Hesichius tradit, oephin Aegyptiam mensuram quattuor choenicas capere, nihil ad nos; sicut neque Epiphanij de Hyphe consimilis sententia: nos enim de Hebraeorum ephi differimus, illi de aliarum gentium mensuris. Fuit igitur haec frugum mensura ita frequens, vt aliarum quodammodo videatur esse mensura, & modus. Nam in Exodo: *Non erit*, inquit, *in domo tua* איפה ואיפה ephah ve ephah, *modius, & modius*, Latinè legimus, non quod ephi modio sit aequalis, sed quod modij nomen à modo dictum aptè expressit Legislatoris mentem. Id quod fecisse etiam videntur Septuaginta interpretes, μέτρον καὶ μέτρον metron ce metron scribentes, hoc est mensura, & mensura.

EPHI HEbraea vox, & mensura.

Hesichius.

Epiph. lib. de mensur.

Exod. 25. ℣. 24.

Iam verò, & ephi capacitatem, & eam, quam habet ad corum, & batum, proportionem perspectam nobis esse putabimus, si celebre nostri Prophetae testimonium perpendamus. Is enim, dum postliminio reuersis aequam mensurarum, ponderumque rationem iniungit: *Ephi, & batus*, inquit, *aequalia, & vnius mensurae erunt: vt ea pars decimam partem cori batus, & decimam partem cori, ephi, iuxta mensuram eorum, erit aequa librationis eorum.* Triplex his verbis videtur inesse praeceptum. Primum, ephi, ac batum aequatas debere constitui mensuras. Secundum, tam ephi, quàm batum decimam esse cori partem. Tertium tandem ad aequam mensurarum librationem spectat, de quibus agendum nobis est per singula. Et primum ita est omnibus perspectum, vt nulla ferè interpretatione indigeat. At Septuaginta interpretum lectio perturbata ita est, auctore Hieronymo, vt penitus intelligi non possit: verumtamen cum eiusdem Sancti Hieronymi interpretatione intelligi, & cum Latina, atque alijs conferri facilè poterit, cum eisque concors inueniri. Regius tamen codex locum hunc aliter conuertit; sic enim habet: Ephi, & batus ponderis vnius erit. Pondus namque pro mensura ponens longè diuersum videtur innuere sensum; sed si vocis תכן thacen, quae habetur in Hebraico, vim expendamus, & idem significari vtraque lectione ostendemus, & lucis non parum huic nostrae disputationi de expendendis mensuris afferemus. Deducitur autem ea vox à radice תכן thacan, quae significat certo metiri, mensurare, pensitare, penitus perpendere, idem quod Graecis ἀνακρίνω anacrino Latinis diiudico. Huius verbi participium concisum efficit antithesim in prouerbijs. *Omnes viae viri rectae sibi videntur* ותכן vetocen, & ponderans: *appendit autem corda Dominus*. Atque iterum: *Omnes viae hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus*. Haud secus hunc, quàm illum locum interpretatur R. Himmanuel: Omnes viae, inquit, hoc est, quaelibet è vijs viri munda in oculis eius, ideest, ipsius viri. Sunt enim viri, qui sunt sapientes in oculis suis, & omnes viae illorum sunt mundae, & rectae in oculis eorum: sed est via recta in oculis viri, cuius extremum est via mortis. Idcirco dixit: & numerans spiritus Dominus, vti si dicat; qui scit numerum spirituum bonorum, est Dominus: & ipse scit virum, cuius via est munda in oculis eius, vtrum sit munda, aut non. Sed verus, vt arbitror, loci sensus huiusmodi est: cum viarum nomine hominis denotentur opera, cogitationes, intentio, ea omnia plerumque homini ipsi eiusmodi vias ingresso recta videntur, ac plana; quarum tamen asperitas, difficultas, & exitus homini sibiipsi plurimùm fidenti, ac caeco occulta sunt, & inuisa: Deo autem patent, atque in promptu sunt; ipse enim Spiritus diiudicat, ac discernit, quo quisque in qualibet suarum ducatur actione. Est in alia huius verbi coniugatione magis expressa eius significatio, qua certa & omnimoda dimensio innuitur, secundum omnes corporis alicuius dimensiones. Quod mirificè explicat id, quod apud Isaiam Dominus dicit: *Quis mensus est pugillo aquas, & caelos palmo* תכן tacen *ponderauit*, hoc est secundum omnem latitudinem, longitudinem, profunditatem

EPHI, ET batus aequales mensurae.

Ezech. 45. ℣. 11.

S. Hieron. super Ezech. lib. 14.

EADEM voce mensurare, ponderare, & expendere significant Hebraei.

Prouerb. 21. ℣. 2. & c. 16. ℣. 2.

R. Himmanuel apud Pagni. in dictionario.

Isa. 40. ℣. 12.

QVA RATIONE bati, & ephi exaequentur.

tem metitus est, & aequa ratione disposuit. Igitur, iuxta huiusmodi vocis notionem, batum, & ephi aequalis mensurae fore praecipit Propheta, secundùm omnem vtriusque dimensionem, & capacitatem pares fore significans; haud secus, quàm si vna eademque mensura fuisset, hoc vno à sese inuicem distantes, quod patrisfamilias libero decreto, ac voluntate haec ad fruges dimetiendas destinatur, illa ad vina, & liquores expendendos bati nomine secernitur.

Et quamuis haec ita sint, vt vere sunt, certa, non minùs quàm perspicua; non tamen difficultate vacat, si certam ephi capacitatem assignare velimus. Nam cum, vt suprà diximus, duplex fuerit batus Hebraeis, alter altero maior, dubitari meritò potest, cui bato fuerit ephi aequalis, ex quo rursus pendet cori magnitudo. Et quidem fateor, me diu, multumque in ea perstitisse sententia, vt crederem, ephi maiori bato aequalem fuisse; ea enim vel vna ratio praeter alias me ad id maximè videbatur impellere, quod in fame Samariae, subsequutura praedicitur ab Eliseo incredibilis frumenti, & hordei copia, statuto pretio stateris in singulas quasque tritici mensuras, codemque in binas hordei. At verò si bato minori exaequetur ephi, tam ingens pretium in tam paruam mensuram ostendetur assignari, quantum vix in summa egestate, aut annonae caritate Romae, aut in Hispania aestimaretur, nedum in Palestina. Verùm eum haec tandem euulganda, iterum atque iterum exscribetem, ita permotus sum concepta de me apud multos opinione, quod omnia, quae ad templum spectant, augere, aut exaggerare quodammodo videar, vt potiùs decreuerim, leuioribus quamuis argumentis, minores mensuras probare, quàm grauioribus rationibus maiores defendere: quare, & praedictum argumentum, cum illud iterum proponam, explicabo: atque alia, quae suis locis exponam, & soluam. Huius verò, quam modo sequimur sententiae fundamenta, non antea plene percipi poterunt, quàm de sati magnitudine, eiusque ad ephi proportione aliqua dixero.

EPHI BATO minori aequalis est.

Iam verò, quod ad secundum Ezechielis praeceptum spectat, quamuis illud videatur planè perspicuum, explicandum est, fuisse nimirum corum liquidorum, ac frugum pariter mensuram, quae denos caperet ephi, totidemve batos. Primum verò ex alijs quoque locis apertè magis probari videtur. In libris namque Regum: *Erat autem*, legitur, *cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similae, & viginti cori farinae*. Et iterum: *Salomon autem praebebat Hiram viginti millia coros tritici in cibum domui eius, & viginti coros purissimi olei*. Hunc verò locum dum corrigere velle profitetur Agricola, corrumpere studet, ac batum substituere conatur pro coro, non alia ratione ductus, quàm quod batum legat apud Septuaginta interpretes, & Iosephum. quae quidem ratio, si ratio dicenda est, tam est infirma, vt nulla egeat confutatione. Nobis verò inuiolata seruanda semper est Vulgata lectio, tum propter eius auctoritatem, tum etiam, quia Hebraicam, & Chaldaicam lectionem sequitur, quae coros legunt. illud verò, quod in suae falsae opinionis confirmationem praeterea adducit, nimirum, corum liquidorum mensuram minime fuisse, falsissimum est, vtpote non modo praeallatae Regum historiae contrarium; verùm etiam mox afferendo Ezechielis testimonio. Tandem in eo triumphat, quod putat idem referri in libro Paralipomenon, quod in historia Regum, cum non animaduertat vtrumque verum esse, & domui Hirami donatos olei coros, vt retulit historia Regum; seruis verò lignorum caesoribus batos olei, vt habet liber Paralipomenon. Et quamuis cum praedictis historijs, atque alijs concordet omnino Propheta noster; hoc vnum tamen vnus ipse nos docet, batum, aut ephi decimam partem fuisse cori. Sed id tam constanter semel, atque iterum affirmat, vt nullam relinquat dubitandi occasionem. Nam & post allata subdit: *Et hae sunt primitiae, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei. Mensura quoque olei, batus olei decima pars cori est: & decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum*. Ea igitur, quae hactenus attulimus, certa sunt, & ex quibus facili supputatione cori & ephi capacitatem, & quam habeat quaelibet ex eis mensuris ad Graecas, aut Romanas proportionem, cognoscere poterimus: nam de bati, ac metretae aequa ratione iam satis diximus. Arque adeo continebit, iuxta hanc sententiam, corus Graecas metretas decem, Romanas amphoras quindecim: & continebit frumenti corus modios Romanos quinque & quadraginta, ephi verò modios quattuor cum dimidio: Quod si iuxta priorem, quam modo abijcimus, sententiam, ephi maiori bato intelligatur aequalis, erit corus, & ephi sesquialtera proportione maior, vt contineat vini, aut olei corus amphoras viginti duas cum dimidia, vrnas videlicet quinque & quadraginta: frumenti verò corus complectetur modios sexaginta septem cum dimidio, medimnos vndecim cum quarta insuper medimni parte. Verùm adhuc non pauca sunt Scriptorum testimonia, & plura recentiorum dubia, quae cori, ac ephi capacitatem percipere non permittunt. hanc enim, quam proximè tulimus sententiam, tenuisse videtur Iosephus sic scribens: ὁ δὲ χοῦς δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς, ι'. id est, corus autem capit medimnos Atticos decem. At cum corus, vt vidimus, decem contineat batos, aut totidem ephi, medimnum bato, vel ephi exaequasse videtur Iosephus, in quo bati maioris nullus non videat fieri mentionem, quem certo suprà ostendimus, metretam vnam, & semis continere, amphoras duas cum quarta insuper amphorae parte, hoc est medimnum cum octaua insuper medimni parte. Nec mirandum sanè foret, aut praeter historiographorum morem minutias horum numerorum reiectas à Iosepho fuisse, qui satis superque Hebraicam bati mensuram explicasse videretur, cum cum Attico medimno aequalem fuisse dixisset; quamuis hunc non diceret ab illo octaua huius parte superari. Verùm ne huic quoque Iosephi testimonio acquiescimus, & vt nostrae prospiciamus existimationi, minores etiam mensuras libenter amplectimur, hoc vno contenti, si probabili aliqua possint coniectura fitmari, quae tunc plenius percipi poterit, cum de sato sequenti capite differemus.

Supra cap. praecedenti.

3. *Reg.* 4. V. 26. 22. *cap.* 6. V. 11.

CORVS LIquorum, & frugum communis mensura. *G. Agric. lib.* 1. *de exter. mens.*

DECIMA pars cori batus, aut ephi.

Ezech. 45. V. 13.

CORVS continet metretas decem, amphoras quindecim, modios quadraginta quinque.

CORI CApacitas, si maiori bato exaequetur ephi.

Ioseph. lib. antiq. cap. 12.

DE SA-

DE SATO, EIVSQVE, ET CORI *ad modium, & medimnum proportione.* *Cap. X.*

SATVM Hebraicè dicitur סאה seah. & quamuis ea vox Forstero Syra potiùs habeatur, quàm Hebraea; tamen omnes pariter scribunt nomen esse mensurae aridorum. Quod vel ex vno Christi Domini testimonio satis superque confirmatur, quo caelorum regnum fermento confert, quod mulier abscondit in farinae satis tribus. Quo satorum & nomine, & numero respexisse videtur ad Abrahamum vxori praecipientem, vt pro tribus hospitibus tria similae sata pararet. Hic autem trium satorum numerus, integram mensuram ephi complet; continet enim ephi tria sata; & corus, qui denos continet ephi, triginta pariter sata continebit: id, quod, non modò plurium Rabbinorum, quos retulit Benedictus Arias Montanus, testimonijs comprobatur, verùm multo firmius versionum sacrae Scripturae varia collatione. Nam Ruth Moabitis, quas in agro Booz collegerat spicas, virga caedens, & excutiens inuenit ordei, Hebraicè איפה eepha, hoc est quasi ephi; quam lectionem sequuntur Septuaginta interpretes ὡς οἶφι, quasi ephi scribentes. Chaldaicè verò sic habetur, tria סאין sein sata. Vtramque lectionem coniunxit Vulgata nostra: nam, *inuenit hordei*, inquit, *quasi ephi mensuram, id est tres modios*. Vbi notandum est, Sanctum Hieronymum Vulgatae interpretem modios pro satis ferè semper substituere, non quod Hebraeorum sato aequalis sit Romanorum modius, sed quod nulla sit Latina frugum mensura sato capacitate propinquior. Accedit his etiam, quod Hebraicae vocis sati, quam nos ignoramus, notionem fortasse cognoscens Hieronymus, ac respiciens, modium aptè satum referre posse existimauit. In quo Septuaginta interpretes sequutus fuisse videtur, qui in Exodo, & alijs saepe locis pro ephi μέτρον, hoc est mensura scribunt, ac si sati nomen commune mensurae fuisset. Neque verò Sanctus Hieronymus, dum modium pro sato substituit, significare voluit satum modio aequalem mensuram fuisse. Nam cum ipse constanter affirmet ephi tribus modijs aequalem fuisse, in Leuitico tamen, Deuteronomio, ac Iudicum libris, pro ephi modium reddit, in quo non sibi parum constans videtur, vt perperam ab Agricola reprehendatur. Sed vocis modij latiorem notionem, quàm quae ab Agricola perciperetur, indicauit. Verùm nullus existimare debet, Hieronymum illud aliud vitium incurrisse, quod ipse Agricola aduersus Septuaginta interpretes criminatur, quod commune mensurae nomen pro certa quadam substituunt. Nam & in pluribus locis idem prorsus sensus elicitur, siue certae mensurae, siue commune nomen scribatur, cuiusmodi sunt illa, quae ephi & ephi, mensuram & mensuram haberi prohibent, in quibus, certa, pro communi scribitur: nihilominus, quid Sanctus Hieronymus intelligat modij nomine, quoties illud pro sato scribit, ipse disertis verbis explicauit apud Matthaeum: Satum autem, inquiens, genus est mensurae iuxta morem prouinciae Palestinae vnum & dimidium modium capiens. Quae verba ex Iosepho desumpsisse videtur, qui sic inquit: Satum autem continet modium Italicum, & dimidium. quibus verbis non modo, quam habeat satum ad modium proportionem, significare voluit, verum etiam cuiusmodi modium intelligat; nam & Italicum dixit. Ex qua quidem sati ad modium proportione, omnium Hebraearum mensurarum ad Romanas proportio liquido constare videtur: modius enim sexdecim continet sextarios, atque adeo satum quattuor & viginti sextarijs Romanis complebitur, quot nimirum sunt in vrna Romana: quare satum, & vrna aequales mensurae erunt; atque adeo ephi tria sata continens, tres etiam continebit vrnas, sextarios duos & septuaginta, quot nimirum in Graeca sunt metreta. Atque hoc est fundamentum eius, quàm modo sequimur sententiae, aridorum mensuram ephi minori bato, hoc est metretae exaequantes.

Praeterea, quod ad corum spectat, cuius ephi decima pars est, satum tricesima, is modijs plane quinque & quadraginta exaequabitur; tot enim modios habent sata triginta; qui quidem modiorum numerus, per senos medimni modios partitus, ostendet corum huiusmodi, septem medimnis cum dimidio aequalem fuisse. Quae omnis computatio memoria retinenda lectori est, si, quae inferiùs mihi dicenda sunt, faciliùs velit percipere. Refellendae namque mihi sunt primùm eorum sententiae, qui modij vocem, quam pluribus Latinae editionis locis legerant, ita vt sonat accipientes, eiusque notionem minimè percipientes, satum modio Italico aequalem fuisse existimarunt. Atque in primis Agricola, qui licentiam sibi assumpsit sanctissimum Hieronymum apertè reprehendendi, latenter vero vulgatam ipsam editionem fugillandi, quod minùs sibi constare videatur, dum, vt dixi, ephi, & satum eadem modij voce compellat. Quae sanè audacia cohibenda potiùs videtur, quàm nostrorum Scriptorum sententijs fouenda. Est igitur improbanda sententia illa, quae ephi putat Romanae amphorae aequalem fuisse; ea enim nudis, atque egenis nititur elementis, non verò sacrae Scripturae sensu: nam quamuis ephi tribus constare dicatur modijs, quot sunt in amphora; non tamen propterea aequales mensuras existimare debemus ephi, & amphoram: ephi enim tribus constat modijs vtique Hebraicis, quae sata dicuntur, quorum quodlibet modium vnum Italicum continet cum dimidio. Sed neque Agricolae sententia fulciri poterit Hieronymi exemplo, qui apud Zachariam, pro איפה ephah Hebraeo; *Haec est*, inquit, *amphora egrediens*. Nam vt docte ibidem notat noster Ribera, amphora hic non certam denotat mensuram, sed pro quauis ponitur in vniuersum mensura: id quod Septuaginta interpretum probat auctoritate, qui μέτρον, hoc est mensuram, scribunt pro ephi; necnon Chaldaei paraphrastis quid simile scribentis. Sed maximè idipsum

Matth. 13. ℣. FARINAE *sata tria.*

Gen. 16. ℣. 6.

CORVS SA- *a triginta ontinet.* B. *Arias Mont. lib. de ato.* *Ruth. 2. ℣. 17*

Exod. 16. ℣. 36. *Isai. 5. ℣. 10.* *Zach. 5. ℣. 16*

SATVM, ET *modius nomi- e mensurae rmiles, capa- itate dissimi- es.*

Deu. 25. ℣. 14 *and. 6. ℣. 19.*

Agric. lib. 1. de exter. men.

SATVM, ET vrna aequales mensurae, sicut ephi, & metreta.

45 | 7½ / 6

CORVS *continet 10. ephi, sata 30. modios 45. medimnos 7½*

EPHI, ET amphora aequales mensurae non sunt.

S. Hier. super Matth. 13. lib. 2. comment.

HEBRAEORUM satum vnum continet modium cum dimidio. *Ioseph. lib. 9. antiq. c. 2.*

S. Hier. Zachar. 5. ℣. 6.

Ribera in Zachar. nu. 13.

idipsum confirmare videtur ipsius Hieronymi testimonio, qui in commentarijs saepe amphoram, siue mensuram inculcat. Verùm non temere, aut casu amphoram hic scribit Hieronymus; sed tum ob similitudinem amphorae, quae ad dimetiendas fruges in tres modios diuiditur, sicut ephi in tria sata; tum vel maximè propter amphorae notionem, quae ansatum fuisse vas indicat, vt suprà diximus: id enim ad intelligendam visionem videbatur exigi; proiecta enim in amphoram iniquitate, immissoque plumbeo talento in os eius, duae alatae mulieres *leuauerunt amphoram inter terram, & caelum*.

EPHI, ET amphora conferuntur.

Zach. 5. Ỹ. 9.

Sed ad cori, & sati capacitatem reuersi, eadem cum praecedenti, quam confutamus, sententia est illa, quae affirmat, corum medimnos habuisse quinque: nam medimnus, vt dixi, sex habet modios; atque adeo triginta modij, quibus corum exaequauit praeterita sententia, aequales sunt quinis medimnis huius. Verùm quamuis haec sententia ita putetur Hieronymi placitis insistere, vt ab eis recedendum temere non sit: Nos tamen, qui longè aliam putamus esse Hieronymi sententiam, ab hac, quae Hieronymi est, recedendum non esse temere, nedum consultò existimamus; illam, quae Hieronymi putatur esse, & non est, reijciendam esse non dubitamus. Sed vrget, quia eadem quoque videtur esse Epiphanij mens, asserentis, corum triginta modios continere. Quod planè fateor, illud verò nego, quod libere assumitur, modios hos Epiphanij Italicos fuisse, sed Hebraicos, qui & sata dicuntur, & eorum quilibet modium vnum Italicum continet cum dimidio: nam quae de sato scribit idem Epiphanius modium vnum continente cum quarta insuper modij parte; ac de modio duos & viginti sextarios habente, de sato alio, alioque modio intelligenda sunt potius, quàm de Hebraico, aut Romano. Quod si eiusdem sententiae alios atque alios quoscumque afferat testes, non alia, sed eadem prorsus ratione interpretandos esse affirmabo. Superesse tamen videtur adhuc scrupulus: nam praeterea Epiphanius addit: Triginta modij in collem, ac aceruum collecti faciunt onus cameli. Huius autem dimidium Lethaee, hoc est quindecim modiorum mensuram sic dictam putat Hebraeis, quod tantumdem possit ab adolescente eleuari, & asino imponi. Quae verba Epiphanij, dum cum alijs Iosephi relatis verbis conferuntur, in quibus medimnos decem coro tribuit, maximam inuoluunt difficultatem. Verùm ea perperam conferuntur: in nulla enim ferè mensurarum collatione Epiphanius cum Iosepho concordat: nam alias gentium mensuras percensет Epiphanius, quamuis eisdem, quibus Hebraea, nominibus. nisi dicas, quod vero similius est, innumeris pene librarij, vel interpretis mendis Epiphanij librum scatere. Sed quamuis cum Iosepho sentiret hac in parte Epiphanius, nullum esset inconueniens, cameli onus vocare decem medimnos, cum de Arabia haec scribat Diodorus: Multa quoque, & diuersa camelorum praebet genera, tum pinguium, tum macilentorum, &c. Quidam ferendis oneribus apti supra decem medimnos; homines verò quinque in lecto iacentes vehunt. Haec ille. Sed adhuc vrget, quia hoc de quibusdam tantummodo camelis à Diodoro dicitur, idque quasi miraculo tribui videtur; at Epiphanium de

CORVS quinque medimnis aequalis non est.

EPIPHANIVS explicatur.

CAMELI onus. *Diodorus Siculus lib. 3. cap. 12.*

A communi tantummodo cameli onere interpretari licet. Ast tunc etiam affirmabimus, Epiphanium de alio coro locutum fuisse, quem paulo superiùs explicabamus, septem medimnos ac semis continente, atque eiusmodi corum, & lethec hordei fuisse, non frumenti, de quibus Oseae locus, quem ibi citat, his verbis loquitur. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei*. Atque adeo, cum, vt infrà ostendemus, hordeum sesquialtera ponderis proportione leuius frumento sit, haud difficilè intelligemus, septem hordei medimnos cum dimidio à camelis singulis portari, tres cum tribus quartis ab asino, onere ab adolescente impositio. Quod iumenti onus, si iuxta pondus frumenti Romani, de quo infrà, computetur, trecentis sexaginta libris item Romanis exaequari deprehendetur. Illud insuper inconueniens docto, ac sapienti viro videtur, quod ex Iosephi sententia planè colligi putat, batum nimirum Hebraeorum duabus amphoris aequalem haberi, quod, qui concedat, hactenus nullum inuenerit. Id verò non modò nos concedimus, verùm & insuper quartam amphorae partem duabus amphoris in bato maiori addendam existimamus. cuius sententiae haud leue argumentum esse potuisset id ipsum, quod ipse retulit, Iosephi testimonium. Illud autem firmum est, ac nulla ratione abijciendum, quod sacra Scriptura maris aenei capacitatem bis mille, aliàs ter mille batis metitur, vt vidimus. In eo verò prudentis sanè viri specimen reddit, quod tandem dici posse putat, duplices fuisse mensuras duplicis sicli exemplo; alias verò publicas sub dupla proportione minores. In quibus multa inuoluuntur, quae, si examinentur, nulli planè probabuntur, alia nonnullis, mihi minimè, reliqua forsan aliquibus, sicut & mihi. Nam duplices mensuras negare non possumus. Atque adeo facilè in eam sententiam inclino, vt propter suprà allatas etiam rationes duplicem corum fuisse concedam, sicut duplicem batum admittere compellimur. Illud tamen omnino negamus, id sicli exemplo factum fuisse, cum pluribus supra ostenderimus, vnum perpetuò siclum Sanctuario, ac plebi communem obseruatum fuisse. Negamus praeterea duplam proportionem, cum sesquialtera tantummodo probetur ex sacris litteris; atque adeo idem de vtriusque cori proportione sentiendum existimamus, quod de duplici bato: corus namque denos continens batos maiores, sesquialter erit minoris cori, batos minores totidem continentis, quoniam haec est bati ad batum proportio. Tandem illud etiam liberè assumptum videtur, Sanctuario maiores mensuras deputari, plebi minores: nam ibi Iosephus coro denos tribuit medimnos, atqui de maiori coro, vt ostendimus, planè loquebatur, non de sacris rebus, aut quae aliqua ratione ad Sanctuarium pertinerent, sermonem faciebat, sed de decem cororum millibus, tempore maximae egestatis, ac rerum penuriae in exteros; ac de octoginta cororum millibus intra regni sui pomeria ab Herode eodem tempore insumptis.

BATVS MAIOR duas amphoras cum quarta amphorae parte continet.

DVPLEX corus, maioris sesquialter.

VERVM non est, maiores mensuras Sanctuario, minores plebi datas fuisse.

Sed his omnibus cori computationibus illa est magis à veritate aliena, quam persequitur Grsepsius; errat enim in medimni diuisione, cui quinos tribuit Italicos modios, atque adeo coro medimnos sex. Qua in re quibusdam ducitur coniecturis, quas qui audiet, planè mirabi-

VERVM non est, corum sex medimnos aequari.

tur

tur, eas alicui in mentem venire potuisse: sunt autem huiusmodi. Epiphanius Episcopus fuit Salaminis Cypriae vrbis, igitur, cum de mensuris agit, non de alijs, quàm de Salaminijs agit: quare cum libram dicit vncias continere duodecim, de Salaminia loquitur, quae Romanae fuit par; ergo & Salaminius medimnus, qui quinque habuit modios, Romano aequalis fuit. Haec est eius argumentatio, quamuis non eodem ordine, aut verbis digesta, sed eo, qui illam redderet intellectu faciliorem, si intelligi tamen potest, quae nullam habet rerum coniunctionem. Ex his igitur principijs, illis persimiles colligit conclusiones: decima enim cori, inquit, corus dicitur, idque satis superque probasse existimat Iosephi mendo, qui quos liber Regum *viginti millia* coros dixerat, ipse, librarij fortè vitio, bis mille dixit. Praeterea in difficilem quendam Iosephi locum incurrit, in quo septuaginta farinae cori, Siculis medimnis vni & triginta exaequantur; Atticis verò vni & quadraginta; qui locus ita vitiatus videtur esse doctis vitis, vt occasionem alucinandi Budaeo dederit, atque alijs; & mea quidem sententia caecutiendi Grsepsio.

DECIMA cori corus non dicitur, sed ephi.

Ioseph. lib. 8. antiq. c. 2

3. Reg. 5. V. 11.

Ioseph. 3. antiq. cap. vlt.

Sed his omissis, libet caput hoc loci cuiusdam explicatione concludere, quem paulo superius attulimus; is enim scitu iucundus erit, & mensurarum, quas exquirimus, magnitudinem poterit indicare. Spectat is quidem ad disputationem illam, quam aggressus fuit Elias cum quadringentis quinquaginta prophetis Baal, in qua factis, non verbis, super monte Carmelo, coram Achab Rege, & vniuerso Israele agendum erat, ac statuendum, vter verus Deus, & habendus, & colendus esset, Dominus, an Baal. Igitur, facta potestate prophetis Baal inuocandi illum, eoque obsurdescente, ita vt meritò possent illudi, & subsannari ab Elia, tandem Elias in Domino confisus *Aedificauit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitque aquaeductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris.* Et compositis supet altari lignis, membrisque discissi bouis, iussit duodenas hydrias (vel, vt habent Hebraica, & Chaldaica, cados) aquae desuper effundi, quo facto, *currebant*, inquit, *aquae circum altare, & fossa aquaeductus repleta est.* Cumque suprà à nobis ostensum sit, cadum metretae aequalem fuisse, tunc eius capacitas posset aliqua ratione cognosci, cum harum aratiunculatum magnitudo perspecta habetetur. Igitur, vbi nos legimus, *quasi per duas aratiunculas*, Hebraicè sic legitur: Et fecit aquaeductum כבית סאתים זרע cebeth sathaijm zaragh, secundum domum duorum satorum sementis. Vatablus: fecit insuper elices circum aram, qui capiebant duo sata sementis. Quae lectio haud inconcinna est. illa alicuius Rabbini videtur esse, quam in notationibus adiungit, quae inepta satis videtur, ae longè petita, huiusmodi: Hebraicè, secundum domum, idest locum, siue saccum duorum satorum, &c. hoc est tantae capacitatis, quantae est saccus capax duorum satorum. Melius multò Chaldaeus paraphrastes: Et fecit fossam, inquit, secundum locum duorum satorum seminis in circuitu altaris. Septuaginta interpretes hoc ipsum significare voluerunt, quamuis mensurae nomen more suo in Graecum, metretae, conuerterint, sic scribentes. Et fecit aquaeductum, qui capiebat duas metretas seminis in circuitu altaris. Quae omnes lectiones simul collatae, magnitunem areae illius significare videntur, quae circum altare aratro forsan facta fuit, capax nimirum duorum satorum seminis. Quod si, quae ex libro Misnaioth retulit Benedictus Arias Montanus, vera sunt, facile cubitis poterit area eiusmodi mensurari. Agrum enim, inquit, coro tritici serendum non minorem esse oportere, quàm cubitorum septingentorum & triginta millium, quos, vtpote aream metientes, esse quadratos intelligendum est; non enim lineis metiri possunt superficies. Sed, vt ostendimus, satum triceſima pars est cori, quapropter erunt duo sata decimaquinta: si ergo praedictus cubitorum numerus per quindecim diuidatur, ostendent, duobus satis serendis aream esse, quae minimùm quadraginta octo millia sexcentos sexaginta sex cubitos quadratos habeat, cum duabus insuper tertijs vnius partibus. Iam, si huius numeri iuxta regulas arithmeticas radicem extrahas, inuenies, quadratam aream, cuius quodlibet latus ducentorum sit viginti cubitorum, capacem fuisse duorum satorum seminis. tantumdemque affirmabis campi aratum fuisse ab Elia circum altare, non semel, sed duplici aratiuncula, vt habent Vulgata biblia. Id quod elices vocauit Vatablus, quae vox arantium sulcos denotat, qui numquam per eandem reuertuntur viam, sed ad modum lineae, quam elicam vocant mathematici. Cum qua interpretatione non multum conuenit Iosephus, qui hanc eandem referens historiam: Foditque, inquit, circum illud fossam bene profundam: nisi forte de fossis, aut sulcis aratri significare voluit Iosephus, eos factos fuisse valde profundos, aratris altiùs depressis. Ex quo facilè quiuis coniiciet, quantum aquae duodenis illis cadis, seu metretis effusum fuerit, vt campum ducentorum vndequaque cubitorum tunc primùm vomere incisum inebriare posset, eiusque fossas, & sulcos implere: quantusque fuerit postmodum ignis, qui holocaustum, ligna, lapides, puluerem terrae, aquamque omnem breui absumpsit. Sed de his alias; quoniam demensutis modò agere decreuimus, nec vacat per sacrae Scripturae amoenissimos campos diuagari.

Grsepsius lib. de mens. Heb.

Supra cap. 5. huius.

3. Reg. 18. V. 32. & 35.

Vatab. 3. Reg. 18. n. 33.

B. *Arias Mont. lib. de sato. & de coro.*

4 | 8 | 6 | 6 | 6 | 2/3 | 1
730000 | 15

43666 2/3

QVOT CVbitis seratur tritici corus.

43666 2/3 | 220

ARATRA, dum terram proscinduat, quasi elices describunt lineas

DE CORI PARTIBVS, ARTABA, ET LETHEC.

Cap. XI.

NONDVM plenè instituto nostro satisfeciſſe videbimur, niſi & de artabis, quas pro coro ſubſtituunt Septuaginta Interpretes nonnihil dicamus. Huiuſmodi menſuram vſurpant plerumque Scriptores Graeci, non quod ea Graeca fuerit, ſed quod, dum externarum gentium tes geſtas percenſent, earundem quoque menſuras commemorant, nonnumquam eas cum proprijs conferentes. Et quidem artabam multiplicem fuiſſe nemo negabit, qui tot, ac tam varias legerit de eius menſurae capacitate ſententias. Celebris ſanè eſt Aegyptia, cuius tamen non omnes eandem referunt capacitatem. Fannius namque, tres ei dat modios cum triente, illis verſibus.

Eſt etiam terris, quas aduena Nilus inundat,
Artaba, cui ſuperat modij pars tertia poſt tres.
Namque decem modijs explebitur artaba triplex.

Hanc eandem ſententiam tenuit Sanctus Hieronymus, qui Ptolemaei Philadelphi opes, & potentiam enarrans: Ita vt de Aegypto, inquit, per ſingulos annos quatuordecim millia & octingenta talenta acceperit: & frumenti artabas (quae menſura tres modios, & tertiam modij partem habet) quinquies & decies centena millia. Hactenus Hieronymi verba ſunt, eaque ſatis perſpicua. Illa maiorem inuoluunt difficultatem, quae ſcribit ſuper celebri illo Iſaiae teſtimonio, cuius explicatio non parum lucis huic diſputationi afferre poterit, non modò ad artabae intelligentiam. Is igitur ſic habet: *Decem enim iugera vinearum facient laguncula vnam, & triginta modij ſementis facient modios tres.* Quibus verbis ſterilitatem terrae praedici ipſe contextus indicat, quod & omnium Scriptorum conſenſus recipit. Ex Hebraeo ſic locum conuertit Regius codex: Decem iugera vineae facient batum vnum, & ſementis chomer, vel corus faciet ephi. Sanctus verò Hieronymus hunc locum ſic interpretatur. Pro κεράμιον ceramion, ideſt laguncula, quam ſoli Septuaginta tranſtulerunt, omnes alij batum interpretati ſunt, quod Hebraicè dicitur בת bath. & pro triginta modijs, quos nos pro coro poſuimus, qui Hebraicè dicitur חמר chomer, Septuaginta verterunt ἀρτάβας ἕξ artabas ſex, quae menſura Aegyptia eſt, & facit modios viginti. Hunc locum Hieronymi ſic accipiunt nonnulli, quaſi ſingulas artabas vicenis modijs pares faciat, quod ab eius mente longè alienum eſt; nec modicam irrogare videntur ſanctiſſimo viro iniuriam, qui verborum tantummodo ſenſum attendentes, ad Scriptoris mentem minimè proſpiciunt. Nos verò, ſecum perpetuò conſtantem eſſe Hieronymum, arbitramur, neque alitet hic, quàm allato ſuperiùs loco ſentire, idque eiuſdem verbis indicari facilè comperiemus, ſi verba illa (quae menſura Aegyptiaca eſt) parentheſi includantur, ſequentia verò cum praecedentibus connexa hunc habeant ſenſum. Et facit, ſubaudi, praedictus artabarum numerus, modios viginti. Vel aliter, pro illo, & facit, in quo forſan errauit librarius, lege, & faciunt, dictae ſex artabae modios viginti. Concordatque tunc ſupputatio cum praedictis: nam cum ſingulae artabae tres capiant modios cum tertia modij parte, tres artabae modios complebunt decem, ſex artabae modios viginti. Quibus ſanè verbis nihil aliud ſignificare voluiſſe videtur Hieronymus, quàm quem ſenſum admittat Septuaginta interpretum lectio: nam quid ipſe ſentiat, ſtatim indicat, ſubdens: In ſterilitate ergo nimia, quae ſequitur captiuitatem, decem iugera vinearum facient batum, ideſt tres amphoras. Hanc autem batī interpretationem, qui modeſtius loquuntur, ſe intelligere non poſſe fatentur. Et quidem difficultatem non modicam habere videntur eaverba, cum nullum agnoſcamus batum tribus amphoris aequalem, niſi aut vnam pro amphora ſubſtituamus, & tunc de minori bato ſermo erit, qui metretae eſt aequalis, cui tres vnas tribuit Fannius; aut bati maioris meminiſſe putemus, qui cum binis amphoris maior ſit, tribus aequalis iuxta narrantium mores dicatur. Sed reliqua Hieronymi verba ſubiungenda ſunt. Et triginta, inquit, modij ſeminis, ideſt corus faciet ephi, quod Septuaginta μέτρα τρία, ideſt tres menſuras interpretati ſunt. Quid autem modij nomine intelligat Hieronymus, ſatis ſupra oſtenſum fuit. Batus autem, inquit, in liquidis ſpeciebus dicitur, & ephi, ſiue epha eiuſdem menſurae in aridis. Poſt multa verò, quibus haec omnia ad anagogem reuocat. Idcirco, inquit, vti decem iugera vinearum, ſiue vti decem iuga boum operantur, facient batum vnum, & triginta modij ſementis facient ephi, vt denario numero, qui in Scripturis ſanctis myſticus, atque perfectus eſt, & de tricenario, in quo prophetauit Ezechiel, & Dominus baptizatus eſt, redigatur ad ephi, qui, ad comparationem multiplicis numeri, vnione conſtringitur. Hactenus Hieronymi verba ſunt. In quibus, quaſi in pellucido ſpeculo verborum Prophetae ſenſus, eiuſque mens perſpici quodammodo poteſt: habent enim quendam mirificum numerorum conſenſum. Decem namque vinearum iugera, quae forſan olim denos vini coros efficere ſolebant, nunc facient batum vnum, decimam cori partem, priſtinae annonae centeſimam. ſic etiam ſeminis corus, qui minimùm denos frumenti coros, etiam cum paucae redduntur fruges efficiunt, facient ephi decimam ſeminis partem, conſuetae meſſis centeſimam.

Verùm, quod nobis negotium modò faceſſit, illud eſt, quod idem retulit initio Hieronymus, nimirum Septuaginta interpretes, pro coro, ſex artabas conuertiſſe, illud vnum propemodum ſignificare volentes, artabas ſex, Hebraeorum coro aequales fuiſſe. Id quod diſertis verbis Eupolemus Graecus, idemque antiquiſſimus, & magnae auctoritatis Scriptor apud Euſebium memoriae proditum reliquit. Verùm quae temporum iniuriae, rerumque viciſſitudines, & caſus nobis non abſtulit, abſtulit planè nobis interpretis ignauia, ne dicam inuidia, ita enim omnia confundit, vt vix quid quam certi percipi poſſit. Ea verò, quae è re noſtra eſſe videntur, & Graecè ſubiungam, & fideliter explicabo. Habentur autem in epiſtola Salomonis, quam patre vita functo ſcripſit ad Suronem Tyri Regem, ac primùm ſe Dei beneficio in paternum regnum ſucceſſiſſe memorat, cuius iuſſu ad eum ſcriberet, ac peteret artifices, & fabros, qui ſibi in templi aedificatione praeſto eſſent, ac ſubdit: γέγραφα δὲ καὶ εἰς τὴν γαλιλέαν καὶ σαμαρίτιν, καὶ μοαβῖτιν, καὶ ἀμανῖτιν, καὶ γαλαδῖτιν χορηγῆσαι αὐτοῖς τὰ δέοντα ἐκ τῆς χώρας κατὰ μῆνα κόρους σίτου μυρίους. ὁ δὲ κόρος ἐστὶ ἀρταβῶν ἕξ. καὶ οἴνου κόρους μυρίους

MVLTIPLEX artaba.

S. Hier. Dan. 11.

ARTABA Aegyptia tres modios continet cum triente.

S. Hier. Iſa. 5.

Iſai. 5. ℣. 10.

S. Hier. lib. 2. com. in Iſai.

SANCTVS Hieronymus falsò putatur ſingulas artabas modijs viginti contuliſſe.

HIERONYMI locus explicatus.

BATVS quomodo tribus amphoris exaequetur, multi non intelligunt.

Subra cap. praecedenti.

CENTESIMA tantummodo conſuetorum fructuum pars futura praedicitur.

CORVS SEX artabas continet.

Eupol. apud Euſeb. Praep. lib. 9. cap. 4.

μυρίους. ὁ δὲ κόρος τοῦ οἴνου ἐστὶ μέτρα δέκα. τὸ δὲ ἔλαιον καὶ τἄλλα χορηγήσεται αὐτοῖς ἐκ τῆς Ἰουδαίας. ἱερεῖα δὲ εἰς ἀνωφαγίαν ἐκ τῆς Ἀραβίας. hoc est, scripsi quoque in Galilaeam, & Samaritida, & Moabitida, & Amonitida, & Galaditida, vt in

OPERARIIS Templi Tyrijs quantum, & à quibus in singulos menses tribueretur annonae.

menſem eis neceſſaria ex regione ſuppeditent: coros tritici denos millenos (corus verò eſt artabarum ſex) & vini coros millenos denos (corus verò vini ſunt menſurae decem) oleum verò, ac reliqua ſuppeditabuntur eis ex Iudaea. Hoſtiae verò ad carnium eſum ex Arabia. Haec ille, quibus meritò cenſuram ſuam appoſuit Euſebius, ea cum reliquis, quae de templo ſcripſit, non longe à veritate abfuiſſe. Quae enim hic de coro frumenti ſcribit, illum ſex artabis exaequans, & de coro vini, eum affirmans decem menſuris aequalem eſſe, veriſſima ſunt. Quod enim ad vinum ſpectat, metretas, ni fallor, communi menſurae nomine appellauit, quoniam eae reliquis frequentiores eſſent, ac magis in vſu. In quo cum ipſo Ezechiele, vt ſuprà vidimus, planè concordat. Sed illud, quod ad artabas ſex ſpectat, quomodo cum praedicta artabae ad modium proportione tripla ſeſquitertia ſtare poſſit, non facilè videri poteſt; immo verò, & à ſacris hiſtorijs, & ab alijs, quae ſatis probata ſunt, diſſentire non parum videntur.

Euſeb. in fine capitis.

Quapropter aliam artabae diuiſionem exquirere cogimur. Qua in re, quoniam Hieronymum legunt, aſſerentem, artabam menſuram fuiſſe Aegyptiam, aliam Aegyptiae artabae dant quinque modiorum proportionem; cuius rei habent auctorem ignotum quendam Graecum, ſic ſcribentem: ἀγνωτία ἀρτάβη ἔχει μόδιους ε'. ὁ δὲ μόδιος ὁ αἰγύπτιος καὶ ὁ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας. ν'. ideſt: Aegyptia artaba capit modios quinque; modius verò Aegyptius, & Italicus continet choenicas octo. Et ſanè, ſi corus Italicos modios triginta tantum contineret, vt voce modij decepti quamplures exiſtimarunt, res eſſet concors, atque perſpecta. Verùm cum perſpicuis rationibus oſtenſum ſit, triginta modijs Italicis maiorem eſſe corum ſeſquialtera proportione, non ampliùs cum hac, quàm cum praecedenti diuiſione poterunt explicari Septuaginta interpretum, aut Eupolemi teſtimonia; ac multo minus cum illa Epiphanij, aſſerentis Aegyptiam artabam ſextariorum eſſe duorum & ſeptuaginta, atque adeo metretae parem.

ARTABAM nonnulli quinque modiorum faciunt. *Ignotus Graecus lib. de pond. & men.*

Quapropter audiendus in primis eſt Ariſtophanis interpres de artaba ſic ſcribens: περσικὸν δὲ καὶ αἰγύπτιον τὸ ὄνομα, hoc eſt Perſicum, & Aegyptium nomen eſt. Verùm cum maximam Medorum, atque Perſarum conſuetudinem, ac morum coniunctionem ex pluribus Danielis locis cognoſcamus, perſimilem quoque fuiſſe Medorum, atque Perſarum artabam facilè conijcimus. De ea Heſichius, & Suidas his verbis ſcribunt: ἀρτάβα μέτρον μηδικὸν σίτου, ἀττικὸς μέδιμνος. Artaba menſura Medica, ſiue Medorum, Atticus medimnus. Adhuc tamen, quamuis non parum excreuerit artabae magnitudo, minores ſunt ſex artabae, ſeu medimni ſex, coro, qui, vt vidimus, ſeptem continet medimnos cum dimidio, ſi de minimo coro loquamur: maximus namque corus vndecim complecteretur medimnos cum quarta inſuper medimni parte, vt ex dictis liquido conſtare poterit. Verùm enimuero, quoniam impeditum opus eſt hos perſequi Scriptores Graecos, atque eorum aſſeclas; ad noſtra recurrendum eſſe duxi principia, atque ex praecognitis, quid ſentiant Septuaginta

Interp. Ariſtoph. in Acharnealibus.

ARTABA nomen eſt Perſicum, & Aegyptium.

inueſtigandum. Eſt igitur perſpicua cori magnitudo, vtpote quae triginta ſatis, hoc eſt totidem Romanis vnis aequalis ſit, vt oſtendimus. Si igitur tricenarius hic numerus per ſenarium artabarum numerum diuiditur, oſtendet ſingulis artabis quina ſata, vel quinas vnas tribuendas eſſe. Aſt medimnus amphorae duplus vnas continet quattuor; ergo ſi diuidas tricenarium vnarum numerum per quaternarium numerum vnarum medimni, ea diuiſio oſtendet, in coro fuiſſe medimnos ſeptem cum dimidio. Qui rurſum numerus, ſi in ſex partes diuidatur, oſtendet ſingulis artabis medimnum vnum tribuendum cum quarta inſuper medimni parte. Sed ne fractorum numerum diuiſio, aut multiplicatio impedimento lectori ſit, quo minus haec, quae dicimus, percipere poſſit, hanc eandem diuiſionem ad choenices reuocare operae pretium duximus. Eſt autem choenix quattuor ſextariorum amphorae pars duodecima, medimni vigeſimaquarta, vnae, ſeu ſati ſexta, vt computanti eſſe poterit perſpicuum. Iam ſi triginta ſata, vel vnae cori multiplicentur ſenario choenicum numero, oſtendunt coro ineſſe choenices centum octoginta; qui rurſum numerus, ſi per ſenarium artabarum, quae in coro ſunt, numerum diuidatur, dabit vtique artaba triginta choenices, quae efficiunt medimnum vnum, & inſuper choenices ſex, hoc eſt quartam medimni partem. Aſt nullus eſt, inquies, qui eiuſmodi artabae mentionem faciat: quod ſciam, fateor, ſed id iniuria potiùs, quàm iure, ac, ſi licet, ad doctiſſimorum virorum iudicium librarios hos audaces, ignarosque prouoco, quorum ignauia illis ipſis Scriptoribus propemodum caremus, quos adhuc retinere potuiſſemus. Eſt enim celebris apud Herodotum locus huiuſmodi: ν' δὲ ἀρτάβη μέτρον ἐστὶ περσικὸν χωρέον μεδίμνου ἀττικοῦ πλεῖον χοίνιξι ς'. ἀττικῇσι. ſic legendum puto, ac ſenſum eſſe. Artaba verò menſura eſt Perſica capiens amplius, quàm medimnus Atticus choenices Atticas ſex. Fateor tamen pro ς'. nunc legi τρισὶ, hoc eſt, tres. ego verò huiuſmodi mendum inde originem ſumpſiſſe puto, quod litteram ς' ſigmatau, pro γ gamma librarius legit: fuerunt enim hae duae litterae olim ita ſimiles, vt prior a poſteriore eo tantum differret, quod inferiorem ſui partem inflecteret, ſequens verò rectam duceret. atque adeo artaba apud Septuaginta interpretes, & Herodotum medimnum vnum cum ſex choenicibus continet. Facillimum etiam fuit, ternarium numerum Γ gamma ſignatum, pro ſenario accipere, quod hac altera littera ς' ſigmatau ſcribebatur. Quod ſi quis hanc noſtram coniecturam non probauerit (neque enim aliorum cogitationes alij probant) is intelligat, ſolidiori, cori magnitudinem, quam diximus, niti fundamento, quàm quod labefactari poſſit, ſiue hac, ſiue alia ratione Herodotus ſentiat. etiamſi nos eius auctoritatem hac in parte magni faciamus: cui contrarios non fuiſſe putamus Heſichium, ac Suidam, quamuis Attico medimno aequalem faciant artabam, vtpote quos more hiſtoriographorum minutias non curaſſe exiſtimamus, integris contentos menſuris, ac numeris. Atque hanc eſſe veram, ac propriam viam putarem conciliandi auctores: nam illa, quam alij excogitarunt, diuerſos fingentes ſextarios, alijsque Scriptoribus Romanos, alijs Graecos, alijs verò Hebraicos tribuentes, nec vera eſt, nec, ſi eſſet, difficultatem omnem poſſet exhaurire.

Herodotus in Clio.

HERODOTI locus emendatus.

LETECH mensura.

Iam verò de alia Hebraeorum mensura לתך letech dicta breui agendum est, quoniam ea apud vnum Oseam tantummodo inuenitur, his verbis: *Et fodi,* (Hebraicè, coemi, Graecè, conduxi, quod idem est) *eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei* ולתך veletech. *& dimidio coro hordei.* hordeorum, vtrobique legunt Hebraea. In quo phrasis est notanda Hebraica; nihil enim praeterea, significant hordea, quàm nobis hordeum: vox namque שעורים seghorim hordeum significat tantummodo, vtpote quod hirsutum, pilosum sit, & horridum. Quod ideo dixerim, ne quis putaret hordea dici, quasi includant alia frumenti genera: id namque alienum esse ab Hebraeorum loquendi more indicat historia Regum, in qua Dauid inducitur persequentem filium fugiens, exceptus ab externis quibusdam principibus: qui *obtulerunt stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum*: ibi verò in Hebraeo eadem vox in numero legitur multitudinis, quam sic transtulit in Latinum sermonem quidam: Et tritica, & hordea. Quod verò ad mensuram letech spectat, quid sibi velint Septuaginta interpretes, nebel vini scribentes, nec percipere potui, neque vllum hactenus inueni, qui id plenè explicet: caeteri namque Scriptores, ipso Hieronymo attestante ἡμίκοφον himicoron hordei transtulerunt, ideſt mediam partem cori, quae facit quindecim modios, vtique Hebraeos, quae fata dicuntur. Sed & cum Hieronymo sentiunt plures Hebraeorum libri, atque Doctores, asserentes, letech quindecim continere fata, hoc insuper addentes, onus esse asini. quae omnia accuratè satis collegit, & retulit Benedictus Arias Montanus. quod verò ad iumenti onus spectat, satis, ni fallor, superiùs ostendimus, non fuisse tam graue quindecim satorum pondus, vt non à iumento portari posset. Quod quidem tunc vel maximè cuiuis esse poterit perspectum, cum vires, ac magnitudinem Palaestinorum iumentorum cum illis, quae infrà de rerum pondere in singulis mensuris dicenda sunt, diligentiùs contulerit. Nunc enim minores quasdam alias Hebraeorum mensuras percensere decreuimus.

HORDEA pro hordeo vsurpant Hebraei.

Ose. 3. Ṽ. 2.

2. Reg. 17. Ṽ. 28.

Forsterus in dictionario.

LETECH dimidia pars est cori.

R. Ari. Mont. lib. de sato.

DE GOMOR MENSVRA, QVAE ET ASSARON dicitur. Cap. XII.

POSTQVAM de chomor, siue coro, eiusque maximis partibus actum pluribus est, supereſt, vt hanc aliam mensuram, quae illi Latinorum prolatione dissimilis non est, quàm sit magnitudine ipsa dissimilis, explicemus. Quod verò ipsa vox ab illa etiam longè diuersa sit, indicabit etiam huius scriptura, & notio, si cum priori conferatur. Dicitur enim עמר ghomer a radice עמר ghamar, quae in quarta coniugatione significat vti alicuius ministerio, vel commodo; commodum percipere ex re aliqua, vel negotiando, vel vendendo. Atque adeo si vocem interpretari iuxta radicem suam velimus, quae in vsu est, vel quae vsui est, dicetur. & fortè sic dicta est haec mensura, quod quadraginta integris annis, quibus in deserto caeA lesti manna pascebatur populus, haec mensura maximè fuit in vsu, vtpote, quae praefinitam à Deo vniuscuiusque viri diurnum cibum metiebatur. Et maximè fuit vsui, quoniam quicumque ampliùs, quàm gomor collegerat, ampliùs sibi laboris parauerat, fructus nihil. sic enim legimus in Exodo: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum, &c. colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita &c. Fecerunt que ita filij Israel, & collegerunt alius plus, alius minus, & mensi sunt ad mensuram gomor: nec, qui plus collegerat, habuit amplius: nec, qui minus parauerat, reperit minus.* Haec eadem retulit Iosephus rationem etiam addens, propter quam in mensura colligi praeciperetur manna. Eumque, inB quit, cibum pro se quisque certatim colligebat; sed mox edicto admonentur, vt ex aequo assaronis mensuram (sic vocat gomor, vt mox explicaturi sumus) quoridie colligerent; non enim defore hoc cibi genus, quod eo factum est, ne infirmioribus deesset, dum robustiores per auaritiam plus satis colligerent. Quod si quis contempto edicto vltra praescriptum modum collegisset, plus defatigatus nihilo plus habebat quam caeteri. Hunc verò locum, eiusque explicationem accuratiùs persequitur Sanctus Paulus, dum Corinthios hortatur, vt Ecclesias Macedoniae, quae in persecutionibus maximè indigebant, eleemosynis subleuarent, non quidem ita, vt sibi necessaria subtraherent, sed ex aequalitate. Verba Sancti Apostoli Pauli explicat Remigius sic scribens: *In praesenti tempore,* ideſt in hac C vita, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia,* quae spiritualis est in iejunijs, & orationibus, *vestrae inopiae sit supplementum,* ideſt, vt quod minus habetis in spiritualibus rebus, in ipsis habeatis; & quod illi non habent in temporalibus, vos eis ministretis, *vt fiat aequalitas* inter vos, & illos, dantes vos illis, quod non habent, & ipsi vobis, quod non habetis; vos illis temporalia, & ipsi vobis aeterna: *sicut scriptum est: qui multum,* subaudi, collegit, *non abundauit, & qui modicum, non minorauit.* hoc secundum litteram dictum est de manna. Nam cum praecepisset Dominus, per singula capita plenum gomor colligi, quae est mensura tres sextarios continens, quidam collegerunt plus, D quidam minus: sed cum praeparassent sibi cibos in mortario cum pistillo, & ille, qui plus collegerat, & qui minus, vnam mensuram postmodum repererunt, plenum scilicet gomor. Hactenus ex Remigio. Haec autem omnia ad sapientiam retulit Hebraeus Philo: Ad haec, inquiens, caelestem illum cibum animae, qui manna vocatur, omnibus petentibus Dei sermo distribuit, aequalitatem haudquaquam negligens. Testis est Moses dicens: Nec plus colligenti superfuit, nec minus colligenti defuit: quando miranda, optandaque analogiae mensura vsi sunt, ex qua didicerunt, hunc cibum non tam hominibus, quàm rationibus, & moribus colligi. quantum enim cuique competebat, tantum sibi praeparauit, vt nihil vel deesset, E vel supereſſet. Haec ille. Atque ea omnia, quae retulimus notionem ipsam vocis explicare videntur.

VOCES chomor, & gomor longe diuersae sunt.

Quod verò ad eius capacitatem spectat, diserтis planè verbis explicat eadem Exodi historia, vbi sic legimus: *Dixitque Moyses ad Aaron, sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum potest capere gomor,* &c. post pauca vero subdit: *Gomor autem decima pars est ephi.* Haec autem Gomoris ad ephi proportio ita fuit omnibus Israelitis in promptu; vt eam

GOMOR dicitur haec mensura, eo quod maxime fit vsui.

Exod. 16. Ṽ. 15. 16. 17. & 18.

Ioseph. 3. antiq. cap. 1.

AD MENsuram praecipit Dominus manna colligi, ne pateat auaritiae locus.

1. Corinth. 8. Ṽ. 14. & 15.

S. Remigius in manuscripto codice.

ELEEMOsynae modus, & fructus.

Philo lib. quis rerum diuinarum haeres.

Exod. 16. Ṽ. 34. & 36.

vt eam vel ipso nomine significare voluerint, dum hanc mensuram עשרון ghasaron, ideſt decimam, voce alioqui generali denominarent, quod allato Ioſephi teſtimonio, atque alijs perſpicuum eſt. Huius porro ignoratio vocis Agricolam decepit, vt nimis longè petita litterarum, ac prolationum varietate, & librarij inertia, aſſaron ex gomor deduci putaret, cum longe ſint diuerſae voces, diuerſaſque ſortiantur notiones; quamuis, vt dixi, alia atque alia ratione eadem menſura vtraque voce denominaretur. Neque verò aſſaronis vocem vnus vſurpauit Ioſephus; quinimo ex ſacris litteris eam deſumpſiſſe videtur: nam in Leuitico ad Moyſem Dominus: *Accipies quoque*, inquit, *ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas*. Hebraicè שני עשרנים ſene gheſronim duarum decimarum, vel duorum aſſaron, vt ſcribit Ioſephus Paulo inferiùs afferendus. Iam verò cum ephi magnitudo ſatis ſupra oſtenſa ſit, ipſa quoque aſſaronis magnitudo cuiuis poterit eſſe perſpecta: nam ſi ad Romanos ſextarios vtramque menſuram reuocemus, habet ephi duos & ſeptuaginta, cuius numeri pars decima continet ſextarios ſeptem cum quinta inſuper ſextarij parte: ac totidem affirmabis aſſarone contineri. Quam ſententiam tenuit Epiphanius: Gomor, inquiens, erat decima pars magnae menſurae, hoc eſt artabae, quae decima pars eſt ſextariorum ſeptem, & quintae vnius partis. Quibus verbis artabam, quam paulo ſuperius ſextariorum conſtituerat duorum & ſeptuaginta, aequalem plane ipſi ephi facit, cuius decima pars eſt gomor, atque adeo ſextarijs conſtat ſeptem cum quinta inſuper ſextarij parte. Vbi nulla ratione ſilentio praetermittendum exiſtimaui, perpendi maximè oportere Epiphanij ſententiam, & verba; ſiquidem eiſdem ſextarijs Graecam menſuram artabam, atque metretam; & Hebraicam ephi, & gomor metitur, & comparat: neque alium eiſdem ſextariorum numerum tribuit ab eo, quem nos cuilibet ex eis aſſignauimus: vt vel propter tanti viri auctoritatem, & dignitatem, quae tantopere commendatur à Sancto Hieronymo in eo praeſertim quod linguas quinque apprime nouerit, Scriptores hi noſtrae aetatis à tam multiplici ſextariorum varietate aliquando abſtineant; & intelligant, anti quos illos Scriptores, cum menſuras omnes ad ſextarium reuocant, non aliud aliudue ſextarij genus ſignificare voluiſſe (id namque vitio illis verteretur, ſi per ignotius ignotum manifeſtare conarentur) ſed vno eodemque Romano ſextario perpetuò vſos fuiſſe. Id quod nunc maximè fiet perſpicuum cum de ponderalibus, & menſuralibus vncijs, quae plurimos decepere, infra diſputabimus.

Sed ad aſſaronis capacitatem examinandam iterum reuertamur. Nam & Ioſephum nobiſcum ſentire exiſtimamus, dum de panibus propoſitionis in hunc modum ſcribit: Et in ea, inquit, menſa diſponebantur duodecim panes non fermentati, ſeni e regione ſibi duobus ordinibus oppoſiti, mundiſſimi, conſecti e farina duorum aſſaronum, quae menſura Hebraeorum ſeptem cotylas Atticas continet. Haec ille. in quibus quod primum nobis exponitur, id eſt, quod nos certa ſupputatione, & Epiphanij teſtimonio probauimus, nimirum, gomorem, ſiue aſſaronem ſeptenario numero contineri. In eo tamen à nobis diſſentire videtur Ioſephus, quod nos numerum illum ſextariorum eſſe putamus, Ioſephus verò cotylarum. Verum, cum in maioribus menſuris nobiſcum ſentiat Ioſephus, vel potiùs nos Ioſephi ſequamur ſententiam, qui bato ſextarios tribuit duos & ſeptuaginta, ſato ſeſquimodium, hoc eſt ſextarios quattuor & viginti; conſtet autem ex allato Moyſis teſtimonio, aſſaronem decimam eſſe partem ephi, ſiue bati, vel trium ſatorum, ex cuiuſuis numeri diuiſione liquido conſtare poterit, quid cotylis nomine intelligat Ioſephus, nimirum eam Atticam cotylem, de qua ſupra egimus, quae Romano ſextario par ſit. Neque verò mirari quiſquam debet, ſi quintam inſuper ſextarij, aut dictae cotylis partem non referat: id enim, vt ſaepe dixi, hiſtoricorum more fecit, qui numerorum partes, quas minutias vocant, plerumque referre non curant. Quid vero ſignificare voluerit Theodoretus, Ioſephum aliter ſenſiſſe referens, intelligere nulla ratione potuimus, niſi aut corruptus ſit Theodoreti textus, aut mendoſum ſortitus fuerit Ioſephi codicem. eius haec ſunt verba: Gomor autem menſura erat Hebraica, quae, vt docet Legislator, decima pars erat trium menſurarum; Secundum vero Ioſephum continet tres cotylas Atticas cum dimidia. Haec Theodoretus. Accedit huc etiam Philonis auctoritas, qui, dum ad myſticos, ſeu moribus congruentes ſenſus ſacras reuocat ſcripturas: Pulcherrime, inquit, ſimulque neceſſarie, per ſpeciem enarrationis, quando caeleſtis illius, & diuini alimenti monumentum in vrna aurea conſecratum eſt, ait: quod gomor erat decima pars trium menſurarum. Septuaginta interpretum lectionem ſequitur Philo, & ſubdit:) In nobis enim ipſis tres menſurae videntur eſſe, ſenſus, ratio, & mens, ſenſibilia ſenſu, verba & orationes ratione; intelligibilia mente metimur. de his ſingulis tribus menſuris primitiae ſunt offerendae quaſi quaedam ſacrae decimae, vt & ſermones, & ſenſus, & intellectus inculpabiliter, ſaneque iuxta Deum ſe habeant. Haec enim vera eſt, iuſtaque menſura. Et poſt pauca: de Sacerdotibus: his enim, inquit, praeceptum eſt, vt decimam partem ephi ſimilae ſemper offerant. Hactenus Philo, qui quod priùs dixerat: decimam trium menſurarum partem, poſtmodum quaſi explicans dicit: decimam partem ephi; neque immeritò: Chaldaeus enim paraphraſtes, trium ſatorum ſcripſit; Scoliaſtes porro Graecus τοῦ ὄμερ tu oephi. Nam ephi, vt vidimus, tribus ſatis conſtat, eiuſque decima pars eſt gomor.

Aliam praeterea longe diuerſam ſortitur notionem vox gomor, ſacris ſcripturis non minùs frequentem; ſignificat enim manipulum. Ideoque ſic dici putat Montanus, quod tantum tritici, aut hordei contineret manipulus vnus, quantum caperet gomor. Sed & fortaſſe ſic dicebatur manipulus, quod maximè fuiſſet in vſu, illos ea magnitudine colligere, ſumpta, inquam, à praedicta radice notione, ac ſi diceret, vſualis. Hanc vocem ſaepe retulit in Leuitico Dominus: *Cum ingreſſi fueritis*, inquit, *terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis* עמר ghomer *manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtrae ad Sacerdotem, qui eleuabit* העמר haghomer *faſciculum coram Domino &c. Atque in eodem die, quo* עמר gomer *manipulus conſecratur &c. Et libamenta afferentur cum eo* שני עשרנים ſene gheſronim, *duae decimae ſimilae*, ſiue duo aſſaron, aut gomer ſimilae. Quam fortè oblationem reſpiciens Hieronymus, Gomer, inquit, aſſumptio, ſiue conſummatio, vel perfectio eſt. Atque haec de gomor dicta ſufficiant.

Agric. lib. 1. de exter. men.

Leuitic. 24. V. 5.

PANES propoſitionis quam magni fuerint.

ASSARON vel gomor continet ſextarios 7 ½

Epiph. lib. de men. & pond.

IDEM SEXTARIUS Romanus Hebracas, Graecaſque menſuras aequat pariter, ac Romanas. *S. Hieron. lib. 1 apolog. aduerſus Ruffi.*

NON MVLTIPLEX ſextarius, ſed vnus atque idem apud antiquos Scriptores.

Ioſeph. lib. 3. antiq. c. 7.

PANES propoſitionis ſinguli e duobus farinae aſſaronibus conficiebantur.

Supra cap. 7. huius.

Theod. quaeſt. 30. in Exod.

Philo lib. de congr. quaer. erudit.

EPHI, ET tres menſurae pro eodem vſurpantur.

MANIPVLVS dicitur gomor B. *Arias Mont. lib. de ſato.*

Leuit. 23. V. 10. 11. 12. & 23.

S. Hieron. de nomin. Hebr.

DE CABO DIVRNO HOMINIS CIBO.

Cap. XIII.

4. Reg. 6. V. 25.

EST & alia Hebraeis frugum mensura cab dicta, cuius in quarto Regum libro semel fit mentio his verbis: *Congregauit Benadab Rex Syriae vniuersum exercitum suum, & ascendit; & obsedit Samariam. Factaque est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Quae quidem Latina lectio cum Hebraea, Graeca, & Chaldaea ex aequo concordat. Eam tamen interpretari videtur Iosephus, cuius verba hic referam, vt ea ex Graeco in Latinum transtulit Agricola: Tantopere, inquit, foram rerum necessariarum copia defecit, vt, propter indigentiam, in Samaria caput asini octoginta argenteis nummis venderetur; quinque verò argenteis nummis sextarium simi columbarum pro sale emerent Hebraei. Ex quo bene quantitatem colligit cabi idem Agricola: nam si quarta pars cabi sextarius est, vtique quattuor sextarijs constabit cabus. atque adeo cum satum, vt vidimus, quattuor contineat & viginti sextarios, idem sex quoque continebit cabos, vt disertis verbis testatur Rabbi Salomo, dum satum, inquit, habet sex cabos, cabus verò quattuor logos. Eandem sententiam confirmat Benedictus Arias Montanus ex lib. misnaioth, illud addens, quartam cabi partem רבע robagh dici, quae in Latinum quartum neutro genere verti potest, spectatque ad res aridas: nam foemineo genere רבעית rebbaghith, hoc est quarta logum liquorum mensuram indicat. Sed quidquid sit de huiusmodi phrasi, ac loquendi more, quo mensuras ab inuicem distingueret Hebraei, hoc vnum ex illorum sententia constare videtur, quartam cabi partem logo aequalem fuisse, atque adeo, cabum quattuor logis exacquari, necnon logum, iuxta praedicta, sextario. Cui planè sententiae subscribere videtur Epiphanius: Cabus, inquiens, ex eadem lingua, vel, vt conuertit Agricola, ex ipsa loquendi proprietate, Hebraica scilicet, diuersa est mensura, nimirum quarta modij pars. Hactenus Epiphanij verba sunt. Quod si modium Romanum significare voluisse credamus, qui sexdecim constat sextarijs, eius quarta pars quatruor vtique sextarijs exaequabitur; ac tunc cum praedictis omnibus testimonijs concors erit sanctissimi viri sententia. Neque abs re erit, sic eum loquutum fuisse arbitrari, cum modij vocem ab Hebraeis desumptam fuisse testetur: quamuis & aliter sentire videatur, dum simili duorum & viginti sextariorum capacitate, & apud Hebraeos, & apud Romanos modij mensuram fuisse arbitratur: quod, qua ratione stet, hactenus videre non potui, neque vllum Scriptorem legi, qui eius sententiam plene explicet.

Illud praeterea silentio praetermittendum non est, quod idem, qui suprà, Benedictus Arias retulit. Huiusmodi autem, inquit, panis, & ciborum quantitatem satis ad pastum hominis diurnum esse, tradiderunt antiqui. Id quod maximè confirmare posset, quae hactenus diximus de cabi ad sextarium proportione. nam cum pluribus suprà ostensum sit, choenicem quattuor continere Romanos sextarios, candemque diurnum hominis cibum à Graecis constitui, eidem quoque Graecae choenici aequalis erit cabus, quattuor itidem sextarios continens, totidemque Hebraeorum logos. Sed statim maxima sese offert difficultas; nam, vt suprà vidimus, Moysis edicto sancitum erat, vt gomor, siue assaron manna plenum, diurnum praeberet hominis cibum. Porrò gomor sextarios Romanos continet septem cum quinta sextarij parte; at cabus quattuor tantummodò sextarios complectitur.

Verùm huiusmodi difficultas omnis illud videtur quasi iure exigere, vt, quantum discriminis inter manna illud, & triticum intersit, expendamus. *Erat autem man*, inquit Numerorum historia, *quasi semen coriandri, coloris bdelij.* Quod verò ad eolorem spectat, bdelij colorem referre perspicuum est. eam autem Hebraeam vocem esse, omnibus iti promptu est בדלח bedolach. & communis Hebraeorum sententia tenere videtur, genus significare pretiosi lapidis, id quod nostrae Latinae Vulgatae consonum videtur: nam in Genesi legimus: *ibi inuenitur bdelium, & lapis onychinus*: sed cuiusmodi sit lapis hic, non apud omnes constat. Rabbi Dauid lapidem putat esse pretiosum, qui alio nomine iaspis dicitur. Alij tradunt, colore vnguis humani speciem referre. Iosephus speciem scribit esse aromatis. Sunt qui carbunculum transferant. Alij crystallum. Verùm propria vocis notio margaritam significat, atque adeo manna erat coloris albi, & perlucidi, margaritae similis. Id quod testari videtur Philo, qui sapientiam caelesti illo cibo significari confirmans. Reuera, inquit, sapientiam aetheream Deus superne instillat generosis, & spectandi cupidis mentibus. At illae hac visa, degustataque delectatae, experimento discunt; auctorem tamen eius voluptatis nesciunt. Ideo percontantur, quid est hoc melle dulcius, nive candidius. Atque haec de colore dicta sufficiant. Quod verò ad eius substantiam, & figuram spectat, id planè testatur eadem Numerorum historia: *Erat autem*, inquit, *man quasi semen coriandri coloris bdelij. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, saporis quasi panis oleati.* Semen coriandri cibi illius magnitudinem denotat, necnon intus inane forsan fuisse, vt & praedictum semen. eiusque duritiem denotat, quod mola, siue pistillo in mortario terendum erat, atque coquendum in olla, vt panis fieret. Non enim voluit Deus, vt eibum, quamuis largiter è caelo missum, sine labore comedere posset homo, cui iam olim praedictum fuerat, *in sudore vultus tui vescēris pane*. Igitur leuioris substantiae, atque latioris magnitudinis fuit cibus ille, quàm sit frumentum. Quod ingratus iniquusque populus significare voluit, dicens: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo*. Quae omnia simul collata facilè nobis indicant, plenum manna gomor tantumdem panis praestare potuisse, quantum plenus frumento cabus.

Sed priusquam ad alias mensuras veniamus, monendum existimaui lectorem, ne proportionem exquirat, quam tradunt Hebraei agri seminandi singulis ex praedictis mensuris. Nam in libro

Iosephus. 9. Antiq. cap. 2. Agric. lib. 1. de extern. mens.

SEXTARIVS quarta pars cabi. Rabbi Salomo super Leu. 14

P. Ari. Mont. lib. de sato.

QVARTVM frugum, quarta liquorum mensura dicebatur.

LOGVS Sextario aequalis. Epiph. lib. de mensuris.

Bened. Arias Mont.

CABVS, ET choenix aequales mensurae.

QVOMODO cabus tritici, & gomor mannae diurnum praestent hominis cibum.

Numer. 11. V. 7. & 8.

BDELIVS color cuiusmodi fuerit.

Gen. 2. V. 2.

Rabbi Dauid in lib. rad.

Philo lib. de profugis.

MANNA IN quo sit similem coriandri semini.

SINE LABORE non editur manna.

Gen. 3. V. 19.

Numer. 21. V. 5.

QVANTVM panis efficeret gomor mannae

libro misnaiot corus triginta sata continere dicitur; sato verò cubi tribuuntur sex: quapropter corus cabos continebit centum, & octoginta. In eodem porrò libro, agrum coro serendo traditur non minorem esse oportere, quàm cubitorum septingentorum triginta millium. Quem numerum si per centum octoginta cori cabos diuidas, dabit cubitos agri cabo serendo quater mille quinquaginta quinque, cum quinque nonis partibus quadrati cubi: cum tamen denis quadratis cubitis cum dimidio serendum fuisse cabum tradat idem liber. quod qua ratione stare possit, videant Hebraei: nobis enim curae non est illorum corrigere errores, sed propalare, ne alijs errandi occasio sint.

DECIPIVNtur Hebraei agrum seminandis mensuris definientes.

|4 |0 730000|5 180|5 |5 4055 5/9

DE LOGO, ET HIN.

Cap. XIV.

QVONIAM praecedenti capite logi meminimus, eius hic aliquam rationem reddendam esse existimauimus, vel propterea maximè, quod ad hanc mensuram reliquae ferè omnes liquorum pariter, ac frugum mensurae reuocentur. Et quamuis ex his, quae dicta sunt, perspicuum esse videatur, logum Romano sextario exaequari; tamen tot sunt de eo, ac tam variae sententiae, vt ad eas examinandas proprium oportuerit logo caput ascribere. Vt igitur à notioribus exordiamur. Iosephus maximae auctoritatis, & sollertiae Scriptor viam nobis ostendit planam, ac regiam hac in parte philosophandi: nam satum sesquimodio comparat; atque, vt ostendi, sato Romanos sextarios tribuit quattuor & viginti. porro cabus, vt vidimus, sati pars est sexta; quattuor ergo Romanis sextarijs aequabitur cabus; nam quater sex efficiunt viginti quattuor. Est autem cabus idem quaternis logis aequalis. quaterni igitur logi totidem sextarijs erunt aequales, ac singulis singuli: sunt enim eadem vni tertio, nimirum cabo; quapropter eadem quoque sunt inter se. Eadem porrò sextarij, ac logi similitudo, ex frugum, ac liquorum mensuris collatis confirmari poterit. Continet namque ephi sata tria, satum sex cabos, cabus quattuor logos; atque adeo satum continebit logos viginti quattuor, ephi logos duos & septuaginta. Sunt autem, vt ex Ezechiele ostendimus, ephi, & batus aequales mensurae; continebit igitur batus logos duos & septuaginta: at idem continet sextarios totidem iuxta Iosephum, atque alios supra relatos. Sunt ergo Hebraicus log, & Latinus sextarius inter se aequales. Et quamuis praedictis rationibus firma non esset, vt vere est, praedicta sententia, vel vno Latinae Vulgatae editionis testimonio confirmari potuisset; cum tamen plures afferre posse-

AD LOGVM fere omnes mensurae reuocantur.

LOG ROmano sextario est par.

A mus. Nam in Leuitico, vbi ritus mundandi leprosi praefinitur à Deo, olei ℔ log saepius repetitur, quibus omnibus locis *olei sextarium* Latinè legimus. Neque aliter Chaldaeus paraphrastes legit, neque aliter eum conuertit Latinus eiusdem interpres, quàm olei sextarium. Septuaginta verò interpretes cotylin more suo scribunt, quam vocem ita, vt sonat, accepit Sanctus Augustinus, pro cotyli scribens heminam. At cotylem, vt alias dixi, pro sextario vsurpant Septuaginta interpretes, id quod significare voluisse videntur Complutensis, ac Regius codex, qui pro Graeco κοτύλη cotyli sextarium Latinè vbique reddunt. Haec autem vtraque ratio, tum ea, quae ex logi, & sextarij collatione desumitur; B tum illa, quae ex maiorum mensurarum comparatione deducitur, firmissima quidem est, ita vt nullis alijs coniecturis infirmari posse videatur. Nam, quamuis stare posset, vt, etiam si aliqua ex parte sextarius logo maior fuisset, vel minor, alter tamen pro altero ab interpretibus substitueretur, vtpote illi magnitudine propè aequalis: at illud stare nulla ratione potuisset, vt, si logi septuaginta duo cum totidem sextarijs collati, eisdem aequales inueniantur, inter eos differentia reperiretur, quae septuagesima secunda sextarij, aut logi parte maior sit. Nam si fingamus, logum septuagesima secunda sui parte minorem sextario fuisse, sextarij vtique duo & septuaginta, logis aequarentur tribus & septuaginta, & sic de alijs C partibus his maioribus esset philosophandum. Sed non desunt docti nostrae aetatis viri, qui, quod firmum est, ac solidis rationibus innititur, leuibus quibusdam coniecturis improbare conantur. Logum, inquiunt Rabbini ferè omnes, Salomonem secuti, sex ouis compleri testantur, quae non anserum, sed gallinarum sunt accipienda; at nulla sena nostrae aetatis oua gallinacea Romanum sextarium complere possunt; non est igitur log sextario aequalis. at quantus? si roges, respondent subsesquialter: eiusmodi enim logum complent, quae nos adhibuimus oua. Quae sane ratio, si alicuius esse momenti probetur, mox cogemus Protheo ipso mutabiliores logos admittere: nam & ego plura ouorum genera hic Romae appendi, eorumque putamina D aqua compleui, & mensus sum, & pondere etiam examinaui, aliaque alijs reperi maiora, alia minora, ferè nulla paria: quae igitur ex illis sunt adhibenda? communia, dices, non maiora, neque minora. At, quae ego communia iudicabo, tu forsan maiora dices; quae tu communia putabis, alius quispiam inter minora computabit. Gallinae, inquit Agricola (vt de Numidicis, quod alterius generis sint, nihil dicam) triplices sunt. magnae, quas nostri Italicas nominant: mediocres, quas vrbanas: paruae, quas rusticas. earum oua multùm magnitudine inter se differunt; etenim maiorum gallinarum ferè duplo maiora sunt, quàm paruarum: mediocrium medio modo se habent. Haec ille. Quibus si addam E & ego meae prouinciae Boeticae gallinas, atque oua Italicis maiora esse, nihil à vero aberrabo. Sed & Romae aliqua ego oua appendi trium vnciarum ponderis, quorum putamina duas drachmas pendentia duas capiebant aquae vncias, drachmas sex cum dimidia. Quidni Palestina, regio, his nostris vbertate praestantior, oua communia generet his nostris ea ratione maiora, ita vt

Leuit. 14. ℣ 10. 15. 21. & 24.

COTYLIS pro sextario apud Septuaginta interpretes. *S. Aug. lib. locut. de Leuitic.*

R. Salomon.

INFIRMAtur ratio ex ouis sumpta, quae logum minorem facit sextario.

EX OVIS nulla certa mensura desumitur. *G. Agric. lib. de rest. pond.*

SEX OVIS compleri sextarium probatur.

ita vt sena ex illis sextarium compleant; vel, quod idem est, aquam capiant, vncias tres cum tertia, insuper vnciae parte pendentem? Neque verò quid dissonum proponimus, & inauditum, sed quod nondum aequa ratione respondere videtur proportioni palmitis illius, quem in valle botri

Num. 13. ℣. 24. abscinderunt exploratores cum vua sua, *quem portauerunt in vecte duo viri*. Nec mirum cuiquam videri debet, si ex fructuum terrae magnitudine, auium quoque, atque animalium magnitudinem conijciamus, cum & de eius regionis incolis eadem conijcere nos doceat sacra historia.

Deu. 1. ℣. 28. PALESTINAE incolae, statura valde proceri.

Quo ascendemus, inquiunt incredulli illi ac pauidi Israelitae, *nuncij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis Statura procerior: vrbes magnae, & ad caelum vsque munitae, filios Enacim*, id est gigantes, *vidimus ibi*:

Verùm enimuero grauis mihi est, atque molesta haec coniectandi, siue malis, ariolandi ars; neque in eam vnquam sententiam adduci possum, vt credam veritatis studio teneri eos viros, qui, regia, tritaque indagandae veritatis via dimissa, diuerticula quaerunt, & obliquas semitas. Nihil enim arbitror magis haberi in promptu posse, quàm quid de logo sentiant Hebraei; cum praesertim eorum placita, atque sententias fideliter referat harum lucubrationum antesignanus

B. Ari. Mont. lib. de fato. ac dux Benedictus Arias Montanus: pluribus enim locis Hebraeos illos antiquos scripsisse tradit, logum vigesimam quartam partem continere fati, eundemque רבעית rebighit diei, hoc est quartam, eo quod cabi quarta sit pars. At, iuxta Iosephi perspicua testimonia, fato sesquimodius Italicus continetur, hoc est eiusdem gentis sextarij vigintiquattuor: cabi verò quartam partem sextarium vocat idem Iosephus. Igitur constanter tenendum est, Hebraeos logum sextario Romano exaequasse; vel, quod verius, atque

ROMANI sextarium logo parem constituerunt. probabilius multo est, Romanos sextarium suum Hebraeorum logo aequalem constituisse. Neque his obstat, huiusmodi logum in oua sex diuisum fuisse: nam sicut logi mensura, semel olim constituta, semper eadem perdurauit, sic etiam eius sextarij pars, ouum, mensura eadem perpetuò mansisse credenda est. ex quo liquido constare videtur, quantum à veritate aberret, quicumque suae regionis ouum sextam continere reputat logi partem. Qua

Grsepsius lib. de mensuris Hebr. propter mihi maximè probatur Grsepsij sententia qua tradit, ouum genus minutae mensurae antiquis fuisse, sic dictae à forma oui. Quinimmo tam

OVVM CERTA antiquorum mensura. Italiae, quam Hispaniae vsus obtinuit, vt figuras planas, vel solidas, oui formam referentes, ouatas

Athenae. lib. Dipnosophis. dicamus. Athenaeus verò Graecus ouum inter pocula recenset. sed & apud Hesichium, cyathum forma oui fuisse cognoscimus. Quapropter ouum

OVVM BINIS Romanis cyathis par. illud, quod pro mensura vsurpant Hebraei, binis Romanis cyathis par fuisse cognoscimus. Neque

B. Ar. Mont. lib. de fato. parum hanc nostram sententiam confirmat id, quod idem Arias Montanus tradit, ouum in quinque partes quasi vnciolas diuidi solitum affirmans. in quo, quis non videat mensuram statutam, ac certam fuisse ouum? alias enim quomodo gallinaceum ouum in partes diuides, aut diuisum fuisse intelliges? Qua etiam ratione logi quoque mensura in octo partes diuidebatur, quarum singulae sesquicyathum continebant, oui verò tres quartas.

Constituta igitur logi mensura, facilis erit, ac perspicua alterius celeberrimae Hebraeorum

A mensurae, quam הין hin vocant, capacitas, & magnitudo. Eius verò vsus frequens in vino, aut oleo dimetiendo versatur. Eamque Latinae Vulgatae interpres, Septuaginta, atque Chaldaeam imitatus, intactam ferè semper reliquit. Hin Iosephus definit: nam dum de oleo vnctionis sancto agit: Et olei oliuarum, inquit, hin mensurae nomen est, quae capit duos choas Atticos. Et iterum, dum de sacrificijs in vniuersum ageret: Nam & oleum, inquit, sacrificantes afferunt: cum boue hinis dimidium, cum ariete tertiam partem, cum agno quartam: ea est mensura prisca Hebraeorum, duos choas Atticos continens, qua oleum, ac vinum metiuntur. Haec ille. Quòd autem idem ferè duobus locis praeter morem suum referat Iosephus, non aliud significare putandum

B est, quàm quod aliqua posteriori loco explicantur, quae priori non item. Et quamuis eadem duobus locis, eisdem pene verbis repetat, non tamen quid diuersum duplici loco significare credendus est, vt leuiter astruit Grsepsius; sed idem ipsum, quod priùs dixerat, confirmare. quod intellexisse & sequutus Sanctus Hieronymus videtur, supra à nobis explicatus. Iosephi sententiam sequitur, & confirmat Rabbi Salomon: quarta pars hinis, inquiens, sunt tres logi. & iterum: hin duodecim logos capit. Id quod in libro quoque Misnaioth receptum esse tradit Arias Montanus, addens: Hin septuaginta duo oua continere; & meritò, cum sexies duodecim duos & septuaginta efficiant. Cum igitur chus, C aut choeus Atticus Romano congio aequalis sex capiat sextarios, hin duodecim sextarios continebit, ac totidem logos. Quibus constitutis, in promptu erit ratio, propter quam haec mensura, prae alijs in vsu fuerit, omniumque in oculis versaretur, & ore: nam ipsa non modo Hebraeas liquorum mensuras in aequas partes diuidere poterat, sed & externas; ipsaque rursus in plurimas partes diuidebatur, vt additis exemplis breui explicabo. Est enim hin vrnae dimidium, amphorae quarta, metretae, ac bati minoris sexta, maioris bati nona, Romani culei octuagesima, Hebraei cori sexagesima. Quod verò ipsa mensura hin in plures partes diuidatur, cuiuis, vel ex duo-

PROPORtio hinis ad alias mensuras denarij numeri diuisione, ac partibus, quas suprà D retulimus, facilè constare poterit. Ideoque in Exodo sic scribitur: *Quod habeat mensuram quartam partem hin*, hoc est tres logos, seu sextarios, eademque quarta pars hin & in Leuitico, & in PARTES hinis. Numeris refertur. In eodem porro Numerorum libro: *Quae conspersa sit oleo tertiae partis hin*. hoc est logorum, seu sextariorum quattuor. Et mox subdit: *Dabis per singulos boues similae tres decimas*, hoc est assarones, *conspersae oleo, quod habeat medium mensurae hin*, hoc est logos, siue sextarios sex; congium videlicet vnum. Ac tandem Ezechieli praecipitur à Domino: *Et aquam in mensura bibes sextam partem hin*. quae sexta pars duos vtique continet sextarios, vt ex S. Hieronymi sententia supra colligebamus. reliquas E verò partes vnusquisque facilè comprehendere, ac mutuò conferre poterit. Nos enim satis hactenus dixisse arbitramur de Hebraicis liquorum, ac frugum mensuris, earumque cum Romanis, ac Graecis collatione. Supererat iam, vt earum aliquas, vel omnes ita exhiberemus, atque legentibus proponeremus, vt quiuis eas sibi facilè componere, ac domi habere posset. Verùm, quoniam, Deo dante, speramus, non has, aut

illas

HIN LIquorum mensura.

Ioseph. 3. antiq. c. 10. & 11.

EADEM REpetita verba non aliud significare, sed idem confirmare solent.

Grsepsius lib. de mens. Heb.

S. Hier. supra cap. 6 huius.

Rab. Salom. cap. 9. & 20. Exod. & cap. 30.

Arias Mont. de bato.

HIN CAPIT duodecim logos.

Supra lib. 2. huius cap. 6, & 8.

Exod. 29. ℣. 40.

Leuit. 23. ℣. 13.

Num. 15. ℣. 4. 6. & 9.

Ezech. 4. ℣. 11.

Supra cap. 6. huius.

illas tantummodo mensuras, sed omnes omnibus proponere posse; ideo priùs de longitudinum mensuris agendum esse existimauimus, deque earum ad praedictas, vt ita dicam, proportione.

LONGITVDINVM MENSVRAS EX HVMANA *statura desumptas olim fuisse, eandemque membrorum corporis rationem seruare.*

Caput XV.

Plato in Theeteto.

MIRIFICE commendat Protagoram apud Platonem Socrates, quòd hominem dixerit rerum omnium esse mensuram, existentium quidem vt sunt; non existentium verò, vt non sunt. Et certè meritò, cum, inter animantia, solus homo rationis sit particeps, cuius proprium munus est, maiora, minora, paria, similia, dissimilia iudicare. Et si quidem alia, multò magis seipsum, suaque contemplari, atque perspecta habere credendus est, vt in seipso artificis sapientiam agnoscat, diligat, ac veneretur. Erudita sanè, ac eleganti oratione plurium Philosophorum testimonijs hanc sententiam confirmat Eugubinus, hominem probans à Deo creatum, atque in mundum introductum, vt seipsum, suaque membra contemplaretur aptè. à Deo ad proprias cuiusque operationes dispositа. Epicteti porrò verba recenset huiusmodi: Nonne, inquit, deceret, & fodientes, & arantes, & comedentes canere laudem in Deum: Magnus Deus, quoniam nobis haec instrumenta dedit, quibus terram colimus; Magnus Deus, quoniam manus dedit, quoniam hausturn, quoniam ventrem, quoniam crescere tacitè, & latenter, quoniam dormientes respirare. Haec ad vnamquamque rem concinere oporteret, ac maximum diuinissimumque hymnum canere. Haec est viri planè sapientis sententia, si, quae dixit, opere complesset. Enimuerò mirabilis rerum Opifex Deus summam illam, perpetuoque laudabilem sapientiam suam in singulis nostri corporis membris, eorumque muneribus ostendit; nec tantum sapientiam suam; sed & pulchritudinem quoque ostentat. Id quod admirabili quodam stylo persequitur doctissimus pariter, atque sanctissimus Dionysius Areopagita. Enimvero, inquiens, supersubstantiale illud pulchrum, pulchritudo quidem dicitur, propter illam, quam tradit subsistentibus omnibus, pro captu cuiusque, pulchritudinem: & vt auctor omnium conuenientiae, atque claritatis, lucis in morem omnibus specifi-

HOMINIS est proprium de mensuris iudicare.

Eugub. lib. 9. de perenni philoso. c. 18.

S. Dionys. de Diuin. nom.

DEI OPTIMI pulchritudo in humano corpore splendet.

cas principalis sui radij distributiones insulgens. Atque iterum magis haec eadem explicat, & definit, quid pulchrum, aut pulchritudo dicatur. Ait enim: Ex hoc quoque pulchro ijs, quae sunt, omnibus prouenit, vt sint pro modo suo pulchra singula; efficitque pulchrum istud rerum omnium congruentias, & amicitias, & societates. Haec Sanctus Dionysius, quae, vt caetera aptissimè explicat Sanctus Thomas. Alia est, inquit, pulchritudo spiritus, & alia corporis; atque alia huius, & illius corporis. Et in quo consistat pulchritudinis ratio, ostendit, subdens, quod sic Deus tradit pulchritudinem, inquantum est causa consonantiae, & claritatis in omnibus; sic enim hominem pulchrum dicimus, propter decentem proportionem membrorum in quantitate, & situ, & propter hoc quod habet clarum, & nitidum colorem. Vnde proportionaliter est in caeteris accipiendum, quod vnumquodque dicitur pulchrum, secundum quod habet claritatem sui generis, vel spiritualem, vel corporalem, & secundum quod est in debita proportione constitutum. Deinde subdit: Similiter etiam dictum est, quod de ratione pulchritudinis est consonantia; vnde omnia, quae qualitercumque ad consonantiam pertinent, ex diuina pulchritudine procedunt. Hactenus Beati Thomae verba sunt. Atque ad eandem consonantiae, vel conuenientiae rationem reuocanda esse censeo, quae subiungit Sanctus Dionysius verba, congruentias, amicitias, & societates, quae ad hominum animos retulit Angelicus Doctor, vtpote in quibus maximum quoddam splendet quasi pulchritudinis exemplar. Id quod in corpore etiam humano, atque in toto homine obseruari facilè poterit, in quo rerum omnium quasi compendium, quod cernimus, earumdem quoque pulchritudinum summam indicant, eò pulchriorem, quò plurium est particeps pulchritudinum. in qua quidem diuersissimarum rerum collectione maxima quaedam videtur inesse congruentia, amicitia, societas; cum, quae in seipsis longè sunt à se inuicem seiuncta, diuersa, & plerumque contraria, mirabili quadam consensione, amicitia, & societate coniuncta in vnam copulentur, atque conueniant hominis pulchritudinem. quam prioris Adami peccato foedatam, secundi caelestis Adami beneficio instauratam fuisse testatur sanctissimus Paulus, dicens: *Secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare*, ἀνακεφαλαιώσασθαι anacephaleosasthe recapitulare *omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso*. Verùm, quoniam longior hac de re disputatio alio spectare videtur, nihil praeterea eidem addendum duxi: satis namque, superque ostensum esse existimaui, pulchritudinis quoddam exemplar posse hominem in homine agnoscere; corporum verò maximè in humano corpore: ex quo fit, vt quicumque opus quodcumque arte sua, atque sollertia perfectum formare velit, id nulla ratione consequi possit, nisi illud humano corpori, eiusque membrorum consensioni, amicitiae, societati pro cuiusque ratione respondere faciat. Atque vt alia omittam artificum opera, Architectonicae potissimùm, cuius proprium est reliquas dirigere artes, munus esse existimaui, humani corporis rationes habere perspectas, atque iuxta earum modum sacras potissimùm aedes efformare.

S. Thomas super Dionys.

QVAE SIT pulchritudinis ratio.

HOMO pulchritudinis exemplar quare dicatur.

Ephes. 1. ℣. 9. & 10.

IN CHRISTO omnis pulchritudo instauratur.

NIHIL ARTIFICIO pulchrum, quod non humani corporis pulchritudinem imitetur.

Quod

DEVS ARchitecturae primus inuentor, non homines.

Quod à Deo Optimo, Maximoque, Architectonicae primo inuentore, atque magistro obseruatum in omnibus sacris fabricis sempet fuisse, suis locis pluribus ostendam. A quo veritatem hanc, vt reliquas, maximus ille antiquorum Architectus Vitruuius hausit, ac memoriae posteris, in suis scriptis, sempiternae mandauit. Namque non potest, inquit, aedes vlla sine symmetria, atque proportione rationem habere compositionis nisi vti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. Haec ille. Quibus, postquam aliquas addidit humani corpotis proportiones, subiungit: Nec minus mensurarum rationes, quae, in omnibus operibus videntur necessariae esse, ex corporis membris collegerunt, vti digitum, palmam, pedem, cubitum. Hactenus Vitruuij sunt verba. Quae non B modo ea, quae hoc capite tractanda suscepimus, maxima ex parte explicant; verùm etiam rationem teddere videntur, quamobrem de mensuris agendum nobis hac in parte fuerit. Nam cum suscepti huius nostri laboris scopus sit, ac finis, Diuinam planè Salomonici templi architecturam explicare; eamque ostendere humani corporis pulchritudini, immo & pulchritudinis instautatori Christo fuisse conformem, id vix, aut nulla ratione praestati posse arbitrabamur, nisi exactam mensurae, aedificium metientis rationem, eidem humano corpori congruentem fuisse, priùs ostenderemus. Ex quo etiam illud quoque singulari Dei beneficio consequutos nos fuisse putamus, vt & reliquas omnes mensuras ex eiusdem C humani corporis proportionibus fuisse desumptas ostendere possimus.

Vitruu.lib.3. cap.1.

EX CORPOris membris mensuras collegerunt priores.

OPERIS huius scopus: ostendere templum pulchritudinis instauratori Christo fuisse simillimum.

VITRVVII auctoritas.

Sed quamuis vel vnius Vitruuij auctoritas tanta sit, vt à nemine vel mediocriter huius generis scientia instructo refelli, aut non admitti meritò possit, eum nullum alium paris, nedum maioris auctoritatis habuerimus, qui res architectonicas, vel ante, vel post illum, via, & methodo tradiderit; tamen plures non defuturos existimo, qui id negent ad sacrae Scripturae mores vlla ratione pertinere. Id quod vel propterea maximè accidere posse puto, quod multorum animis iampridem falsa quaedam opinio insedit, vt arbitrentur, longè diuersam fuisse Salomonici templi atchitecturam ab ea, quam Graeci deinde, D ac tandem Romani excoluerunt; hosque vetam & propriam fabricae rationem persequutos fuisse, illos verò minimè. Verùm fiet, Deo dante, speramus, vt grata posteritas aliquando intelligat, veram, ac certam architectandi rationem ex sacris fabricis Deo auctore petitam, à Graecis glotiae cupidis vsurpatam ad Romanos peruenisse, a quibus, Vitruuio scriptore, multisque adhuc superstitibus, magna ex parte, eorum aedificijs, nos eam addiscere potuimus. Cuius quidem rei haud leue argumentum esse poterit id, quod modo ostendete decreuimus, Vitruuij sententiam confirmantes sacris etiam litteris esse conformem. Ait enim, vt vidimus, omnium operum mensuras, ex humano corpote sumptas fuisse desumptas. Atque hoc ipsum E probare videntur in sacris litteris membrorum corporis nomina mensuris exhibita טפח taphah, palmus אמה amah cubitus. quibus ex aequo mensurae, & palma manus, ae hominis cubitus denotantur. Sed neque hac tantùm ratione probatur nostra sententia, quamuis efficax videatur, sed & alijs quoque testimonijs. Et quoniam cubiti mensura prae alijs omnibus in sacris libris frequens

SACRAE litterae probant ex humano corpote sumptas fuisse mensuras.

CVBITVS vnde dicatur.

A est, de ea potissimùm explicare decreui, quod ex humana desumpta sit proportione. id quod ex ipsa cubiti notione facilè potest demonstrari אמה amah enim à radice אם am deducitur, quae matrem, aut medium significat. cuius notionis celebre testimonium habemus apud nostrum Ezechielem: *Stetit enim*, inquit, *Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum*. Hebraicè אל אם הדרך בראש שני הדרכים el an hadarech beros sene haddora chim ad matrem viae, in capite duarum viarum, Vertit Regius codex. Pagninus: In medio viae, in capite duarum viarum. Septuaginta: ἐπὶ τὴν ἀρχαίαν ὁδὸν ἐπ' ἀρχῆς τῶν δύο ὁδῶν epitin archaean odon epiarchis ton dyo odon super antiquam viam in principio duarum viatum. Chaldaeus verò paraphrastes cum multis alijs Hebraeorum doctoribus sensum potiùs, quàm verba reddit, in biuio, scribens: haud dubium enim est, id eo loci significari. biuij verò descriptionem quandam continent lectiones reliquae; quarum nonnullae cubitum etiam indicare facilè possunt: haud enim aliter, quàm in cubito brachium flectitur, in biuio via à tectitudine recedit. Quamuis ipsa medij notione, quid amah cubitus significet, indicari videatur, iuxta ea, quae Rabbi Dauid tradit, dum in quit: cubiti incipiebant à capite digiti, qui dicitur אמה amah, idest medius vsque ad articulum diuidentem inter brachium, & calamum. Haec ille. quae sic licebit intetpretari: cubitum dici eam brachij partem, quae est a medio brachio, ad exttemum vsque medium digitum; quapropter & amah, hoc est, medius, dicitur.

Ezech.21.V. 21.

Pagni. in dictio.

BIVII DEscriptio.

Rabbi Dauid in comment. Ezech.21.V. 21.

CVBITVS dicitur medium.

Quae vocis notio non parum illustrare videtur locum illum Geneſis, qui viros doctos torsit, in quo sic de arca ad Noe Dominus: *Et in cubito consummabis summitatem eius*. hoc est ad mediam latitudinem arcae. ac si apertè dicat, fastigio operies eam, vt facilè dilabantur aquae. vel, ad cubitum consummabis eam de sursum, vt habent Hebraea. vel, in cubito consummabis eam desuper, vt habent Graeca. hoc est fastigium eius ita efformabis, vt cubiti flexuram imitetur. Quibus contrariam non esse, sed conuenientem eam, quam frequenter tenent expositores intetpretationem, facilè intelliges, si eadem cubiti voce, & fastigij formam indicari agnoscas, atque eiusdem summitatis mensuram. Quae omnia facilè confitmant, ex humana statura desumptam fuisse cubiti mensuram.

Gen.6.V.16.

IN CVBITO arcam consummari quid significet.

Aliam porrò vocis originem, & notionem ingeniosè rimatur Foreirus, vocem אמה amah deducens ab אמן aman, quae fidem, fitmitudinem, certitudinem, seu stabilitatem notat, indeque mensuram cubiti deduci putat, quod mensura certa, & firma esse debeat. Verùm longè petita interpretatio videtur, & ad intelligendum Isaiae testimonium, quod ipse interpretatur minùs necessaria. Isaiae enim locus facilius, & clarius explicabitur iuxta praedictam cubiti acceptionem. Et eommota sunt, inquit אמות הכפם amoth hasiphim cubiti postium *superliminaria cardinum*. Vbi nimirum postes flectuntur, nimirum in angulis. Nam cum portae trabe quadam inflexa ornentur anguli eiusmodi ornamentorum hasiphim, cubiti postium dici possunt. quod intellexisse videtur Hieronymus, superliminaria eardinum conuertens: nam ibidem, cardines superiores valuarum, verti solent. nisi malis, ancones, quos vocat Vitruuius, cubitos dici, de quibus alias. Extat praeterea locus alter nostram sententiam planè confir-

Foreir.in Isa. 6.V.4.

Vitruu.lib.3. cap.6.

Deu. 3. ℣. 11. confirmans his verbis: *Solus Og Rex Basan reliquerat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quattuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* At ne huius loci difficultas, rei, de qua loquitur, ignoratione augeatur, libuit initio ea proponere, quae erudite, vt caetera, proponit de eo Benedictus Arias Montanus. Existimo autem, lectum illum fuisse sepulchrum ferreum, cuiusmodi ex aere, aut marmore principibus olim condendis parabantur. Haec ille. Quibus libenter assentior, si illud, condendis corporibus, ita accipiatur, vt non ipsis lectis conditos fuisse Reges intelligamus, sed lectis tantummodo exceptos, & honore debito affectos, priusquam sepulcris demandarentur. Vox enim שכב gheres, quae habetur in Hebraeo, lectum semper, aut stratum significat, numquam sepulcrum. Quapropter in memoriam reuocanda duxi, quae suprà à nobis de Regum funeribus allata sunt. siquidem Regem Assa, priusquam in sepulcro suo sepeliretur, positum fuisse super lectum suum legimus, super quo aromata, & vnguenta combusta fuerunt ambitione magna. Quam antiquissimam Regum consuetudinem retulit Rabbi Dauid Chimchi, qui & Ionadam eiusdem sententiae auctorem memorat; atque dum Ieremiae locum, *comburent te*, explicat, sic inquit, comburent te, vt comburebantur super lectis Regum ipsorum aromata, & vnguenta aromatibus mista, vt dictum est in Rege Assa: nostrique Rabbini declarant has res super ipsis fuisse exustas, scilicet lectos, vestimenta, aliaque vtensilia. Hactenus ille. Ex quibus nos facilè conijcimus, Reges illos vita functos, priusquam conderentur, ambitiosa quadam pompa super lectis constitui solitos, dum à principibus, & populo debitis obsequijs lachrymarum, & luctus efferrentur; in quibus quidem lectis, ne grauis aliquis odor è cadauere efflatus astantibus officeret, suffitus aromatum, atque vnguentorum perpetuò exhalaret. Funere verò absoluto, lecti, supellectiliaque omnia cum aromatibus, & vnguentis reliquis exurebantur: eam fortasse ob causam, quam retulit Isaac Abaruanellus, ne in vsum cuiusquam, qui ex regia prosapia non esset, adsumerentur. Nisi fortè, quod magis videtur probabile, ea propterea comburebantur, quod mortuum tetigissent, ideoque maximè reputarentur immunda, omnibusque humanis vsibus inutilia. Quod si hos mores ab antiquis Regibus illius regionis incolis acceperunt Hebreorum Reges, facilè intelliget, funeri Regis Og, qui de genere erat gigantum, ferreum lectum ambitione maxima paratum fuisse, quod ex incendio, ac flammis euadens, ac perpetuò durans, propè immensam Regij corporis magnitudinem, funeris pompam, atque apparatum futuris saeculis ostentaret.

Supra part. 1. lib. 3. cap. 17. 2. Paral. 16. ℣. 14.

B. Ari. Mont. lib. de mens.

LECTVS ferreus demortui Regis.

AROMATA super lectis defunctorum Regum combusta.

Rab. D. Chimchi super 1. Reg. 31. & Ierem. 34.

REGVM defunctorum vestes, lecti, ac reliqua cum aromatibus comburebantur.

R. Isaac Abarnanellus in com. cap. 15. lib. 1. Reg.

Sed quanta ferrei lecti magnitudo fuerit, cuius latitudo quaternis definitur cubitis, longitudo nouenis, non facilè constare poterit, nisi priùs de cubiti magnitudine certam rationem statuamus. Namque hoc loco duplicem indicari cubitum putant nonnulli, legalem videlicet alterum, alterum verò ex cuiuslibet hominis statura petitum, hunc*que* significari, dum dicitur: *ad mensuram cubiti virilis manus*. Id verò quam sit à ratione alienum, nemo non videt. nam cum certam quandam lecti magnitudinem certo quodam cubitorum numero metiri videamus, certam quoque, ac definitam fuisse cubiti magnitudinem dubitare non possumus. Hanc porrò, quam hi putant, incertam mensurae rationem ad certam quandam humanae cuiusdam staturae reuocare voluisse videtur Chaldaeus paraphrastes, dum in cubito, legit, eiusdem Regis. Id verò qua ratione textui conuenire probetur, non video, neque eiusmodi computationi quam videbitur apta, vt lecti magnitudinem ad incertam, quamque nullibi explicauerat, Regis Og magnitudinem reuocaret. Quapropter ea magis multò probatur sententia, quae affirmat cubitum ibi à Moyse referri, mensurae communis lege iam olim statutum, atque omnibus notum; qui quidem cubitus viri propterea dicebatur, quod ex virili statura desumptus initio fuisset. Id quod Hebraea phrasi probari videtur, quae sic habet באמת איש beamah is. eandem*que* expressit Graeca, Septuaginta interpretum lectio. ἐν πήχει ἀνδρός en pichi andros in cubito viri. Neque quidquam praeterea significare voluit Vulgatae nostrae Latinae lectionis interpres, dum scripsit, *ad mensuram cubiti virilis manus*, quam quod Hebraea, & Graeca significant, cubitum nimirum, quo mensurabatur lectus ille, ex humana desumptum fuisse statura, non quidem ex quauis, cum communis, & idem apud omnes permaneret, sed ex illa, quam elegit, qui primus eius longitudinem definiuit.

CVBITVS viri quare dicatur, qui ad mensuram assumitur.

CVBITVS virilis manus quis.

Hanc sententiam confirmat noster Pererius. Dicitur autem cubitum, inquit, virile, quod est iustae, ac perfectae mensurae: tale enim est cubitum viri, idest, hominis aetate pariter, atque statura perfecti: nam cubitum pueri, aut homunculi alicuius longe minus est. Quamquam autem mensura cubiti ducta est ex brachio hominis, a cuius flexu ad extremum vsque digitum medium, quod extensum est, appellatur cubitum; attamen, quia pro varietate staturae hominum, variatur etiam magnitudo cubiti humani, mensuram autem, quae ad res metiendas adhibetur, certam, & aequabilem esse necesse est; propterea factum est, vt mensura cubiti ex ligno, metallo, aliaue materia confecti, & ad magnitudinem cubiti virilis, idest perfecti, accommodata publicè seruaretur, & ad res dimetiendas adhiberetur, ne fraus vlla subesse posset. Haec ille. Eandem porrò, quàm interpretamur phrasim imitatus est, & explicare voluisse videtur in Apocalypsi S. Ioannes Euangelista, dum ait: *Et mensus est*, vtique Angelus, *murum eius centum quadraginta quattuor cubitorum, mensura hominis, quae est Angeli*; quem locum aptè his verbis interpretatur noster Ribera: Cubitus, quo murum Angelus dimensus est, non alia mensura est, quàm hominis, idest, quàm ea, qua homines vti solent metiendo. Illud porrò, *quae est Angeli*, sic explicat, qua vsus est Angelus, est mensura hominis. Ego verò idipsum significari illis verbis puto, & aliquid insuper. hominis dici eam mensuram, quod ea vtantur homines; nec tantum; sed quod ex hominis cubito desumpta primùm fuerit. Cum verò addit, quae est Angeli, eundem cubitum humanae illi formae, quam gerebat Angelus, conuenire indicat. ac si apertè dicat, cubito metiebatur Angelus, sub humana specie mensurans, qui proprio cubito aequalis erat, in quo homines imitabatur priores, qui, ad mensurandas rerum longitudines, proprij cubiti longitudinem delegerunt.

Pererius tom. 2. in Gen. lib. 10. disp. 3.

S. Ioan. Apoc. 21. ℣. 17. Ribe. in Ap.

Duplicem praeterea cubitum alij confingunt pro-

LECTI incredibilis magnitudo ad pompam addubita.

DVPLEX cubitus non probatur hoc loco.

Ezech. 41. ℣. 8. propter vocem אצילה atsilah, quae habetur apud Ezechielem Prophetam nostrum: *Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum* אצילה atsilah *spatio*. Nam R. Dauid, cubitorum magnorum, legendum putat. Verùm perspicaciores quidam ex recentioribus, eiusmodi interpretationem voci non congruere, existimant, propter accentum. Ex Rabbinis, alij voce atsilah supremam brachij partem significari putant; quae sententia fulciri posse videtur illis Abdemelechi verbis ad Ieremiam in lacu iacentem, ac pene coeno demersum: *Pone*, inquit, *veteres pannos, & haec sciſſa, & putrida sub* אצילות atsiloth *cubito manuum tuarum*. Verùm, si rem attentiùs perpendamus, & vim vocis attendamus, non hanc, vel illam brachij partem indicat, sed totum brachium; deducitur enim ab אצל atsal voce, sepositum, aut reseruatum significante. Quae nimirum vox à Latinis vsurpata, alam dedit, Cicerone attestante illis verbis: Quin etiam verba saepe contrahuntur, non vsus causa, sed aurium. Quomodo autem vester axilla ala factus est, nisi fuga litterae vastioris? Haec ille. Sed quamuis ipsa vox brachium plerumque significet, & ab aliquibus non immeritò, sex cubitorum brachialium, legatur praedicto Ezechielis loco; nonnumquam tamen id, quod propriè cubitum dicimus, significat; vt videre est apud eundem Ezechielem alibi scribentem: *Vae quae consuunt puluillos sub omni* אצילי ידו atsile iado *cubito manus*. Qua planè ratione intelligenda quoque esse allata priùs Ezechielis verba conijcimus, vt sensus nimirum sit, fundamenta illa laterum sex cubitorum fuisse, cubitorum inquam humani brachij, hoc est legalium, aut iustorum. quem explicandi modum recentiores quidam probant ex superaddita voci littera ה he. Quae quidem omnes probabiles coniecturae, quamuis singulae non maximum certitudinis pondus nostrae adferant sententiae; omnes tamen simul idem ipsum probantes, non modicè suadere videntur id, quod sua sponte cuilibet sanae menti credibile videretur, hominem nimirum priorem illum, qui longitudines metiri volebat, proprio cubito, ac palmo eas expendere coepisse; cum & seipsum Satyricus poëta eodem modulo metiri debere affirmet, dum ait.

Ierem. 38. ℣. 18.

Ezech. 13. ℣. 18.

Horat. epist.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum, ideſt aequum *est*. id quod infrà etiam magis confirmabitur. Quapropter mirandum non est, si easdem deinde, pedis, palmi, ac cubiti mensuras lege sancitas, ac firmas ab eodem constitutas fuisse putemus, ne facilè ab iniquis immutarentur. Quod quidem tunc maximè cuiuis probabitur, eum diligentiùs obseruatum fuerit, palmum, pedem, cubitum, & si quas alias perpendas eiusmodi mensuras, non aliam inter sese habere rationem ab ea, quam sie dicta corporis membra habent inter sese. Verùm quoniam caput hoc plus nimio iam excrescere videtur, atque vt nobilissimam hanc disputationem commodiùs explicare possimus, eam sequentibus capitibus pertractandam reseruamus.

CVBITVS axillae quis.

Cic. de Oratore.

ALA QVASI axilla.

QVAENAM ratio palmi, cubiti, pedis primùm sancita fuerit.

PALMI AC PEDIS MVTVA COLLATIO.

Cap. XVI.

PRAESENTIS capitis disputatio omnibus ferè gentibus, ac saeculis communis est, ita vt quae de eorum quolibet dicentur, de omnibus pariter dicta esse, intelligendum sit. Ae in primis audiendus est Vitruuius, qui prima rerum exemplaria, siue principia persequutus esse videtur, priori, quam diximus, insistens mensurarum, ac membrorum proportioni. Nam postquam senarium dixerat mathematicis perfectum haberi numerum, eiusque rei rationem aperuerat, subiungit haec verba. Non minus etiam quod pes hominis altitudinis sextam habet partem, corpus his sex terminando, id perfectum constituerunt, cubitumque animaduerterunt ex sex palmis constare, digitis viginti quattuor. Sic legendum puto, non vt mendosi eodices habent, qui, plurimis superadditis verbis, totius periodi contextum perturbant, ita vt vix eius sensus possit intelligi; cum tamen omnibus in promptu esse possit, si hac ratione legatur. Est autem loci sensus huiusmodi. Eam perfecti rationem humanae staturae, aut proceritati inesse docet, quae à Mathematicis senario tribuitur numero, cum senario item suorum pedum numero corpus humanum terminetur. eandem quoque perfectam rationem in cubito reperiri existimat, dum subdit: Cubitumque animaduerterunt ex sex palmis constare, digitis viginti quattuor. Paucis deinde superadditis, haec subdit: E cubito enim cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quattuor palmorum. Palmus autem habet quattuor digitos, ita efficitur vti habeat pes sexdecim digitos. Quibus verbis omnium ferè mensurarum rationes percensere videtur Vitruuius, atque indicare, quoties quaelibet maior minorem quamlibet contineat. Ea verò mensurarum collatio non temere, aut casu constituta esse videtur. Sed quoniam obseruatum à peritissimis illis viris iam olim fuit, eiusmodi proportiones inter humana membra reperiri: non enim venustas, aut decor homini inesse potuisset, nisi extensae manus proceritati corporis ex aequo respondérent, quae ad pectus vsque complicatae, cubitum ostenderent quartam esse altitudinis partem, euius duas tertias partes complecteretur pes, sextam palmus, palmi porrò quarta pars esset digitus, pollex tertia, aliaeque quamplurimae, admirabilesque proportiones reperirentur in homine. Quae penè incredibilis omnium partium commensuratio, ad mensuras translata, Iulium Frontinum permouit, vt nihil aliud mensuram esse arbitraretur, quàm complurium, & inter se aequalium interuallorum longitudinem finitam. Ac si apertè testaretur, nihil aliud esse pedis mensuram, quàm plurium aequalium vnciarum longitudinem finitam. Quod & ipse indicat, subdens: Mensura est, vt pes per vncias, per pedem decempeda, per decempedam actus, per actum passus, per passus stadium, per stadium milliarium. Minima harum mensurarum pars est digitus: si quid enim intra digitum metiamur, partibus respondemus, vt dimi-

SENARIVS numerus perfectus. *Vitruu. lib. 3. cap. 1.*

VITRVVIVS expurgatus.

HOMINIS statura sexhabet pedes, cubitos quatuor; cubitus sex palmos, digitos 24.

HVMANAE staturae mirabiles proportiones. *Iul. Front. de limitibus agrorum.*

QVID SIT mensura.

vt dimidiam, aut tertiam partem digiti. Quae omnia verba perspicua sunt, neque alia indigent interpretatione, quàm, vt lector perpendat mensurarum, quae recensentur, nomina, & proportiones. Illa verò, quae sequuntur, difficultatem non modicam afferre videntur, quam nullatenus superauit Agricola, immo verò ab ea superari visus est cum alijs. In pede porrecto, inquit, semipedes duo; in pede constrato, semipedes quattuor; in pede quadrato, semipedes octo. Difficultas verò in eo potissimùm sita esse videtur, quid porrectum pedem, quid constratum, quid quadratum vocet. Et quidem binarius, quaternarius, & octonarius semipedum numerus apertè indicat, de linea, superficie, ac corpore sermonem fieri: nam pedalis linea duos continet semipedes, quae pes porrectus meritò dicetur. at si eadem sic diuisa linea in seipsam ducatur, fiatque quadrata superficies, eadem continebit quadratos semipedes quattuor. superficies verò haud immeritò dicetur pes constratus, vtpote quae latitudinem longitudini superaddit. Tandem praedictus pes quadratus, si cubicetur, continebit semipedes cubicos octo; quae omnia ex ipsa cubi compositione facilè constare possunt, cum fiat ex duplici ductu ipsius in seipsum; atque adeo, cum ex lineari pede bifariam diuiso bini fiant semipedes, ex binarij in seipsum ductu fit quaternarius, qui iterum in binarium ductus fit octonarius. Hic autem numerus cubus meritò dicitur, quadratus vtpote, cuius longitudo, altitudo, & profunditas quadrata sunt. Quae sequuntur in Frontino, perspicua sunt, & mensurarum proportionem confirmant. Pes, inquit, habet palmos quattuor, vncias duodecim, digitos sexdecim. Palmus habet digitos quattuor, vncias tres. Sextans, quae eadem dodrans appellatur, habet palmos tres, vncias nouem, digitos duodecim. Haec ille. In quibus illud nulla ratione assequimur, quod sextantem, & dodrantem pro eadem vsurpet mensura, cum, re, & nomine longe diuersas esse, suprà satis ostensum à nobis sit.

G. Agr. de mensuris interuall.

PES PORrectus, constratus, quadratus quis dicatur.

QVA RAtione pes, duos quattuor, aut octo habeat semipedes.

Supra lib. 2. huius par. cap. 8.

Est eiusdem cum praedictis Scriptoribus sententiae Columella, qui modum, quo agrorum formas metiri deceat, praescribens, modus, inquit, omnis areae pedali mensura comprehenditur, qui digitorum est sexdecim. Cubitum etiam inter longitudinum mensuras vsurparunt Romani, illum nonnumquam cubiti nomine censentes, alias sesquipedis. Idem namque Columella: Deinde, inquit, taleae sesquipedales serra praecidantur. Et Horatius.

Colum. lib. 5. cap. 1. de re rustica.

CVBITVS sesquipes dictus, & Romanis mensura fuit.

Colum. lib. 3. c. 1.

Horat. de arte poetic.

Proijcit ampulas, inquit, *& sesquipedalia verba.*

Persi. saty. 1. Et Persius.

Nugaris, inquit, *cum tibi Calue*
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

Sic. ad Attic. & de legib.

Suet. in Tibe.

& in Galba.

Sed & Cicero eandem cubiti vocem vsurpauit: biennium praeterijt, inquit, cum ille καλλιππίδης callippidis assiduo cursu cubitum nullum processit. Vnde etiam Suetonius scribit, vt vulgo iam per iocum Callipedes vocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, prouerbio Graeco notatum est. Et iterum idem Cicero: Super tumulum, inquit, columellam statuit tribus cubitis non altiorem.

Ex hac Latina voce deducitur alia, quam idem Suetonius vsurpat, Simulacrum, inquiens, aeneum Deae cubitali maius. Atque his, quae attulimus A testimonijs satis esse manifestam existimamus, atque perspicuam mensurarum mutuam proportionem, quam Latini tradiderunt Scriptores.

APVD GRAEcos, & Hebraeos eadem est mensurarum proportio, quae apud Romanos.

Supereſt iam, vt apud Graecos, & Hebraeos eandem quoque fuisse ostendamus. Mensurarum minima digitus est, quae Graecis δάκτυλον dicitur, eiusque frequens mentio est apud Scriptores, praesertim apud Dioscoridem, qui herbarum radices, caules, frondes describens, plerumque earum latitudinem digitis diffinit, vt videre est apud Agricolam. vbi illud etiam notandum est, digitis manus hominis plerumque illum metiri: cuius rei haud leue argumentum esse poterit, quod digitum maiorem, ac minorem commemorat; & pollicem, ac minimum à reliquis distinguit. quod de B mensuralibus digitis accipi nulla ratione potest, cum hoc vnum sit mensurae proprium, vt sit finita, ac certa, non pro cuiusque magnitudine, aut arbitrio varia.

G. Agric. lib. de mens. interuallorum.

Hac etiam mensura vsi sunt Hebraei Scriptores, non modo profani, sed etiam sacri. contra quam doctus quidam nostrae aetatis vir scribit, fortasse deceptus, quod Arias Montanus, qui aliàs Scripturae locos de mensuris loquentes referre soleat, hic Rabbinorum tantummodo attulerit testimonia. Digitos enim retulit Isaias: *Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt* באצבעותיו beetsbbaghothaiu digitis suis δάκτυλοι αὐτῶν *digiti eorum*. Pro mensura vsurpantur ab Ieremia de alterutra ex columnis aereis loquente. *Porrò*, inquit, *grossitudo eius* ארבע אצבעות arbagh etsbaghot δακτύλων τεσσάρων *quattuor digitorum*. Ex hac vocis notione liquido constare posse videtur, Hebraeos ab Aria Montano relatos longe à vero aberrare, affirmantes, pollicem ea indicari: siquidem quattuor digitorum numero non solent pollices indicari, sed palmus vnus, vt mox videbimus. quamuis, & alijs quoque Scripturae locis facile erroris conuincuntur. In libro namque Paralipomenon homo quidam longissimus fuisse dicitur in Geth ואצבעותיו שש ושש veatsbaghothaiu sses vesses, & digiti eius sex, & sex. *Senos habens digitos, ideſt simul viginti quattuor*. Hic verò digitos omnes fuisse pollices, quis credat? D Maneat ergo hoc vnum statutum & certum atsbagh pro certa, & firma mensura ab Hebraeis vsurpari, haud secus, quàm à Graecis δάκτυλον, aut à Latinis digitum.

DIGITI IN sacris litteris etiam pro mensura vsurpantur. *Isai. 2. ℣. 8.* *Ierem. 52. ℣. 21.*

FALSO PVtant Hebraei voce etsbaghot pollicem significari, non digitum. *1. Paral. 20. ℣. 6.*

Huic proximè succedit palmus quaternis constans digitis, qui, si Romani sint, tribus Romanis vncijs sunt pares: ea mensura Graecis δοχμὴ dochmi ab accipiendo dicitur. de ea Pollux δοχμὴ δὲ, inquit, συγκλειόντες δι τέσσαρες δάκτυλοι. dochmi de syncliſtentes i tessares dactyli. ideſt, dochme verò sunt quattuor conclusi digiti; transuersa enim manu metimur. Ex vtraque praedicta voce vnam δακτυλοδόχμη dactylodochmi componunt Graeci, nihil aliud quàm eundem palmum significantes, ac si eadem voce innuere velint, ex digitis componi palmum, haud secus, quàm si dicerent, digitorum palmum. Eadem mensura παλαιστὴ palaesti dicitur, aut παλαιστὴς palaestis, quam definit Hesichius: παλαιστὴ palaesti enim, inquit, τὸ τεσσάρων δακτύλων μέτρον. palaesti to tessaron dactylon metron, ideſt, palaeste est quattuor digitorum mensura. Palmo quoque vtuntur Hebraei, quem

PALMI mensura à Graecis pluribus nominibus censetur. *Iul. Pollux.*

Hesichius.

PALMVS Habraeis tophach.

טפח tophach vocant. definitur autem à quamplurimis Hebraeorum, quod sit mensura quattuor digitorum. Id quod sensisse videntur Septuaginta interpretes, & cum eis Sanctus Hieronymus, & Chaldaeus paraphrastes. nam in Exodo, vbi mensura aureae coronae alta praecipitur esse טפח tophach, Septuaginta vertunt παλαιστὴν palaesti. Vulgatus *altam*, inquit, *quattuor digitis*. Chaldaeus pugillarem vertit. Et in libris Paralipomenon, aenei maris crassitudo definitur טפח tophach vbi Septuaginta παλαιστὴς palaestis. Vulgatus, *Porrò vastitas eius*, vertit, *habebat mensuram palmi* : cum tamen in libris Regum, Hebraea, Graeca, & Chaldaica lectio hanc ipsam maris vastitatem eisdem verbis definiant; eandemque Vulgatus noster trium vnciarum fuisse testetur. Idem namque Latinis est palmus, quod digiti quattuor, aut vnciae tres. pedem namque, vt vidimus, in palmos quattuor, digitos sexdecim, vnciasque duodecim partiuntur.

Exod. 25. ℣. 25.

2. Paral. 4. ℣. 5.

A

B

Huius tamen Hebraicae vocis duplex est praeterea vsus, qui sacrae Scripturae locis intelligendis difficultatem afferre solet, eosque breuiter hic explicare operaepretium duxi. Primus locus habetur in psalmo: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*. Hebraice טפחות tephachoth. Graecè παλαιστάς palaestas. Chaldaeus paraphrastes, leues, vertit. Sanctus Hieronymus, breues. Rabbi Dauid, breues, vt mensura quattuor digitorum. Sanctus Remigius, breues, & cito transeuntes. Alij interpretes Hebraea ad verbum reddunt, palmares posuisti dies meos. ac si dicat, quantumuis longissimi sint dies hominis, pugno possunt omnes mensurari, vel etiam comprehendi. Antiqua Vaticana lectio, de qua alias, sensum potiùs, quam verba reddidisse videtur, dum sic habet: Ecce veteres posuisti dies meos, hoc est non diutius duraturos, quàm vsu attritae, & vetustate consumptae vestes. Quae omnes interpretationes in idem recidere videntur, vt breues, cito transeuntes, nec diu duraturos dies significari eo loci facilè existimem.

Psal. 38. ℣. 6

S. Hieron.

S. Remigius in psal.

MENSVRABILES, vel palmares dies, qui dicantur.

Psalterium Vaticanum.

Thren. 2. ℣. 20.

Locus alter habetur in Threnis, huiusmodi: *Ergo ne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmae?* Hebraei expositores verbum hic agnoscunt ab ipsa palmi voce deductum; cumque manus, & mensura, & humanarum actionum instrumentum sit, eius verbi notionem multiplici ratione explicare conantur, palmare enim aliqui vertunt, palma explicare, & distendere; atque hinc etiam magnificare, euehere, nuttire alijs significat. Quare locum aliqui explicant, quasi paruuli palmorum dicantur, quod matres, vel nutrices illos mensurare palmis crebro soleant, quasi experientes, an creuerint, necne. Quae sanè explicatio, & longè videtur petita, & parum habens ponderis. Alia huius simillima est, quod palmares, aut manuum dicantur paruuli, quod à nutricibus, aut matribus soleant manibus explanari, & quasi explicari, ne eorum membra distorta crescant. Quae vocis explicatio probari videtur illis Isaiae verbis. *Dextera mea* טפחה tiphchah palmauit, explicauit, *mensa est caelos*, hoc est palma explicauit, & distendit, vt sint plani, & explicati sicut velum. Ego verò priori, quam dixi-

PALMARE Hebraicum verbum quid significet.

PALMARES filij qui dicantur.

Isai. 48. ℣. 13

C

D

E

mus, vocis notioni potiùs insisterem, nimirum vt manuum gestationem, opus, aut mensuram ea voce significari putemus, cui aliqua ex parte respondere videtur Italicum verbum maneggiare, atque Hispanicum manosear. quamuis hoc verbum aliquid praeterea connotet ab huius loci significatione alienum; tamen id ibi significari arbitramur, comedisse matres paruulos suos, quos prae manibus gestare solebant, quorumque assidua contrectatio, & praesentia pietatem posset mouere, & affectum rabidam famen temperantem, vel etiam extinguentem. Cui consonant Rabbi Salomonis verba, qui paruulos tenellos exponit, qui adhuc nutriebantur à matribus, quasi dicat alumnos suos. Qua ratione intellexisse videtur eam vocem Chaldaeus, qui paulò inferius, vbi nos legimus: *Quos educaui, & enutriui, inimicus meus consumpsit eos*, ipse habet: paruulos desiderabiles, quos solebant inuoluere sindonibus &c.

Rabb. Salom.

Thren. 2. ℣. 22.

Sanctus verò Hieronymus, alteram vocis tophach significationem sequutus, mensuram vbique reddit, non sine eleganti eiusdem sensus allusione. nam, vt paulò superius indicauimus, palmare dicetur illud, quod breue est, atque exiguum: quis enim magnum aliquod, verbi gratia, stadium, aut milliare palmis metiretur? *ad mensuram igitur palmae*, exponit, ac si dicat exiguae longitudinis minimos: quo non parum matrum impietas, & saeuitia indicatur, quae propter exiguam humanae carnis portionem, & quae vix semel posset famem extinguere, inhumanum sanè, ac feris ipsis indignum facinus perpetrare non vereantur. Apud Isaiam verò Dei maximè immensa potestas, atque infinitas explicatur, cum caelos immensae propemodum magnitudinis, quam vix hominum cogitatio metiri possit, nedum palmis exaequare, ipse manu sua, & fecisse dicatur, & palmo comprehendere, nedum mensurare. Qui quidem palmi, & palmae tam celebris vsus, huiusque, & illius permutatio illud planè conuincere videtur, quod superiori capite probandum suscepimus, ex humana palma palmi nomen, ac mensuram desumptam ab initio fuisse, id quod de cubito etiam sequenti capite perspicuum erit.

VVLGATA lectio explicata.

QVAM

QVAM HABEAT CVBITVS AD PEDEM, *palmum, digitum proportionem: necnon de duplici palmo.*

Cap. XVII.

PERSPECTA iam satis esse poterit lectori Romanorum hac in parte sententia, cum Vitruuium audire potuerit asserentem, cubitum sex palmis constare, digitis vigintiquattuor: pedem palmos habere quattuor, digitos sexdecim; ex quo facili supputatione cognoscet, cubitum pedem vnum habuisse cum dimidio: toties enim senarius palmorum numerus, quem habet cubitus, continet quaternarium eorumdem palmorum numerum, quem habet pes. Et de Graecis quidem haud dissimilis est ratio. Cubitus mensura pariter atque humanum brachium πῆχυς pichys Graecis dicitur, estque illis pedis vnius, ac dimidij. cuius rei auctor est Hesichius: Cubitum, inquit, est pes vnus, & dimidius. Et Suidas: Cubitum est, inquit, extensio à cubito vsque ad digitos manus: cubitum verò habet pedem vnum, & dimidium. Pollux verò, quaenam brachij pars cubitum dicatur, explicat: nam mensura est, inquit, quantum à flexura cubiti vsque ad summum medium digitum patet. Illud porrò, quod idem Suidas alibi tradit, nimirum, cubitum duorum esse pedum, pedem sexdecim digitorum, aut mendum est, aut librarij vitium. Nam quae ab aliquibus conijciuntur de alicuius gentis cubito, sicut libera sunt, & nulli innixa fundamento, sic liberè reijciuntur, donec probentur. Ea etiam, quae ab Agricola traduntur de decurtato cubito, qui πυγών, & πυγμὴ dicitur, quamuis Pollucis, & Hesichij videantur testimonijs confirmari, cum nihil ad nostrum faciant institutum, praetermittenda duxi, vel propterea maximè, quod, quid praedicti Scriptores dicant, non facilè percipitur, neque modus mensurandi ad vsque manus extremum flexis, aut conclusis digitis potest intelligi. Quapropter & ea, quam inde astruit idem Agricola, cubiti pygon, & pygme differentia, nulla videtur ratione probari. Nam pygon, inquit, mensura est à cubito vsque ad extremam manus partem, cum digiti inflexi fuerint. Pygon igitur digitis ferè quattuor, pygme sex breuior est, quàm cubitum. Haec ille. quae ipsa quotidiana experientia cuilibet videbuntur falsa: nam digiti manus, qui secundum latitudinem ad alias corporis proportiones examinandas aptissimae sunt mensurae, si secundum longitudinem mensurentur, nulla ratione vel flecti possunt, vel complicari: ita vt quaternis latis digitis, vel senis exaequentur; atque adeo digiti flexi, aut concluſi non possunt quaternarium, vel senarium digitorum numerum à cubito auferre, quin aliquid praeterea superabundet, aut desit. Non me latet, Graecam vocem πυγὼν pygon, aut πυγμὴ pygmi consimilem haberi Hebraicae גמר gomed: sicut enim ex illa πυγμαῖοι pygmaei, sic ex hac vox גמדים gamadim eamdem gentem significans deducitur, vt vidimus apud Ezechielem. Verùm adhuc non constat, quid גמר gomed propriè significet. Nam in libro Iudicum, gladij Aod longitudo dicitur esse גמר gomed, quam licet Rabbini ferè omnes cubitalem intelligant, tamen Septuaginta interpretes, qui illis fuerunt doctiores, & antiquiores σπιθαμῆς spithamis reddunt, quae mensura dimidio cubito exaequatur. Chaldaeus paraphrastes eadem Hebraica verba retulit. & Sanctus Hieronymus: *Habentem in medio capulum longitudinis palmae manus*. Quae omnes versiones vnum sine dubio indicant, vocis gomed notionem non adhuc perspectam nobis esse.

GOMED Hebraea vox quid significet. *Ezech. 27. ℣. 11.* *Iud. 3. ℣. 16.*

Sed quoniam institutum nobis est ostendere, eamdem apud omnes nationes cubiti ad pedem, atque ad alias mensuras proportionem semper fuisse, supereſt, vt quae maximè ad nos spectant, ostendamus. Est igitur Hebraeorum cubitus palmorum sex, qui Hebraicè dicuntur טפח tophac. Cumque Hebraeorum palmus fuisse ostensus sit digitorum quattuor, erit cubitus digitos continens quattuor & viginti. Quae planè sententia constans est apud omnes Hebraeorum doctores, quos retulit, & sequutus est Arias Montanus. nec tantummodo apud eos, sed & apud alios omnes, quos videre hactenus potui: quamuis illa eorum opinio, quae cubitum alium fingit palmorum quinque, reijcienda omnino sit, vtpote nulli firmo innixa fundamento, immo verò cum firmissimis pugnans rationibus, vt mox videbimus. Ea verò, quam sequimur, sententia, constans Beati Hieronymi est: semel enim, atque iterum palmum Graecè παλαιστὴν palaestin sextam esse affirmat cubiti partem. loquitur autem de Hebraicis cubitis. Neque est quisquam, qui ab eius sententia meritò possit recedere: quapropter illum doctiores quique sequuntur. Verùm Rabbinos quosdam haec ipsa veritas non bene percepta decepit: nam cum apud Ezechielem nostrum legerent: cubitum veriſſimum, *qui habebat cubitum, & palmum*, hunc veriſſimum cubitum arbitrati sunt sex fuisse palmorum. ex quo mox conijciunt, cubitum alium fuisse palmorum quinque. Quos deinde sequuti nostrae aetatis Scriptores aliqui vlterius progressi sunt, existimantes, humanum cubitum quinque constare palmis, digitis viginti. Quod, quàm sit à ratione alienum, nemo non videat, qui allatas rationes, & grauissimorum Scriptorum sententias, quas retulimus, attentè perpenderit. cubitus namque quarta pars est humanae staturae, contra id, quod (nescio qua conjectura fretus) Abulensis statuit: eademque humana statura in sex pedes diuiditur; quapropter cubiti singuli pedem vnum & semis continent, atque adeo palmos sex, digitos quattuor & viginti, vt suprà pluribus ostensum est. His rationibus permotus Agricola sic inquit: qui praeterea cubitum dicunt esse quinque palmorum, in eius longitudine lapsi deflectunt deuia, &c. nam vulgare, siue commune cubitum Hebraicum pariter cum Graeco, & Romano fuit sex palmorum: augustum verò illud ϛ & perfectum septem. Hactenus ille. Qui meritò sanè negat, vllum cubitum apud vllam vmquam gen-

CVBITVS Hebraeis est sex palmorum *B. Ari. Mont. de mens. sac.* *S. Hier. super Ezech. 40. & 43. lib. 12. & 13.* *Ezech. 43. ℣. 13.* NVLLVS fuit cubitus quinque palmorum, aut digitorum viginti. *Abulens. Exod. 27. q. 8* *G. Agric. lib. de mens. interuallorum.*

CVBITVS Graecis pedem vnum, ac dimidium continet. *Hesichius.* *Suidas.* *Iul. Pollux.* *Suidas.* *G. Agr. lib. de mensu. intervall.*

gentem quinque fuisse palmorum; quod Beari Hieronymi testimonio confirmari quoque putat. Nam cùm palmum cubito superadditum sexram fuisse cubiri partem astruit, eius cubiti partem absque dubio intelligit, cui pars additur: sic enim vsus apud omnes nariones, & gentes loquendi obtinuit, vt cum cuicumque mensurae partem aliquam adiunctam fuisse dicimus, eam esse parrem significemus, & audientes intelligant, mensurae, cui adiungitur, non totius compositi, nisi id aliqua ratione explicerur. Cuius rei manifestum exemplum proponere licet in hac ipsa cubiti ad pedem proportione, quam tradimus: cum enim cubito dicimus pedem vnum ac dimidium contineri, dimidium vtique pedis significamus, non cubiti. Additus igitur cubito palmus, septenarium cubito verissimo conrineri indcabit palmorum numerum, non senarium. Sed quoniam non minus cum nostra senrentia pugnare viderur hic sepremarius palmorum numerus, quàm praedictus quinarius, videndum est, quid significare voluisse videatur Propheta Ezechiel, dum cubitum retulit habentem cubirum, & palmum.

PARS, QVAE mensurae additur, eius esse intelligitur, cui additur, non totius compositi.

CVBITVS habens cubitum, & palmum, quis.

Et primùm in memoriam reuocandum est, Ezechielem Propheram Babylone scripsisse suam prophetiam ad suos captiuirate iamdiu detentos, id quod initio prophetiae, atque huius celeberrimae visionis templi disertis verbis asseruit idem Propheta. Ex quo haud dubiè colligimus, Hebraeos cum Babylonijs commercia exercentes, immo verò ab eis omnia, quae humanis vsibus essent necessaria coemenres, eorumdem mensuris vsos fuisse; atque adeo illum cubitum in vsu tunc fuisse captiuis, qui ipsis dominis erat legalis. quare cum cubitis mensurare templum, & altare vellet Ezechiel, monendos duxir Hebraeos, quibus communis erar Babylonius cubitus, se quidem loqui de cubito illo primo, ac verissimo, quo olim ipsum templum mensuratum fuit. qui quidem cubitus maior erat Babylonio palmo vno eiusdem Babylonij cubiti. Quae quidem interpretatio illis omnibus locis, qui quamplurimi sunt, probatur, quibus cubitorum numerus ab Ezechiele relatus par esse ostenditur illis numeris, qui in libris Regum, aut Paralipomenon referuntur. Quis enim Sanctum Sanctorum, exempli gratia, legens apud Ezechielem aeque larum, ac longum fuisse viginti cubitos, sicut in libris Regum, & Paralipomenon scribitur, non statim agnoscat eundem cubitum ab Ezechiele, & ab illorum librorum scriproribus referri? Sed cum rudis populus edocendus esset, vt ab illis omnibus rebus animum reuocarent, quae prae oculis habebant in seruitute, cubiti illius sacri magnitudo fuerat definienda, & ostendendum, palmo vno maiorem fuisse antiquum illum Hebraeotum cubitum vulgari, profano, ac Babylonico. Quae quamuis ita sint perspicua, ac certa; tamen caecus posterioris saeculi populus, in quo alucinaretur adhuc inuenit, nec tantùm, sed & plures è nostris à recta veritatis via reuocauit, existimantes, eiusdem Hebraici populi duplices fuisse mensuras: Sanctuarij maximas; cum contra, maiores, minoresque mensuras abominationi fuisse, & Deo inuisas, nedum sanctorum Sacerdotum exemplo, & Prophetae testimonio sanctitas suprà pluribus ostensum sit.

IDEM CVbitus ab Ezechiele, & à libris Regum, & Paralipomenon vsurpatur.

DVPLICES mensurae sanctos non decent Sacerdotes.

Neque verò inregrum est, cubiti certam longitudinem ex hoc loco rimari, vt conatur Agricola, dum confirmat, cubitum sacrum vno digito longiorem fuisse, quam Regium, de quo scribit Herodorus: non enim me latet, quid scribat Herodotus: Est autem, inquiens, Regius cubitus, quam μέζον mezon, mediocris, tribus digitis maior. Quae verba, triplicem fuisse Babylone cubitum (de ea namque loquebarur Herodotus) planè demonstrant: minimum, cuius collatione alter dicebatur μείζων mizon, hoc est maior. Si verò cum minimo, ac Regio maximo comparetur, idem dicetur mediocris; atque cum hoc mediocri collatus Regius cubitus, illum tribus digitis, hoc est octaua mediocris parte, superabat. Cùm verò nulla verosimili coniectura statuere possimus, quem ex his rribus cubitis referat Propheta noster, à verissimo palmo vno, hoc est sexta sui parte defecisse, nullius ex illis certè porerit assignari quantitas, nedum per ipsum veniri in cognitionem sacri cubiri. Illud tamen verum esse fatebimur; quod si sacer cubitus maior sit mediocri Babylonico palmo vno, hoc est quatuor digitis, cum eundem mediocrem excedat Regius tribus digitis, tunc sacer Regium cubitum superaret digito vno, non quidem sacri, aut Regij, sed mediocris, hoc est, vigesima septima parre Regij, vigesima octaua cubiri sacri. Verùm quoniam libere assumitur, sacrum cubitum cum mediocri comparari à Propheta, ideo liberè quoque negari poterit quidquid inde conficiatur.

TRIPLEX Babylone cubitus.

Iam verò, quoniam satis superque constare videtur proporrio cubiti ad pedem, palmum, digitum, nimirum contineri cubito pedem vnum cum dimidio, palmos sex, digitos quartuor & viginti; superest, vt de alio palmo, qui dimidio cubito aequalis est, breui sermone disseramus. Vocatur autem Hebraeis hic palmus זרת zereth Graecis σπιθαμὴν spithamin; quam mensuram omnes interpretes palmum vocant, & semicubiri longitudinem aequare tradunt, continentem palmos minores tres, digitos videlicet duodecim. Haec porrò vox quinquies tantum, quod sciam, legitur in sacris litteris, & vbique palmum reddit Beatus Hieronymus Vulgatae interpres. bis legitur in Exodo, cum iudicij rationale, quod vocant, duplicatum dicitur esse, & palmum vnum longum, ac latum; semel etiam in libris Regum, cum altirudo superbi gigantis sex cubirorum, & palmi definitur. Et apud Isaiam, caelos palmo ponderasse Dominus dicitur. Ac tandem apud Ezechielem, definitio fossae alraris fuisse dicitur palmi vnius. Quibus omnibus locis sicut palmum scribir Hieronymus, ita σπιθαμὴν spithamin scribunt Septuaginta interpretes. Et quamuis haec ita sint, ab omnibusque recepta, tamen nescio quo spiritu ductus Agricola, Sanctum Hieronymum reprehendere professus, Vulgatae videtur insidiari: contendit namque vehementiùs, vocem זרת zereth rectè conuersam fuisse à Septuaginta interpretibus in vocem σπιθαμὴν spithamin; non verò rectè à Hieronymo in vocem palmum. Neque hic tantum insistit, sed vlterius verba Hieronymi retulit huiusmodi: alioqui palmus σπιθαμὴ spithami sonat, quam nonnulli pro distinctione palmam;

PALMVS maior semicubito par.

Exod. 28. Ṽ. 17. Ʊ 39. Ṽ. 9

1. *Reg.* 17. Ṽ. 4.

Isa. 40. Ṽ. 12.

Ezech. 43. Ṽ. 13.

VVLGATAE defensio aduersus Agricolam.

S. Hier. lib. 12 *com. in Ezechiel. c.* 40.

porrò

porrò παλαιστὴν palaestin, palmum appellare consueuerunt. Quibus Hieronymi verbis haec sua annectit Agricola: Quin etiam hi, qui σπιθαμὴν conuerterunt palmam, vt distinguerent ab ea mensura, quam Graeci παλαιστὴν dicunt, ipsi rectè palmum reddiderunt, in errore versati sunt: nam palma, vt etiam iam ante dixi, mensura non est, sed plana illa, & partim caua manus pars, quae in digitos desinit. Nec minus errant, qui duplicem palmum esse dicunt: maiorem, qui duodecim sit digitorum, & Graecè σπιθαμὴ vocetur: minorem, qui quattuor, & Graecè παλαιστὴ nominetur; palmus enim Romanis vnus est ex quattuor digitis, vel tribus vncijs constans. Hos autem errores genuerunt nonnulli interpretes, qui parum considerate זרת zereth, & σπιθαμήν, aeque, ac טפח tophah, & παλαιστὴν verterunt palmum. Haec ille, quae planè perturbata verba si attentiùs perpendisset idem, qui scripsit, temperasset, correxisset, tacuisset.

Agr. de mensuris interuall.

NONLICET sanctos reprehendere, nedum Vulgatam carpere.

Neque enim pijs viris licet, leuioribus quibusdam grammatices obseruationibus, sacros Patres Ecclesiae lumina reprehendere, nedum sacram ipsam Vulgatam, & probatam lectionem carpere, quàm nos, & tueri pro viribus, vt tenemur, profitemur; ita vt nullius vereamur, pro eiusdem defensione, subire vel offensionem, vel reprehensionem. Et quidem in re ipsa, de qua agimus, concors est, & constans omnium sententia, quae & ab ipso Agricola confirmatur: de vocibus tantum disputatio est, quod vocem palmi, vni quattuor digitorum mensurae tribui putat à Latinis, non verò dodranti, aut spitami; palmam verò Latinis dici illam planam, & cauam manus partem, quae in digitos desinit. Verùm quamuis in ipsismet grammaticis institutis, atque obseruationibus multo magis standum putent docti viri, Hieronymi sententiae, & auctoritati, quàm Agricolae; tamen, si tantum sibi hac in re arroget Agricola, vt Hieronymo non cedat, cedat saltem Ciceroni; qui Rhetoricam palmae, Dialecticam pugno similem esse dicebat. Quibus verbis, Latinae linguae parens Cicero, palmam totam interiorem manum vocat, non verò eam partem, ad quam vocem contraxit Agricola. quare meritò Ciceronem imitatus Vulgatae interpres, totam manum interiorem palmum vocat, &, vt ab altero palmo distinguat, palmam dici testatur. Extant etiam alia quamplurima Latinorum exempla, quae licuit imitari: atque in primis Vitruuij sic scribentis: Fiunt autem laterum genera tria; vnum, quod Graecè διδῶρον appellatur, ideſt, quo nostri vtuntur, longum sesquipede, latum pede, & caeteris duobus Graecorum aedificia struuntur. ex his vnum, pentadoron, alterum tetradoron dicitur. Doron autem Graeci appellant palmum, quod munerum datio Graecè δῶρον appellatur, quod semper geritur per manus palmum. Hactenus Vitruuij sunt verba, non quae in corruptis exemplaribus leguntur, sed quae optimis coniecturis correxit Philander; suntque ijs quamsimillima, quae Plinius scripsit, quaeque referre non grauabor, quoniam & his ipsis lucem allatura confido. Genera eorum, laterum inquit, tria, didoron, quo vtimur, longum sesquipede, latum pede: alterum tetradoron: tertium pentadoron. Graeci enim antiqui doron palmum vocabant, & ideo dora munera, quia manu darentur. Ergo à quattuor, & quinque palmis, prout sunt, nominantur. Hactenus Plinij verba sunt, quae nemo non interpretabitur de palmo maiori, siue dodrante: nam, cum duos palmos vocet sesquipedem, pes continèat quattuor minores palmos, vtique sesquipes palmos complectetur sex, quilibet maior palmus minores continebit tres, digitos videlicet duodecim, pedis vncias nouem: quapropter dicitur dodrans, vt suprà ostendimus.

Philandr. super lib. 3. cap. 1. Vitruuij §. palmus.

Est praeterea cubitus sesquipedi aequalis, vt dixi; quapropter & palmus hic maior semicubito aequalis est. Neque verò hoc tantùm loco Plinius palmum posuit pro dodrante, sed & alijs quamplurimis, quos longum esset recensere. eos poterit curiosus lector videre apud Philandrum. Sed quamuis non tam multa suppeterent Latinorum exempla, palmum pro dodrante vsurpantium, prudenter, ac doctè satis Sanctus Hieronymus, Hebraea in Latinum conuertens, ipsam Hebraeorum phrasim imitari potuisset, qui, quamuis proprijs nominibus, vt vidimus, maiorem, ac minorem palmum distinguant, tamen, Montani testimonio, & hunc, & illum ex aequo palmum vocant: maiorem טפח שוחק tophah sachaq, hoc est palmum ludentem: minorem verò טפח עציב tophah ghetsib, ideſt palmum laborantem. Ex quibus omnibus, & rationibus, & testimonijs liquido constare legenti poterit, non pauca vidisse, plura legisse, & quàm multa nosse oportere eos, qui peritissimos viros vel reprehendere, vel sugillare voluerint. Illud tamen silentio praetermittendum non est, quod ansam posset praebere obmurmurandi nonnullis, quod in commentarijs Sancti Hieronymi legimus: dum enim definitionem, terminumve fossae altaris explicat, sic habet: Quae definitio, siue gyrus per circuitum palmi vnius, siue παλαιστῆς palestis latitudine tendebatur. hactenus ibi; cum tamen iu Hebraeo זרת zereth legamus, in Graeco σπιθαμῆς spithamis. Id quod librarij incuriae adscribendum censeo, qui quòd paulò ante παλαιστῆς scripserat, hic eandem vocem pro altera σπιθαμῆς scripsit. Aque haec de duplici palmo dicta sufficiant.

Arias Mont. de mens.

PALMVS maior apud Latinos frequens.

PALMA pro tota manu vsurpatur.

Cic. de finib. & de Oratore

SANCTI Hieronymi locus emendatus.

DORON palmum, & donum significabat, quod praemanibus gestabatur.

Plin. lib. 36. cap. 14.

PROPORTIO CVBITI AD LATVS *cubicum bati; & palmi ad simile latus cabi, seu choenicis.*

Cap. XVIII.

POSTQVAM singula mensurarum genera inter se contulimus, supereſt, vt diuersorum generum nonnulla conferamus: tunc enim perfecta ratio omnium perspecta esse poterit, cum omnium inter se collatio fuerit examinata. Et quoniam de mensutis liquorum, frugum, ac longitudinum seorsim hactenus disputauimus, nunc opportunum fore videtur, longitudinum mensuras cum reliquis aliqua ratione confetre. Id quod qua ratione praestari possit, Mathematicarum disciplinatum praesidio fultis, nec impossibile videbitur, nec factu difficile; reliquis arduum fortasse videri posset, perceptuque difficillimum. Verùm, cum his, & illis satisfacere conemur pro viribus hoc potissimùm capite, ex cuius intelligentia tota haec disputatio pendet, ita eius stylum temperabimus, vt, dum quaedam, quae per se nota viderentur, explicabimus, ijs ipsis, quibus nota sunt, longiora videri non possint, nedum esse molesta.

QVA RAtione cubitus cum bato possit comparari.

Primùm igitur, cuiuis esse debet in promptu, quod cum batum liquorum mensuram (loquimur enim de maximo) cum longitudinis cubito comparamus, batum ipsum ad quandam aequabilem figuram, & maximè vniformem redactum esse assumimus, cuiusmodi est cubica. Id quod nec nouum videri debet, nequc à nobis inuentum; cum non aliter corpora metiantur Mathematici, quàm, ad cubicas quasdam mensuras ea

Lib. 1. huius partis.

reuocantes, vt alias ostendi. Quod si cubicus batus minimè suppeteret, is primum ad cubicam formam reuocandus esse intelligatur, iuxta praescriptas iam suprà à nobis rationes. Cum igitur ad cubicam formam redactus habeatur batus, cuius longitudo, latitudo, & altitudo aequalis sit, hanc triplicis dimensionis longitudinem, quam latus cubicum bati vocamus, cum ipsa cubiti longitudine conferre volumus; atque inquirere, num illi aequalis sit, aut qua proportione maior, vel minor? Hoc autem, quod proponimus, factu esse videri posset alicui impossibile, cum bati figuram cubicam supponamus, bati magnitudine, & cubiti longitudine adhuc ignota manente. Verùm hoc sciat lector oportet, priùs posse duarum, vel plurium magnitudinum proportionem agnosci, quàm ipsae magnitudines cognoscantur. Quis enim prohibet lectorem hactenus

Ibid. cap. 5.

RERVM proportio cognosci potest, quamuis earum magnitudo non cognoscatur.

cognoscere potuisse, batum metretae sesquialterum fuisse, vt metretam amphorae, siue etiam Graecum pedem semuncia maiorem fuisse Romano; cum tamen bati, metretae, amphorae, Graeci, aut Romani pedis magnitudinem hactenus percipere non potuerit? Priùs igitur, quàm

A aut bati, aut cubiti magnitudinem explicemus, inuestigare sine dubio possumus, quam habeat cubitus ad bati cubicum latus proportionem. Quod vix, aut nulla ratione vel consequi, vel sperare potuissemus, nisi facilem plane, ac regiam ad hoc perspiciendum viam nobis aperiret sacra Regum historia. Quae, cùm admirabile illud Salomonici templi vas retulit, quod prae immensa, quam capiebat, a quarum multitudine mare vocabatur; eiusque magnitudinem, & capacitatem batis definiuit, ac cubitis, modum nobis insinuauit, ac normam, qua batum, & cubitum mutuò conferre possimus, cum batus, ac cubitus cum eodem vase collatus reperiatur.

BATI, ET cubiti collatio facilis, cum vterque eidem vasi aequiparetur.

Locus autem sic habet: *Fecit quoque mare fusile*
B *decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius; & restícula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Et, post multa de ornamentis, ac basi eius enumerata, subdit: *Grossitudo autem luteris trium vnciarum erat: labiumque eius, quasi labium calicis, & folium repandi lilij: duo millia batos capiebat.* Quibus verbis multa percensentur de mari aeneo, quae nos oppottuniùs alias, ipsam apponentes matis figuram, explicabimus; nunc verò ea tantummodo breui percurremus, quae ad praesens institutum esse videbuntur necessaria.

Et in primis vasis figura, ac forma attentiùs considcranda est, siquidem basis est, ac fundamentum huius disputationis. Igitur *rotundum in circuitu*
C dicitur esse mare: Hebraicè גגל כביב ghagol sabib. Quae vtraque vox orbicularem indicat figuram, ac si dicat vndequaque rotundam: in eo enim differt à cylindtica, sphaerica figura, quod illa, quamuis rotunda sit, non tamen vndequaque; vtpote quae altitudinem habeat rectam, bases planas; sphaerica verò quaqua versum citculo adaptatur. Id quod intellexisse videntur Septuaginta interpretes στρογγύλην κύκλῳ αὐτοῦ scribentes, hoc est rotundum per circuitum eius, & Chaldaeus: orbiculare in circuitu. Iosephus rem totam disertis verbis explicat, sic scribens: Fecit etiam vas aheneum fusile ἡμισφαίριον himisperion, semiorbis specie, quod propter capacitatem appellatu est mare. Atque iterum vas illud vocat ἡμισφαί-

MARIS AEnei figura hemisphaerica.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

D ριον, orbiculare illud vas interpretantur Latini, cum vbique hemisphaerium scribat Iosephus. Eiusdem sententiae fuisse dicitur Theodoretus. Et Abulensis: Rotundum, inquit, Hebraicè גגול ghagol, quae vox rotundum significat. & in Psalmo R. Selomo interpretatur caelos, eo quod hac voce putat exprimi figuram caeli. Et iterum: Figura, inquit, huius maris erat vas quoddam quasi dimidia sphaera, vt in parte superiori sit amplissimum, eo quod per locum illum transit maximus circulus sphaerae: vt quando quis diuidit pomum per duas partes aequales. Haec ille. Hugo etiam Cardinalis, & Dionysius Carthusianus

Theod. in Biblia Lat. Sixti. 3. Reg. 7. Abulensis. 3. Reg. 7. & 2. Paral. 4. V. 2. Psal. 65. V. 13 R. Selemo.

Hug. Card. Dionys. Carth. super 3. Reg. 7

E eandem tenent sententiam. Sed & Beda has omnes maris dimensiones, formam, ornamenta, & nomen ad mysticos sensus reuocans, de sancto baptismatis lauacro ea interpretatus sic scribit: Rotundum erat in circuitu, vt orbis vniuersus in gyro lauacro vitae à sorde peccatorum designaretur esse lauandus. Ego verò non video, cur haec non sint ab omnibus recipienda, quae tam constanti firmantur nobilium Scriptorum sententia, quaeque nulla vel probabili saltem coniectura labefactari possunt, aut reprehendi.

Beda lib. de Temp. cap. 19.

Verùm

Verùm vsu iam receptum esse videtur, vt cum argumentationis alicuius vim, & efficacitatem effugere conatur aliquis, assumptiones, axiomata, illationes examinet priùs; cumque nihil in eis iterum, atque iterum discussis non firmum inueniat, & inconcussum, ad prima recurrat principia, ac prima conetur euellere fundamenta. Est, planè fateor, aenei maris forma maximum quoddam huius disputationis fundamentum, quo proportio cubiti, & lateris cubici bati maximè innititur, cui postmodum veritas illa superimponetur, quantitatem sacri cubiti definiens. Hanc igitur supremam aedificij molem labefactare conatus eximiae eruditionis, atque auctoritatis vir, hoc vnum fundamentum inuadit; cuius quoniam vel nomen solùm, & opinio his nostris disputationibus obesse non modicè posset, tota huius instituti ratio ad ea, quae aduersus haec affert, respondere compellit: honor, quem illi & debeo, & vltro defero, nomen ipsius cum multis alijs, quae mihi opponit, subticere suadet. Sed non illud, quod modo assumpsi probandum negare videtur, sed aliquid aliud, quod neque praeuidissem priùs, nec explicare studiosiùs voluissem, quod omnibus crederem esse perspectum, ac luce ipsa meridiana clarius. Is igitur multa priùs congerit quasi nostram explicaturus sententiam, quae quàm sint ab ea aliena, ipsa illorum cum his nostris collatio indicare sine alia probatione poterit. Mox verò sententiae censuram his verbis subijcit: Verùm, cur mihi huius opinionis, & nouitas, & fides suspecta videatur, dicam quàm potero breuissimè. Omnino fundamentum, quo haec sententia maximè nititur, debile admodum, & fragile videtur: etenim ponit quasi certissimum illud mare aeneum, quod sacra Scriptura appellat rotundum, & Iosephus hemisphaericum nominat, fuisse rotundum perfectissime, idest secundum exactam mathematicae rotunditatis rationem; quod tamen nec probatur ab istis, nec facilè, vt opinor, probari potest. Quin contra credibilius fit, diuinam Scripturam, & alibi, cum de rerum figuris sermonem habet, & illo ipso in loco, vbi de rotunditate maris agit, loqui de istiusmodi rebus, non secundum limatissimam, & absolutissimam illam mathematicae subtilitatis rationem, sed secundum vulgarem vsum, sensumque, communemque hominum loquendi consuetudinem. Nam quod ad figuram rotundam propiùs, quàm ad aliam quamlibet accedit, parumque à rotunditate deficit, nec talis defectus iudicio sensuum facilè deprehenditur, id populari existimatione rotundum censetur, & appellatur. Hactenus ille. Quibus non est respondendum per singula: sententiae namque auctoritatem, si rem ipsam consideres, sacrae litterae, quibus confirmatur, ostendunt: nouum autem illam inuestigandi modum, & firmam habere vim, & certam, ac sine vlla suspicione fidem facere posse, rationes ipsae demonstrant. Quod verò vas illud perfectè sphaericum dicatur, nec assumimus, nec credimus, nec esse potuisse existimamus; quare quod subdit huiusmodi: Incertum est igitur, inquit, an illud mare dictum sit rotundum mathematice, id nos omnino negamus; immo verò certo certius esse affirmamus, popularitet fuisse rotundum. Non tamen propterea mathematicae rationes, quas afferimus ad nostram sententiam probandam, aut infirmae existimandae sunt,

FORMA maris fundamentum huius disputationis.

DIVINAE Scripturae secundum vulgarem vsum loquuntur.

A aut minus ad probandum efficaces: habent enim illae aliquid cum omnibus alijs mathematicis demonstrationibus commune, & aliquid insuper huius nostrae disputationis proprium. Commune vtique est, vt quoniam ab omni, quod aiunt, materia sensibili abstrahunt, eae sint perpetuae, ac firmissimae certitudinis: cum verò ad materiam, physicaque corpora, vel figuras applicantur, physicas etiam probent, ac planè veras rerum magnitudines. Quae sanè res cuiquam forte videri poterit perceptu difficilis, & quae exemplo aliquo explicanda sit, quod & facete parati sumus. Mathematicas rationes suprà attulimus, quibus hemisphaerij soliditas inuestigetur, hoc est, si hemisphaerij alicuius diameter cu-
B bitis dimensa sit, modum ostendimus, quo inuestigare possimus quot cubitis cubicis aequalis sit illius hemisphaerij soliditas. quo casu cum hemisphaerij rotunditatem mathematicam accipimus, hoc est ab omni sensibili materia seiunctam, atque perfectam, similes plane mathematicos, ac perfectè cubicos cubitos in illatione concludimus. Cùm verò mathematicae illae demonstrationes ad physicam maris aenei rotunditatem applicantur, quae neque certissima est, neque mathematica, imo nec esse potest, cubitos vtique concludimus non perfectè cubicos, & mathematicè, sed physicè, & quales tota mechanicarum scientiarum, atque artium schola & quaerit, & probat: neque alios se posse vel sensu percipere,
C vel habere profitetur. Est & aliud insuper huius nostrae disputationis proprium, quod sacris innititur historijs, quarum Scriptores (vt bene, atque è re nostra quàm eruditè probat hic auctor) iuxta communem loquendi morem pletumque loquuntur, nec mathematicas exactissimasque exquirunt rationes, nedum illas metaphysicas potiùs perfecti sphaerici exactiones. Immo verò cum in numeris certiorem quandam possent persequi partium enumerationem, eam non modò quasi consulto praetermittunt; verumetiam minores plerumque numeros abijciunt, maioribus relatis contenti. id quod in dimensione ipsius maris aenaei mox explicanda manifesta ratione
D ostensum est; definit enim circuli in hemisphaerio maximi diametrum decem cubitis, eiusdemque circumferentiam cubitis triginta; cum demonstratum satis supra sit proportionem circumferentiae ad diamettum maiorem esse tripla. quate necessariò intelligendum est, aut circumferentiae, aut diametri numeros non esse mathematica ratione exactos, sed populari, atque communi.

Igitur disputationis nostrae filum retinentes, postquam maris formam hemisphaericam fuisse ostendimus, eius quoque dimensiones, quot cubitis respondeant, ostensuri iam sumus. *Decem cubitorum* fuisse hoc mare affirmat sacer textus *à labio vsque ad labium. quinque cubitorum altitudo eius, & resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Quae sanè verba triplicem nobis indicant
E dimensionem; longitudinem, quae latitudini pat est, decem cubitorum. indicant praeterea vasis crassitudinem fuisse palmi vnius. Hebraicè טפח tophah. Graecè παλαιστὴς. ac, ne cum altero maiori palmo confunderetur, Sanctus Hieronymus, *trium vnciarum*, scripsit; tot enim vncijs constat Latinus palmus, quem pro Hebraico טפח tophah substituebat. Qua verò ratione maris longitudo, aut

QVARATIONE mathematicae demonstrationes, cum ad corpora physica applicantur, demonstrent.

Lib. primo huius partis. c. 4. propos. 7.

SACRAE Scripturae mathematicas, & exactissimas rationes non exquirunt, sed abijciunt plerumque.

Supra lib. 1. huius partis. cap. 4.

do, aut latitudo decem cubitorum intelligenda sit, explicat disertis verbis Iosephus. Erat enim, inquit, labrum patens per dimetientem lineam in cubitos decem, crassitudine palmari. Graecè sic ἦν γὰρ ὁ λουτὴρ τὴν διάμετρον πηχῶν δέκα, καὶ ἐπὶ παλαιστῖον πάχος κεχονσυμένος, hoc est, erat enim luter diametro decem cubitorum, fusum crassitudine palmari. Haec Iosephus. Cùm verò sacer historicus altitudinem maris quinque cubitis definit, semidiametri vtique indicat longitudinem. Dubitari tamen posset, num luteris crassitudo decem illis cubitis diametri includenda esset. quam difficultatem soluere voluisse videtur Iosephus, qui, post enumeratam diametri longitudinem, palmarem illam crassitudinem computauit, quasi indicare volens, decem illis cubitis superaddendam esse crassitudinem, vt tota vasis longitudo comprehenderetur. Verùm id ipsum priùs multo, diserteque magis tradidere Septuaginta interpretes, qui, quod in Hebraeo, Latino, & Chaldaico codice legimus, *& resticula*, linea, vel funiculus *triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Et resticula, vertunt, tres & triginta in cubito. Notat autem Sixtianus Septuaginta interpretum codex, in aliquibus, vt in Complutensi codice, triginta tantummodo cubitos legi, sicut in Vulgata: verùm emendatiorum codicum exemplo, tres & triginta legendos esse, confirmat. Huius autem lectionis, quae diuersa videtur esse à Vulgata nostra atque alijs, vt dixi, rationem videtur reddere Theodoretus; superiora, quae diximus, & ipse confirmans his verbis: Etenim habet quidem (mare) speciem hemisphaerij, decem cubitos diametrum, tres autem & triginta cubitos habebat ambitus, quoniam palmi mensuram habebat crasities, duobus autem palmis, eo, inquam, qui hinc, & illo, qui inde, coniunctis cum diametri mensura, inueniuntur vndecim cubiti: hi autem ter triplicati faciunt triginta tres. Hactenus Theodoreti sunt verba: quae ipsissimam Septuaginta interpretum mentem nobis indicant, nimirum maris circumferentiam extrinsecus computare voluisse, cuius diametro absque dubio bini illi palmi crasitudinis, hinc & inde addendi sunt. In eo verò ipse Theodoretus, & ab eorum mente, & ab omnium textuum lectione discedit, quod maiores palmos computat, hoc est spitamos, cum vbique minor palmus intelligatur, & in nostra Vulgata tribus vncijs comparetur: binique palmi non vnum cubitum complent, vt astruit Theodoretus, sed tertiam tantummodo cubiti partem. Quapropter aliam oportet longè diuersam inire computandi rationem. Ac primùm illud supponendum est, quod ipsa mox supputatio indicabit, Septuaginta interpretes non vulgarem, communemque conferendi circuli, ac diametri rationem inijsse, sed exactam, & certam illam, quam Archimedes persequutus est, triplam videlicet sesquiseptimam. Quod vt faciliùs constare possit, cubitos totius supputationis ad palmos redigemus, & circumferentiam triginta trium cubitorum per senarium palmorum cubiti numerum multiplicabimos, atque inueniemus, circumferentiam maris palmos minores continere centum nonaginta octo. Iam verò, si per regulam trium huius circumferentiae diametrum inuestigemus, ita argumentantes: sicut 22. ad 7. ita 198. ad aliud, inueniemus quartum numerum 63. totque palmos habuisse diametrum maris, iuxta Septuaginta interpretum supputationem, intelligemus. Qui per sex diuisi dant decem, & insuper palmos tres, hoc est semicubitum. Subducamus denos cubitos, quos habuit inane vasis, & binos palmos crasitudinis hinc, & inde, superest vnus palmus; tantumdem enim labium maris protendebatur in exteriorem partem maris, binos scilicet digitos hinc, & binos inde. Qua ratione perspecta manet veritas Graeci textus, quàm sit cum alijs omnibus codicibus conueniens, quidque impulerit Septuaginta interpretes, vt, non verba ipsa Hebraica referrent, verùm quasi paraphrastice sensum potiùs mathematica ratione exactum proferrent. Quod vel vnum exemplum satis esse debuisset, ad haereticorum petulantiam comprimendam, qui, quidquid ignorant, blasphemant, & nouas quotidie ex maxima sua rerum ignoratione ansas rimantur, antiquos codices, ac textus, quasi inter se dissidentes coarguendi. sed his omissis, quos multis alijs huic similibus exemplis posse conuinci his nostris lucubrationibus ostendemus, ad reliquam bati, ac cubiti proportionem explicandam veniamus.

Atque in primis numeros ipsos sacrae Scripturae sequenti supputationi adhibebimus, quamuis, vt dixi, veri ipsi, & mathematica ratione exacti non sint; vtpote qui triplam tantummodo contineant circumferentiae ad diametrum proportionem: cum, vt alias quoque dixi, partem insuper continere debeant, quae minor sit septima; maior verò decem septuagenis primis. Verùm non temere, aut casu, sed consultò, & maximum quid indicantes numeros hos adhibitos fuisse, & non alios, ipsa, quam modo explicabimus, supputatio indicabit. Sunt igitur numeri sacrae Scripturae huiusmodi, diameter cubitorum decem, circumferentia triginta. Reuocemus igitur in memoriam, quae suprà demonstrata à nobis sunt de area circuli inuenienda, & ex modis, qui ibi proponuntur, eligemus, vt commodiorem, secundum, quo dimidia circumferentia per dimidiam diametrum multiplicari praecipitur. Vt igitur ipsismet numeris, qui quam aptissimi sunt, vtamur, accipiamus spitamas, hoc est dimidios cubitos, seu palmos maiores, continebitque semicircumferentia semicubitos triginta, & semidiameter semicubitos decem. Quae planè semicubitorum computatio aptissima quoque erit huic nostro instituto, & quae quamplurimis nos liberabit operationibus, atque molestijs, vt mox apparebit. Multiplicemus igitur triginta per decem, & habebimus trecentos semicubitos quadratos, aream maximi circuli in mari complentes. Vt ergo soliditatem hemisphaerij inueniamus, haec area maximi circuli multiplicanda est per tertiam partem diametri, sicut ibi demonstratum est. Continet autem diameter viginti palmos maiores, seu semicubitos, qui numerus quoniam in tres partes diuidi non potest, eius tertia pars constituet numerum fracturae huiusmodi $\frac{20}{3}$, hoc est viginti tertias, quae aequiualent sex integris cum duabus tertijs. per hunc igitur fractum numerum si multiplices praedictam circuli maximi aream, habebis intentum. Fit autem multiplicatio integri numeri per fractionem, iuxta ea, quae tradit Clauius, multiplicando numerum 300. per numeratorem viginti, & dabunt alium numerum fractum $\frac{6000}{3}$. quem si ad integros

MARIS AEnei diameter decem cubitorum fuit.

SEMIDIAmeter maris quinque cubitorum.

DIAMETER computatur decem cubitis exclusa maris crasitudine.

Theod. in Biblia Latina. 70. Sixti. 3. Reg. 7. K.

QVOMODO concordent 70 scribentes tres & triginta, cum Vulgata, quae triginta tantum scribit

33
6
198

vt 22. ad 7. sic 198. ad 63.

7
1380

1386|63
22

SEPTVAginta interpretes vere plerumque reddunt sensum potiùs, quàm verba Scripturae.

QVO CONsilio sacer historicus non certos numeros in dimensione maris percensenda adhibuerit.

Supra lib. 1. huius par. prooem. c. 4.

Supra lib. 1. huius partis cap. 4. vsu 1. modo 2.

6000|3 ibid. vsu 4. modo 1.

Clauii. Arithmetic. practic. cap. 151.

gros reuoces, diuidendo sex millia numeratoris per tetnarium denominatoris, prodibunt bis mille palmi cubici, siue totidem semicubiti cubici, soliditatem indicantes hemisphaerij, hoc est totam capacitatem maris aenei. At testatum habemus eodem loco Regum, duo millia baros cepisse mare illud aeneum; ergo batus ille, qui ibidem refertur, aequalis fuit semicubito cubico, cum pares numero cubiti cubici, & bati, eidem maris capacitati aequales sint. Atque hoc illud est, quod praesenti capite suscepimus demonstrandum, nimirum, cubitum, quo mensurabatur illud mare, duplam proportionem habuisse ad latus cubicum illius bati, qui bis millies effusus totum mare compleret. Quae sanè res, praeterquam quod tam firmis nititur rationibus, ac testimonijs, vt hoc vnum indicare voluisse videatur sacer historicus, tot dimensiones, totque numeros maris apponens; ita tamen verisimilis videtur, vt vel sola simplex eius propositio fidem sibi plenam exposcere videatur. Quis enim credat, Romanos antiquae politiae non inuentores, sed aemulatores hanc sibi laudem arrogare potuisse, vt ipsi primùm amphoram liquorum, & frugum mensuram ex pede constituerent trina dimensione quadrato, docerentque praeterea, praedictum vas aqua, vel vino plenum octoginta librarum pondere examinari posse? Nonne satis conuincent oppositum tam perspicua testimonia, quae in sacris historijs legimus, probantia id in Republica illa, Diuinis legibus tanto ante Romanorum nomen institutа obseruatum fuisse, quod hi aemulati sunt? Id enim, quod ex numeris dimensionum maris aenei in sacra historia notatis, arithmetica, ac demonstratiua ratione colligitur, ita videtur esse perspectum, vt temere negandum non sit. Quamuis enim numeri exacti mathematica ratione non sint; eorum tamen mutuam collationem, quam mathematica ratio suadet, non modò innuere, verùm quasi indicare, ob oculos ponere, persuadere videntur. Quapropter cum ad probandam semicubiti, & lateris cubici bati aequalitatem, nullam aliam adhibeamus, aut coniecturam, aut rationem, quam eam numerorum sacrae Scripturae collationem, quam mathematicis rationibus priùs demonstrauerimus, absque vlla dubitatione tenendam eam esse existimamus. Siquidem facta supputatione probatum est, vas hemisphaericum, cuius inane per dimetientem lineam sit cubitorum decem, circumferentia triginta, cubicis semicubitis expleri bis mille. probatum etiam est, quod si cubicis semicubitis bis millibus impleretur hemisphaericum vas, eius diametrum esset cubitorum vtique decem, circumferentiam cubitorum triginta; vel saltem ijs cubitorum numeris eius circumferentiam, atque diametrum contineri, qui inuicem, vt dixi, multiplicati eundem reddant numerum, quem multiplicati numeri sacrae Scripturae reddunt. Maneat igitur hoc vnum statutum, quod initio huius disputationis proponebamus, primum illum mensurarum inuentorem palmum suae manus elegisse, hoc est extensam manum ab extremo maximo, ad extremum vsque minimum digitum, quàm mensuram bis sumptam cubitum exaequare probauerat; octies verò totam sui corporis altitudinem, eam, inquam, mensuram constituisse reliquarum quasi primam notmam, ex qua vas fieri praecepit cubica ratione perfectum, quod mensurandis liquoribus, ac frugibus vsui foret. Quod quidem vas per manus traditum vsque ad Salomonis tempora, lege, & consuetudine firmatum perduraſſe, credendum est. Neque mirum cuiquam videatur, haec nos tam longa principia euoluere, quae hactenus nulla firma ratione probari videntur: nobis enim satis probari ab ipsa natura videntur, quae assumimus principia. quis enim neget, eisdem res omnes constare principijs, in quae resoluuntur? Cum igitur Hebraeorum batum comperiamus latus cubicum habere palmare, id ita constitutum fuisse à primo eius inuentore cognoscimus, vt vas cubicum, iuxta palmi mensuram constitutum, batum vocaret, eoque liquores, ac fruges metiri constitueret, iuxta ea, quae de bato suprà ostensa sunt.

Est & alia non minùs admiranda palmi alterius ad cubum diurnum hominis cibum propottio. Nam si, quae de bato, & cabo suprà retulimus, in memoriam reuocentur, facilè compertiemus, lateris bati ad latus cabi proportionem: continet enim batus logos, siue sextarios octo supra centum; cabus verò ex eisdem logis, siue sextarijs continet quattuor: ex quo fit, vt batus vicies septies contineat cabum; quater namque viginti septem efficiunt centum & octo. Est autem viginti septem numerus cubicus ternarij; ter enim ter efficiunt nouem, ter nouem viginti septem; igitur latus cubicum bati continet ter latus cubicum cabi. Quae omnia, cum nota sint, & certa Mathematicis, reliquorum fidem exposcunt. Iam verò, cum palmus maior ter contineat minorem, vt paulò ante ostendimus, fit, vt cubicum vas palmare, iuxta manum totam, eiusque digitos extensos, dicatur batus: palmare verò iuxta manum contractam diurnum praestet hominis cibum. Quod minimum vas cabi nomine Hebraeis censebatur, Graecis choenicis. Quo loco, mirum sanè, ac humanae naturae maximè congruentem cibi modum ab illis primis legum latoribus constitutum fuisse, licet obseruare: vnicuique enim homini tantum adscribebatur frumenti, quantum pugno in cubicam formam redacto metiri posset, eamque mensuram appellabant cabum, vt supra ostendi. At palma extensa vas alterum constituebatur cubicum, quod, vt paulò ante ostendi, vicies septies cabum constitueret, hoc est menstruam hominis portionem; lunares enim menses computabant olim Hebraei, vt alias ostendimus. Lunae porrò periodus, hoc est ab vno zodiaci puncto ad idem punctum proprij motus reuolutio, septem & viginti diebus perficitur cum horis octo, vt auctor est Ioannes de Sacrobosco, & alij Astrologi. qua in re non obscure significare voluisse videntur antiqui, manu, qua cibum operantut homines, eiusdem cibi mensuram accipiendam; vel tantumdem cibi cuiuis decere tribui, quantum manibus operando metiatur. Quae sanè obseruatio lucis non parum huic nostrae afferet disputationi, & huic capiti modum imponet.

QVA RATIONE primùm, mensurae omnes constitutae sint.

BATVS aequalis est semicubito cubico.

PALMVS quattuor digitorum cubicus aequalis est cabo, vel choenici. *Supra cap. 8. & 13. huius lib.*

TANTVM cuique cibi in diem praescribitur, quantum manu operando metiatur. *Cap. 13. huius lib.*

HEBRAEI à Deo edocti ante Romanos varias mensuras contulerunt mutuo.

Cap. praecedenti.

Ioan. de Sacr. in sphaera c. 1. & Astrologi in theorica lunae.

Lib. 2. huius partis cap. 3.

MENSVRAE PONDERE QVOQVE *examinari consueuerunt apud omnes gentes.* *Cap. XIX.*

Lib. 2. huius partis. cap. 3.

TRIPLEX mensurarum genus initio proposuimus pertractandum, liquorum, frugum, longitudinum. ea porro vix, aut nulla ratione percipi plenè posse significauimus, nisi inuicem conferrentur; mutua namque collatio rerum facit, vt quae, dum de alijs seorsum ageretur, cognosci non poterant, tunc plene percipiantur, dum omnia simul colliguntur. Hac igitur de causa tria haec mensurarum genera, triplici quoque ratione hactenus contulimus, singula nimirum genera inter se: mensuras deinde liquorum, cum mensuris frugum; & has tandem atque illas cum longitudinum mensuris. Superest nunc, vt priusquam certam alicuius mensurae rationem, aut modum praescribamus, vt has quoque mensuras expendamus, quomodo cum ponderibus etiam conueniant. Id quod non alienum à nostro instituto, aut superuacaneum cuiquam videri debet, sed proprium, vtile, necessarium. Nam, vt suprà ostendi, dum Propheta noster iustam seruari praecipit, ac certam mensurarum rationem, hoc vnum inter alia iniungit: *Iuxta mensuram eorum erit aequa libratio eorum.* Quod qua ratione intelligendum sit, non apparet, nisi ephi, & bati, de quibus est sermo propheticus, libratio perspecta sit; ex quo postmodum, num aequa sit libratio, necne, facilè percipiatur. Et quamuis haec ponderum, ac mensurarum collatio tam perspicua non esset in sacris litteris, eam tamen in vsu fuisse apud Hebraeos, siue etiam apud priscos illos mensurarum, ac ponderum inuentores, suadere posset vel haec vna ratio; quòd nimirum id Romanis in vsu fuisse cognoscamus. Ita enim, vt dixi, gens haec fuit omnis antiquae politiae aemulatrix, vt, quicquid maximè Rempublicam decens in Romanis moribus comperimus, id omne Deo Optimo, & Maximo auctore, atque doctore in Hebraeorum antiqua Republica obseruatum fuisse, non dubitemus. Quapropter rem scitu iucundam, ac nimia vetustate pene abolitam in ipsis Romanae Reipublicae vestigijs perueſtigare aggrediamur.

MENSVRAS pondere examinari necessarium est.

Supra cap. 9. huius libri.

Ezech. 45. V. 11.

QVIDQVID maximè Rempublicam decet, cum in Romana reperitur, ab antiqua Hebraeorum desumptum esse videtur.

Romanos igitur, trutina, libra, ponderibus amphoram examinare consueuisse, tot grauissimi Scriptores affirmant, vt id negare, proteruiae potiùs adscribi possit, quàm veritatis studio. Id quod asserendis eorum sententijs planum fiet. Neque minùs receptum antiquis fuit, ac omnibus manifestum, quo quaeque mensurae pondere censerentur. At nostrae aetatis ingenia ita cupiunt videri antiquis illis perspicaciora, vt leui quamuis freti coniectura, infinitam propemodum auctoritatis molem, vel vnius Scriptoris longè petito testimonio, eleuare nitantur. Atque inuenta quadam mensuralium, ac ponderalium vnciarum differentia, id vnum suis lucubrationibus, longissimis commentarijs, atque importunis disputationibus videntur consequuti, vt nihil certi in re certissima consequi posse videantur. Nos verò, qui lubricas, ancipitesque opinionum ambages vitare, tritam, ac regiam viam ingredi conati semper sumus, libris, seu pondo mensuras has omnes dimetiemur, ex quibus certa postmodum proportione ostendemus, de quibus vncijs loquantur Scriptores. quo statuto, mox ad examen veniemus, quo certa ratione cognosci possint antiquarum mensurarum pondera; ex quo manifestum quoque fiet, sintne eadem tempestatis nostrae pondera cum antiquis, an verò diuersa.

Et primùm Galeni afferam testimonia, cuius auctoritatem, & fidem reliquis omnibus Scriptoribus praeferendam censet Agricola; qua ratione, ipse viderit. Is enim libro de ponderibus, & mensuris sic scribit: Ceramium Italicum, quod & amphora, habet olei libras duas & septuaginta, vini octoginta, mellis octo suprà centum. Chus, qui & Congius, olei libras nouem, vini decem, mellis tredecim semis. Xestes, qui & sextarius, olei vncias octodecim, vini viginti, mellis viginti septem. Ac post enumerata minorum mensurarum singula pondera, quae percensere non vacat, subdit: Oribasius autem, secundum Adamantinum, auctor est, sextarium quidem Italicum vini mensuram vnciarum viginti quattuor esse, pondere verò vnciarum viginti, cum sextarius mensura mellis duas libras semis ponderet.

Galen. lib. de pond.

GALENI sententia de pondere rerum.

Sentit ergo planè Galenus, Romanum sextarium vino plenum vncias viginti pendere: siquidem idipsum Oribasij Iuliani Apostatae medici testimonio comprobat. quare & in reliquis amphorae, & congij, atque alijs mensurarum ponderibus idem nobiscum sensisse credendus est; cum reliqua pondera sextarij statuto pondere arithmetica supputatione probentur. At ne forsan liber hic Galeni de ponderibus, ac mensuris alicui sit suspectus, aut suppositicius videatur, idem ipsum alio eiusdem testimonio comprobare non dubitabimus. Is enim sic scribit: sextarij autem Romani Heram meminisse arbitror: nam Athenienſibus, neque mensura, neque nomen hoc erat; nunc verò, ex quo Romani rerum potiuntur, sextarij nomen omnibus, qui Graeca lingua vtuntur, exiſtit: at ipsa mensura Romanae aequalis non est; alius enim alia sextarij mensura vtitur. Quippe apud Romanos sextarius libram vnam, & dimidiam, atque sextam ipsius partem capit, vt vnciae vniuersae sint viginti, quas plerumque cornibus, quibus in orbem ductae quaedam lineae sunt extrinsecus incisae, metiuntur. Sed quidam falso putarunt, sextarium octodecim continere vncias mensurales. Videtur igitur & Heras, si quando cotylem scribit, dimidiam sextarij partem indicare; nouem verò vncias cornu libralis significet, an decem, obscurum est. Hactenus Galeni sunt verba, quae in contrariam sententiam adducunt nonnulli, vt probent, non Galenum modò, verum alios Scriptores omnes de vncijs mensuralibus loquutos, non de ponderalibus, quoties sextario affirmant viginti vncias contineri. At ne fateri cogantur Galeni sectatores, tantum virum secum non concordare, teneamus, illum de eisdem vncijs loquutum, de quibus Oribasium induxit asseren-

Oribas. lib. 2. ad Eustathium filium.

Galen. lib. de compos. medi.

ferentem, pondere sextarium fuisse vnciarum viginti, id quod sequenti capite attentiùs examinabimus. Subscribir Galeno doctissimus etiam medicus, sollertissimusque scriptor Dioscorides, cuius haec sunt verba. Ceramium, ideſt amphora, haber libras octoginta, vrna libras quadraginta, congius libras decem, semicongius libras quinque, sextarius libram vnam, vncias octo, hemina, seu cotyla vncias decem, acetabulum, quarta pars heminae, habet vncias duas semis, cyathus, sexta pars heminae, vnciam vnam semis, & scrupulos quattuor, cheme, quae est cyathi pars quarta, habet drachmas tres, scrupulum vnum: id autem est cum aquae, tum & aceti pondus; aiuntque pluuialis aquae adimpleri vasculum, certissimamque hanc esse ponderis rationem. Haec sunt, quae Dioscorides de pondere singularum mensurarum tradit, si aqua, vel aceto sint plenae. Quae sequuntur verò deinceps, ad oleum spectare conijcio; habent enim ad praedicta pondera eandem rationem, quam oleum habet ad aquam, nempe, quam nouenarius numerus habet ad denarium, vt arithmetica ratione cuiuis integrum, ac facillimum erit experiri. Sic enim habet: Amphora habet libras septuaginta duas, vrna libras triginta sex, congius libras nouem, semicongius libras quattuor semis, sextarius libram vnam semis &c. Tandem aperto sermone subiungit: Mellis amphora habet libras centum viginti, vrna libras sexaginta, congius libras quindecim, semicongius libras septem semis, sextarius libras duas semis. & quae sequuntur. At omnem dubitandi rationem substulit Fannius.

Dioscor. apud Galen. lib. de ponder.

DIOSCORIdis sententia, de eorundem rerum ponderc.

FANNIVS rerum ponderа definit.

Illud praeterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios seruare liquores.
Nam libra, vt memorant, besse sextarius addet
Seu puros pendas latices, seu dona lyaei.
Addunt semisse librae labentis oliui.
Selibramque ferunt mellis superesse bilibri.

Quibus versibus eadem plane testari videtur, quae Dioscorides, atque alij, nempe sextarium aqua, vel vino plenum vncias viginti pendere: libra namque duodecim continet vncias, bes octo, vt vidimus; olei verò sexrarius octodecim, mellis tandem triginta. Quae quidem omnia ita nos experti sumus superiore libro, vt, quod ad rerum proportionem spectat, certò possimus affirmare, praedictos Scriptores omnes vera sensisse. Immo verò & rationem reddere possumus eius rei, in qua ab alijs dissentire videtur Galenus; ait enim, amphoram mellis libras octo supra centum pendere, sextarium vncias viginti septem, cum reliqui omnes mellis amphorae libras tribuant centum viginti, sextario vncias triginta, hoc est libras duas & semis. Duplex enim, Romae potissimùm, mellis genus reperitur, liquidum alterum, alterum solidum: illud autem in vase semper huic supernatat; quapropter illud leuius, hoc grauius esse certo scimus. Cum verò nos experimur praefinitum à Scriptoribus mellis pondus, liquidum illud priùs adhibuimus, & quoniam minoris erat ponderis, quam oportebat, solidum mel expendimus, quodmox ex aequo respondit. Quapropter conijcere facilè licet, Galenum de liquido melle loquutum, reliquos verò ferè omnes Scriptores de solido. Et quamuis haec ita sint manifesta, vt nulla amplius egerent confirmatione; tamen, quoniam necdum tantorum virorum testimonijs acquiescunt iuniorum quamplures, Plebiscitum afferre decreuimus, quod vnum omnem auferre posset dubitandi rationem. ita vt meritò mirum esse affirmet Petus, eiusmodi legem à tot egregijs viris vsque ad eam diem obseruatam minimè fuisse. Neque enim fieri posse putabat iuris ac legum peritus, vt manifestam legem, plebisque statutum negarent huiusmodi Scriptores.

Lib. primo bu ins partis. c. 4.

Quoniam verò Plebiscitum vim legis habere diximus, priùs breuiter explicandum viderur, vnde nomen, ac vim obligandi eiusmodi decreta populi obtinerent. Ac ne plurium sententias in medium adducere cogamur, Andreae Alciati verba referre operaepretium duximus. Is primùm affirmar, Romani Imperij originem à Romulo, Regibusque coepisse: & ab his laras fuisse leges quas Regias vocant. Romulus, inquit, ex antiquioribus ciuitatis centum Patres elegit, qui ordo Senatorius dictus est: ad hunc decernendi ius pertinebat, quae ex toto regno ad eum deferrentur. Sed & sacra facere, ius dicere, magistratum gerere soli Patritij poterant. Quoties verò vel leges scisendae, vel magistratus creandi, vel bella decernenda erant, tum populus Romanus ipse consulebatur, ad eumque huiusmodi negotiorum ius pertinebat: idque Dionysius Halicarnaseus diffuse explicat. Exactis deinde Regibus, plebis potestas multum aucta est, cum, secessione facta à Senatoribus, extorsisset, vt ex corpore suo magistratus crearentur, qui Tribuni plebis dicti sunt. Sacrosancti hi erant, summaeque auctoritatis, vt qui Senatusconsultis intercedere possent. Et quamuis à principio latae ab his leges, quas plebiscita vocabant, Patritios non obligarent; tamen lege Hortensia constitutum deinde est, vt eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur. Haec Alciatus: quibus nihil praeterea addendum duxi.

VNDE NOmen & vim legis obtinuerit plebiscitum.

Andre. Alciatus lib. de Magistratibus.

Plebiscitum refertur à Sexto Pompeio Festo, quamuis mutilum, & mendis respersum; tamen quod ad probandum quadrantalis pondus spectat satis integrum, & manifestum. illud verò nos expurgatum, atque integrum referemus, ac postmodum quibus rationibus ducti aliquid vel subtraximus, vel addidimus, vel immutauimus, exponemus. Publica, inquit Festus, pondera &c. Quod duo Sillij, Publius, & Marius Tribuni plebis rogarint his verbis.

Sext. Pomp. Fest.

EX PONDERIBVS PVBLICIS. QVIBVS HAC TEMPESTATE POPVLVS OETIER SOLET. VTI COAEQVETVR SEDVLVM. VTI QVADRANTAL VINI OCTOGINTA PONDO SIET. CONGIVS VINI DECEM PONDO IS SIET. SEX SEXTARII CONGIVS SIET VINI. DVODEQVINQVAGINTA SEXTARII QVADRANTAL SIET VINI. SEXTARIVS AEQVVS AEQVO CVM LIBRARIO SIET. SEXDECIMQVE LIBRAE IN MODIO (ordei) SIENT. SI QVIS MAGISTRATVS ADVERSVS HAEC DOLO MALO PONDERA. MODIOSQVE. VASAQVE PVBLICA MODICA. MINORA. MAIORAVE FAXIT. IVSSITVE REFIERI. DOLVMVE ADDVIT. QVOD EA FIANT. EVM QVAEIS VOLET MAGISTRATVS MVLTARETVR. DVM. MINORE PATREIS FAMILIAS TAXAT. LICETO. SIVE QVIS IN SACRVM IVDICARE VOLVERIT LICETO. Hactenus ille. quibus quamplurima

sta-

ſtatuuntur, quae lucem maximam huic noſtrae tractationi afferrent, ſi integra fuiſſent, & incorrupta. Verùm cum temporis iniuria, pariter, atque Scriptorum ignauia ex eis quamplurima diuinanda potiùs videantur, quàm interpretanda, illa priùs, quae manifeſta ſunt, praelibabimus, ac poſtmodum, qua coniectura, aut ratione ducti dubia, & obſcura interpretemur, mendoſaque correxerimus, aperiemus.

MENSVRAE pondere, & pondera menſuris ipſis examinabantur ſedulò.

Illud in primis hac lege ſanciri videtur, vt non modo quadrantal, congius, ſextarius, ac modius ſedulò examinarentur, atque iuſta ratione exaequarentur; verumetiam, vt pondera ipſo quadrantali congio, vel ſextario examinarentur. id quod intellexiſſe videtur ipſe Feſtus, qui hoc, Sillianum plebiſcitum, verbo, pondera publica, adiunxit. hac autem ratione, & cauſa illud adduxiſſe, probare videntur illa intercepta verba, quae ex incendio codicis, qui ſolus vſque ad noſtra tempora perdurauit, emerſerunt. Sed multò magis haec manifeſta fiunt ex legis ipſius verbis, quibus non minùs, quàm modios, vaſaque publica, pondera etiam prohibet imminui, aut augeri. Congio namque iuſto vino pleno pondera examinari poterant, non minùs, quàm pondere iuſto congij, appenſo vino, capacitas: cum maximè notum omnibus eſſet vinum, quo huiuſmodi menſurae, & pondera examinanda eſſent. Ex quo fit, vt hoc obiter dicamus, vt cum nota nobis ſit

FARNESIANO congio nota fit omnium Romanorum ponderum, & menſurarum ratio.

Farneſiani congij capacitas iuſta, nota etiam poſſit eſſe omnium Romanorum ponderum, ac menſurarum ratio.

Secundò, illud manifeſtum eſt, atque ab omni dubitatione & controuerſia alienum, quadrantal vino plenum, ſiue, vt preſſius loquar, vinum, quo quadrantal implebatur, pendere libras ponderales octoginta. Congium, qui octauam illius partem continet, pendere libras decem. Sextarium, qui huius eſt ſexta pars, pendere vncias viginti, ſiue libram, & beſſem, quod idem eſt. Nam, ſi centum viginti vnciae, quae libris continentur decem, in ſex aequales partes ſecentur, ſingulis ſextarijs viginti vnciae ponderales obuenient. quod de vino, vel aqua appenſa intelligendum cenſuit Fannius, quoniam eiuſmodi liquores parum inter ſeſe pondere differunt, aut fere nihil. Eiuſmodi autem liquores, ad examinanda pondera, & menſuras, elegerunt Romani, quoniam ea parum in pondere variant, praeſertim aqua, ſi pluuialis ſit, atque in ciſterna diligenter aſſeruata. Atque hoc, quod diximus de ſextarij, congij, & ampborae pondere, non lege tantummodo ſancitum fuit, ſanctéque obſeruatum; verùm, ne quiſquam ex eiuſmodi legis ignoratione peccaret, atque adeo deciperetur, aut deciperet, in ipſiſmet publicis vaſis, quorum haec lex meminit, quaeque ex aere, vel orichalco fiebant, ne facilè immi uerentur, ipſius vaſis pondus, hoc eſt, quantum aqua, vel vino plenum pendere debuiſſet, incidebant, vel imprimebant: quod manifeſtum omnino eſt in Farneſiano congio, de quo mox, in eo namque, praeter alia, binae hae litterae videntur inſculptae, PX. quae ab omnibus doctis viris pondo decem ſignificare intelliguntur. Illud verò maximè torſit interpretes, quod in praeallato plebiſcito habetur: ſextarius aequus, aequo cum librario fiet: nullus enim eorum, quos hactenus vidi, quid librarij nomine intelligat, vel probabili aliqua coniectura auſus eſt affirmare. Illud praeterea, quod his proximè ſuccedit: ſex de quinque librae in modio fient, ita planè mendoſum eſt, vt nullus ea verba auſus ſit interpretari. quare, quam correctionem cenſorum probauit iudicium, eam libenter amplexi ſumus, & SEXDECIMQVE LIBRAE binis tantummodo litteris immutatis, merito legimus: ac mox, ea tantummodo lectione admiſſa, planum omnino fit, quid ſtatuat eiuſmodi particula. Nam cum modius, vt diximus, frugum ſit menſura ſexdecim continens ſextarios, cum ſexdecim librae modio tribuuntur, duo nobis fiunt manifeſta. primùm, alicuius frumenti pondere modium examinandum praecipi, cuius ſinguli ſextarij libram vnam penderent: alterum eiuſmodi frugis ſextarium propterea dici conſueuiſſe librarium, quod libram penderet. quare meritò ſtatuitur, vini aequum ſextarium, aequalem conſtitui debere frugum aequo ſextario, qui librarius, propter hordei, verbi gratia, pondus dicebatur. Verùm cum in plebiſcito deſideretur id, quo plenus modius ſexdecim penderet libras, facilè conijcere licet, vel LIBRARII nomine, ita receptum eo tempore fuiſſe, vt ſextarius alicuius frugis intelligeretur, vt explicatione non indigeret: vel, quod magis probauerim, ſcriptoris culpa in codice defuiſſe, cuius rei modius ſexdecim libris pondere aequaretur. Atque in hanc me ſententiam facilè inducit tam ſollers legis repetitio, cum de vini pondere ageret: non enim feciſſe ſatis arbitrata eſt, ſi quadrantal vini octoginta pondo fore ſtatueret, ex quo facilè potuiſſet intelligi, congium, qui decem pondo eſſe perhibebatur, fore etiam vini; ſed id repetijt ſemel, atque iterum. Adde his etiam, quod leges oportuit eſſe perſpicuas, & quae quam minimum cauillationibus, ac ſiniſtris delinquentium interpretationibus paterent.

LIBRARIV dicitur ſext rius, quod h deo plenus l bram pende ret.

Cùm igitur ſolicitè inquirerem, quod è frugum generibus intelligendum hic foret, mihi in mentem venit Plinius, de frugum pondere ſic ſcribens: Ieuiſſimum ex his hordeum raro excedit duodecim libras, & faba viginti duas, ponderoſius far, magisque etiamnum triticum. Haec Plinius: quae, ſi incorrupta eſſent, id, quod quaerimus, nullo negotio manifeſtarent. nam de modijs ſingulis Plinium loqui indicant ſequentia eiuſdem verba paulò inferius afferenda. Illud deinde ſubindicare videtur Plinius, quod aliàs pertractabimus, nimirum, propterea hordeum ad exaequandas menſuras prae alijs frugibus fuiſſe delectum, quod ipſum, quamuis aliud alio, ſicut caeterae, ſit grauius; tamen minimam ponderis differentiam admittat: ideoque rarò excedere dixit certum quendam librarum numerum, à quo etiam rarò, paululumque deficeret. Verùm in eo, quod Plinius ſtatuit, quantum hordei modius pendeat, in hoc arbitror ſine dubio mendum eſſe: nam ſi, quae Budaeus expertus fuiſſe teſtatur, attendantur, hordei modius in Gallia pendet vicenas libras, & ſelibram. At, inquies, hoc tantummodo probabit, Budaeum maiorem iuſto ſortitum fuiſſe modium, atque agitatam ponderaſſe menſuram; Plinium verò iuſtum appendiſſe modium, non ita multum agitatum. fateor id quidem eius diſcriminis cauſam aſſignari poſſe: at nos, qui iuſtam modij, & ſextarij rationem conſequuti ſumus, ſextarium hordei libram vnam pendere, experientia comperimus.

Plin. lib. 1 c. 7.

HORDEVM inter fruges parum in pon dere variat.

Bud. lib. 5. d Aſſe.

IN IPSIS vaſis, quae ad menſurandum ex aere fiebant, pondera etiam incidebant, & quare.

rimus. Quod si quisquam proteruè adhuc contendat, nos in modio, sextario, ac pede eligendo deceptos valde fuisse, atque iniqua adhibuisse pondera, adhuc tamen quisque facilè poterit experientia cognoscere, Plinium sexdecim libras modio tribuisse, haud secus, quàm in Silliano plebiscito decernitur. Si enim in quocumque vase iusta bilance quibuscumque vncijs, quae quidem vnciae omnes inter se sint aequales, viginti vncias aquae purae appendat, notetque diligenter in vase terminum aquae, quantum videlicet praedictae aquae vnciae occupent, idemque spatium hordeo puro Romae adimpleat, atque eisdem vncijs appendat, facilè inueniet, duodenas circiter vncias pendere: ex quo demonstratiuè colliget, plebiscitum, quod vini, vel aquae sextario viginti vncias pondere tribuit, hordei sextario duodecim dedisse, & hordei modio libras sexdecim: nam eadem est proportio viginti vnciarum iusti ponderis aquae ad duodecim iustas vncias hordei, quae viginti maiorum, vel minorum vnciarum aquae, ad duodecim ex eisdem, vncias hordei. Qua etiam ratione planum quoque fit, Plinium sollertissimùm Scriptorem eiusmodi decreti non ignarum, hordeum scripsisse libras XVI. raro exeedere: cumque eum numerum Romanis litteris scripsisset, vel codicis vetustate, vel librarij ignauia vltimum I. excidisse, ac XV. mansisse, pro XVI. Quibus ducti rationibus, quoniam plebiscitum, vt olim fuerat sine mendis, adscribere polliciti sumus, illud ORDEI addidimus, atque ita scripsimus SEXDECIMQVE LIBRAE IN MODIO ORDEI SIENT.

His igitur sic statutis, ad alteram plebisciti partem, qua poenae irrogantur aduersus legis transgressores, explicandam accedamus. Id quod alicui forsan à nostro instituto alienum videri posset; tamen disciplinae integritati conducere arbitrati sumus, legem hanc vniuersam, qua ponderum, ac mensurarum ratio innumeris paenè difficultatibus obuoluta proponitur, apponere, eamque quam breuissimè exponere OETIER igitur pro, vti, ponitur. COAEQVATVR pro, coaequetur. SEDVLVM pro sedulo FAXIT pro fecerit. IVSSIT pro iusserit. DEFIERI, pro, fieri, vel refici. ADDVIT pro addiderit, quod & ipse Festus alibi exponit, sic scribens: Adduis addideris. EVMQVIS VOLET MAGISTRATVS, quis QVEIS adscripsimus, quod, quis, pro, quibus, vsurpari arbitrati sumus. Illas autem binas particulas DVM, & TAXAT, quas diuisas aliquibus interpositis verbis apposuit, coniungendas censemus, atque ita interpretandas, ac si vnica esset dumtaxat. Quibus sic adnotatis, hoc modo ordinanda, atque exponenda ea verba conijcimus: Si quis Magistratus aduersus haec decreta dolo malo pondera, modiosque, vasaque publica modica, minora, maioraue fecerit, iusseritue fieri, dolumue addiderit, quod ea fiant, eum quibus vellet Magistratus multaret poenis. dumtaxat liceat minore multa patresfamilias punire, siue quis voluerit in sacram eiusmodi poenam adiudicare, liceat. Qua quidem lege grauiùs agendum esse significat aduersus Magistratum, cuius culpa contra huiusmodi decreta quidquam fuerit à quocumque perpetratum: mitius aduersus patresfamilias, cuius ignauia quidquam fuerit commissum. quoniam doli minimum praesumit in patrefamilias lex; in Iudice, ac Magistratu, cuius est proprium leges, ac iura tueri, quam multum dolo, ac culpae animaduertir, si leges non seruet, aut seruari non curet.

Vt igitur ad institutam disputatiouem reuertamur, his sic praelibatis, perspectum esse videtur, primùm Romanos, ac Graecos pondere mensuras liquorum examinare consueuisse; siquidem tam Galeni testimonio metretae pondus, quàm plebisciti iure amphorae pondus perspectum vidimus. Deinde illud quoque probatum esse videtur, vini amphoram libras octoginta pendere, congium decem. Ac tandem ostensum est, sextarium Romano hordeo plenum libram vnam pendere, ac modium sexdecim libras; habet enim totidem, vt dixi, sextarios. Quae quamuis satis esse potuissent ad ostendendam, tum praedictarum mensurarum ponderis porportionem, tum etiam reliquarum omnium, quarum nota esset ad has proportio, id quod cuiuis facillimum esse potuisset, atque in promptu; non defuerunt tamen, qui longioribus disputationibus, sententiarumque multitudini viam aperuerint latissimam. Quocirca doctis, ingeniosisque viris operae pretium me facturum existimaui, si rerum, quas metimur, quasque in mathematicis disputationibus examinare aggressi sumus, singula in singulis mensuris pondera, quae sparsa reperiuntur apud antiquos Scriptores, apud recentiores dispersa, quasi in vnam summam colligerem, atque ad tabulas quattuordecim redigerem, in quibus sub vnum aspectum omnia simul omnium mensurarum pondera faciliori methodo proponerenrur. Quarum plane praesidio duo insuper alia me praestare posse profiteor. Primùm, omnes antiquorum, Galeni potissimùm de mensurarum pondere sententias, quae secum ipsae pugnare videbantur, componam: deinde ea omnia, quae nostrae de rerum pondere sententiae aduersari videbantur, ostendam, non modò non aduersari, verum eam maximè confirmare posse. Quae omnia, cum exactam omnium mensurarum cognitionem praestare legenti possint, priusquam ad tabularum, quae vniuersales futurae sunt, explicationem veniamus, de nostris Hispanis, Atque Romanis mensuris, earumque pondere breui sermone dicendum est.

QVA RATIONE comprobari possit, hordei sextarium libram vnam pendere.

PLINIVS emendatus.

MAIORI poena multatur Magistratus aduersus iura delinquens.

ROMANI, ac Graeci pondere mensuras exigebant.

Lib. 1. huius partis. c. 5.

SEQVENTIVM quattuordecim ponderis tabularum finis, & vsus.

Pomp. Fest.

DE ROMANIS, HISPANISQVE NOSTRIS *liquorum, ac frugum mensuris, earumque pondere.* *Cap. XX.*

ROMANAS, Hispanasque mensuras, earumque pondera explicare statui. qua in re cum non sint Scriptorum variae sententiae referendae, neque aduersus haec, vel illa disserendum, breuitati, quàm cupimus, erit studendum maximè: neque enim alia proferenda sunt eorum, quae afferenda sunt, testimonia quam quae frequens rerum vsus; exactaque, experientia nos docuit. ordine tamen, ac certa procedendum est methodo, ne confusioni, aut difficultati pateat aditus. Exordiemur igitur à liquorum mensuris, in quibus hoc vnum

HISPANAE liquorum mensurae eaedem sunt cum Romanis.

obseruauimus, quod vix alias reperiri poterit, omnes ferè Hispanicas mensuras pares totidem Romanis esse, nomine tantùm diuersas. Sunt autem Romae duplices liquorum mensurae, olei propriae, & reliquorum liquorum aliae. de mensuris olei nihil omnino dicendum esse existimaui; tum quod nihil ad nostrum institutum faciant, tum vel maximè, quod non omnes, omnium, aut singularum gentium mensurae mihi sunt pertractandae. Satis enim me fecisse putaui, si, quod olim nostrae Hispaniae studiosis praestiteram operae, id ipsum Romanis, quorum instituta, & mores assidua decennij consuetudine mihi perspecta esse potuerunt, praestarem quoque: nimirum, vt aliquas certas mensuras ex ijs, quae prae manibus habentur, cum antiquis ita conferrem, vt reliquas omnes earum collatione facilè possent ipsi conferre, atque adeo omnes antiquorum mensuras perspectas in promptuque habere.

FOGLIETTA Romana.

Minima igitur vini mensura Romae foglietta dicitur. Eam ego mensuram accuratiùs pondere examinaui. Vitream enim ampullam ita comparaui, vt mensurae illius capax esset, ita vt aliquid ex arctiori collo inane supereesset. atque in eiusmodi ampullam, aeneam mensuram, quam exactissimam tradit mensurarum praefecto Populus Romanus, vt reliquas omnes in Vrbe, eiusque finibus exigat, & examinet, aqua plenam effundi curaui, & aquae terminum in ipso arctiori collo adamante signari, vt non semel, sed saepiùs pondus quoque eiusdem aquae posset expendi, quod & accurate feci eadem bilance, eisdemque ponderibus, quibus anteà Farnesianum congium expenderam & reperi foliettam sexdecim Romanas vncias pendere. Quod ipsum fatetur etiam Petus, ex Romanis nimirum, quae nunc sunt in vsu Romae, fogliettam sexdecim pendere. quod verùm quidem est; illud verò falsum, quod subiungit, ex antiquis Romanis vncijs aliquid amplius pendere; cum, vt suprà ostendi, eaedem omnino sint vnciae, quibus olim Romani, & nunc Romani, Hispanique vtuntur.

FOGLIETTA sexdecim vncias pendet. *Luc. Tet. lib. 4. de mens.*

Est & quaedam per totam ferè Hispaniam minima vini mensura, quae vocatur vulgo, quartillo, quod quarta sit pars alterius, quam vocant açumbre. Permittant delicatae Latinorum aures, barbaras, ac peregrinas voces barbarorum more proferre; neque enim, aut integrum est, eas Latinitate donare, aut, si donentur, eas breui sermone explicare, vt facilè intelligantur. hoc enim expetendum magis videtur, quam eruditos sermone reputari. Illud insuper monendum esse lectorem duxi, quod ad scripturam, & prolationem vocis açumbre spectat, eam Hispanorum more scribi, neque aliter ab Italis proferendam esse, quàm si ab eis scriberetur azumbre: nos enim antiquum, & ab ipsis Romanis vsitatum scribendi, & proferendi morem retinemus, quem probat antiqua Capitolini marmoris inscriptio huiusmodi SCORÇO: Romani verò asperiorem litterae z sonum emollientes non alium illi tribuunt, quam quem litterae ç cum virgula subscripta olim ipsi nobiscum, nunc verò nos tantùm tribuimus. Hanc igitur quartilli mensuram ego olim Mantuae Carpentanae coram Ioanne Ferrerio (quem identidem honoris causa libenter nomino) expendi, ac comperi, libram vnam Hispanicam, hoc est vncias sexdecim ex aequo pendere. idipsum Romae quoque probare licuit, & nihil à vero aberrasse cognoui. Accedit his quoque non modica nostri Marianae auctoritas, sic scribentis: Minima mensura est sextarius Toletanus (sic vocat quartillum) quod non longè distet à Romano sextario, açumbris quarta pars, arrobae trigesima secunda, pendet in aqua, aut vino vncias sexdecim, minor sextario Romano vncijs quattuor. Haec ille. quae vera sunt omnia, atque iam nunc certam quandam indicare possunt viam, antiquas liquorum, aut frugum mensuras, cum nostris liquorum conferendi. nam cum illae omnes ad sextarios reuocari possint, iuxta ea, quae diximus, sextariumque ad fogliettas, vel quartillos reuocare non sit difficilè, facilè quoque praedictam mensuram ad easdem fogliettas reducere poterimus. Si quis enim cabum Hebraeorum, aut choenicem Graecorum, quae vtraque mensura quattuor sextarijs constat, ad fogliettas, vel quartillos reuocare velit, is dicto sextariorum numero quartam sui partem addet, & agnoscet, cabum quinque fogliettis aequalem esse, modium viginti, amphoram sexaginta. & sic de singulis. Quae omnia infrà latiùs patebunt in tabulis.

P. Maria. lib. de pond. c. 17

QVARTILLO sextario Romano quarta sui parte minor.

COLLATIO antiquarum mensurarum cum fogliettis.

Fogliettis quattuor constat bocalis, quem, auctore Peto, non multo ante vocabant petittum. Bocali aequalis est Hispanorum mensura, quam vocant açumbre, & quattuor constat quartillis. Açumbribus octo constat alia mensura, quae alicubi in Hispania vocatur arroba, alibi cantara. & haec frequens est ita, vt quamlibet vini quantitatem metiantur arrobis. ipsaque dolia, vasaque vinaria, lignea, aut testea distinguunt penes eum numerum arrobarum, quarum sunt capacia. Nec plures sunt in Hispanijs mensurae, quae prouincijs omnibus sint communes: quare has tantummodo adscribere libuit, peculiaribus alicuius prouinciae, aut Regni praetermissis. Arrobae aequalis est Romae nunc congius. Quae mensura quamuis modò non sit in vsu, quod sciam; tamen inter marmoreas mensuras, quae in domo Conseruatorum publicè asseruantur, quaedam, VINI CONGIVS, est inscripta, quam Petus tradit, bocalibus, seu petittis octo compleri, haud secus, quàm arroba açumbribus totidem.

BOCAL açumbre.

ARROBA vini congius.

Est praeterea Romae mensura quaedam celebris barrilis dicta, ea constat congiis quattuor, bocalibus duobus & triginta fogliettis centum viginti

BARRIL.

ginti octo. Maxima omnium mensurarum, in omnibusque commercijs frequentissima dicitur botte, quae antiquis Romanorum dolijs successisse videtur: illa enim ex figulino opere frequenter erant, haec ex castanea materia. *Plin. lib. 14. cap. 21.* Horum etiam meminit his verbis Plinius: Magna est collecto iam vino differentia in cella. circa alpes ligneis vasis condunt, circulisque cinguntur, atque etiam hyeme gelida ignibus rigorem arcent. Haec ille. Neque verò pluribus explicare oporteret huiusmodi doliorum, aut formam, aut magnitudinem, cum omnibus ferè orbis regionibus, ae gentibus nota sit, vtpote marinis transuectionibus conueniens, & ab omnibus ferè nautis receptissima eodem nomine censetur. Hoc autem vno Romana botte ab alijs distat, quod illa quaedam certa mensura est, reliquae non ita, sed suis quaeque mensuris coaequantur. Continet igitur botte octo bariles, idque communi vsu receptum est, in emptionibus, venditionibus, stipulationibus, alijsque commercijs omnibus, vt, pro botte, octo intelligant bariles. Atque haec de liquorum mensuris dicta sufficiant. Quoniam, quae ad pondera spectant, satis nunc esse arbitramur, si aliquam mensuram ex singulis generibus pondere examinauerimus. Quod verò ad frugum mensuras spectat, seorsum singulae examinandae sunt; non enim id contingit in his, quod in praecedentibus, vt eaedem sint Romanorum, quae Hispanorum mensurae, nomine tantum diuersae.

Aridorum mensurae Romae sunt rublum, quarta, scortium. alias namque harum diuisiones minimè ad haec nostra studia spectare duxi. Rublum igitur mensura est, quae à validiori equo non longo itinere portatur, vt frequenter solet Romae, & à pistorum, & à ciuium domibus ad pistrinum, vel hydromylum portari. Quapropter, quamuis in omnibus commercijs frumentum, hordeum, aliaque legumina in magna quantitate rublis computentur, nulla tamen certa mensura rublum est, quae videri possit, aut qua aliquid mensuretur: esset enim tam magnae molis, vt moueri vix posset ad metiendum. Ex quo factum est, vt rublum in quattuor partes diuisum, quartas constituat totidem, quibus tota Vrbe frumentum mensuratur. Sed certam quandam, ac definitam rubli mensuram habere, nedum scripto proferre difficilè est. Duplex enim rubli in ipsa Vrbe vsus; in campo enim, quem vocant Florae, rublum scortia continet viginti; alibi verò per totam Vrbem ex eisdem scortijs rublum continet duo & viginti. Id, quod non ex varia quartae mensura procedit, sed ex vario modo mensurandi. Accedit his etiam, quod mensurarum forma nulla Romae reperitur aequabilis, quadrata, vel parallelepipeda, vel cylindrica, vel pyramidalis, aut eiusmodi, cuius lateribus, aut basibus mathematica ratione expensis, certa mensurae eiusmodi soliditas posset haberi, vt cum antiquis mensuris absque sensibili erroris differentia posset conferri. Quapropter, diu, multumque Romae laboraui, fateor, vt hac me solicitudine, & cura liberarem. Bilancem, ac pondera prius tantae magnitudinis comparaui, vt plenam frumento quartam hinc, inde verò aequale pondus posset sustinere: cumque semel, ac saepius quartam expendissem, tandem comperi, me in re incerta certitudinem quaerere. nam illi, qui frumenta mensurant, possunt quidem sine maxima differentia rubla frumenti plura mensurare: at vnam, eandemque quartam eodem frumento bis ita complere, vt vna alteri pondere, sine librae vnius, aut plurium differentia respondeat, vix, aut ne vix quidem praestate poterunt. Tandem, vt alia multa experimenta silentio praetermittam, incidit mihi consilium bonum, vt ad capita fontium venirem, atque primam illam mensuram exquirerem, quae reliquarum est norma. Atque ad praeteriti saeculi supremum annum, annique finem, in thelonio, quem locum vulgo duana vocamus, apud publicum mensurarum exactorem reperi aeneum quoddam vas oblongum oui forma, quod totum profundiorem ratem referebat, haud dissimile quartis lignеis, quae Romae passim à frumenti baiulis circumferuntur. quod aeneum vas leuiter milio plenum, ac regula radula abrasum, reliquis omnibus Vrbis quartis modum praescribit, & capacitatem. Quo viso, fateor, mox in spem erectus sum ad eam, quam cupiebam certam rubli mensuram, perueniendi, cum viderem vas illud aqua impleri posse, atque ita exigi, vt in mathematicis notaui. Igitur vas illud aqua bene dilutum, & inanitum ita constitui, atque firmaui, vt eius orificium omni ex parte libratum persisteret, ac mox vitream illam ampullam, quam examinando Farnesiano congio adhibueram, ad signum vsque colli aqua plenam toties in vas illud effudi, donec interiorem orificij angulum aqua ipsa omni ex parte contingeret, neque excederet. id quod semel, atque iterum pluribus ingeniosis è nostra Societate viris praesentibus, & numerum sextariorum computantibus, factum est, donec, omnium probante testimonio, quarta rubli Romani sextarios aequos continere deprehenderetur tres & viginti supra centum. Qui sextariorum numerus quater assumptus dat rublo duos & nonaginta supra quadringentos sextarios. Hic rursum numerus per scortia duo & viginti diuisus scortio tribuit duos & viginti sextarios, cum quattuor insuper sextarij vndecimis partibus. Cumque sextarij quantitas, & ad alias mensuras proportio nota sit, nota etiam nobis esse poterit omnium mensurarum frumenti ratio. Quod verò ad rubli pondus spectat, vix statui potest, cum, propter frumentorum diuersissimas qualitates, vix vnius pondus alterius ponderi respondeat. Verùm, auctore Peto, rublum scortia continens duo & viginti, librarum sexcentarum esse statuitur. Sed cum nota iam nobis sit rubli capacitas, qua ratione cum antiquis Romanis conferatur, facillimum etiam erit statuere, quantum rublum cuius pendeat ex eo frumento sextarij pondus notum fuerit. & haec de Romanis aridorum mensuris in vniuersum dicta sufficiant.

Mensurae porrò, quibus fruges metiri consueuerunt Hispani, sunt cahiz, faneca, celemin, medio celemin, quartillo. Harum prima non omnibus Hispaniarum prouincijs eadem: ego verò de illa mensura agam, quae Baeticae prouinciae, ac Toletanae communis est. In his igitur prouincijs cahiz continet fanecas duodecim; neque est vlla certa mensura, quae cerni possit, cahiz, sed certus quidam mensurarum modus, quem maximis frumentorum commercijs solent adhibere. Vnus verò cahiz à binis fortissimis

BOTTE botte

RVBLVM equi onus non longè portandum.

QVARTA frumenti.

RVBLVM duplex Romae.

QVARTA Romana quae, & quomodo expensa.

Notatu lib. 1. huius partis. c. 5. propos. 15

Supra lib. 2. huius par. cap. 11.

QVOT SEXtarios continet rublum.

123 / 4 / 492

$492\frac{1}{22}$ $\frac{4}{11}$

Luc. Pet. lib. 4. de mens.

RVBLI PONdus librae sexcentae.

CAHIZ duodecim continet fanecas.

mis equis non longo itinere, sed per vrbem hinc inde asportari consueuit. Faneca mensura est per totas Hispanias non nomine solum, sed certa, ac lege sancita magnitudine eadem, quae Betico frumento plena appendere ferè semper solet vn quintal, vox est ab Hebraico, vt dixi, ככר cicar deducta, centum Hispanicas ponderis libras, Romanas viginti quinque supra centum pendens; tanto enim, quàm Hispanica minor est Romana libra. Sed de frumenti pondere infra.

FANECA eadem per totam Hispaniam.

Nunc verò, quod ad mensurarum collationem spectat, faneca continet celemines duodecim. Mensura verò, qua frumenta nostri metiuntur dimidia, faneca est, rectis asseribus compacta, ansisque ligneis hinc inde constans, vt postquam radio abrasa fuerit, ab vno homine commodè in os sacci ab altero expansi effundi facilè possit, ita vt nihil ex mensura frumenti effundatur. neque alia maior mensura solet adhiberi propter commoda, quae mediocris mensura afferre potest, ac solet. Continet verò faneca celemines duodecim. Porrò celemin bifariam diuisus duas dat vsu receptas mensuras, quas vulgo medios celemines vocant. Haec autem mensura fieri plerumque solet quadratis basibus parallelepipedi figura, cuius altitudo minor est quolibet quadrati latere. Id quod maturo consilio factum fuisse conijcio. Sunt enim quamplurima, quae abrasa mensura venduntur, cuiusmodi sunt triticum, hordeum, & similia. Alia verò venduntur in cumulum aucta, vt farina, furfures, & alia. & quoniam quo latior est mensura, eò magis eiusdem mensurae cumulus solet excrescere, ideo mensurae latiores fiunt, vt ementium commodis, quibus ferè semper insidiantur vendentes, aliqua ex parte prouideatur. Huiusmodi igitur mensuram nacti apud Sanctum Laurentium in Schoriali, vbi primùm has mensuras examinare coepimus, ac deinde Mantuae Carpentanae reperi latus quadratum basis interioris medij celeminis fuisse lineam A, eiusque altitudinem lineam B, inter quas duas lineas reperi [a] duas alias medias proportionales, B, & C; ex quibus recta C, iuxta demonstrata [b], latus est eius cubi, qui praedicto medio celemin aequalis est. Qua linea mediante, facillimum fuit Hispanicas frugum mensuras cum antiquis conferre. Nam in primis instrumentum augendorum corporum, quod suprà exposuimus [c], ingressi sumus. atque super centro A, iuxta quantitatem lineae C, atcum descripsimus, atque obseruauimus eiusmodi arcum semicirculum aquae A, abscidisse praecise in linea septem librarum. Atque iuxta demonstrata [d] affirmauimus, medium celeminem aqua plenum libras septem pendere. His verò non contenti, experiri quoque voluimus ea, quae demonstrationibus certa futura esse cognoscebamus: non quod de eisdem dubitaremus, sed vt ea perfrueremur voluptate, quam animis affert respondens scientiae experimentum. Igitur inanem cubum nuceis tabulis bene compactis fieri curauimus, iuxta

DIMIDIA faneca communis mensura est.

MEDIO Celemin, eiusque forma, & dimensiones.

a *Lib. 1. huius partis cap. 3. propos. 11. vel 12.*

b *Cap. 5. eiusd. libri prop. 6.*

c *Supra lib. 1. huius partis. cap. 5. in fine.*

d *Ibi propos. 31.*

MEDIO Celemin aqua plenum septem libras pendet.

A quantitatem lineae C, neque pro votis successit mensura; quamuis enim altitudine, latitudineque par fuisset lineae mensura, id consequi non potuimus, vt longitudine par esset, sed latum quidem vnguem maior. eam igitur mensuram aqua plenam semel atque iterum Romae appendi, & comperi, libras Romanas septem, vnciam vnam semper pependisse. Ex quo facilè conieci, mensuram, si omni ex parte aequa euasisset, libras septem ex aequo pensuram fuisse; atque hanc semper rationem medio celemini tribuimus in sequentibus tabulis. Neque ab hac sententia dimoueor, etiam si legerim nostrum Marianum hac de re sic scripsisse: sequitur modius noster, seu celemin, eiusque partes semodius, & modij quadrans. Continet autem ex liquidis modius noster sextarios Toletanos (sic vocat eam mensuram, quam Hispano sermone nos suprà quartillo appellamus) omnino decem, semodius quinque; quadrans modij continet duos sextarios nostros, & semis. Sic idem modius Romanos sextarios octo continet, semodius quattuor, quadrans nostri modij duos Romanos sextarios capit. Haec ille. qui cum aqua mensurauerit Hispanicas frugum mensuras, neque à nobis in aquae sextarij, aut quartilli pondere discrepet, modica sanè vnciarum differentia à nobis discrepat, in celeminis quantitate, eiusque pondere explicando: nam binos Romanos sextarios quartae tribuit celeminis parti, quadraginta videlicet vncias aquae, medio celemini octoginta. At septem aquae librae, quas medio celemini damus, vncias continent quattuor & octoginta, hoc est quartam partem eius mensurae liquorum, quam suprà quartillo appellauimus. Hoc igitur quartillo aqua pleno mensuraſse videtur Mariana medium celeminem. In quo mirandum non est, si tres quartas quartilli partes, quas tandem effuderat, post binos effusos in quadrante modij quartillos, pro dimidio acceperit. Atque haec de Romanis, Hispanisque nostris liquorum, ac frugum mensuris dicta sufficiant. quae ipsa reliquarum omnium mensurarum collatione magis erunt perspicua.

P. Marian. lib. de pond. cap. 13.

DE PONDERE RERVM, QVAS METIMVR; *deque eius inuestigandi commodis. Cap. XXI.*

QVAE hoc capite examinanda proponimus, eò potissimùm spectare videntur, vt firmemus, quae de Romano sextario, eiusque ad alias mensuras proportione hactenus diximus. ita enim, quae perspicua sunt, difficultatibus obuoluuntur à multis, vt nouas oporteat instituere disputationes, quibus eorum dubitationibus, aut dubitandi votis fiat satis; seu potiùs, vt veritatis indagatoribus fax praemittatur, vt videant, quàm sit ab eiusmodi cauendum difficultatibus. Igitur in memoriam reuocanda sunt priùs ea, quae de rerum pondere sollerti examine nos ipsi experti sumus, quae satis suprà inter mathematicas rationes explicata sunt, quaeque quasi quoddam fundamentum futura sunt eorum, quae deinceps sumus dicturi. Hoc verò capite Scriptorum testimonijs probare decreui, quae ibi experimentis comprobata sunt, & tum experimenta illa, tum etiam testimonia ad mensuras examinandas aptanda sunt. Igitur, quod ad metalla spectat, vnicum tantum, & de vno argento viuo testimonium apud antiquos Scriptores reperio, sed eiusmodi est, vt vel vnum possit, non modo reliqua confirmare, quae de metallis dicenda, aut dicta sunt; verùm etiam Hebreas mensuras explicare omnes, nedum Romanas, aut Graecas. Est autem huiusmodi testimonium ex Vitruuio desumptum, qui cum minij rationes explicaret, argenti viui, ex quo fit, naturam, & pondus explicat illis verbis:

Supra lib. 1. huius partis prop. 16.

Vitruu. lib. 7. cap. 8.

Foditur enim, inquit, gleba, quae Anthrax dicitur, &c. exemptis glebis, guttae eae, quae residebunt, propter breuitates non possunt colligi, sed in vas aquae conuertuntur, & ibi inter se congruunt, & vna confunduntur. Eae autem cum sint quattuor sextariorum mensurae, cum expenduntur, inueniuntur esse pondo centum. Haec ille. Quibus, quàm è re nostra loquatur Vitruuius, mox ostendam. Primum enim quattuor sextarios expendit, non vnum, aut aliam aliquam mensuram Romanam. nos verò iam satis suprà ostendimus Graecorum choenicem quattuor fuisse Romanis sextarijs parem; cui etiam mensurae aequalis quoque ostensus est Hebraeorum eabus. Vnius igitur mensurae pondus nobis explicat Vitruuius, non plurium, quam tamen maluit Romano more quattuor appellare sextarios, quàm Graeco choenicem. Deinde certum, & perfectum huius mensurae pondus definiuit illis verbis, pondo centum. Ex quo tandem ipsius mensurae rationem ostendisse videtur, cum argenti viui pondus, vt dixi, non multum variet. Quod qua tatione probari in instrumento nostro possit, mox apparet. Nam si ibi obserues semicirculum A F, vbi is secatur ab arcu, cuius semidiameter est A E, iuxta ibi demonstrata, latus cubicum est argenti viui, libras centum viginti quinque pendentis; quod si ibidem diligenter obserues lineam centum librarum,

QVATTVOR sextarij argenti viui, libras pendent centum.

cap. 7. & 13. huius libri.

Lib. 1. huius partis cap. 5. ad finem.

quae ab eodem semicirculo intra ipsum absconditur, eam dices esse latus cubicum choenicis, aut cabi. Sed suprà etiam ostensum est, latus cubicum choenicis, aut cabi aequale esse palmo Hebraeorum; vel, quod idem est, palmum cubicum Hebraeorum aequalem esse cabo: igitur linea illa, quàm in instrumento inuenisti, dabit tibi palmum Hebraeorum, qui est sexta pars cubiti sacri: quare, si illum sexies in eadem linea continuo accipias, optatum habebis Hebraeorum cubitum; atque adeo omnes Hebraeorum, atque aliarum gentium mensuras, vt mox ostendam.

LATVS CVBICVM choenicis, aut cabi, quomodo inueniatur in instrumento. *Supra cap. 18. huius.*

Iam verò si reliquorum metallorum ad argentum viuum proportio expendatur, illa quoque, quae in demonstrandis rebus mathematicis ad mensuras explicandas assumebantur, hic facilè poterunt demonstrari. Nam si tabulam ingrediaris proportionis metallorum, quam suprà apposuimus, argentum viuum inuenies ab auro sesquiquarta proportione superari. hoc est, si idem cubus inanis argento viuo, atque auro solido compleatur, & expendatur, hoc illi praeponderabit quarta ponderis illius parte. Cumque cabus, aut choenix cubica argento viuo plena, centum pendeat libras, eadem choenix, si auro compleatur, quinque & viginti libras suprà centum ponderabit. Ex quo fit, vt si ex centro A per terminum lateris choenicis, hoc est lineae centum librarum, quae à semicirculo A F abscinditur, arcus ducatur, iuxta demonstrata, is ad punctum E debet peruenire, cum ex demonstratis ibidem linea A E, sit latus cubicum auri talentum, hoc est Romanas libras centum vigintiquinque pendentis. Quae quidem omnes proportiones maximè obseruandae sunt, vtpote valde confirmantes ea, quae diximus, atque dicturi sumus de omnium mensurarum, ac ponderum proportione. Hoc verò, quod ex proportione auri ad argentum viuum colligitur ad choenicis pondus pertinens, idem ex eadem proportione in alijs quoque mensuris poterit probari. Neque id tantum in auro praestari poterit, sed & in alijs rebus omnibus, quae expensae iam à nobis sunt. Quae quidem experimenta, & probationes, quas allaturi sumus, Scriptorum sententias poterunt confirmare, vt ab eisdem nostra experimenta confirmantur.

Lib. 1. huius partis cap. 5. propos. 16. tab. 3.

CHOENIX auro plena, centum viginti quinque libras pendet.

Demonstrata prop. vltima, cap. 5. lib. 1. huius partis.

MIRA PONderum, ac mensurarum proportio.

NOSTRA experimenta, rationes, Scriptorum sententiae in idem confluunt.

Et primùm, aquae, vel vini, olei, mellis, nota sunt superiore capite apud Scriptores pondera; cum vini sextarius vncias viginti pendere dicatur, olei octodecim, mellis triginta. Frumentum porrò ostensum est libram vnam in singulos sextarios pendere. Frumenti verò pondus Plinius definiuit: nam, dum tritici diuersa genera enumerat, haec addit: Nunc ex his generibus, quae Romam inuehuntur, leuissimùm est Gallicum, atque è cheronesso aduectum, quippe non excedunt in modium vicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Haec ille. Huius igitur frumenti pondus, tum ab ipso Plinio, tum ab alijs Scriptoribus in examinandis frugum mensuris adhiberi solet. Quod afferendis exemplis fiet omnino manifestum. Sed priùs logistica supputatione videndum est, quot vnciae sextario respondeant, quot drachmae cyatho, iuxta praedictum frumenti pondus. Diuidamus igitur in primis libras modij viginti per sexdecim eiusdem modij sextarios, & obuenient singulis sextarijs librae singulae, cum quarta insuper librae parte. eruntque omnes sextarij vnciae quindecim. Id quod saepius Romae expendi, diuersa-

Plin. lib. 18. c. 7.

FRVMENTI Romani pondus.

$20\frac{1}{2}\frac{1}{16}$

15 | 1 3/4
12

que frumentorum genera in sextario appendi, & comperi, fere ex aequo quindecim vncijs respondere. Quapropter, quamuis olim hoc fuisset leuissimum frumenti genus, nunc arbitratus sum esse commune Romanorum frumentum, eoque deinceps, vt in superiori fecimus, vsi sumus; quod & ab alijs, Romani nomine, distinximus. Neque hoc tantùm nostro experimento ducti quindecim vncias tritici sextario tribuimus; verùm etiam communi Romano vsu, quem suprà Peti testimonio confirmauimus. Asserit enim, rublum frumenti frequenter sexcentas libras pendere; rublum verò ostendi sextarijs antiquis compleri quadringentis nonaginta duobus, cui numero si quartam insuper sui partem addas, hoc est, si illum multiplices per libram, & quartam librae partem, quam pendet, vt dixi, tritici sextarius, obuenient rublo quingentae nonaginta quinque librae, quae à praedicto sexcentarum numero, quinario tantùm deficit, quod non est curandum. Habet insuper sextarius cyathos duodenos: diuidamus rursus quindenas vncias per duodenos cyathos, & ostendent, cyathum frumento plenum vnciam vnam pendere, cum quarta insuper vnciae parte; quem numerum, si ad octonas vnciae drachmas reuocemus, facilè comperiemus, frumenti cyathum drachmas pendere decem.

SEXTARIVS frumento Romano plenus quindecim vncias pendet, rublum ferè sexcentas.

Cap. praecedenti.

492
123
595

8
1 1/2
10

FRVMENTI cyathus drachmas pendet decem.

Et de hoc frumenti cyatho, non de alio aliquo loqui Plinium eredendum est. sic enim scribit: Cyathus pendet per se drachmas decem: cum acetabuli mensura dicitur, significat heminae quartam partem, ideſt drachmas quindecim. Haec ille. quae plures Scriptores vehementer torquent; &, cùm verum loci sensum rimari nullatenus possint, varios sextarios, varias vncias, mensurales alias, alias ponderales, aliaque id genus portenta meditantur. Quapropter viam sibi faeilem, ac planam ad haec omnia Scriptorum loca interpretanda aperiet lector, si hoc vnum semper ob oculos ponat, quod & verissimùm est, & superioribus exemplis satis superque probatum, antiquos illos Scriptores rerum pondera in promptu habuisse, quantumque singulae mensurae singulis rebus plenae penderent, maximè perspectum: idque non vno, aut altero experimento, quod fallax esse solet, vt dixit Hippocrates, erroribusque obnoxium, sed communi vsu, atque omnium ferè ciuium testimonijs: haud seeus, quàm hodie Romae, & vbique gentium notissimum esse solet frumenti pondus; vtpote quod cum ad locum, quo triturandum est, mittitur, non mensura modò exigitur, sed pondere, vt cum in farinam fuerit conuersum, pondere expendatur, num priori frumento ex aequo respondeat, id quod mensura praestare vix, aut ne vix quidem posset, cum farinae moles maior sit mole eius frumenti, ex quo facta fuit. Id quod haud secus accidisse credendum est antiquis illis florentis Romanae Vrbis incolis, quibus vini, frumenti, olei, mellisque pondera, tam in sextario, quàm in eius partibus, atque alijs mensuris notissima erant. Quapropter cum de cyathi pondere loquebantur, omnibus erat notum, cuius rei cyathus eiusmodi ponderi responderet: idemque de sextario, atque alijs mensuris intelligendum est. cuius rei haud contemnendum extat apud Fannium exemplum, sic de cyatho scribentem, post enumeratas mensurarum proportiones.

RERVM pondera antiquis Scriptoribus in promptu semper fuerunt.

Hippocrates aphor. 1.

NOTISSIMVM est vbique frumenti pondus.

Sed de abaco nobis id pondus saepe notatur:

A *Bis quinque hunc faciunt, drachmae si appendere tentes.*

Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad illas.

Quae verba de frumenti pondere intelligenda esse allata, Plinij testimonia, eiusque explicationes facilè probant. Nam & de liquorum pondere paulò inferius sic scribit:

Illud praeterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios seruare liquores:
Nam librae, vt memorant, besses extarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyaei.

AQVAE, VINI, & aceti, idem pondus.

Ecce viginti vncias pendere sextarium tradit aqua, vel vino plenum; eiusdem verò ponderis acetum esse tradunt Scriptores, ac praecipuè Galenus, id disertis verbis significans, dum ait: Aceti heminas sex, quae valent libras quinque. Haec ille. quinque verò librae sexaginta continent vncias, quae per senas heminas partitae, singulis denas dant vncias, atque adeo sextario vicenas, vtpote binas heminas continenti. Sed & de oleo, ac melle sic Fannius.

Gale. lib. 2. de compos. medi. per gen. in fi.

B

Addunt semisses librae labentis oliui:
Selibramque ferunt mellis supereſſe bilibri.

Sit igitur perspecta Fannij sententia, asserentis cyathum frumenti drachmas decem pendere, atque adeo sextarium vncias quindecim, olei octodecim, hoc est sesquialteram libram; vini, vel aquae vncias viginti, hoc est libram & besse; mellis vncias triginta, hoc est libras duas cum dimidia. Quae omnia assensu, atque receptis probatorum Scriptorum testimonijs probanda esse testatur idem Fannius, non verò fallaci cuiusque experimento. sic enim ait.

C

COMMVNI Scriptorum assensu rerum pondera, non fallaci vniuscuiusque experimento credenda sunt: *Cleopat. lib. de munditijs.*

Haec tamen assensu facili sunt credita nobis:
Namque nec errantes vndis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes par pondus habent: non denique vina
Quae campi, aut colles nuperue, aut ante tulere.

Huic porrò sententiae subscribit Cleopatra, ea scribens, quae de frumenti pondere, non de alio intelligenda sunt. Cyathus, inquit, habet drachmas decem, scrupulos triginta, obolos sexaginta, thermos nonaginta, siliquas centum octoginta, chalcos quadringentos octoginta. Est & cyathus heminarum sexta. Hemina mensura quidem continet cyathos sex, pondere verò drachmas sexaginta, vncias septem semis &c. Xestes mensura habet heminas duas, pondere drachmas centum viginti. Vocatur ab Aegyptijs Inium. Acetabulum habet heminae quartam (sic legendum censeo, non heminas quattuor, vt habent corrupti codices) & sesquicyathum: pondere autem drachmas quindecim. Haec ibi. quae, vt dixi, manifestè tradunt frumenti pondus; sextario nimirum drachmas centum viginti, hoc est vncias quindecim, heminae septem cum dimidia, & sic reliquis proportione mensuris sua pondera respondent.

D

GALENI locus explicatus.

Iam verò difficillimum Galeni locum, quique omnium huius disputationis difficultatum seminarium quoddam hactenus fuit, explicare non erit difficile. quo explicato Romanae politiae exactio adhuc magis erit in promptu. Galeni locus sic habet. Sextarij autem Romani Heram meminisse arbitror: nam Athenienſibus, neque mensura, neque nomen hoc erat; nunc vero, ex quo Romani rerum potiuntur, sextarij nomen omnibus, qui Graeca lingua vtuntur, exstitit: at ipsa mensura Romanae aequalis non est. Alius enim alia sextarij mensura vtitur. Quippe sextarius apud

Gal. lib. 5. de compos. med. secundum gener. cap. 16.

E

Ro-

Romanos libram vnam, & dimidiam, & sextam ipsius partem capit: vt vnciae vniuersae sint viginti, quas plerumque in cornibus, quibus in orbem ductae quaedam lineae sunt extrinsecus incisae, metiuntur. Hactenus Galeni verba, si de vini pondere loquutus intelligatur, nulli erunt obscura: pendet enim vini sextarius, vt pluribus probatum est, vncias viginti. Atque adeo cum vinum perlucido corneo vase mensuraretur, facilè potuit in viginti illas vncias extrinsecus diuidi: infusis namque seorsum in vas illud vini vncijs singulis, notari potuit vnius, duarum, & reliquarum terminus. Ex quo illud primùm constare poterit, qua ratione ex

VNCIAE mensurales ponderalibus respondent.

ponderalibus vncijs factae sint mensurales. nam si alio quocumque liquore plus, minusve ponderante quàm vinum, cornu illud impleretur, liquor is etiam in vncias viginti diuisus intelligeretur, non quidem ponderales, cum, vt dixi, plus, minusue, quàm vinum, pendeat, sed mensurales. Hoc igitur ipsum, quod de vini sextario factum fuisse diximus, & de olei sextario, deque eius medietate hemina factum quoque fuisse credendum est, sed diuersa plane ratione. Sextarius namque olei vncias octodecim pendet, hemina verò nouem: quapropter, & in cornu illo, quo sextarium olei metiebantur, octodecim vnciae, non viginti diuisae fuerunt. in hemina vnciae nouem signabantur. Et quidem, quae hactenus

CORNV VIni sextarius in vncias viginti, olei verò in octodecim diuidebatur.

proposita sunt, cuiuis esse poterunt in promptu. illud videtur maiorem inuoluere difficultatem, quod heminam, vtpote communem mensuram, medicisque eius tempestatis maximè vsitatam, Romano more quasi quoddam totum libram vocabant, quam, sicut reliqua omnia eodem nomine nuncupata, in duodecim quoque vncias diuidebant. Qua ratione sextarium, qui dupli constat hemina bilibre cornu vocat Horatius.

Festos Albatus celebret, cornu ipse bilibri.

Horat. lib. 2. satyra 2.

Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

Eodemque nomine Plautus sextarium censet, dum ait.

Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados,
Ea saepe decies complebatur die.

Plaut. in milite.

Sed & huius rei testis, & auctor est Galenus. Est autem, inquiens, apud ipsos Romanos mensura, qua oleum metiuntur, interfecta linea diuidentibus totum in duodecim partes: atque mensura integra vocatur ab eis libra, duodecima eius pars, vncia. Ac ne de mensura ipsa ambigeremus, eam alibi magis explicat, dum ait: Esto autem & hemina ipsa Italica, quam vtique libram nominant. Atque iterum haec de Andromacho scribit: Quot enim vnciarum Romanae librae heminam esse velit, non explicuit: etsi melius erat, hominem, qui Romae degerat, librarum, sextariorum, & vnciarum meminisse; relinquere autem cotyles, idest, heminae vocabulum Graecis ciuitatibus extra Italiam vsitatum. Si ergo in omnibus ipsis idem nomen heminae esset, nulla vtique foret quaestio: nunc verò, cum permagna quantitatis inter eas sit differentia, conueniebat ipsum monere, se vel Atticam, vel Alexandrioticam, vel Ephesiam, vel aliam quampiam heminam dicere. nam permulti, qui de mensuris, ac ponderibus scripserunt, nouem vncijs Romanae librae heminam, medicos in pharmacorum libris aestimasse produnt: alij duodecim vncijs ab eis reputari affirmant. Hactenus Galeni sunt verba, quae vncias Romanae librae, hoc est ponderales

Gale. lib. 3. de comp. med. secun. gen. c. 8.

Gal. lib. 4. de sanit. tuen. cap. 8.

Gal. lib. 6. de composi. med. per gen. c. 8.

A nouem olei heminae tribuunt; mensurales verò vncias duodecim. Eadem porrò idem Galenus paulò inferius explicat his verbis. Ego sane olei libram Romae vocatam, quam per incisuris distincta cornua metiuntur, ponderaui quandoque, discere cupiens, quantum grauitatis pondus contineret, inueni duodecim olei mensurales decem vncijs ponderum aequales. Mendum textui irrepsisse putarem, ac, decem vncijs, scribi, pro nouem: cuius coniecturae haud leue argumentum desumere lector poterit ex eo, quod cum in sequentibus plura de hemina nouem vnciarum tradat, aut de duodecim, nihil verò ampliùs de hemina vnciarum decem: subdit enim: Etenim si nouem vnciarum mensuralium mendum est, quod duplici ratione corrigi posset, vel dele, mensuralium, aut potius, quod magis sit verisimile, substitue, ponderalium, singulas heminas esse statueris, ex tribus septem & viginti vncias produces: si in octo denarios quamque vnciam diuidas, denarios ducentos & sexdecim habebis. si duodecim vncijs singulas heminas aestimes, sient nimirum sex & triginta vnciae, denarij vero ducenti octoginta octo, singulis vncijs in octo denarios diuisis. Expertus sum ego plerumque, cum argenti spumam ex oleo coxissem, immoderatam ipsius misturam librae quidem argenti spumae ponderali; mensurali vero olei parem fieri. Haec ille. Quae omnia alia Galeni testimonia explicare facilè poterunt, & in primis ea verba, quae priori ex allatis locis subijciuntur, quae sic habent: Nonnulli falso Romanum sextarium opinati sunt octodecim mensurales vncias capere. Bene quidem sic opinantes redarguit Galenus, cum octodecim sextarij vnciae ponderales sint in oleo, non mensurales. subditque. Videtur igitur & Heras, cum heminam scribit, sextarij dimidium indicare, num vero nouem vncias ex librali cornu, an decem innuat, etiamnum ignoratur. Haec ille. quae si ita accipiantur, vt, cum decem vncias ponderales heminae tribuit, de vini hemina locutus intelligatur; cum verò nouem, de olei hemina, perspicua sunt: si verò de eadem olei hemina, vix poterunt percipi, nisi & tanta putetur esse posse olei ponderis differentia, vt puri hemina nouem exaequetur vncijs, crassioris verò pondus decem sit vnciarum. Illud porrò difficile explicari poterit, quod nonnumquam idem Galenus heminae sexdecim videtur adscribere vncias. quem, si Latinè scripsisset, facilè putarem, heminam pro mina scripsisse, aut id librarij ignauia contigisse. Sed cum Graecè non heminam scribat, sed vbique κοτύλην cotylin, id qua alia ratione intelligendum sit, ne secum pugnet ipse Galenus, non video, nisi de alia, quam olei hemina locutus intelligatur. longè enim diuersa sunt rerum pondera, & apud ipsum Galenum saepius explicata, vtpote qui sic scribit: Cedri baccarum sextarios sex; habeat vero sextarius vncias octo. Et iterum. Ex Graeco sic licet conuertere: siculnei cineris sextarium, qui pendet vncias tres. Haec ille. Sed omissa loci illius difficultate, ad institutam disputationem reuertamur.

Gal. ibid.

VNCIAS ponderales à mensuralibus quomodo distinguat Galenus.

GALENVS emendatus.

HEMINA olei decem continet vncias mensurales, quia par est heminae vini, ponderales verò vncias nouem.

ALIA RErum pondera à Galeno explicata.

Constans sanè est Galeni sententia, asserentis, olei heminam, quae & libra mensuralis dicitur, atque in duodecim diuiditur vncias, nouem vncias librae Romanae, hoc est ponderales pendere. At verò locus quidam Galeni, quo & à se ipse, & ab omni disentit experimento, & ratione negotij non parum, confusionis satis, erroris multum faceſſit. Is enim Heram, & Heraclidem de eodem medicamento diuersa scribentes concordare conatus, plurium etiam Scriptorum discordias peperit, neque illorum concordiam est assecutus, nisi & nos

Lib. 9. de com pos. pharmac. secundum loc. §. cynoglossae manipulus.

Lib. de comp. med. per gen. cap. 16.

quàm

quam ipse ingreditur concordiae viam non assequimur. Sic enim habet: Heras centum octoginta denarios drachmas intellige posuit, ad pondus, non mensuram oleum reducens, tanquam hemina denarios sexaginta pendente. Nam Attica nouem Italicas vncias conficit: pendunt enim nouem Italicae vnciae, quas in cornibus infectis metiuntur, septem vncias ponderales, & semissem, quae sexaginta denarij fiunt, singulis vncijs octo denarios recipientibus. Quare etiam hic cum Heraclide Heram consentire videas, cum tres heminas iniiciat. Haec ille. Ex quibus falso colligunt recentiores aliqui, sextarium quindecim ponderalibus vncijs exigi, quod verùm quidem esset, si vera essent, quae sonare videntur Galeni verba. At longe à veritate absunt: nam in primis heminae olei septem, & dimidiae vnciae pondus tribuit, cum paulò superiùs nouem vncias ponderales heminae adscripserit idem Galenus, plures alios doctissimos Scriptores, pluraque plurium experimenta sequutus. At dicet forsan aliquis, Galenum de mensuralibus vncijs nouenis loquutum, quibus parem fecit Atticam heminam, easque septenis ponderalibus vncijs cum dimidia pares fuisse. At proportio non respondet; non enim est eadem, vt esse debuisset duodenarij ad nouenarium ratio, quae eiusdem nonenarij ad septenarium, cum decima quarta sui parte. Quamobrem, aut fateri cogimur, Galeni codicem fuisse corruptum, aut Herae, & Heraclidis concordiam non fuisse assecutum. Sed longius forte, quàm par esset, in vno Galeno explicando diuagati sumus, quapropter tantisper respirandum esse duximus, priusquam reliqua persequamur.

Gal. lib. 3. de compos. med. per gen. c. 6.

BATI ET EPHI

AEQVAM LIBRATIONEM

inuestigare docet sanctus Propheta Ezechiel.

Cap. XXII.

OSTENSVM est iam satis, Romanos perspecta semper habuisse rerum, quas metiebantur, pondera: vtpote qui sextario communi frugum, ac liquorum mensurae hordeo pleno libram vnam, vncias videlicet duodecim tribuerent: frumento plenum sextarium quindecim vncijs expenderent; olei octodecim; vini, aquae, vel aceti viginti; mellis triginta, quibus, & Galenus addit siculnei cineris sextarium vncias tres pendere, cedri baccarum vncias octo. Vitruuius insuper argenti viui sextario libras adscribit quinque & viginti. Hoc igitur, quod laudi esse Romanis potuit, Deo ipso auctore, Hebraeorum Reipublicae tribuendum esse, id iam inde à principio, & antequam Romani essent, sacra scriptura nos docet. Nam postliminio reuersis captiuis leges, ac iura tuendae aequitatis indicit Dei Optimi iussu Propheta Ezechiel; & tria potissimùm praecepta, quae suprà recensuimus, iniungit illis verbis. *Ephi, & batus aequalia, & vnius mensurae erunt: vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: iuxta mensuram eorum erit aequa libratio eorum.* Ex quibus quidem praeceptis primum, quo liquorum mensura batus aequalis fieri praecipitur frugum mensurae ephi, satis explicatum à nobis est; fiquidem parem triplicem vtriusque mensurae dimensionem, aequalemque ipsi palmo extensae primi hominis manus fuisse ostensum est. Secundum verò praeceptum, de cori ad batum, & ephi decupla proportione, integro capite pertractatum est. Superest iam, vt tertium explicemus, quo aequa libratio bati, & ephi continetur. Quod quidem praeceptum, aut aliquod frumenti genus inuestigare nos cogit, quo ephi plenum aliquod iustum reddat pondus; verbi gratia talentum, aut liquorem aliquem, quo cum batus fuerit plenus, iustum reddat pondus: aut tandem frumentum oportet inquirere, quod mole, ac pondere liquori sit par.

Supra cap. 18 huius libri.

Atque, vt ordine, ac facili methodo procedamus, de hordeo libuit primum inuestigare: cuius pondus apud Romanos, quod, ac quantum fuerit, iam diximus. nunc verò apud priscos illos patres, initio conditi orbis, etiam ante diluuium, maius quidem fuisse hordei pondus, nemo non credet, at quantum, non facilè statuo: dicam tamen animi mei coniecturam, quam postea rationibus quoque probare conabor.

RES, QVAS mensurabant, pondere quoque expendebant apud Romanos Hebraei.

Supra cap. 9. huius libri. Ezech. 45. ℣. 11.

ANTIQVVS hominis cibus ex hordeo.

Plin. lib. 8. cap. 7.

Et in primis perspectum esse debet, antiquum hominis cibum hordeum fuisse, idque testatur Plinius. Antiquissimum in cibis, inquit, est hordeum, sicut Athenienſium ritus, Menandro auctore, apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearij vocabantur. Haec ille. Quae quamuis perspecta omnibus esse possint, non desunt tamen, qui alijs, atque alijs ducti coniecturis, minimè putent, Plinium de hominum cibo loqui, sed de gladiatoribus, qui ob contemptum hordearij dicebantur, quasi leues, aut iumentorum similes: aut equites hordearios commemorari à Plinio, qui hordeum in militari stipendio etiam accipiebant, quo equos suos alerent. Quapropter, & Festus hordearium aes inquit, quod equiti Romano dabatur pro hordeo, & subaudiunt, emendo, quo equum aleret. Sed Plinium de hominum antiquo cibo loquutum, probat aliud eiusdem testimonium, quod sic habet: Panem ex hordeo antiquis vsitatum vita damnauit, quadrupedumque tradidit refectibus. Eius rei rationem reddere videtur Eustatius, qui aream bene hordeatam ab Homero referri putat, quoniam videtur, inquit, primum hordei fructum fuisse repertum. Sed & Dionysius Halicarnasseus affirmat, Graecos putasse hordeum fuisse frugem vetustissimam; propterea quae hordei primitias in sacris dedisse. Est in eadem sententia Ouidius, qui rudem priscorum vitam agriculturae primum ignaram describens, sic inquit:

HORDEARIJ quare gladiatores dicerentur.

Sext. Pomp. Fest.

PANIS EX hordeo.

1. Iliadum Eustati.

Dionys. Alicar. lib. 2.

Ouid. lib. 2. Fastor.

Farra tamen veteres iaciebant, farra metebant
Primitias Cereri farra recepta dabant.

Far hordeo persimile, & antiquissimum esse putat humani cibi genus, indeque primitias Cereri dari, cuius rei rationem alias reddit in hunc modum interrogans.

FARRA quare immolarentur à gentibus.

Pinguia

Ouid. 6. Fast. *Pinguia cur illis gustentur larda calendis,*
Mistaque cum calido sit faba farre rogas?
Prisca Dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat.
Et, post pauca de tenui, ac simplici eius aetatis cibo enumerata, subdit:
Sus erat in pretio: caesa sue festa colebant:
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quae duo mista simul, sextis (alias festis) *quicumque calendis*
Ederit, huic laedi viscera posse negant.

Superstitiosa haec figmenta, doli, ac vanitatis plena, ex prisco illo veri Dei cultu partim desumpta, diabolicis permista ludibrijs caecas gentes dementabant. Quamuis naturae magis consonam rationem possent ex Plinio desumere, vt Cereri, quam fingebant frugum Deam, hordei primitias deferrent. *Plin. lib. 18. c. 7.* Primum enim, inquit, ex omnibus frumentis, feritur hordeum, cui addere ipsi possent, ac primum maturescit, & legitur. Sed vanissimis superstitionibus omissis, ad historiae veritatem accedamus.

Leuit. 23. ℣. 10. Extat in Leuitico praeceptum Domini huiusmodi: mense primo, decima sexta die mensis, azimorum secunda, manipulus spicarum offerri praecipitur, priusquam liceat segetes metere. At Iosephus, cuius segetis manipulus esset, & offerendi ritus breui praecenset his verbis: *Ioseph. 3. antiq. cap. 10.* Secunda azimorum die, quae est mensis huius decima sexta, frugibus demetis, & hactenus intactis incipiunt frui: aequumque rati, Deum huius vbertatis auctorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hunc modum. Spicarum manipulum igni torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicae modum fracti assaronem ad aram offerunt; inde pugillo vno in eam iniecto, reliquum Sacerdotum vsui cedit: & ex eo licitum sit, publicas, ac priuatas messes metere. Haec ille. Ex quo ritu, atque praeceptis perspicuum esse videtur, hordeum edi tunc ab hominibus consueuisse, praesertim si cum alio Dei praecepto coniungatur, quod huic proximè succedit in Leuitico. *Leuit. 23. ℣.* *Panem*, inquit, *& polentam, & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. Praeceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.* Frustra namque lex prohibuisset ex hordeacea segete panem, polentam, aut pultes, ante primitiarum oblationem edi, nisi vsu receptum fuisset, eisdem rebus post oblatum manipulum vesci. Sed & Ruth quoque Moabitis tria hordei sata collegisse, & sena a Booz recepisse videtur, vt sibi, suaeque socrui pro alimento panis essent. *Ruth 2.* Praedicta quoque confirmantur ex eo, quod Noemi cum Ruth *reuersa* esse dicitur *in Bethlehem quando primum hordea metebantur*: vbi Chaldaeus paraphrastes: Et illae ascenderunt, inquit, in Bethlehem in introitibus diei pischa (hoc est paschatis) & in illo die coeperunt filij Israel ad metendum manipulum eleuationis, qui fuit ex hordeis. Haec ille. Sed & ipsa ciuitas, ad quam reuersae sunt Ruth & Noemi, propterea Bethlehem, hoc est domus panis dicitur Eucherio, & Ruperto, quod panis causa Ruth à Booz nota est.

PANIS HORdeaceus come debatur. Ruth 1. ℣. 22

BETHLEhem domus panis quare dicatur. Eucher. & Rupertus super 1. Reg. 21. ℣. 9. Osee. 3. ℣. 2. supra c. 11. huius libri.

Hunc antiquum cibi morem tenuisse videntur antiqui, hordei coris coementes vxores. Quem morem respexisse videtur apud Oseam Dominus: *Et fodi*, inquit, vel, vt suprà explicabamus, conduxi *eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei*; dati nimirum, quasi pro dote, qua seipsam alere diu posset, ac vitam tueri. Iam verò, si eum his iungantur, quae suprà dicta sunt de bato prima mensura, quae extensa manu commensurata cibum hominis menstruum continebat, facilè dijudicari poterit, eam mensuram hordeo plenam appensam fuisse, eiusque pondus lege firmum, atque statutum fuisse ad reliqua omnia pondera examinanda. Quod quidem pondus כיכר chicar propterea diceretur, hoc est torta, quod pondus esset panis tortae, quae vel vnum hominem lunari mense aleret, vel homines septem & viginti vno die. Hanc porrò nostram coniecturam aliqua ratione examinare volentes, batum è lapide cubica forma quamexacta formari curauimus, hordeo Romae adimpleuimus, ita tamen, vt quattuor illas Euangelicae mensurae conditiones haberet: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem*, atque ita appendimus, & inuenimus talenti pondus reddere: quapropter facilè in eam sententiam venimus, vt arbitrare mur, prioris illius aetatis, ac pinguioris regionis hordeum hoc nostro Romano ponderosius fuisse, ea ratione, qua coagitatus, ac superefluens batus molliter plenum, & abra sum superare potuisset. Atque hoc pondus hordeo Palaestinae, tam in superiotibus, quàm in inferioribus tabulis assignamus.

CHICAR quare dicatur torta, & quando primum fuerit statutum eius pondus.

Luc. 6. ℣. 38.

PONDVS hordei Palaestinae in baro talentum.

Quod verò ad frumenti pondus spectat, lucis non parum huic nostrae disputationi afferre potuissent Plinij de ea re verba, nisi ea ita essent mendis respersa, vt vix, quid sentiat, elici possit: quapropter ad alias rationes, & coniecturas licebit confugere. Ac in primis eiusdem Plinij verba licet referre, qui cum plura frumenti genera retulisset: *Plin. lib. 18. cap. 7.* Leuissimum, inquit, ex his hordeum raro excedit quindecim, sexdecim legendum esse suprà conijciebamus, libras, & faba duas & viginti. Ponderosius far, magisque etiamnum triticum. Ex hoc loco cum antecedentibus, ac subsequentibus eiusdem verbis collato facilè possemus conijcere, far libra vna superasse fabae pondus, triticum item libra vna ponderosius farre fuisse; atque adeo libras in vniuersum pependisse tritici modium quattuor & viginti: quae fusius pertractare nec vacat, neque necessarium esse putamus; confirmari tamen posset alio eiusdem Plinij testimonio, quod sic habet: In Transpadana Italia scio viceuas quinas libras farris modios pendere, circa Clusium & Senas. Haec ille. Si igitur farre ponderosius triticum est, mirandum nulli videri debet, si tritico quaternas vicenas libras ponderis demus, hordeo senas denas, vnde proportionem sesquialteram probemus ponderis tritici ad pondus hordei.

MODIVS tritici quattuor & viginti libras pendet.

Quae quidem sesquialtera proportio verosimilem quandam, ac maximè probabilem rationem ostendet duplicis Hebraeorum bati. Nam si, vt hactenus ostendi, longitudinis mensura, hoc est extensae manus palmo batum primum composuerunt, quem hordeo, hoc est primo hominis cibo plenum appendentes כיכר ciear, hoc est commune pondus, quod talentum vocant, statuerunt, quid mirum, si, postquam triticum in cibum adhibuerunt, mensuram aliam eodem nomine fecisse credamus, quae tritico plena, pondere priori aequalis esset? sed tritici pondus, vt dixi, sesquialterum est hordei ponderi. magnitudine igitur, & capacitate, maior batus minorem continebit, & alteram eius partem: & hoc est pondus, quod hordeo, ac tritico Palaestinae regionis semper tribuimus. Qua ratione conueniens iam patebit

SESQVIALtera tritici ad hordeum proportio.

DVPLICIS bati ratio redditur.

loci

Ezech. 45. ℣. 11.

TEXTVS Ezechielis explicatus.

loci Ezechielis sensus. *Iuxta mensuram eorum erit aequa libratio eorum*, hoc est, sit aequa mensura, sitque aequum, & iuxta legum, & antiquarum sanctionum statuta definitum eorum pondus, nimirum, vt minor batus tritico plenus talentum pendeat, maior verò batus hordeo plenus idem pondus reddat. Et hic est prior loci sensus, quem initio proposuimus. Vetùm is nondum ex aequo Prophetae verbis satisfacere videtur, quibus de bato liquorum, non minus, quàm de ephi frugum mensura loqui videtur.

Quapropter, & batum examinare cogimur, num aliquo liquore plenum iustum reddat pondus. Atque in memoriam reuocandum est, primùm, vina Palaestinae rubra vt plurimum esse,

VINA Palaestinae, vt plurimum rubra. *Deut.* 33. ℣. 14.

ita vt vinum חמר chemer dicatur, hoc est rubrum, atque ob nimiam rubedinem, & crassitudinem simul דם dam, hoc est sanguis, vocetur. Cuius rei celebre extat Moysis testimonium. *Et sanguinem*, inquit, *vuae biberet meracissimum*, hoc est vinum coloris sanguinei. loquebatur autem de ipsa Palaestinae regione, vtpote à Deo populo suo beneficij loco promissae, & donatae; cuius feracitatem, atque pinguedinem illis verbis describit, quod sit rubri, ac pinguissimi vini ferax. Atque huiusmodi vinum, omnium ferè Scriptorum assentiente iudicio, pondere grauius est communi, & albo, sicut substantia crassum magis, & magis colore obscurum. Ego verò vinum hoc mense Martio hic Romae, anno huius saeculi primo, parumper rubore suffusum, appendi, & reperi duabus drachmis, aqua in sextario praeponderasse. Quapropter facile posset vinum aliquod in Palaestina regione reperiri, cuius sextarius vncias penderet viginti, & sextas insuper vnius vnciae partes quinque, hoc est cuius pondus ab vna & viginti vncijs sextula vna deficiat.

72
20 5/6
1440
60
1500
:
1500|125
12

Quod si hoc concedatur, erit vtique batus minor eiusmodi vino plenus pendens talentum: nam si vncias 20 5/6 per 72. sextarios bati minoris multiplices, vncias comperies mille quingentas, quot sunt in talento, quas si per duodecim diuidas, habebis libras centum viginti quinque, Hebraici talenti pondus, quod erat secundo loco inuestigandum. Hinc mox liquet tertium, quia nimirum ephi, & batus eiusdem planè mensutae sunt, si, vt diximus, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem consideres: nec tantùm, sed & eiusdem ponderis, si ephi Palaestinae frumento, batus verò eius quoque regionis vino plenus appendatur; cùm, vt dixi, tam ephi, quàm batus talentum pendeat.

Lib. 1. huius partis. cap. 5. propos. 16.

Atque his ita praelibatis, ea omnia iam satis dixisse crediderim, quae ad probanda pondera metallorum, atque aliarum rerum, quas libro primo huius partis expendebamus, satis esse videantur. Sed quoniam lucis non parum huic disputationi afferre posset, si quemadmodum parati cubi ex singulis rebus confecti pondera singula suprà explicata sunt, ita nunc singulas mensuras singulis praedictis rebus expenderemus, atque id pondus ad singula ponderum genera reuocaremus; vel, vt vno verbo dicam, si mensuras omnes cum omnibus ponderibus ita conferremus, vt mutuam earum proportionem explicaremus. Ideo ne hoc nostro improbo, vt ita dicam, labore, atrocique constantia fraudare lectorem videremur, nullis sumptibus parcere decreuimus, quo ea omnia adderentur, quae ad huius disciplinae exactam, perfectamque tractationem facere possent. En igitur, lector candide, quattuordecim apponimus ponderum tabulas, in quibus omnes omnium antiquorum mensurae, omniaque pondera cum nostris ita conferuntur, vt multiplici examine possit iusta eorum proportio inuestigari. Quod si cui forsan, vt assolet, vel quod minus sit huic disputationi addictus, vel quod non ita multum sit numeris assuetus, superuacaneum hoc nostrum consilium videatur, cum ei superuacaneum & videri, & esse posse non dubitem, monendum sane duxi, vt, his omnibus tabulis praetermissis, ad reliqua progrediatur: siquidem eius censuram non timens, haec omnia apponere decreui; cum scientibus potiùs, quàm ignaris debitorem me esse semper existimauerim. Tabularum porrò fabrica & vsus sequenti capite explicanda sunt, priusquam ipsae tabulae apponantur.

FABRICA, ET VSVS QVATTVORDECIM *subsequentium tabularum, quae ponderum dicuntur.*

Cap. XXIII.

NVLLA alia ratione praestare me posse existimaui, vt quae gratissima fore, & vtilissima lectori possent, proponerem, quàm si has tabulas apponerem, earumque fabricam, & vsum explicarem. Qua enim alia via melius possem, quae sparsim multis quaestionibus, varijsque sententijs implicata pluribus locis proposita sunt, colligere, atque sub vnum aspectum explicata proponere, quàm si in vnaquaque harum tabularum omnes seorsum mensuras, omnia item pondera exponerem; quotque ex his singulis illarum respondeant proprijs numeris ac locis, ostenderem. Ex quo item fiet, vt infiniti propemodum vsus suprà explicati augendorum corporum Instrumenti patescant: cum omnes, ac singuli harum omnium tabularum numeri geometrica ratione in dicto instrumento inueniri, atque examinari, iuxta ibidem demonstrata, facilè possint. Vt igitur ad institutum propius accedamus, exempla quidem fabricandae tabulae in aqua proponere decreui; tum quod ea, vt dixi, parum in pondere variet, tum vel maximè, quod ferè omnes nostrae mensurae aquae pondere examinatae à nobis sunt; nam aquae pondus in singulis mensuris, perspectum, atque in promptu apud omnes Scriptores esse poterat. Quamobrem decimam tabulam semper ob oculos habendam esse monemus huius capitis lectori. Atque in primis de ordine tabularum dicendum est, ne temere videamur aquam decimo loco statuisse, aut à decima tabula exordium

APPOSITI instrumenti multiplex vsus.

Supra lib. 1. huius partis c. 5. prop. vlt.

dium disputationis sumpsisse.

DE TABVlarum ordine.

Est autem seruatus ordo idem, quem rerum natura, & pondus ostendit; nimirum, vt grauiora priùs, ac deinceps leuiora, sicut priùs factum est, expenderentur. Et quoniam rerum omnium grauissimum est aurum, id primo loco statuitur in prima tabula, cui proximè argentum viuum succedit; deinde plumbum, & sic reliqua metalla, atque res aliae. In quo quidem ordine decimum locum obtinuit aqua, à quo remouenda non fuit, quamuis in hac disputatione, & exemplis primum locum, propter allatas rationes, obtineam. Atque hac ratione titulus tabulae explicatus manet: *Tabula* enim *ponderum decima* inscribitur, quoniam in ea pondera examinantur aquae, quae decimum ordine locum obtinet inter res illas, quarum pondera examinamus. Id quod subsequens tituli pars explicat, quae sic habet: *In qua mensurae omnes antiquae, ac nostrae examinantur*. Hoc examen mox apparebit, cum propiùs ad explicandam tabulae fabricam, atque vsus accedemus. *Quotque ex singulis ponderibus singulae aqua, vel vino plenae pendeant, ostenditur.* Id qua ratione inueniendum sit, mox ostendam.

TABVLAE titulus explicatus.

Tabulam igitur ingressi, quattuor in summo transuersae lineae, vel ordines occurrunt, & quinque à dextris columnae à reliquis numerorum columnis sepositae; in lineis pondera, in columnis mensurae statuuntur. In primae lineae, ac primae columnae communi angulo inscribitur: Hebraeorum, quae vox indicat, primae lineae talenta, siclos, obolos Hebraeorum esse, pondera, sicut primae columnae, calamus cubicus, cubitus cubicus, ephi, satum, hin, gomor, cab, log, digitus cubicus Hebraeorum item mensurae sunt. Vbi notandum primo est, quod, cum triplices mensuras proposuerimus, liquorum alias, alias frugum, alias tandem interuallorum, seu longitudinum, & binae priores aquae capaces sint, vel cuiusuis alterius rei ponderandae, posteriores verò minimè, vt hae illis hac in parte fierent similes, cubicae accipiendae fuerunt. Nimirum cum Hebraeorum, vel alterius gentis pedem, aut aliam quamuis mensuram cubicam dicimus tot libras pendere, illud significare volumus, quod si vas cubicum mensura pedis fiat inane, quod aeque longum, latum, altumque sit pede vno, idque aqua impleatur, & expendatur, praedictum dabit pondus, ac librarum numerum.

QVARE CVbicas longitudinum mensuras accipiamus.

In angulo praeterea communi secundae lineae, & secundae columnae, *Graecorum*, legitur, quorum pondera sunt talenta Attica, vnciae, semiunciae, drachmae; columnae verò mensurae medimnus, metreta, pes cubicus, chus, choenix, xeste, cotyle, oxibaphus, mystrum, cyane. Romana pondera eadem sunt, & nostra, quare in eadem scribuntur linea, quamuis diuersis columnis respondeant mensurarum. sunt autem pondera haec, libra, vnciae, semiunciae, scripula, speltae. Antiquae Romanae mensurae; culeus, medimnus, amphora, pes cubicus, vrna, modus, congius, sextarius, palmus cubicus, hemina, acetabulum, cyathus, vncia cubica pedis, digitus cubicus, cochlear. Nostrae autem Romanae mensurae sunt: Botte, rublum, barril, congius, scortium, palmus cubicus, bocal, foglietta, vncia palmicubica. Tandem Hispanica pondera sunt, cahiz, vara cubica, hanega, pes cubicus, arroba,

ROMANORUM pondera. MENSVRAE antiquae.

NOSTRAE.

HISPANICA pondera, & mensurae.

A palmus cubicus, celemin, mediocelemin, açumbre, quartillo de azumbre, paratus cubus, digitus cubicus.

His igitur sic constitutis, de ordine tabulae cogitatum est. Atque in constituendis ordine ponderibus nulla fuit difficultas, cum propter vnciam, eiusque partes, quae omnibus aetatibus, ac gentibus fuerunt in vsu, facilè omnia pondera potuerunt inuicem comparari, & maiora minoribus anteponi. Quod non ita facilè in constituendis mensuris praestari potuit; tum quòd eae diuersi generis sint: aliae enim sola constant longitudine, aliae profunditatem longitudini, & latitudini superaddunt, quae ab alijs, quàm mathematicis bene instructis comparari vix, ac ne vix B quidem possunt. Tum vel maximè, quod cum eae diuersarum gentium sint, multisque saeculis ab inuicem, & à nobis seiunctae, haud ita facilè potuerunt conferri, quin earum singulae plenè essent perspectae, ac cognitae. Verùm haec omnia, quae ita difficilia videbantur, vt vix possent simul comparari, facili quadam, & perspicua ratione praestitit primus tabulae vsus. Nam cum primùm singulis mensuris propria pondera assignata sunt, in Romanis, verbi gratia, libris, ipsi quoque numeri mox ostenderunt, quae essent maiores mensurae, vtpote plures libras pendentes; quae verò minores, paucioribus respondentes libris.

TABVLAE quomodo in ordinem redigantur.

Pondera verò, vt à notioribus exordiamur, C Romana antiqua primùm examinanda sunt. Et amphoram pedem cubicum libras pendere octoginta, suprà, pluribus ostensum est: eius duplum medimnum, centum sexaginta: medimni decuplum culeum mille sexcentas. Esse autem culeum medimni decuplum perspicua ratione constat, cum culeum vicenas amphoras continere ostensum fit, atque adeo denos medimnos continere probetur amphorae duplos. Ad inferiores praeterea mensuras descendendo, vrna amphorae dimidium libras pendet quadraginta. modius amphorae pars tertia libras pendet sex & viginti, cum duabus tertijs librae partibus. congius amphorae octaua pars libras pendet decem. sextarius congij sexta, libram vnam pendet, cum duabus tertijs librae partibus. Quae D omnia computanti perspicua sunt: sequens verò palmi cubici mensura nonnullam inuoluit difficultatem; quoniam, vt dixi, mensura est longitudine tantum constans, atque adeo ad cubicam rationem reuocanda. Verùm facilè poterit eiusmodi difficultas superari, cum nota sit proportio, quàm habet latus cubicum congij, hoc est semipes Romanus, ad palmum, nimirum dupla: quapropter cubus semipedis, hoc est congius, habebit ad cubum palmi proportionem octuplam. Quare si congij libras decem diuidas per octo, aut si denarij octauam partem accipias, quod idem est, ea ostendet, palmum cubicum libram vnam pendere, cum quarta insuper librae parte. Hemina sextarij dimidium quinque sextas librae partes pendet. acetabulum heminae quarta quinque vigesimas quartas librae partes reddit. cyathus heminae sexta quinque tricesimas sextas. vncia palmi pars est tertia: quapropter cubicus palmus ad vnciam cubicam proportionem habebit, quam 27. ad 1. quapropter si $1\frac{1}{2}$, hoc est $\frac{3}{2}$ per 27. diuidatur, ostendit vnciae cubicae respondere fractionem

SINGVLAE Romanae mensurae pondere expendantur. *Supra cap. 19. huius.*

ROMANAE longitudinum mensurae pondere examinantur.

PALMVS quattuor digitorum.

hanc

hanc $\frac{1}{100}$. Fannius, atque alij de mensuris agentes, mystrum, & cyanem inter Latinas computant mensuras, quod illas forsan vsus in Romanos mores traduxerat: quare, etiamsi inter Graecorum mensuras à nobis reponantur, hic ordine pertractandae sunt. Est igitur mystrum cyathi quarta, atque adeo haec illi respondebit fractio $\frac{1}{144}$ quae quarta pars est huius $\frac{1}{36}$ fractionis cyathi. Digitus palmi pars est quarta; quapropter palmi cubus, vel palmus cubicus ad cubum digiti, vel ad digitum cubicum habebit proporrionem, quam 64 ad 1. ideoque si $1\frac{1}{6}$ hoc est $\frac{7}{6}$ diuidantur per 64. dabunt digito cubico $\frac{7}{384}$. Cyane tertia pars est mystri, quare illi respondet hic fractus numerus $\frac{1}{432}$. Cochlear cyanis dimidium hunc reddit numerum $\frac{1}{864}$. Atque haec de Romanis mensuris, earumque pondere dicta sufficiant. Quoniam ea, quae de numerorum cubicorum proportione supponimus, ac de fractorum diuisione, per se nota sunt; nec enim vacar, aut decet me omnes arithmeticas, aut aliarum scientiarum praeceptiones, quibus inter dispurandum indigeo, explicare. satis esse duxi, si eas tantummodo propositiones assumerem, quae omnibus eius scientiae peritis notae sunt, & certae; lectori verò, si in eis versarus non sit, aut ab his supersedendum est, aut scientiarum periti sunt saepiùs adeundi. Quod verò ad muruam mensurarum proportionem spectat, quam etiam assumimus, ea satis superque suis locis suprà explicata à nobis, atque adeo quaerenda ibidem est. Quod verò ad nostras spectat longirudinum mensuras, quomodo cum antiquis conferantur, infrà commodius explicabitur, cum certus antiquarum mensurarum modus definitus fuerit. Interim tamen, quae ibi probanda, sunt, ad tabulas componendas, vt iam probata assumentur.

GRAECORUM mensurae expenduntur.

Graecas mensuras, earumque pondera haud dissimili methodo licet percensere. Et à maximis incipientes, medimnus vtique eiusdem mensurae, ac ponderis est cum Romano; quare & in eadem linea constitutus. Metreta amphorae est sesquialtera, atque adeo libras pendet centum viginti. Pes Graecus, vt ex Herodoto, Suida, & Plinio collatis probat Petus, Romanum pedem excedit semuncia eiusdem Romani pedis: quia, nimirum, pedem vnum Romanum continet, & vigesimam quartam insuper pedis Romani partem. Quamobrem habebit pes Romanus ad pedem Graecum eam proportionem, quam numerus 24. ad numerum 25. Atque adeo amphora, cubus pedis, vel pes cubicus, quod idem est, habebit ad pedem Graecum cubicum eam proportionem, quam cubus radicis 24. hoc est 13824. ad cubum radicis 25. hoc est 15625. Quibus stantibus, beneficio regulae arithmetices, quàm trium vocant, quaesitum inuenies librarum numerum cubico Graecorum pedi respondenrem. hoc est, 90 $\frac{162}{243}$. Chus congio par est, ideoque in eadem scribitur linea. Choenix duas terrias partes congij continet, hoc est Romanos sexrarios quattuor. quare, siue numerum congij 10. per duas tertias partes diuidas, siue numerum sexrarij $1\frac{2}{3}$ per quaternarium multiplices, idem prodibit choenicis nnmerus $6\frac{2}{3}$. Xestes sextario par est: Coryle heminae. Oxybaphus acetabulo. De mystro vero, & cyane inter

Herod. lib. 2. Suidas.
Plin. lib. 2. cap. 23.
Iuc. Pet. lib. de antiq. men.

PES GRAECUS Romanum excedit semuncia.

ROMANAE mensurae ponderibus respondentes.

A Romanas mensuras dictum iam est.

Iam verò de Hebraicis mensuris tractaturus, à notioribus initium sumere decreui. Est autem ephi, & batus minor ipsi Graecorum metretae aequalis. Batus verò maximus hunc continet semel, atque eius insuper dimidium; est enim sesquialtera proportione maior. Si ergo metretae numero 120. eiusdem medietatem 60. addas, notum erit, bati maioris aqua pleni pondus librarum esse centum octoginta. Hic porrò batus eubus est semicubiti Hebraeorum, vel semicubitus est cubicus. Pes verò semicubitum continet semel, & eius insuper partem terriam: Haecque semicubirus ad pedem proporrionem, quam numerus 3. ad 4. atque adeo batus habebit ad pedem B cubicum proporrionem, quam 27. cubus radicis 3. ad 64. cubum radicis 4. Igitur per regulam trium sic inquires pedis numerum. si 27. dant 180. quid dabunt 64. & inuenies 426 $\frac{2}{3}$. Corus decuplus est minoris bati, & ephi, pendetque libras 1200. Cubitus cubicus maioris bati est octuplus, quippe quod illius latus lateris huius est duplus, quare pendet libras 1440. Calamus tandem cubitum sexies continet, ac sextam insuper eius partem, vt suis locis probaturi sumus; quare habebit cubitus ad calamum proportionem, quam 4. ad 25. & cubus pedis ad cubum calami habebit proportionem, quam 64. cubus radicis 4. ad 15625. cubum radicis 25. quare per regulam trium, sic operabe- C ris, si 64. dant 15625. quid dabit 1440. & inuenies cubici calami numerum, qui in tabula scribitur huiusmodi 351562 $\frac{1}{2}$.

BATVS MAIOR semicubitus est cubicus.

Porrò ad inferiores mensuras descendentes: satum vrnae aequale esse comperimus. Hin nona pars est maioris bati, vrpote duodecim continens logos, vel totidem sextarios, ideoque viginti libras pender, vt patet computanti. Gomor verò, quae mensura, & assaron dicitur, quod decima pars sit ephi, aut bati, duodecim libras pendet. Cab palmus cubicus Hebraeorum choenici aequalis est, sicur log sextario. ac randem digirus palmi quarta pars est. Quare cubus cabi, hoc est palmus cubicus, habebit ad cubum digiti, vel ad digitum cubicum eam rarionem, quam 64. cubus D quaternarij ad vnitatem cubum vnitatis, atque adeo per regulam trium facilè inuenies, digito cubico respondere hunc numerum fractum $\frac{1}{48}$ atque haec de antiquis mensuris dicta sufficiant.

Supereſt, vt de nostris Romanis, atque Hispanis breui disseramus. Et liquorum mensurae, vt dixi, eaedem Hispanis, atque Romanis sunt, ideoque simul esse rradendas duxi. Er à foglietta, & quartillo, vtpote notioribus, incipienres, earum singulas sexdenas vncias pendere testamur, hoc est libram vnam, & rrientem. Hanc mensuram quater continet ea, quam vocant bocal, vel açumbre, quae libras quinque pendet E cum triente. Hanc rursus mensuram octies continet, quam vocant Romani congium, Hispani arrobam, quae propterea pendet libras 42 $\frac{2}{7}$. Reliquas mensuras seorsum explicabimus, ac primùm Romanas. Barrilis bocalia continet duo & triginta, qui numerus per $5\frac{1}{7}$ multiplicatus reddit $170\frac{2}{7}$, ac totidem libras dicimus barrilem pendere. Continet autem botte barriles octo, quare numerus $170\frac{2}{7}$ per octonarium multiplicarus hunc numerum reddit: $1365\frac{1}{7}$. Et haec de liquorum mensuris.

LIQVORVM nostrae, Romanae atque Hispanicae simul expenduntur.

Quod

Supra cap. 20 huius.

Quod ad fruges spectat rublum suprà ostendimus sextarios continere quadringentos nonaginta duos, qui sextariorum numerus per $1\frac{1}{2}$ sextarij pondus multiplicatum, vel per $\frac{1}{1}$, quod idem est, dat rublo libras 820. Rublum praeterea in scortia diuiditur duo & viginti; quare, si praedictus numerus per hunc diuidatur, dabit scortio hunc numerum $37\frac{1}{11}$. Quod verò ad mensuras longitudinum spectat, eas nulla faciliori ratione explicari posse existimaui, quàm collatione facta cum antiquis, & ideo supponendam esse prius duxi longitudinem Romani antiqui pedis, quam vel ex instrumento superiùs posito petere poterit Lector, vel ex inferius pònenda Farnesiani congij figura. Antiquum igitur illum pedem saepe saepius ego ipse contuli cum nostro Romano palmo, & comperi, dodrantem illius pedis maiorem esse hoc palmo quadragesima octaua parte huius. atque pedem illum antiquum palmum vnum ex his nostris continere; & insuper septemdecim quadragesimas octauas huius. Ego verò semper existimaui, dodrantem illius pedis antiqui aequalem fuisse palmo Romano, quo nunc aedificatores vtuntur, id quod quibusdam coniecturis, ac palmorum, qui circumferuntur, testimonijs confirmabatur. Verùm cum numquam consueuerim in aliqua sententia conquiescere, priusquam ad prima principia, aut capita, à quibus originem ducit, ventum sit, ideo & ad mensuram illam calami, quam cannam vulgo voeant, in denos palmos diuisam, quaeque in primo limine domus Conseruatorum Romani Capitolij durissimo saxo incisa iacer, recurrendum duxi. Et quamuis ea non in aequas omnino partes diuisa sit, tum proterea, quod profunda nimis incisa sit, & lineis digiti ferè crassitudine; tum vel maximè propter minus accuratam caelatoris diligentiam, tamen rotam cannam circino in denas aequas partes secuimus, arque ex eis vnam, quam palmum vocant, cum antiquo Romano pede contuli, & comperi, vt dixi, quadragesima octaua palmi parte maiorem fuisse dodrantem antiqui pedis palmo illo Romano. Et licet possem hanc paruam differentiam culpae, vt dixi, incisoris adscribere, & nostrum palmum antiquo dodranti parem facere, ramen, ne cuiquam videar hac in parte à vero recessisse, eiusmodi palmi differentiam diligenter notatam in omnibus tabulis, & compurationibus obseruaui. hanc igitur proportionem ita licuit ad eandem reuocare denominationem, palmum in 48. partes diuidendo, quibus si addantur septemdecim, fient omnes antiqui pedis similes partes 65. quare cubus pedis, hoc est, amphora Romana, eiusque numerus 80. habebit ad cubum palmi eam proportionem, quam 274625. cubus radicis 65. ad 110592. cubum radicis 48. quare per regulam trium (sic operando, si 275625. dat 11592. quid dabit 80.) palmo cubico Romanorum nostro obuenient ponderis libraе $32\frac{113}{249}\frac{23}{27}$. Palmus hic in duodecim partes aequales nunc quoque diuiditur, quae vnciae dicuntur; quare inuenrus numerus palmi cubici habebit ad vnciam palmi cubicam eam rationem, quam 1728. cubus duodenarij, ad vnitarem vniratis cubum, quam per regulam trium: vel diuidendo numerum palmi cubici per 1728. habebimus hunc numerum vnciae palmi cubicae $\frac{1023}{4927}$. vt in rabula apparet. at-

ROMANAE nostrae frugum mensurae.

820 | $37\frac{1}{11}$
22

$\frac{17}{49}$

PALMI NOstri ad antiquum pedem proportio.

48
17
65

A que ita absolutae sunt omnes nostrae Romanae mensurae.

Hispanicas frugum mensuras libet à medio celemino mensura minima exordiri, quoniam eius pondus aqua examinauimus, & eam confirmauimus libras septem pendere. Eius duplum continet celemin libras nimirum quattuordecim. Celeminum duodecies continet fanega: quare si numerum 14. per 12. multiplices, inuenies fanegam pendere libras 168. fanegam insuper duodecies continet cahiz: quare si eum numerum per duodenarium multiplices, cahizis inuenies numerum 2016. Inter has Hispanicas mensuras libuit Paratumcubum adscribere, non quod is aliquam certam mensuram è nostris continear; B sed quoniam eam mensuram, quam nos adhibuimus, cuiusque vsus multiplex, & eximius ab huius tractationis studiosis sperari poterit (vt libro primo huius partis pluribus ostensum est) inter nostras mensuras collocandam esse iudicauimus. Ac de ea mensura nihil aliud dicendum censui, quam quod in rabula suprapositа ponderis Paraticubi ostensum est illum pendere librae numerum $\frac{17}{7}\frac{7}{8}$: ac tantumdem illi in hac tabula tribuimus. atque in reliquis ponderum tabulis similes prioris illius rabulae numeros adhibuimus.

HISPANIcae frugum mensurae expenduntur.

14
12
28
14
168
12
336
168
2016

PARATVS cubus.

Tabula habetur supra lib. 1. huius, c. 5. propos. 16.

Reliquum iam est, vt de longitudinum Hispanicis mensuris breui dicamus. neque id alia ratione praestabimus ab ea, quam in explicandis C nostris Romanis mensuris renuimus; quia nimirum longitudinem pedis Romani antiqui, adhuc amplius confirmandam, suscipimus hic vt iam satis superque probatam. eam igitur iterum atque iterum cum nostro Hispanico mensurali pede contulimus, & inuenimus, pedem Hispanicum à Romano contineri vna cum duodecima illius parte, habereque Romanum antiquum pedem ad nostrum Hispanicum eam proportionem, quam numerus 13. ad numerum 12. quare cubus pedis, hoc est amphora, cuius numerus est 80. ad pedem cubicum Hispanorum habebit eam rationem, quam habet 2197. cubus radicis 13. ad 1728. cubum radicis 12. quare per regulam trium mox patebit pedi cubico Hispanorum deberi hunc numerum $62\frac{20}{21}\frac{24}{67}$. quem habes in tabula. Pedis tres quartas partes continet Hispanorum palmus; haberque pes ad eiusmodi palmum, qui dodrans Latine dicitur, eam rationem, quam quaternarius haber ad ternarium, & cubus pedis ad cubum palmi habebit eam rationem, quam haber 64. quaternarij cubus ad 27. cubum ternarij. atque adeo per regulam trium facilè inuenies palmi numerum, qui est in rabula $26\frac{2}{7}\frac{1}{9}\frac{1}{7}\frac{1}{9}\frac{1}{4}$. Palmus hic digirum duodecies continet; quare palmus cubicus habebit ad digitum cubicum eam rationem, quam 1728. cubus duodenarij habet ad vnitarem vnitatis cubum. quare per regulam trium inuenies digito cubico hunc numerum deberi $\frac{1}{171}\frac{1}{4}$. Vara pedibus constat tribus, atque adeo pes cubicus habebit ad varam cubicam eam rationem, quam vnitas cubus vnitatis haber ad 27. cubum ternarij. quare si praedictum numerum pedis cubici multiplices per 27. habebis numerum varae cubicae huiusmodi $1698\frac{1}{21}\frac{3}{27}$.

HISPANIcae longitudinum mensurae.

PALMVS duodecim digitorum, qui dodrans Romanis dicitur.

His igitur sic explicatis, vides iam, lector, ni fallor, probaros esse numeros omnes columnae librarum, quorum omnium vel sola simplex vrcumque

PRIMVS tabulae vsus ostendit, quae mensura alia, sit maior, vel minor, vel ei aequalis.

scriptura mox indicat primum vsum, quem paulò ante significabam, nimirum quomodo sit ordinanda tabula, vel, quod idem est, quaenam mensura cuiuscumque aetatis, aut gentis, qualibet alia alterius, vel eiusdem gentis maior sit, vel minor, aut eidem aequalis, cum mensurae ipsae eandem probentur habere rationem, quam habent numeri, quibus respondent. Ordinata igitur numerorum beneficio columna illa, & ad illius modum omnibus mensuris, quarum nomina quinque illis columnis, quae à dextris tabulae seponuntur, scripta sunt. Superest, vt de reliquis ordine componendis columnis facili methodo differamus.

QVA RATIONE ex vna aliae omnes columnae in tabula componantur.

Fit autem ex librarum numero talentorum numerus, si in memoriam primo reuocemus, talentum Hebraeorum Romanas libras continere centum viginti quinque: tunc enim, diuiso librarum numero per centum viginti quinque, quaesitus habebitur numerus. Nam si culeum, quem libras pendere ostendimus 1600. scire desideres, quot talenta contineat, eum numerum diuides per 125. & habebis pondus culei talentorum $12\frac{4}{7}$. Et quoniam Atticum talentum dimidio minus est Hebraico, si dictum numerum duplices, habebis talenta Attica, quae pendet culeus $25\frac{1}{7}$. Libra marcham continet, ciusque alteram partem; adeoque, si librarum numero sui dimidium addas, inuenies numerum marcharum 2400. Marcha octies continet vnciam; quare, si marchae numerus per octonarium multiplicetur, dabit numerum vnciarum 19200. hunc si duplices, habebis semuncias 38400. hunc rursum si per quaternarium multiplices, habebis drachmarum numerum 153600. multiplica & hunc numerum per ternarium, & habebis scripulorum numerum 460800. Iam verò quoniam in drachma sunt scripula tria, & oboli Hebraeorum quinque, erit scripulorum numerus ad numerum obolorum, vt ternarius ad quinarium: quare si praedicto scripulorum numero duas tertias sui partes addas, habebis numerum obolorum 768000. Ad speltas inueniendas facilius est scripula per octonarium multiplicare, quam ex alijs numeris procedere, qua ratione inuenitur speltarum numerus 3686400. Tandem in drachma, vt dixi, sunt grana quinque & septuaginta; quare si drachmarum numerum multiplices per 75. habebis granorum numerum culeo respondentem huiusmodi 11520000. Atque hac ratione habes totam culei lineam absolutam, & modum, quo possis reliquas omnes tabulae lineas absoluere, atque adeo totam tabulae fabricam plene perspectam. Sed quo facilius ab vnoquoque, vel hae tabulae examinari, vel aliae similes componi possint, notandum hic fuit, non semper oportere à libris exordiri, indeque ad maxima, & ad minima pondera descendere, posset enim vnusquisque à granis tabulam exordiri, indeque ad maiora pondera ascendere, vel ab Hebraeorum talentis exordiri, & ad minora pondera ordine descendere. Verùm, ne erret, hoc illi primum obseruandum est, vt perspectam habeat ponderum illorum proportionem: verbi gratia, talenti Hebraici ad Atticum duplam; huius ad siclum millesimam quingentesimam, & sic reliqua: Deinde obseruet, vt quoties à maioribus ad minora pondera descenderit, multiplicatione progrediatur; cùm à minoribus ad maiora progreditur, diuidendo ascendendum esse, vt in eo progressu, quem exempli gratia fecimus, vtriusque rei exempla videri possunt non pauca. Atque haec de tabulae decimae fabrica dicta sufficiant.

Supereſt, vt & de aliarum fabrica nonnnihil etiam dicamus, priusquam ad plures vsus explicandos veniamus. Et quidem huius exemplo facilè tabulae omnes componi possunt, neque tredecim reliquae tantùm, sed & aliae cuiusuis rei, quam quisque sibi proponat examinandam. Verùm id qua ratione fiat, explicandum est breui. Si rei alicuius notum sit in aliqua mensura pondus, postquam sint lineae omnes in hac tabula ductae, & nomina ponderum, atque mensurarum suis locis descripta, mensurae illius pondus in propria columna scribetur, & mox ex aliarum mensurarum cum hac proportione reliqua omnia absoluentur: & simili ratione pondera haberi poterunt omnia. Atque hac methodo res quoque alias, quarum pondera examinata non sunt, poterit vnusquisque ad tabulas reuocare, si priùs aliquam mensuram, vel ex antiquis, vel ex nostris ea re plenam diligentius expendat, atque in reliquis progrediatur, vt dixi.

Quod si has tantummodo tredecim res, quas expendimus, nostrasque tabulas examinare, aut iterum componere quis cupiat, verbi gratia auri, is tabulam priùs ingrediatur proportionis, quam habet cubus, aut aliaquantitas auri ad similem cubum aquae, vel vini, & inueniet esse sicut $18\frac{1}{2}$ ad vnum, vel vt numerus 2775. ad numerum 148. & conuertendo habebit aqua ad aurum eam rationem, quam 148. habet ad 2775. Iam verò si pondus sextarij Romani auro pleni inquiras, cum sextarius aquae vncias pendat 20. sic compones regulam trium. si 148. dant 20. quid dabit 2775. & inuenies numerum sextarij aurei vnciarum 375. quem numerum facile ad alia quoque pondera reuocabis, vt dixi, & ad alias omnes mensuras. Neque alia ratione reliquas omnes tabulas componere, aut examinare licebit, quibus sic compositis, plures licebit vsus adinuenire, vel potiùs, vt verum fatear, plures ex eis poterunt legi fructus, quàm qui in huius capitis angustias coarctandi sint; quare & in sequentibus reliquos persequi proficuum magis fore iudicauimus.

1600 | $12\frac{4}{7}$ | $25\frac{1}{7}$
125

1600
800
2400
8
19200
38400
4
153600
3
460800
307800
768000

460800
8
3686400

Dixi cap. 32. libri 2. huius par.

153600
75
768000
1075200
11520000

A MA
ribus pond
bus ad mi
multiplica
descenditu
minoribus
maiora di
dendo.

RELIQV
rum tabul
rum fabric

Tabula hab
tur lib. 1. hu
ius par. cap.
propos. 10.

EARVN-

EARVNDEM

TABVLARVM VSVS CONSEQUUNTUR *septem aliae proportionum tabulae, in quibus omnes omnium mensurarum proportiones continentur.*

Cap. XXIV.

AIX potest breui sermone comprehendi, quot, & quam multiplices vsus ad mensuras percipiendas praestent, quas explicare coepimus, & infrà apponemus, ponderum tabulae. Nam praeter illos, quos titulus ipse praefert, & earum fabricà comprobauit, intuenti mox apparet pondus cuiuscumque mensutae quacumque ex dictis rebus plenae, idque in singulis ponderum generibus. sed & alij quoque mox inde deducuntur, & vniuersales magis, & magis ad antiquas mensuras percipiendas accommodati: spectant enim ad multiplicem earum omnium collationem. Quae, vt faciliùs percipiatur, in memoriam reuocanda sunt ea, quae de patatocubo, rerumque collatione suprà diximus; ac sicut ibi paratum ex singulis rebus cubum appendimus, & ponderum numeros ordine disposuimus, ac mox integrum fuit, numerorum beneficio, rerum omnium, quas appenderamus, inuenire proportionem, sic etiam nunc, postquam singulas omnium aetatum, & omnium generum mensuras, aqua, verbi gratia, plenas appendimus, ponderumque numeros ordine digessimus, eorumdem numerorum beneficio facillimum fuit proportionem cuiuscumque mensurae ad reliquas omnes inuenire, eamque numeris etiam exprimere: ex qua sanè proportione hoc vnum saltem consequi poterimus, vt infinitis propemodum testibus vniuscuiusque mensurae propositam quantitatem probare possimus. Sed quoniam res est, vt dixi, laboris plena, ijs potissimùm, qui in Arithmeticis minùs sunt exercitati, ne illis quidem deesse voluimus; sed, ingenti etiam nostro labore, ac defatigatione eorum quoque commodis consulere: quapropter, & hanc mensurarum omnium collationem in quattuor proportionum tabulas digestam apponere, & explicare non grauabimur.

MVLTIPLEX omnium mensurarum collatio. *Lib. 1. huius partis. cap. 5. propos. 16.*

CVIVSCVMque mensurae proportio pluribus probatur testibus.

PRIMA proportionis tabula explicatur.

Ac primùm primam, cuius perspicuus est titulus. Eius verò fabrica, quoniam ex tabulis ponderum pendet, tunc facilè percipietur, cum vna ex tabulis ponderum ob oculos habebitur. sitque, exempli gratia, decima, eiusque columna, potissimùm illa, quam suprà probauimus, nimirum librarum: in hac igitur proportionum tabula, quinque & quadraginta sunt columnae, ac transuersae lineae totidem, quot nimirum A sunt mensurae in praedicta ponderum tabula, aut mensurarum numeri in vnaquaque eius columna reperiuntur.

Sunt autem praeterea singulis columnis, ac lineis tabulae proportionum, singularum mensurarum nomina appositа, eodem prorsus ordine, quo in tabula ponderum disponuntur, quamuis columnae à maximis progrediantur ad minimas; lineae è contra à minimis descendant ad maximas. Cuius rei nulla alia afferenda sunt exempla, sed monendus lector, vt ea in ipsa tabula legat, & expendat. Quod verò ad tabulae numeros spectat, omnes ex numeris columnae librarum, quas pendent, mensurae aqua plenae componuntur hoc modo. Pendet, exempli gratia, calamus Hebraeorum cubicus aqua plenus libras $3515621\frac{1}{2}$. B hic numerus per singulos inferiores, à minimis incipiendo, diuisus, totam componit tabulae proportionum maximam columnam. Nam diuisus in $\frac{1}{1024}$ numerum cochlearis, dat in tabula proportionum 60750000, qui numerus indicat calamum Hebraeorum cubicum totidem continere Romanorum antiqua cochlearia. Eumdem numerum calami si diuidas per $\frac{1}{4096}$ numerum cyanis, dabit secundum numerum tabulae proportionum 303575000. indicantem Hebraeorum cubico calamo tot Graecorum cyanes contineri: qua ratione reliquos omnes eiusdem columnae numeros componere poteris. Ea vero absoluta, secundum numetum *cahizis* in tabula ponderum 1698 $\frac{1}{2}\frac{7}{8}\frac{5}{2}$ accipies, eumque per numeros reliquos eiusdem columnae diuides ab C infimo cyanis incipiendo, & ad vltimum vsque calami cubici veniendo, & secundam complebis tabulae proportionum columnam. & sic reliquas quoque complere poteris, reliquos numeros per suos inferiores diuidendo: atque ita poteris totam tabulam absoluere.

PRIMVS tabulae proportionum vsus.

Huius verò tabulae vsus non minus vtilis est, quam iucundus, & in quo totus propemodum huius disputationis fructus continetur. Quis enim ex ijs, qui antiquas mensuras cognoscere cupiat, aliud cupiat, quàm scire, verbi gratia, quot scortia Romana nostra contineat antiquus Romanorum culeus? Idque facilè inueniet, si in D superiori linea culeum quaerat, à dextris verò scortia: nam in angulo communi inueniet $42\frac{1}{41}$. totidemque continere dices. Quod si batum Hebraeorum maximum scire desideres, quot è nostris Romanae fogliettae compleant, aut Hispanici quartilli, in angulo coro, & fogliettae respondente inuenies 900. qui numerus quaestionem soluit. Est & alius periucundus huius tabulae vsus ex collatione mensurarum longitudinis cum reliquis ortus, nimirum, vt mensuras ipsas antiquas examinemus. Nam cum pedem Hebraeorum cubicum legamus in tabula decem Hispanotum arrobas, siue Romanorum nostros congios continete, si quis eam aquae quantitatem, quam facilè mensurare poterit, ad cubicam formam iuxta demonstrata reuocet, is longitudinem pedis Hebraici mox habebit, & sic de alijs E dicendum est.

VSVS SECundus.

Demonstrata lib. 1. huius c. 5. prop. 16.

TERTIVS vsus.

Est & alius non minus gratus tabulae vsus ostendens mensuras omnes, quae eandem inter se seruant proportionem, vtpote in quarum angulis ijdem scribuntur numeri: cuius rei aliquot libuit tabulae ipsi apponere exempla, quae aliorum omnium esse possent argumenta.

TABVLA secunda proportionum.

Sed quoniam huius tabulae fructus, quod ad potissimum eius vsum spectat, nimirum ad inueniendas alias ex alijs mensuras, impeditus nimis, ac difficilis esse videbatur, quod pluribus fractis, quos vocant, numeris esset plenus, qui & multipli candi, & diuidendi inuicem sunt, ideo, ad hanc quoque difficultatem subleuandam, secundam tabulam proportionum composuimus, in qua, mensurarum nomina tum columnarum capitibus, tum etiam linearum initijs adscribuntur, non quidem eodem, quo in priori tabula, sed quo facilius inueniantur, ordine alphabetico. Omnes igitur numeri huius tabulae integri sunt; sed quoniam duplices in singulis locis scribendi erant, ideo illos omnes, linea interiecta, fractorum more describimus. Vsus autem huius tabulae facilis est, & ad plura se extendens, vtpote cuiuscumque mensurae ad quamcumque aliam proportionem indicans. exemplis res erit manifesta, si quis proportionem quaerat, quam habet choenix ad heminam: is choenicem in summis columnis inueniat, heminam in lineis à dextris tabulae, atque in angulo communi huiusmodi numeros inueniet $\frac{1}{4}$ indicantes, choenicem habere ad heminam porportionem, quam habet octonarius ad vnitatem, & conuertendo, heminam ad choenicem eam rationem habere, quam habet vnitas ad octonarium. Sed & aliud quoque liber proponere exemplum. si quis scire cupiat rubli ad fatum proportionem, rublum quaerat in summo, à dextris fatum: nam in communi angulo hos numeros inueniet $\frac{41}{2}$ indicantes rubli ad fatum rationem esse, quae vnius & quadraginta ad binarium; fati verò ad rublum è conuerso, vt binarij ad vnum & quadraginta. Ex hoc mox liquet vsus alter, vt si quis rublum in partes aliquas ratione diuidat vnam & quadraginta, ex eis binae fari Hebraeorum iustam quantitatem indicent. Qua ratione omnes praedictas mensuras licebit, qualibet perspecta mediante, ad amussim examinare. Vt si quis Romanus velit propria, scortij mensura reliquas omnes examinare, id poterit facilè consequi huius tabulae beneficio, sicut Hispanus posset sua açumbris mensura omnes tabulae mensuras probare; cum tam huius, quàm illius ad reliquas omnes mensuras proportio, & reliquarum ad has perspecta sit in tabula.

TABVLAE vsus primus.

VSVS SECUNDUS.

TABVLA proportionum tertia.

Verùm, quoniam solida corpora, cuiusmodi sunt omnes hactenus in tabulis propositae mensurae, difficilè possunt diuidi, aut componi, earumque proportio in numeris data, non esse videtur ad praxim valde accommodata, & faciliùs multo mensurae ipsae examinari, atque haberi potuissent, si cubica omnium mensurarum latera haberentur; illa enim in regula exacta haberi semel possunt, ac circino diuidi, vel augeri, iuxta datam rationem: ideo, quamuis infinitam propemodum operam, & insuperabilem laboris difficultatem in extrahendis omnium horum numerorum cubicis radicibus positam esse animaduerteremus; ea tamen difficultate contempta, nihil nos terrere potuit, quo minùs prodesse hac etiam in parte lectori conaremur, atque ne aliqua ex parte defecisse videremur ab eo, quod ad perfectam huius disputationis tractationem conducere posse existimaretur: tabulam propterea proportionum tertiam composuimus, in qua non iam cubicae mensurae conferuntur, sed earum cubica latera: atque adeo non aliter de mensuris omnibus conferendis differendum est, quam si omnes ad longitudinem tantùm reuocarentur.

TERTIAE tabulae fabrica.

Et quidem tabulae fabrica eadem prorsus est cum priori proportionum tabula, numeris tantum diuersae sunt; quoniam in hac tabula radices scribuntur numerorum, qui in illa, vt numeri cubici reputantur. Sed quoniam, vt alias dixi, numerorum, qui cubi non sunt, radices exactae haberi vix, aut ne vix quidem possunt, ideo radices ad partes millesimas, & his plerumque minores reuocauimus, quo certior fiat lector, vix in aliqua, aut aliquibus ex eiusmodi partibus, quae nullo sensu percipi possent, erratum fuisse in supputationibus: quae etiam causa fuit, vt plures, ac maiores multo fracti numeri huic apponantur tabulae, quam reliquis.

TABVLAE vsus primus.

Quod verò ad huius tabulae vsus spectat, mensurae in ea ad duplicia capita reuocandae sunt; aliae enim mensurae longitudinum sunt, vtpote calamus, cubitus, pes, palmus, & similia, quae in superioribus tabulis cubicae acceptae sunt; hic verò, vt longitudinum sunt propriae, accipiuntur: quamuis & latera cubica sint earum mensurarum, quae referebantur in prioribus tabulis. aliae verò mensurae omnes, quae solidae sunt, ad cubum reuocatae intelliguntur, vt commodiùs operemur: atque eorum cuborum latera hic conferuntur. Igitur, cum mensuras longitudinum comparamus, sic est legendum: continet, verbi gratia, calamus Hebraeorum palmos Romanorum nostros $22\frac{46}{257}$. Cum verò de reliquarum mensurarum collatione agimus, sic est legendum: continet latus cubicum cahizis Hispanorum latera cubica modij Romanorum antiquae mensurae $4\frac{1}{17}$.

VSVS SECUNDUS.

Est & alius huius tabulae vsus, huius disciplinae proprius: si quis enim vellet ex palmo Romanorum nostro antiqui Hebraeorum calami longitudinem rimari, facilè id consequeretur, cum legat, calamo contineri ex praedictis palmis $22\frac{46}{256}$. Igitur, si quis palmum vnum diuidat in partes 256. & in aliqua recta linea assignet palmos Romanos duos & viginti, & quadraginta insuper nouem palmi partes ducenteſimas quinquagesimas sextas, is iustam calami longitudinem adinueniſſe probabitur. qua ratione omnes quoque antiquae longitudinum mensurae ex qualibet è nostris haberi facilè poterunt.

VSVS TERTIUS.

Non desunt alij quoque vniuersaliores huius tabulae vsus: si quis enim vellet bottem, aut rublum ad cubicam formam reuocare, id facilè praestare poterit, cum latus cubicum botte legat in tabula palmos continere Romanorum nostros $3\frac{468}{768}$. igitur, si in linea quauis recta signet palmos tres, & trecentas insuper sexaginta nouem septingentesimas sexagesimas vnius palmi partes, & ex ea linea cubum vnum conficiat, certo cognoscet, eiusmodi cubo bottem contineri.

VSVS QUARTUS.

Hic etiam mox apparet, quarum mensurarum latera cubica eandem habeant proportionem, earumque exempla nonnulla tabulae ipsi apposuimus.

TABVLAE proportionum quarta.

Neque verò minus vtile fore iudicauimus, fractos numeros huius tabulae ad integros reuocare, quàm primae; ideoque non alia ratione, quàm ex prima secundam fecimus proportionum tabulam. hic etiam ex tertia quartam confecimus, cuius fabrica, & vsus haud dissimili ratione deduci poterit ex tertia, quam ibi deducebatur ex

prima

prima. Nec dubito quin plures alios, neque his minus iucundos, minusve vtiles adinuenire possit in his tabulis ingeniosus lector, ex quibus aliquos etiam possemus nos adijcere; verum breuitatis studium & ardor alio nos auocat.

Priùs tamen, quàm ad vlteriora progrediamur, alia quoque cura leuare lectorem libuit: omnibus namque octodecim explicatis tabulis, mensurae conferuntur singulae cum singulis, tum eiusdem, tum diuersi generis. Quapropter, cum loci sacrae Scripturae non semper de singulis, sed saepius de pluribus simul mensuris loquantur, semper exquirenda esset lectoris industria, & opera, vt percipere posset, quot è nostris mensuris responderet praedictus sacrae Scripturae mensurarum numerus: ideoque tres alias oportuit adiungere proportionum tabulas, quintam de liquorum mensuris, sextam de frugum, septimam de longitudinum antiquis mensuris cum nostris conferendis. omnium verò eadem est structura, & vsus: sunt enim in quinas partes diuisae, propter totidem mensurarum genera, Hebraica, Graeca, Romana antiqua, Romana nostra, atque Hispanica. Singulis tamen partibus suis inscriptionibus distinctis propriae mensurae assignantur: in quo illud vnum obseruandum est, quod cum aliquae mensurae diuersarum gentium sint pares, vt batus Hebraeorum minor & metreta Graecorum, bocal Romanorum noster & açumbre Hispanorum, eiusmodi mensurae inter priores tantum ponuntur, ac ne eas cogamur repetere, metreta inter Hebraeas quaerenda est, açumbre inter Romanas, & sic reliquae.

TRES aliae proportionum tabulae.

VSVS HARum tabularum primus.

Est insuper obseruatum, vt, minima mensura excepta, reliquae omnes singulae priùs cum reliquis conferantur, deinde multiplicatae, vt in quinta tabula, cyane continere ostenditur bina cochlearia: mystrum cyanes tres, cochlearia sex; oxibaphus mystra sex, cyanes quindecim: sesqui cyathus, cochlearia triginta sex. Et sic singulas, ordine descendendo, quomodo inter se conferantur, inuenies. Sed quoniam his tabulis Hebraeas potissimùm mensuras cum reliquis conferre decreuimus, eas praesertim ordine digestas priori parti tabulae adhibuimus. Earum vsus mox dat quemlibet sacrae Scripturae mensurarum numerum, nostris mensuris respondentem.

VSVS SEcundus.

3. Reg. 7. ℣. 26.

Si quis enim bis mille batos, quos capiebat mare, scire cupiat, quot Hispanicis arrobis, aut Romanis bottis respondeant, in secunda quintae tabulae columna bis mille batos quaerat, atque in eadem linea sub Hispanicis arrobis inueniet 843 1/2 illis respondentes. In columnae verò Romanae botte 26 47/144. si quis item binas Euangelij metretas in tertia Hebraeorum columna exquirat, is in eadem linea inueniet in columna Romani barrilis 1 11/47, ac totidem capere aliquam ex illis hydrijs intelliget, bocales 45. foglietas 190 arrobas 5 1/2. In sexta verò tabula, si quis scire cupiat, triginta illos similae coros, quos in dies absumebat Salomon, quot è nostris mensuris respondeant, inueniet pares esse rublis 42 11/41 cabizibus 17 5/7 hanegis 214 3/7. cuius numeri duplum continebunt sexaginta reliqui cori farinae. Si quis tandem in septima & vltima proportionum tabula palmis Romanis nostris, aut Hispanicis pedibus metiri velit denos illos cubitos diametri maris aenei, eum numerum, quem non inuenit in tabula, diuidet bifariam. Quod semper in alijs quoque tabulis obseruandum est, vt numeri alij minores, bini, terni, vel plures exquirantur in tabula, qui expleant quaesitum numerum, qui in tabula non reperitur, & inueniet quinos cubitos tabulae palmis Romanis nostris respondere 17 241/320. pedibus verò Hispanicis 14 201/250, qui numerus altitudinem maris refert, & duplicatus, maris diametrum reddet, palmos Romanos 35 41/80, pedes verò Hispanos 29 1/100. Atque haec de tabulis dicta sufficiant. Tabulas verò, quas hactenus explicauimus vnam & viginti, ad calcem huius libri omnes simul apponemus. Nunc verò ad reliqua de mensuris quam breuissime persequenda veniemus.

MODVS inueniendi numeros, qui in tabula non sunt.

3. Reg. 7. ℣. 23.

DE CERTA ALIQVA ROMANORVM MENSVRA STATVENDA,

cuius beneficio omnia antiqua pondera, atque mensurae statuantur: vbi de mirabili Farnesiani congij artificio.

Cap. XXV.

HOC hactenus lectorem deduximus vt quasi ad summum huius disputationis fastigium peruenisse videatur, in quo facilè posset conquiescere, cum ea explicata sint omnia, quae Scriptores alij sibi proposuerunt tractanda, nimirum vt proportiones antiquarum mensurarum ad nostras explicarent; idque in singulis generibus, tantumque frugum mensuras cum similibus; liquorum cum mensuris liquorum; & longitudinum mensuras cum mensuris tantum longitudinum conferentes: id quod non modò nos consequuti fuimus, & lectori proposuimus; verum etiam vniuersalem modum ostendimus singulas, tum nostras, tum antiquas mensuras, cum omnibus cuiusuis generis mensuris, atque item ponderibus conferendi. Ex qua quidem collatione illud insuper, quod nullus antea praestitisse videbatur, praestare docuimus, vt ex qualibet perspecta mensura reliquae omnes, atque omnia pondera restituantur. Superesse tamen adhuc videbatur aliquid, quod Scriptoris animum in sui desiderium rapere facile posset. Quis enim certam aliquam mensurae rationem ex antiquis habere non cuperet, ne eam difficili aliqua via, erroribusque obnoxia quaerere cogeretur? Cui sanè desiderio feciſse iam satis videmur in instrumento nostro, in quo longitudinum mensuras, & aliarum

QVOMODO antiquae mensurae restituendae.

aliarum cubica latera expressimus; neque ibi tantum, sed & alibi quoque viam, ac modum ostendimus, quo mediante pes Romanus antiquus examinari possit. idque tum ex Farnesiano congio haberi poterit, cuius aqua, si iuxta demonstrata in cubum reuocetur, eius latus semipedem Romanum dabit: tum etiam ex ponderibus Romanis, aut Hispanicis, quae eiusdem congij beneficio eum antiquis collata, atque expensa sunt, haberi poterit. Si quis enim aquae purae è cisterna libras decem in cubicam formam redigat, iuxta ea, quae ibidem demonstrata sunt, idem planè semipedis Romani antiqui longitudinem consequetur. Tum vel maximè antiquae mensurae haberi poterunt ex cubico choenicis, latera cuius inueniendi modum paulò superius exposuimus, quod Hebraeorum palmum reddit, ex quo pedem, cubitum, aliasque mensuras Hebraeorum omnes facilè inuenies. Alia item eiusdem generis praecepta quamplurima toto hoc libro, sed proximis potissimùm capitibus, tradita sunt, idem ipsum quomodo praestandum sit ostendentia. Sed ne cuiquam fortasse videamur has vias, quamuis planas, & faciles, quas nemo alius, in gressi, quod alienis insistere nequiremus, atque vt exoptatum Romanum pedem ab antiquitatis iniurijs vindicatum ostenderemus, in aliorum sententijs examinandis nonnihil operae ponere non detrectauimus. Ingeniosus sanè, & sollers medicus Georgius Agricola integrum librum de restituendis mensuris, ac ponderibus edidit, quo nihil aliud praestitisse videtur, quàm vt à sufficienti partium enumeratione ostenderet id omnino impossibile esse. Omnia enim in primis pondera examinanda esse arbitratus est, atque, vt certam aliquam ponderis rationem inueniat, mirificè cum omnibus ferè Scriptoribus, ac secum nonnumquam ipse digladiatur, & pugnat: nam cum res naturales, grana frumenti, legumina, vel fructuum semina, fructus, vel etiam oua perpendit, tandem incidit in Fannij verissimam sententiam, huiusmodi.

Demonstrata lib. 1. huius c. 5. propos. 16.

Superius. c. 12 huius libri.

G. Agricola. lib. de restituendis pon.

Fannius.

Semina sex aliqui siliquis latitantia curuis
Attribuunt scripulo, lentes veraciter octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
Bis duo. sed si par generandi his pondus ineßet,
Seruarent eadem diuersae pondera gentes:
Nunc variant. Etenim cuncta non foedere certo
Naturae, sed lege valent, hominumque repertis.

Cùm vero ad res lege statutas, aut vsu examinandas accedit, contra Portium fusius disputat, quod nulla firma ratione, eam libram, quam Romanam antiquam fuisse arbitratur, esse aequalem probet alicui certae ex ijs, quae sunt in vsu, & haberi, atque expendi ab omnibus facilè possunt. Pari prorsus argumento, & aduersus Alciatum disputans probare contendit, eum non certam aliquam vnciam assignasse. ac postmodum Budaei sententiam de denarijs refellit, eo nixus fundamento, quod Budaeus non integros antiquos denarios sit fortitus, idque probat firmo, quod putat, argumento; quoniam denarius non drachmae Atticae aequalis, sed ea maior fuit: siquidem drachma vnciae fuit octaua, denarius pars septima. Tandem in ea sententia conquieuit Agricola, vt denarijs mediocribus, quorum septeni vnciam complent, vnciam esse exaequandam putet: mediocres verò eos denarios compellat, quoniam alios putat fuisse grauiores, vtpote qui sesquidrachmam penderent, alios leuiores, qui drachmam. Verum cum & inter hos mediocres denarios alij alijs grauiores sint, vtpote vetustate, & vsu magis exesi; alij verò grauiores, vtpote integriores reperiantur, quinam adhibendi sint, non facilè diiudicabitur: nam cum vix è pluribus duos aequales liceat comprobare, quamuis mediocres reperiantur, adhuc tamen non integrum est iudicare, an integri sint eiusmodi denarij, suumque primitiuum retinentes pondus; an verò pariter detriti, & consumpti: & adhuc animus haeret, vt dixi, & dubitat, num sit vera antiquae vnciae ratio adinuenta. Atque in vniuersum illud vnum monitos velim eos omnes, qui mensurarum, ac ponderum cognoscendorum desiderio tenentur, ne à minimis incipiant examinare maiora: nam vel minimus quisque error saepiùs multiplicatus in magnum adducit errorum cumulum.

DENARIIS antiquis vix, aut nulla ratione possunt pondera exaequari.

EXAMINATio ponderum aut mensurarum non est minimis inchoanda.

Et de Hebraeorum mensura לוג log sex ouis examinanda bene disputat idem Agricola, & probat rem esse inter dubias maximè dubiam, quoniam rerum ferè omnium naturalium incerta est magnitudo. Ae tandem artificiali Colotiani pedis mensura examinandas fore mensuras contendit: verum priùs oporteret praedictum pedem sedulò vindicare ab ijs argumentis, quae illi Lucas Petus opponit; verùm enimuero, quamuis is tanquam certae mensurae modulus admitteretur, tamen dubitandum adhuc esset, quaenam esset certa eiusdem pedis mensura: eiusdem namque pedis longitudo per plures manus transmissa, atque in plures redacta libros sibi ipsi constans non est. Ego enim, dum haec scribe-rem, hunc Colotianum pedem circino expendi, & in annotationibus Guilielmi Philandri sollertissimi viri, & apud Georgium Agricolam, & apud Lucam Petum, & Stanislaum Grsepsium, & nullum potui reperire alteri aequalem; immo verò neque eiusdem pedis assignatas similes partes. qua etiam ratione minus sufficiens apparebit ratio illa à sollerti quodam Hispano doctore excogitata, & ad nos transmissa, qua putabat Romanum pedem adinueniri facilè posse, si aliqui duo milliarij lapides suis priscis locis constituti reperirentur, quorum distantia sollerti quidem agri mensorum industria in mille passus dimensa partiretur, siue in pedes quinquies mille. Nam praeterquam quod nulli, quod sciam, eiusmodi antiqui lapides suis locis constituti reperiantur, neque vllum prorsus vestigium locorum, quibus constituti fuerunt; tamen licet eiusmodi lapides etiam plures reperirentur, impossibile omnino iudicarem, ea ratione in minutissimis pedis quantitatibus aliquid certi statuere. quinimmo cuilibet examinandum propono, si in plana quauis terrae superficie milliaris assignet longitudinem, eandemque iterum metiatur, à priori diuersam inueniet; & si tertio, prioribus non conueniet: immo verò, quod magis mirandum est dicam, si super plana papyro ducta recta linea, quilibet iustissimo circino triginta, vel eo amplius aequas metiatur partes, quarum primam, & vltimam tantummodo signet, easque iterum, atque iterum, immoto circino examinet, vix tandem consequetur, vt ad eundem bis terminum perueniat: quanto minus perueniet, qui millenarium passuum numerum, quaeumque adhibita, vel maiori, vel minori mensura, in plures aequas partes diuidere contendat?

Gui. Philand. in Vitruu. lib. 3. c. 3.

Sta. Grsep. epist. tome Budaei

IMPOSSIbile est, ex antiquis milliaribus iustam pedis rationem inuestigare.

Sed his omnibus tam varijs, alijsque multis sen-

VNVS FARnesianus congius potest mensuras omnes, ac pondera pristinae integritati restituere.

sententijs praetermissis, in hac vna conquiescimus, vt arbitremur vnum Farnesianum congium posse omnes antiquas Romanorum, atque aliarum gentium mensuras, omniaque pondera pristinae integritati restituere. non modo quia lege statutus, ac certus, nec tantum quoniam à nobis ad id destinatur; sed quia ab ingeniosissimis illius aetatis hominibus incredibili quodam artificio ad id ipsum exequendum excogitatus, & deputatus fuit. Quae quidem assertio tanquam noua, tanquam inaudita, vix mihi à quoquam credi posse videatur. At ego nihil mihi fidei hac in parte tribui exposco, nec quidquam credi, nisi quod perspicuis, certisque rationibus probare potuero. Ideo namque praedicti congij formam ingenti sollertia ad omnes sui dimensiones exactam, aere incisam, excusamque huic capiti subijciendam, tabulis verò praerermittendam curaui, vt lector ipse oculatus testis esse quodammodo possit eorum, quae cum ipsa congij structura ante sesquimillenos & amplius annos nata, in tenebris, atque ignorationis obscuritatibus quasi sepulta iacuerunt, nunc verò propalam omnibus esse facilè poterunt, atque in promptu. Cuius rei gratia explicanda à nobis est congij forma, materia, finis, artificium, & vsus.

Atque illud in primis, quod in fronte eius formae proponimus, exponendum est, nimirum eam esse ad exemplar duorum, quos Romae habuimus expressam. Eorum primum, & de euius antiquitate nullus, aut dubitauit, aut dubitare meritò poterit, vidimus, vt alias dixi, apud Illustrissimum, ac Reuerendissimum D. D. Oduardum Cardinalem Farnesium. Is est ex oricalcho ductili, cuius inscriptio, lineae, ac signa omnia ita sunt integra, ac perspicua, ac si nunc denuo diductus, efformatusque fuisset. Huius cum ego dimensiones omnes, omniaque signa diligentius notassem, & capacitatem: aliumque congium materia, forma, magnitudine, ac capacitate similem formari curarem, nec facilè inuenire possem artificem, qui eiusmodi metallum deducere auderet, vtpote quod malleo vix cedat, quin frangatur, incidi tandem in alienigenam, qui id praestare, atque pro votis vas efformare & coeperat, & ferè iam absoluerat; cum casu illac pertransijt vir quidam mihi tunc ignorus, qui simile quoddam vas inter pretiosa maximi cuiusdam principis, tanquam minus pretiosum asseruaret: cuius videndi cum facultatem petijssem, liberaliter & videndi, & apud me habendi diebus non paucis permisit, ea lege, vt ne cui manifestarem, à quo, aut apud quem vas illud vidissem. Credi vix potest, ac ne cogitari quidem, quanta perfusus sim laetitia, eiusmodi vase perspecto, quod cogitarem, plurium testium auctoritate rem scitu iucundam pariter, ac necessariam magis, ac magis confirmari. Erat hoc fusile ex aere, quod vulgo dicitur bronzo, exterius affabre elaboratum, sed altera ex parte exesum, atque instauratum, ita vt refossum fuisse videretur ex antiquorum aedificiorum ruinis. sed, vt semper animus contraria ijs, quae desiderat, suspicatur, dubitare mox coepi, num recens factum ad imitationem Farnesiani vas illud fuisset, praesertim cum facilè modi plures mihi occurrerent, quibus illa omnia, quae videbam, antiquitatis argumenta ementita esse à sollerti artifice potuissent. Coepitque anceps animus in nouo congio rimari mensuras

DVPLEX congius Romae inuentus, alter antiquus habitus, alter, qui haberi quoque potuit. *Lib. 2. huius par. cap. 11.*

RECVNDI congij antiquitas probatur.

A omnes, atque artificiosas illas obseruationes, quas in antiquo illo admirabatur, atque ita ad amussim omnia respondere comperit, vt nulla ratione sibi persuadere potuerit, ea omnia ab aliquo artifice obseruari potuisse, cui nota omnino non essent. Quo antiquitatis argumento nullum aut inuenire, aut excogitare potuissem firmius. si cui verò id non probetur, ac tantum velit nostrae aetatis artificio tribuere, vt tot, ac tam mirabilia signa, dimensionesque, incognitas quamuis, obseruare in nouo possit, huic erit liberum sentire quod volet; dummodo sententiam non ferat, priusquam vasis artificium omne percipiat. Nam in hac re, quae non multum necessaria nostrae huic disputationi videtur, iudicium meum
B interponere non curaui: satis enim superque lectori probari poterit congij artificium, & structura, si vel vnius Farnesiani congij ab omnibus recepti testimonio confirmetur.

INSCRIptio congij.

Atque, vt ab inscriptione exordiar, tamdiu, fateor, mihi fuit ignota, quamdiu nondum perceperam, hoc vno vase omnes mensuras, & omnia pondera ita contineri, vt eo vno ad colonias à Populo Romano transmisso, omnes illius regionis mensurae, omniaque pondera ad normam exigerentur Romanorum. Quod propterea sic inscribebatur. IMP. CAESARE. VESPAS. VI. CON. T. CAES. AVG. FIL. IIII. CONS. MENSVRAE EXACTAE IN CAPITOLIO. Infrà verò P. X. Haec integra, & fidelis est eius vasis in-
C scriptio: quam illorum gratia, qui minùs Romanis inscriptionibus assueti sunt, sic explicabimus: Imperatore Caesare Vespasiano sextum Consule Tito Caesare Augusti, vel Augusto filio quartum Consule mensurae exactae in Capitolio. pondo decem. Quid enim aliud significare posset, in vna tantum mensura mensuras exactas referri, nisi mensurarum ratio ex hac vna petenda esset? Id quod non coniecturis modò, aut ratiocinationibus, sed re ipsa ob oculos posita, probandum à nobis est. vbi silentio praetereundum non est, inscriptionem illam punctis arcubus ouali forma conclusis hinc inde includi, ne aliquid Scripturae addi possit, aut deesse putetur. Est autem vasis FORMA congij.
D forma duplicis decurtati coni basibus annexis; qui quidem coni, quamuis altitudine, & crassitudine pares non sint, capacitate tamen pares omnino sunt, dimidiumque congium singulae comprehendunt, vt in interiori parte congij notatum est. Constat praererea totum vas pluribus CONGII partes. partibus, è quibus nulla superuacanea est, aut quae non plurimum vsui conducat. Circa collum namquae iustae crassitudinis est, vt manu comprehendi, ac moueri facilè possit. colli verò summum orificium mensurae terminus est, cuius quasi custodia est labrum illud superimpositum, quod mirabiles praestat vsus. Primus, ne è manibus decidat vas. Secundus, ne effluat, & deperdatur excedens mensuram liquor, manusue
E mensurantis inficiat. Tertius, vt facilè effundatur in vas quodlibet contentus liquor. quem vsum numquam excogitare potuissem, nisi experientia doctus: per gradus enim illos refrangitur effusi liquoris impetus, ita vt in angusti vasis orificio recipiatur, & ne gutta quidem deperdatur. Sed hi communes sunt vsus, ille verò peculiaris, quòd, ad exigendam Romani pedis in vase longitudinem, orificij illius crassitudo necessaria est.

Hoc igitur sit primum, & maximi faciendum, quod

PEDIS ROmani longitudinem congij altitudo repraesentat.

quod vas illud praestat commodum, quia nimirum iustam pedis Romani longitudinem ab ipsis Romanis antiquis exactam reddit, non semel, sed saepius. Primùm enim integri pedis altitudinem exprimit vasis altitudo, non tota, sed à summo labro ad summum torum illum inferiorem, vt in figura apparet. Habuit enim vas ad pulchritudinem, & ad commoditatem, quo latiùs resideret in imo, torum illum, vel trochilum, qui quoniam non semper paris crassitudinis efformari poterat, ita temperabatur summi labri crassitudo, vt iustam redderet pedis longitudinem. id quod obseruatum aduertimus in secundo illo congio, in quo quoniam trochilus inferior subtilioris crassitudinis erat trochilo Farnesiani congij, labrum etiam superius subtilius quoque fuit, ita vt mensura pedis, quam dicimus, ex aequo alteri responderet. Habet insuper vas ipsum lineas illas extrinsecus incisas, quae varias reddunt mensuras, vt in parte interiore congij notantur. Illam duplicem semipedis Romani attentius perpendas mensuram, qua vasis, quam diximus altitudinem, pedisque Romani antiqui integram longitudinem examinare possis, & habere ipsius congij cubicum latus, quod mechanica ratione probari à quocumque posset. Vides etiam latus cubicum modij, semicongij, sextarij, heminae. Quae omnia vix, aut nulla ratione inuenire potuissem, nisi priùs instrumentum augendorum corporum excogitassem, in quo latera cubica mensurarum plurima inuenta sunt, omniaque inueniri facile possunt, vt demonstratum ibidem est. Iam, ni fallor, apertè videre potuit lector, quomodo hoc vno vase mensurae omnes contineantur, ac pondera: longitudinum quidem in assignato pede: liquorum in ipso pedis cubo, quem vocabant amphoram, atque in ipso congio liquorum propria mensura, atque in alijs, quarum cubica latera percensuimus: mensurae item frugum, vel in ipsa amphora habebantur, quae ternos continebat modios, vel in sextario communi mensura, vel propriùs in assignato modij latere. tandem pondera in aquae, qua implebatur, denis libris continebantur.

VARIAE lineae varias indicant mensuras.

Lib. 1. huius cap. 5. propos. 30.

OMNES mensurae congio continentur.

Sed dubitare iam posset aliquis, quomodo tot vasis signa, quae vix modo memoria retineri possunt ab omnibus illis gentibus, ad quas transmitteban tur haec vasa, aut ab ipsis Romanis, qui eisdem vti ac frui solebant, percipiebantur? Cui dubio illud iterum respondemus, quod alias proposuimus, haec omnia ita fuisse cunctis ciuibus in promptu, vt nulla posset subesse dubitandi ratio. Et quamuis haec ratio non plene satisfaceret, vt, vim eius percipienti, satisfacere potest, tamen alia ratio subest perspicua quidem, & quae quotidianis nostris exemplis confirmatur, quod mensuras exigere & pondera, ad Vrbis Quaestores spectabat: cuius muneris tantum erat, eiusmodi signa, & notanda probare, & notata cognoscere, eisque iuxta statuta Reipublicae opportuno tempore vti. Verùm, quae alia, vel firmior, vel probanda pluribus excogitari ratio possit, quàm quae probat, ea signa huiusmodi mensuris respondere? si quis id neget, ei tantummodo respondendum est, vt ea circino probet, cui fidem faciet, nisi proteruus, aut omnino haberi velit ignarus: quae enim superposita, neque excedunt, neque exceduntur, communi Mathematicorum consensione aequalia sunt. At non negabit esse aequalia, sed casu facta signa, & altitudinem indefinitam. Sed qui haec dubia mente euoluit, perpendat, an tantum casui tribuendum sit, quantum vix ipse mente comprehendere possit; an vero suo ingenio, & fidei tam parum concedendum, vt ne ad ea quidem artificia pertingat ingenio, quae sine vlla industria, aut arte, casu tantum peracta sunt.

CONFIRmatur, mensuras lineis illis indicari.

Nos enim, qui, quod forsan hebetioris ingenij sumus, eiusmodi dubijs vim vllam inesse negamus, tanquam singulare beneficium Deo Optimo veritatis, atque omnis boni largitori acceptum referimus, quod in densissimis huius disputationis tenebris lumen hoc veritatis ostenderit, & certum mensurae modum, quo mediante mensuras antiquas omnes, vt dixi, facilè inueniamus. Quae sane mensura eo mihi probatur magis, quo pluribus ex allatis demonstrationibus, ac proportionibus magis, ae magis inuenitur esse conformis. Quapropter alijs omnibus coniecturis, argumentationibus, aereis pedibus, marmoreis dimensionibus, aut sculpturis, quasi maris fluctibus praetermissis, in hac vna pedis longitudine, quasi in portu conquiescere iam tandem decreuimus, ac toti huic disputationi de mensuris in vniuersum finem imponere. Nam quae de Hebraici cubiti, aut calami longitudine statuenda hic exoptari possent, cum ea ad templi tantum mensuras exaequandas tractanda sint, opportune magis suis locis tractanda esse videbantur; cum easdem dimensiones, ac partes templi explicabimus, quibus ipsae quoque mensurae probandae sunt.

Multa inter scribendum consulto praetermissa sunt, ne lectoris cursum retardare, potius quam dirigere viderentur. Ea verò omnia simul hic addenda visa sunt. Forma scilicet primum aerei congij: tabulae deinde ponderum quattuordecim: septemque tandem aliae proportionum. in quibus totius huius partis fructus, propemodum, & finis continetur. Eas, propterea maximè oportet perspectas esse lectori, si auctoris mentem assequi velit, qui numquam animum ad scribendum adhibuit, quin semper praedictas tabulas, aut earum aliquam ob oculos haberet.

FORMA AEREI CONGII QVO AB ANTIQVIS ROMANIS MENSVRAE ET PO

ROMAE HABV



Pars exterior.

EAM IOANNES BAP
Cordubensis e Societate IE
uit, pro suo urbis
Romae Superiorum permissu, et c

ERA EXIGEBANTVR ACCVRATE AD EXEMPLVM DVORVM SIMILIVM QVOS

S EXPRESSA



. VILLALPANDVS
